D. Farancon

~~[illegible]~~

Hº

15-4-15

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
SIGNATURA
NUMERO

VINCENTII DE JUSTIS

TRACTATUS

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

IN TRES LIBROS DIGESTUS.

FACULTAD DE DERECHO
BIBLIOTECA
GRANADA

Universidad de Granada
Facultad de Derecho
Historia del Derecho
Estante N
Tabla 116
Número

117578401.
BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: B
Estante: 049
Numero: 195

R. 44.918

VINCENTII

DE JUSTIS

NOBILIS LUCENSIS

TRACTATUS

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

IN TRES LIBROS DIGESTUS,

IN QUIBUS QUID, QUOMODO, AC QUANDO, TUM IN JURE DIVINO, tum in Eccleſiaſtico, ex receptiſſimis Doctorum Sententiis, & Curiæ Romanæ Stylo, quoad Matrimonium Diſpenſari poſſit, accuratiſſime declaratur;

OPUS EPISCOPIS, VICARIIS, CURATIS, CÆTERISQUE IN UTROQUE FORO VERSANTIBUS PERUTILE, AC NECESSARIUM,

Cui acceſſerunt in calce Operis nonnullæ Annotationes, & quamplures recentiſſimi Caſus à SACRA CONGREGATIONE CONCILII reſoluti:

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

94.8.412=71



FACULTAD DE DERECHO
BIBLIOTECA
GRANADA

VENETIIS, MDCCXXXIX.

APUD JOSEPHUM BORTOLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

VINCENTII
DE JUSTIS
NOBILIS LUCENSIS
TRACTATUS
DE DISPENSATIONIBUS
MATRIMONIALIBUS
IN TRES LIBROS DIGESTUS,

IN QUIBUS QUID, QUOMODO, AC QUANDO, TUM IN JURE DIVINO, tum in Ecclesiastico, ex receptissimis Doctorum Sententiis, & Curiæ Romanæ Stylo, quoad Matrimonium Dispensari possit, accuratissime declaratur;

OPUS EPISCOPIS, VICARIIS, CURATIS, CÆTERISQUE IN UTROQUE FORO VERSANTIBUS PERUTILE, AC NECESSARIUM,

Cum [illegible] quamplures recentissimi Casus [illegible] SACRA CONGREGATIONE CONCILII resolutis:

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

VENETIIS. MDCCXXXIX.
APUD JOSEPHUM BORTOLI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

VINCENTII DE JUSTIS
NOBILIS LUCENSIS
IN TRES LIBROS
DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS
PRÆFATIO.

SUMMARIUM.

1 HUmanus Principatus imitari debet Deum, tanquam suæ gubernationis exemplar.
2 Deus ita dispositum Orbem pondere, & mensura libravit, ut etiam Naturæ legibus aliquando derogetur.
3 Ignis ingenitam oblitus elationem, didicit quandoque deprimi.
4 Aqua, naturali relicta propensione, voluntarie coacta ad altiora prolabitur.
5 Disciplinæ rigor nisi pro rei, temporis, Personarumque qualitate, ex misericordia, & Dispensatione relaxetur, facile in nervum erumpi potest.
6 Benigni Principis vera virtus est ad clementiæ commodum Justitiæ terminos transilire.
7 Tunc vera virtus dici potest, quando nec Pietas sine Justitia, nec Justitia sine Pietate servatur.
8 Princeps licet Justitiæ semitis coarctetur, ipsius tamen Justitiæ rigor est misericordia temperandus.
9 Sol dum per septa Zodiaci spatiatur, æstus æque, ac brumales algores temperat, & tamen semper alter, & idem, ne latum quidem unguem exorbitat ab Eclyptica.
10 Pietas, & Aequitas à Justitiæ consortio divelli non possunt.
11 Canones, ac Leges Juris rigorem ut periculosum damnant, clementiæ semper, tanquam sub securitate ignoscenti, adhærendo.
12 Clementia est adeo necessaria, ut sine illa legem Christi quis non adimpleat.
13 Clementia ipsa est pars Justitiæ; Justitia sine Clementia Injustitia est.
14 Quod Juris severitas negat, Dispensationis benignitas indulget.
15 Rigor Canonum relaxari potest, si justa causa postulet.
16 Ecclesia potestate sibi in alios tradita non utitur ad destructionem, sed ad ædificationem.
17 Ecclesia nimiam Justitiam semper est aversata.
18 Nimia Justitia incurrit peccatum.
19 Ecclesia omnia novit, non tamen omnia prosequitur; nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia est contenta.
20 Ecclesia Oves suæ vigilantiæ commissas tunc potissimum pascit, cum ex causa rationabili misericorditer dispensat.
21 Dispensatio exordium sumpsit ab ipso Deo.
22 Deus specialibus favoribus est Hominem prosequutus.
23 Homo solus, ex Animantium generibus, est rationis particeps.
24 Dispensavit Deus cum Ada, & Eva.
25 Ex Dispensatione salvavit Noe, & Filios.
26 Sic Abraham à Chaldæis.
27 Sic Loth de Sodoma.
28 Sic cum toto genere humano dispensavit.
29 Omnis Dei actio est nostra instructio.
30 Si Dominus est largus Dispensator, non debet Servus esse avarus.
31 Melius est de misericordia, quam de severitate reddere rationem.
32 Opportunum fuit Juris rigorem per Dispensationem moderari.
33 Summum Jus, summa injuria.

HUmani Principatus auctoritas, cognata Potentia Cœlo, quo ampliori majestate vicariam in terris Dei substinet manum, eo propinquiori moderamine summum Orbis Opificem suæ gubernationis imitari debet exemplar. Ille etenim rerum Artifex adeo pondere, & mensura, dispositum Orbem numerorum æqualitate libravit, ut etiam naturæ legibus, quibus incomposita rerum primordia coercentur, aliquando derogetur, ac dispensetur. Sic Ignis ingenitam oblitus elationem, didicit quandoque deprimi: sic Aqua, naturali relicta propensione, voluntarie coacta, ad altiora prolabitur, ne naturæ præceptis firmiter inhærendo, graviora suboleſcant absurda. Ea quoque est rerum humanarum conditio, ut nisi disciplinæ rigor, pro rei, temporis, Personarumque qualitate ex Misericordia, & Dispensatione relaxetur, facile in nervum erumpi possit; & Sanctitas Juris ex ostinata sui observantia in injuriam evadat. Salubri igitur consilio ad moderationem legum Cassiodorus hortatur, dum inquit *lib.* 11. *var. Epist.* 9. *Benigni Principis vera virtus est, ad clementiæ commodum Justitiæ terminos transilire*: Tunc etenim (ut Glossa docet in verbis Chrisologi) vera virtus dici potest, quando nec Pietas sine Justitia, nec Justitia sine Pietate servatur, & quæ ab invicem separatæ dilabuntur, in una sede sine invidia Principantes mirabiliter gubernant. Quid ille crudelissimi Imperatoris monitor, morumque optimorum formator Seneca suo libro de Clementia, præ cæteris decere summopere Principem docet, qui licet Justitiæ semitis coerceatur, *l. Justitia, & Jure*. Ipsius tamen Justitiæ rigor ex misericordia temperandus 45. *Dist. cap. Disciplina* 9. *& dist.* 50. *cap. Vera Justitia* 15. Ita luminum Princeps vigilantissimus cum per septa Zodiaci liberiori curriculo spatiatur, æstus æque, ac brumales algores temperat, distinguit temporum vices, telluris aut excoquit vitium, aut uberrimas ex ejus visceribus elicit opes, tamen semper alter, & idem, ne latum quidem unguem exorbitat ad Eclyptica.

Hoc nimirum (si Lactantium *lib.* 5. *de divina Justitia* audiamus) est fovere Justitiam, cujus consortio divelli nequaquam possunt duæ specioſissimæ (Filias appellem, aut Collegas?) Pietas, & Æquitas; quæ simul aureo fœdere conspirantes, Gratiarum consortium in aulis exercent. Afferrem Canonum, Legumque testimonia, sed omnium Juris rigorem, ut periculosum damnant, clementiæ semper, tanquam sub securitate ignoscenti, adhærendo. Cassiod. *loc. cit. cap.* 40. adeo enim est necessaria Clementia, ut sine ea Legem Christi quis non adimpleat. *can. Qui Clementiam* 86. *dist.* cum ipsa Clemen-

mentia pars sit Justitiæ, immo Justitia sine Clementia injustitia sit, Paulus Rub. *in suis Discurs. n.* 284. Unde merito factum est, ut si, ubi, & quando justa causa postulet, quod juris severitas neget, Dispensationis benignitas indulgeat; ita maxime disponente Sacrosancto Trident. Conc. *sess.* 25. *cap.* 18. *de Reform.* ubi expresse decernit rigorem Canonum relaxari posse, si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulet; & Ecclesia ipsa, quæ sibi tradita in alios potestate, ut Div. Paulus inquit, *Non ad destructionem, sed ad ædificationem utitur*, nimiam Justitiam, quæ ex D. Ambrosio ad Honorium, *peccatum incurrit*, semper est aversata; ac Divinæ in terris repræsentans imaginem, eam parcendo maxime, ac miserando manifestat, dum omnia novit, non omnia prosequitur, nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contenta, Oves suæ vigilantiæ commissas tum potissimum pascit, cum ex causa rationabili misericorditer dispensat: *Argum. in cap.* 1. *de Sent. Excomm. & cap. Verum* 15. *de Jure Jur. cap. Quod Christus* 26. *causa* 23. *q.* 4. Quæ Dispensatio exordium sumpsit ab ipso Deo omnium bonorum Dispensatore, qui ex sola misericordia universa creavit, eaque ex speciali Gratia, & Dispensatione Homini subjecit; *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; *David Psalm.* 8. illumque specialibus favoribus, & gratiis est prosequutus; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*; David loc. cit. *Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit Piscibus Maris, & Bestiis Terræ, &c. Genes. cap.* 1. unde Lactant. Firmian. *lib. de Opificio Hominis cap.* exclamat: *Cum igitur statuisset Deus ex omnibus Animalibus solum Hominem facere cœlestem, cætera universa terrena, hunc ad Cœli contemplationem rigidum erexit, ibi pedem constituit, scilicet, ut eadem spectaret, unde illius origo est.* Cicero *de Leg. lib.* 1. *Hoc Animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilii, quod Hominem vocamus, præclara quadam cognitione generatum est à Summo Deo; solum est enim ex Animantium generibus, & naturis, particeps rationis, cum cætera omnia sint expertia.* Et alibi idem Cicero *dicto lib.* 1. *Natura cæteros Animantes ad pastum adjecit, solum Hominem erexit, ad Cœlique cognitionem, ac domicilii pristini conspectum excitavit*; simili modo Ovidius 1. Metamorph.

Pronaque cum spectent Animalia cætera Terram,
Os Homini sublime dedit Cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sydera tollere Vultus.

Dispensavit Deus cum Ada, & Eva, divini Præcepti transgressoribus, nam post pœnitentiam eis peccatum dimisit, 33. *q.* 3. *dist.* 1. *de Pœnit. cap. Sicut primi* 83. Ex Dispensatione etiam salvavit Noe, & Filios ejus cum unus eorum, scilicet Cham, esset reprobus 24. *q.* 1. *cap. Quia ex sola* 22. *in fine*, Abraham à Chaldæis 35. *q.* 1. *Unico*, Loth de Sodoma, 2. *q.* 1. *cap. Deus Omnipotens* 20. Dispensavit tandem cum toto genere humano, quando pro nostra redemptione Filium suum Unigenitum misit; 8. *q.* 1. *cap. in Scripturis* 9. unde non est mirum, si Homines cum Hominibus dispensent, cum omnis Dei actio sit nostra instructio; *d. cap. Deus Omnipotens*, §. *Cujus exemplo monemur*, 2. *q.* 1. Et si Dominus est largus Dispensator, non debet Servus esse avarus; cum melius sit de misericordia, quam de severitate reddere rationem, 26 *q.* 7. *cap. Allegat.* 12. Paccin. *de Visitat. part.* 1. *q.* 10. *num.* 113. Et si Deus Jus suum rigide exequeretur, quis Hominum sustineret?

Opportunum itaque fuit Juris rigorem per Dispensationem moderari, & sic pro recta, & suavi universalis Reipublicæ Christianæ gubernatione effici oportuit, ut si quando casus evenerit, quo generalis, & communis Lex, omnes obligans, servari non possit, in illo particulari casu, ea per Dispensationem relaxetur, Dian. *tract. unic. part.* 8. *tract.* 3. *resp.* 1.

Terreat igitur stricti Juris excessus, & Legem verenda Majestas è suo Tribunali minitetur, non ad internecionem, non ad excidium, sed ad licentian comprimendam composita, ut aperte loquuntur exempla 2. *q.* 3. *cap. Si quis Episcopum* 4. *& Dist.* 88. *cap. Neque apud Altare* 14. satis enim est notum, & vulgo receptum Axioma illud, *Summum Jus, summa injuria*; *cap. Serpens* 47. *de Pœnit. Dist.* 1. *Causa* 33. *q.* 3.

NOI RIFFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del Padre Fr. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore nel Libro intitolato *Vincentii De Juſtis Nobilis Lucenſis Tractatus de Diſpenſationibus Matrimonialibus in tres Libros digeſtus*, non v' eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Secretario Noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza à *Giuſeppe Bortoli Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 14. Agoſto 1738.

(*Gio: Franceſco Moroſini Cav. Riff.*
(*Daniel Bragadin Cav. Proc. Riff.*
(

Agoſtino Gadaldini Secr.

1738. 23. Agoſto.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccell. contro la Beſtemmia:

Vettor Gradenigo Secr.

INDEX

INDEX CAPITUM,

QUÆ IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

LIBER I.

CAP. I. *Quid, & quotuplex sit Dispensatio.* pag. 1

CAP. II. *An Dispensatio sit late, vel stricte interpretanda, & quid de potestate Dispensandi.* 6

CAP. III. *Praxis Impetrandi Dispensationes in Romana Curia.* 14

CAP. IV. *De his, quæ exprimi debent Pontifici, ne Dispensatio reddatur subreptitia.* 21

CAP. V. *De his, quibus, de stylo Romanæ Curiæ Dispensationes Matrimoniales dirigantur.* 51

CAP. VI. *De his, quæ animadvertere debet Delegatus, ne Dispensatio invalida sit.* 57

CAP. VII. *De Dispensationibus in forma Pauperum.* 98

CAP. VIII. *De Dispensationibus, quæ super occultis à Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ emanant.* 121

LIBER II.

CAP. I. *Quot, & quæ sint Impedimenta matrimonii, & à quibus constitui possint.* 139

CAP. II. *An alius à Papa super Impedimentis Matrimonium dirimentibus Dispensare possit.* 145

CAP. III. *De Impedimento Cognationis Carnalis, & an, ac quando super eo Dispensari possit.* 157

CAP. IV. *In Jure Divino an Dispensari possit explicatur.* 164

CAP. V. *De Cognatione Spirituali, & an super ea Dispensetur.* 167

CAP. VI. *De Cognatione Legali, & an, & quando super ea Dispensetur.* 173

CAP. VII. *De Impedimento Affinitatis, & ejus Dispensatione.* 177

CAP. VIII. *De Impedimento publicæ Honestatis, & an Dispensabile sit.* 186

CAP. IX. *De Impedimento Ligaminis, & ejus Dispensatione.* 191

CAP. X. *An, & quando Matrimonium legitime contractum possit Dispensatione dissolvi.* 194

CAP. XI. *Qualis probatio mortis requiratur, ut Conjux superstes possit aliud matrimonium contrahere.* 200

CAP. XII. *De Impedimento vis, & metus, & an super eo Dispensari possit.* 204

CAP. XIII. *An super Impedimento Erroris, & Conditionis cadat Dispensatio.* 210

CAP. XIV. *De Impedimentis Ordinis, & Voti, & eorum Dispensatione.* 212

CAP. XV. *De Impedimento disparitatis Cultus, & an Dispensabile sit.* 221

CAP. XVI. *De Impedimento Criminis, & qualis Dispensatio super eo necessaria sit.* 225

CAP. XVII. *An Dispensari possit super Impedimento Impotentiæ perpetuæ.* 230

CAP. XVIII. *De Impedimento Raptus, & an super eo Dispensetur.* 237

CAP. XIX. *De matrimonio Clandestino.* 243

LIBER III.

CAP. I. *De causis Dispensationum, & an sine causa valide, ac licite Dispensatio concedatur.* 261

CAP. II. *De causa ob Angustiam loci.* 270

CAP. III. *De causa defectus Dotis.* 279

CAP. IV. *De causa ob Lites extinguendas.* 285

CAP. V. *De causa ob Inimicitias sedandas.* 286

CAP. VI. *De causa ob Pacis confirmationem.* 288

CAP. VII. *De causa ob Oratricem Filiis gravatam.* ibid. ibid.

CAP. VIII. *De causa ob ætatem.* 293

CAP. IX. *De causa, quia Locus est ad Litus Maris.* ibid.

CAP. X. *De causa, quæ vulgo dicitur, pro Belgis.* ibid.

CAP. XI. *De causa, vulgo dicta, pro Germania.* 294

CAP. XII. *De causa ob excellentiam meritorum.* ibid.

CAP. XIII. *De causa in genere allegata, nempe ex certis rationabilibus causis.* 295

CAP. XIV. *De causa, ut Bona conserventur in Familia.* 296

CAP. XV. *De causa ob illustris Familiæ conservationem.* 297

Votum Illustriss. & Reverendiss. D. D. Prosperi Bottini Archiepiscopi Myrensis. 301

CAP. XVI. *De causa ob Matrimonium ignoranter contractum.* 307

CAP. XVII. *De causa ob scandala vitanda.*

Index Casuum in S. Congregatione Concilii resolutorum erit in fine hujus Operis.

DE DI-

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Dispensatio.

SUMMARIUM.

1 *Dispensare ex prima vocis impositione idem est, quod distribuere.*
2 *Administrator, seu Oeconomus alicujus rei familiaris Dispensator vocatur.*
3 *Dispensare est apud Theologos aliquem à lege solvere.*
4 *Dispensatio est vocabulum à Jure Canonico introductum, & Juri Civili omnino incognitum.*
5 *Apud Legistas loco istius vocabuli est Indulgentia, vel Remissio pœnæ.*
6 *Dispensatio dicitur quasi bis pensatio; eo quod consulte, ac mature, justaque causa suadente, fieri debeat.*
7 *Dispensatio est juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo, qui dispensandi potestatem habet: nec ulla verba sunt ad Dispensandum necessaria.*
8 *Dispensatio non debet fieri absque causa.*
9 *Eximere aliquem absque causa ab obligatione legis est illicitum, & contra Justitiam distributivam.*
10 *Dispensatio quare dicatur relaxatio juris.*
11 *Dispensationis effectus quinam sint.*
12 *Dispensatus restituitur in integrum, & redditur aptus ad ea, super quibus fuit dispensatus, sicut erat ante incursum impedimentum, & habetur pro habili de jure.*
13 *Fictio tantum operatur in casu ficto, quantum veritas in casu vero, & factum civiliter eundem effectum habet, quem factum naturaliter.*
14 *Dispensatio habet vim præservativam ab incursu pœnæ.*
15 *Dispensatio non sufficit, nisi dispensatio sit ab habente potestatem.*
16 *Dispensatio vocatur vulnus, eo quod jus vulneret.*
17 *Dispensatio non est lex, sed remissio legis.*
18 *Dispensatio, secundum quod est in dispensante, non est jus, sed potestas à jure concessa, & est quædam actio; At secundum quod est in eo, cum quo dispensatur, est jus privatum, & non commune, & est quædam passio.*
19 *Terminus, Dispensatio, diversimode in jure recipitur; Primò ut est juris relaxatio; Secundò prout est interpretatio, seu declaratio juris; Tertiò, pro distributione juris; Quartò prout est in uno relaxatio, & in alio commutatio.*

Dispensatio differt.
20 *A' privilegio.*
21 *Ab irritatione.*
22 *Ab interpretatione.*
23 *Ab abrogatione.*
24 *A' legitimatione.*
25 *Ab absolutione.*
26 *A' licentia.*
27 *Ab epicheja.*
28 *A' permissione.*
29 *A' commutatione.*
30 *A' declaratione.*

31 *Aliud est in jure rigor, aliud jus, aliud æquitas, & aliud dispensatio.*
32 *Rigor quid sit.*
33 *Rigor an attendi debeat.*
34 *Rigor aliquando interpretatur subtilitas juris.*
35 *Jus quid sit.*
36 *Aequitas quid sit.*
37 *Aequitatem debet Judex præ oculis habere.*
38 *Dispensatio duplex est; Alia proprie, & alia improprie dicta.*
39 *Dispensatio proprie dicta est juris relaxatio, & fit per actum jurisdictionis.*
40 *Dispensatio improprie, est licentia quædam, quam Superiores concedere possunt.*
41 *Dispensatio rursus est duplex, totalis, & partialis.*
42 *Dispensatio totalis quæ sit.*
43 *Dispensatio partialis quæ sit.*
44 *Dispensatio insuper est triplex; alia hominis, alia legis, alia mixta.*
45 *Lex ipsa adversus rigorem alterius legis dispensat.*
46 *Dispensatio hominis triplex est; debita, permissa, & prohibita.*
47 *Dispensatio debita quæ sit.*
48 *Dispensatio debita si denegetur ab Inferiore Papæ, poterit ad Superiorem recurri.*
49 *Dispensatio quando dicatur debita.*
50 *Quæ sint causæ dispensationis debitæ.*
51 *Ubicumque, & quotiescumque ipsa pietas, Ecclesiæ utilitas, causæ justitia, meritorum prærogativa, vel rei eventus exigunt, debita est Dispensatio.*
52 *Quando jus præcipit dispensationem, potest appellari quoad effectum devolutivum, & suspensivum*
53 *Si jus non præcipiat, sed solum permittat dispensationem, eamque conscientiæ Ordinarii remittat, potest appellari ad effectum tantum devolutivum.*

54 *Superior, ad quem devoluta fuit dispensatio, poterit vel dispensare, vel inferiorem cogere ad dispensandum.*
55 *Si dispensatio non sit in specie permissa, non potest appellari; si tamen justa causa adsit, potest implorari officium superioris, ut ex misericordia dispenset, vel faciat, ut inferior dispenset.*
56 *Dispensatio permissa, vel arbitraria quæ sit.*
57 *Papa potest tolerare ea, quæ sunt de jure positivo, non tamen ea, quæ de jure Divino.*
58 *Inferior non potest tolerare etiam ea, quæ sunt de jure positivo.*
59 *Dispensatio prohibita quæ sit.*
60 *Ubicumque causa justa non adest, dispensatio semper est prohibita.*
61 *Dispensatio Legis comprehenditur in dispensatione hominis.*
62 *Dispensatio cur inventa fuerit.*
63 *Dispensatio omnis reducitur ad causam juris.*
64 *Dispensandi facultas concessa Legato, vel alii inferiori à Papa semper intelligi debet cum causa, & secundum terminos juris.*
65 *Dispensatio alia est voluntaria, alia rationabilis non necessaria, & alia rationabilis necessaria.*
66 *Voluntaria dispensatio quæ sit.*
67 *Rationabilis non necessaria quæ sit.*
68 *Rationabilis necessaria quæ sit.*
69 *Dispensatio adhuc triplex est; Justitiæ, Gratiæ, & mixta.*
70 *Dispensatio Justitiæ quæ sit.*
71 *Dispensatio Gratiæ quæ sit.*
72 *Dispensatio mixta quæ?*
73 *Dispensatio duplex est; nempe præcedens, seu collativa, & subsequens, seu restitutiva.*
74 *Qui sit effectus dispensationis præcedentis.*
75 *Effectus dispensationis subsequentis.*
76 *Dispensatio alia dicitur excusabilis, alia laudabilis, & alia fidelis.*
77 *Excusabilis quæ sit.*
78 *Quæ laudabilis.*
79 *Quæ fidelis.*
80 *Dispensatio alia est præventiva, alia præservativa.*
81 *Præventiva quæ sit.*
82 *Præservativa quæ dicatur.*
83 *Dispensatio alia dicitur generalis, alia particularis, alia tacita, alia expressa.*
84 *Dispensatio generalis quæ sit.*
85 *Qua sit particularis.*
86 *Quæ sit tacita.*
87 *Et quæ expressa.*
88 *Tandem dispensatio alia magna, alia major, & alia maxima.*

1 DIspensatio ex prima vocis impositione, & significatione, idem est, ac distributio; Salas *de leg. disp.* 20. *sect. prima*. Sylvest. *verbo dispens. nu.* 1. Pirrhus Corrad. *in Praxi dispens. apost. lib. prim. cap.* 2 *prim. num.* 3. Unde Administrator, vel Oeconomus alicujus rei familiaris, dispensator vocari solet: *l. dispensatores ff. de solutio. & l. urbana ff. de verb. signific.* 3 & propterea D. Bernardus 1. de consid. vocat Pontificem Christi dispensatorem. At apud Theologos, dispensare, est aliquem à legis obligatione solvere, ut dicemus infra n. 20.

4 Dispensatio est vocabulum à Jure Canonico introductum, & Juri Civili omnino incognitum, ita ut 5 in nullo Codicis, vel Pandectarum Textu reperiatur, sed loco hujus termini apud Legistas est Indulgentia, vel remissio pœnæ, ut bene animadvertunt Paris. *cons.* 68. *num.* 194. *part.* 4. Alex. Sperell. *in decis. fori Eccles. decis.* 110. *numer.* 56. Decius *in cap. At si Clerici* §. *de* 6 *adult. num.* 3. Et dicitur dispensatio, quasi bis pensatio; eo quod consultè, & mature, justaque causa suadente, ac ipsius circumstantiis diligenter examinatis, & pluries pensatis; fieri debet; unde verbum dispensare, significare potest, diversa in mente pensare, & in animo versare, an juris, ejusque rigoris relaxatio fieri expediat, Gloss. *in capit. Requiritis Causa prima quæst.* 7. Hostiensis *in summa* sub *rubr. de dispens. vers. debita est dispens.* Speculator *part. pr. lib. pr. de dispensat.* §. 3. Paris. *d. cons.* 68. *numer.* 195. Jacobus Graffius, *decis. Aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 2. Alex. Sperell. *decis.* 109. *n.* 1. Marcus Paulus Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ par. sec. Rub. Quid sit dispens. pag. mihi* 193. Nec ulla verba sunt jure præscripta ad dispensandum, sed sufficit sive verbis, sive factis animus dispensandi in dispensare potente deducatur; Thomas Sanchez *de Matr. libr.* 8. *disp.* 4. *in princ.* Joannes Valerius *Diff. utr. fori, differentia* 2. *num.* 3. *verbo dispensatio*. Lezan. *qq. regul. tomo* 4. *verbo Litteræ Apost. nu.* 35. Unde si Papa committeret Monacho causam cognoscendam, nominando eum Monachum, & eidem causam delegando, videtur secum dispensare, ut possit esse Judex, Tusch. *conclus.* 467. *num.* 1. si scienter conferat Beneficium Minori, censetur secum dispensare, ut possit illud habere. Calder. *cons.* 32. *numer.* 31. *de rescriptis*, Oldrad. *cons.* 330. *nu.* 6. Tusch. *d. conclus.* 467. *numer.* 22. Si Papa sciat conjunctos in gradu prohibito contraxisse, & mandet illos in hujusmodi Matrimonio perseverare, censetur in impedimento dispensare, Boerius *decis.* 264. *numer.* 25. Tusch. *d. conclus.* 467. *numer.* 28. Ad hoc tamen, ut Papa censeatur tacitè dispensare, oportet, ut aliquo modo exprimat se sciviſse factum, Oldrad. *cons.* 328. *num.* 12. Tusch. *l. c. num.* 2 quia si non exprimat sciviſse vitium, non censetur dispensare, Roman. *cons.* 216. *n.* 7. 8.

Sic autem dispensatio definitur, nempè Juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo, 7 qui potestatem habet; Gloss. *d. cap. Requiritis*, Graffius *loco citat. nu.* 1. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 1. *nu.* 2. Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 33. *num.* 3. Vincentius Filliuccius *quæst. mor. to. prim. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 293. Alex. Sperell. *decis.* 109. *num.* 35. Steph. à S. Greg. *universales tract. de vinc. Div. Piet. cap.* 112. *n.* 2. Pater Baptista Fragosus *Regim. Reip. Christianæ par. pr. lib.* 3. *disp.* 6. *nu.* 7. quia absque causa fieri non debet, Sanch. *de* 8 *Matr. lib.* 8. *disp. pr. nu.* 2. Comininck *de Sacramentis disp.* 33. *dub. pr. n.* 4. Raphael Aversa, *de Matr. q.* 19. *sect.* 4. *vers. deinde ad Justitiam*; Vinc. Filliucc. *dicto tr.* 10. *par.* 2. *cap.* 5. *n.* 314. *vers. secundum verò*; Cum etenim facultas dispensandi concessa sit ad ædificationem, & non ad destructionem, teste D. 9 Paulo ad Corinth. 10. si quis ab obligatione justæ legis absque justa causa eximeretur, illicita esset, & contra justitiam distributivam, & legalem dispensatio, & potius dissipatio dici posset, Antoninus Diana *par.* 8. *tr.* 3. *resol.* 6. Ancharanus *cons.* 261. *nu.* 4. Menoch. *cons.* 15. *n.* 15. *vol. pr.*

Dicitur juris communis relaxatio, quia quamvis 10 legem, ejusque obedientiam non tollat, cum non dicatur jura dissolvere, seu destruere, sed eis deservire, Tusch. *conclus.* 457. *numer.* 12. *lit. D.* Anchar. *cons.* 373. *numer.* 2. in casu tamen dispensato efficit, ut quod de jure est illicitum, fiat per dispensationem licitum; Gloss. *in capit. dudum* 54. *de Electione circa finem*; Geminian. *cons.* 38. *numer.* 9. Tusch. *conclus.* 457. *num.* 10. *litt. D.* Melchior Lotherius *de re benef. libr. prim. quæst.* 40. *numer.* 18. Et hic proprie est effe- 11 ctus dispensationis, ut faciat de impossibili possibile, Gloss. *in cap. Gratia* 7. *verbo Non potes, de rescr. in sexto*; Paris. *de resignat. lib.* 4. *quæst.* 2. *num.* 33. *& de Consid. quæst.* 58. *num.* 53. dispensatus enim restituitur in integrum, & aptus, ac legitimus per dispensationem redditur ad ea, super quibus fuit dispensatus, sicut erat ante incursum impedimentum, & habetur perinde, ac si esset habilis de jure communi; cum per dispensationem removeantur effectus, defectum juris producentes: *capit. ex diligenti* 17. *de Simonia, & capit. si quem pœnituerit* 8. *causa* 2. *quæst.* 3. Lother. *de re benef. libr. prim. quæst.* 40. *num.* 179. Sperell. *decis.* 111. *num.* 27. Marc. Paulus Leo *in Praxi Pœnit. part.* 2. *Rubr. Quisnam sit effectus dispensationis, pagin. mihi* 198. & habetur, ut diximus, sic dispensatus tanquam habilis, & legitimus de jure, ac idoneus, Paris *de Consid. quæst.* 58. *n.* 52. fictio etenim tantum operatur in casu ficto quantum veritas in casu vero *leg. filio ff. de Lib. & Posthum.* Paris. *de Resignat. libr.* 12. *quæst.* 9. *num.* 10. Molfet. *tomo prim.*

par. 2.

par. 2. ubi de personis quæst. 8. num. 7. tom. pr. Mantic. *de Conject. lib. 11. titulo 18. num. 42.* & factum civiliter eundem habet effectum, quem factum naturaliter; *l. fin. in fin. ff. mand. leg. si mater C. de Justi.* Petri Rebuff. *in Praxi benefic. titulo de dispens. ad plura benef. num. 61.* Unde quoad habilitatem personæ nulla admittitur distinctio inter habilem naturaliter, seu de jure communi, & habilem ex dispensatione; cum habilitas procedat ab eodem fonte scilicet à Pontifice, seu Principe, qui potest Lege sua inducere habilitatem, & inhabilitatem; sive condendo Legem generalem, sive inducendo Jus singulare; Rota *penes* Vivian. *Post praxim Juris Patronatus decis. 96. num.* 8. Lother. *d. quæst. 40. n. 167.* Anchar. *penes ipsum.*

13 Ex quo fit, ut legitime dispensatus, dispensatione utendo, nullam pœnam incurrat; quia dispensatio vim habet præservativam ab incursu pœnæ Legis, cujus rigorem relaxat; Lother. *libr. pr. quæst. 37. num. 21. & quæst. 40. n. 164.* nec solum per dispensationem fit remissio culpæ, sed etiam infamiæ, adeo ut Episcopi, & Legati in casibus, in quibus possunt dispensare, possint etiam dispensatum famæ restituere, Tusch *conclus. 497. num. 12.*

14 Dixi cum causæ cognitione, quia examinari, & cognosci debet, an ipsa causa dispensationis sit justa, nec ne, ut colligitur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 2. Oldrad. *cons. 325. n. 2.* Abb. *cap. Quæ in Ecclesiarum de constit.* Et adeo verum est, ut si dispensatio daretur cum causa non justa, nec rationabili, eadem Dispensatio nulla redderetur, & dispensatum nihil juvaret; Abb. *d. cap. quæ in Ecclesiarum*, Valer. *in tract. de differ. utr. Jur. in verbo dispens. diff. pr.*

15 Dixi facta ab eo, qui potestatem habet, quia non sufficeret dispensari, nisi dispensans haberet legitimam dispensandi potestatem; *cap. Fraternitati 2. de Schism.* Barb. *in Remiss. Doctor. super Conc. ad sess. 25. de Refor. cap. 18. n. 1. pag. mihi 682.*

16 Dispensatio dicitur vulnus, eò quia Jus vulneret 23. *quæst. 4. capit. Ipsa pietas* 24. Jacob. Graff. *decis. aur. d. numer. 1.* Barbos. *dict. alleg. 33. num. 7.* Aloys. Ricc. *in Praxi Rerum Fo. Eccles. resol. 410. num. 3.* Sylvest. *verbo dispens. numer. 1.* Rot. *decis. 240. numer. 2. part. prim. divers.* Non tamen est lex, sed re-

17 missio legis, Paris *cons. 68. numer. 70. part. 4.* Joann. de Salas *de legib. disp. 20. sect. 2. numer. 8.* & secun-

18 dum quod dispensatio est in dispensante, non est Jus, sed potestas à jure concessa, & est quædam actio; At secundum quod est in eo, cum quo dispensatur, est Jus privatum, & non commune, & est quædam passio; *cap. Interfectores* 13. *& capit. In adolescentia* 14. 33. *quæst. 2.* Sylvest. *verbo Dispensatio nu. 1.*

19 Porrò terminus iste, dispensatio, diversimode in jure recipitur; Primò stricte, & proprie, ut est Juris relaxatio; *cap. Requiritis 5. §. nisi rigor causa prima quæst. 7.* Secundo prout est interpretatio, seu declaratio juris; & hæc large, & improprie dispensatio dicitur, Paris. *cons. 68. par. 4.* Tertiò, pro distributione Juris, Paris. *l. c.* Quarto prout est in uno relaxatio, sed in alio commutatio, *cap. super his, de Voto;* & ista etiam impropriè dispensatio dicitur Paris. *l. cit.*

20 Dispensatio differt primò à privilegio: Istud enim conceditur sine causa, illa vero cum causa: Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. pr. numer. 1.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 2. numer. 6.* & etiam quia Privilegium aliquando præter Jus conceditur, ut animadvertit Castro Palaus *tom. prim. tract. 3. disp. 6. punct. 1. numer 8.* Pontius *de Matrim. lib. 8. cap. 1. nu. 5.* Vinc. Tancredi *de Matrim. lib. 8. disp. 8. nu. 1.* Salas, & Sanchez *ll. cc.*

21 Differt secundò ab Irritatione, quæ idem est, ac impedire, ne Lex robur consequatur; ut si Legem confirmatione indigentem Princeps non confirmet, sed totam casset; dispensatio verò non tollit Legem, sed aliquem specialiter ab ipsius legis obligatione eximit; Sanch. & Tancred. *ll. cc.* Salas *d. sect. 1. nu. 2.* Sotus *de justitia, & jur. lib. pr. q. 7. art. 3.* Franc. Meroll. *in universas Theolog. mor. disput. tom. 2. disput. 4. c. 6. in principio.*

22 Differt tertiò ab Interpretatione, quæ tantùm declarat Legem in tali casu vim non habere, & respicit solummodò casum, in quo Lex non obligat: At dispensatio requirit justam causam, & tollit ex parte obligationem Legis; Rodericus de Arriaga *disput. Theolog. tom. 2. disput. 5. sect. 6. num. 47.* Sanch. Salas, Tancredi, & Diana *ll. cc.*

Et ob id quartò differt ab Abrogatione, qua Prin- 23
ceps Legem jam conditam omnino cessat, ut benè animadvertunt Pontius *d. cap. 1. num. 5.* Sanch. Sal. & Meroll. ll. cc.

Quintò, differt à legitimatione, quæ est favorabi- 24
lis, & ampla, & per quam (quatenus fiat ab habente amplam legitimandi potestatem) omnis macula tollitur, *l. Imperiali §. præsenti sanctione C. de Nuptiis;* & per eam quis simpliciter, in totum, & ad ea omnia, quæ filiis legitimis, & naturalibus competunt, legitimatur; Lodovis. *decis. 543. n. 14.* Lother. *de re benef. lib. 2. cap. 48. n. 119.* Fragos. *par. prim. lib. 3. disp. 6. numer. 7.* At dispensatio, ultra quam quod jus vulnerat (ut diximus) & propterea; uti odiosa, est restringenda; per ea, quæ dicimus cap. sequenti n. 17. Naturales, vel spurios restituit, non ad omnia, sed secundum quid, ac certis limitationibus, Paris. *cons. 7. n. 6. & 8. part. 2.* Covarru. *tom. prim. part. 2. c. 8. num. 5.* Anchar. *cons. 428. nu. 1.* & novissime eximius Doctor noster Balthass. de Thomasis *pr. decis. tract. pr. tit. 7. n. 1.*

Sextò, differt ab Absolutione, quæ fit v. g. à Cen- 25
suris; nam per hanc non relaxatur vinculum Legis, sed alterius obligationis; Quia absolutio non est contra communem Legem, sed secundum Legem, si persona absolutionem mereatur: At dispensatio relaxat Legem (ut diximus) Ita benè distinguunt Pontius *loco citat.* Paul. Layman. *Theol. moral. libr. prim. tractat. 4. cap. 22. num. 1.* Salas *de leg. disp. 20. sect. pr. numer. 6.*

Septimò, differt à licentia; Nam superior licentiam 26
dando, non efficit, ut aliquis à lege solvatur, ut sit per Dispensationem, sed magis, ut numquam obligetur; Ea siquidem conditione leges interdum latæ sunt, ut omnes comprehendant, ac obligent, nisi Superior, vel alius quispiam licentiam aliter agendi præbuerint; Pontius, & Layman ll. cc.

Octavò, differt ab Epicheja, quæ est summi Juris 27
moderatio; quia per Epichejam declaratur tantum causam adesse, ut aliquis per se legis obligatione eximatur; At ad dispensandum causa requiritur, ob quam quis per superioris auctoritatem eximi licitè possit; Layman. l. c.

Nonò, differt à Permissione, eo quod permissio 28
proprie, & stricte sumpta non auferat peccatum, neque culpam, atque ideo neque legis obligationem: At dispensatio hanc tollit, licet aliquando etiam late sumpto permissionis vocabulo, soleat ipsa permissio appellari dispensatio; Pontius, & Salas locc. citatt.

Decimò, differt à Commutatione, quia in hac non 29
tollitur omnino obligatio, sicut fit in dispensatione, sed de una in aliam materiam commutatur, ut bene animadvertunt Joann. Ægid. Trullien. *Oper. mor. lib. 7. cap. 10: dub. pr. n. 2. tom. 3.* Pr. Leo *in Praxi Pœnit. part. pr. ubi de commut. Votor. vers. Nota qui potest. pag. mihi 78.*

Undecimò, differt à declaratione, quia data legis 30
obligatione, dispensatio ab ea eximit illum, quem dispensat; declaratio verò non tollit; eo quia Lex naturalis humana lege non tollitur, sed declaratur *l. fin. C. de leg.* Paris. *de Resignat. lib. 4. quæst. 2. n. 34.* sed jus explicat, ut aperte ostendit, an jus casum, de quo agitur, includat, necne, Covarruv. *tom. pr. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 2.* Alphons. Hoieda *de Incompat. benef. par. 2. cap. 12. nu. 4.* Paris. *de Resign. lib. 4. numer. 34.* Tandem differt à remissione pœnæ per ea, quæ docet Jacob. Sbroz. *de Off. Vicarii libr. 2. quæst. 37. num. 2.*

Aliud etiam est in jure Rigor, aliud Jus, aliud 31
Æquitas, & aliud dispensatio, ut explicat Gloss. singularis *in capit. ut constitueret 25. §. Detrahendum distinct. 50.*

Rigor est districtio juris, sive excessus, & juris aspe- 32
ritas

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

ritas ſcripta aliquoties ad terrorem; ut quando Canones dicunt non eſſe dandam ſacram Communionem, etiam in articulo mortis, his, qui defecerunt in accuſatione Clericorum *cauſa 2. quæſt. 3. capit. ſi quis Epiſcoporum* 4. vel quòd non oretur pro illo, qui nominavit Presbyterum in Tutorem Filio ſuo in te-
33 ſtamento *diſtinct. 88. capit. Neque* 14. Non tamen hujuſmodi rigor attenditur, nec eſt ſervandus, niſi ubi exemplum mali timetur, *ut 45. diſtinct. cap. ſed*
34 *illum* 16. Aliquando etiam Rigor interpretatur ſubtilitas juris, *ut in capit. ex lit. 2. de dolo, & contumac. & in Gloſſ. cap. ſæpe contingit* 18. *de reſtitut. ſpoliar. §. Rigor.*

35 Jus eſt ars æqui, & boni *ff. de juſt. & jur. l. prima §. jus.* Jo: Angel. Boſſ. *mor. va. par. pr. titulo pr. §. 27. num. 672.*

36 Æquitas autem eſt media inter Rigorem, & diſpenſationem, ſeu miſericordiam *l. placuit, C. de Judic.* Eſtque Juſtitia quædam miſericordia temperata, vel motus rationabilis ſententiam, & juſtitiam
37 regens, quam Æquitatem Judex, qui juris miniſter eſt, ſemper debet præ oculis habere, *ff. de eo, quod certo loco dari oportet, & l. quod ſi Epheſi in fine*, ut ſciat remunerare bonos, & punire malos, via regia incedens, & ſe rationabiliter regens, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinans, *ff. de juſt. & jure l. pr. §. prim. verſ. Juſtitiam namque colimus* 45. *diſt. cap. Omnis* 10. & de hac Æquitate diffuſiſſimè agit Petr. Andr. Gamb. *de Offic. & Auctoritate Legati lib. 10. num. 15.*

38 Cæterum diſpenſatio duplex eſt, alia proprie, & alia improprie dicta.

39 Prima eſt juris relaxatio, & fit per actum Juriſdictionis, ut diximus.

40 Secunda eſt licentia quædam, quam Superiores concedere poſſunt de aliqua re; ut ſi Conſtitutiones alicujus Monaſterii præciperent, ut nulli Religioſi frangerent jejunium Religionis, & tamen Superiores ſuper hoc diſpenſarent, iſta diſpenſatio non eſſet proprie juris relaxatio, nec actus Juriſdictionis, ſed Superioritatis, Sanchez *de Matr. lib. 8. diſp. 3. num. 1.* Meroll. *tom. 2. diſp. 4. cap. 6. dub. 3. n. 146.* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. pr. n. 6.*

41 Diſpenſatio rurſus duplex eſt, nempè totalis, & partialis, Sanch. *lib. 8. diſp. 31. n. 7.*

42 Totalis eſt quando abſolute, & abſque ulla limitatione conceditur, ut in Voto non nubendi, quia hujuſmodi Votum nullo alio actu interdicitur.

43 Partialis eſt, quando quoad actum determinatum, vel reſpectu determinatæ perſonæ conceditur, ut in Votis Caſtitatis, vel Religionis ad Matrimonium in eodem; quia non eſt tunc integra in Voto diſpenſatio; ſi etenim is, qui Caſtitatem vovit, fornicetur, reus erit violati Voti Caſtitatis; ſi quis etiam diſpenſetur in Voto Religionis ad Matrimonium contrahendum ob ſtimulos carnis, non poterit ſic diſpenſatus in ſæculo manere abſque Conjugio; vide Sanch. *l. c.* Salas *d. diſp. 20. ſect. 2. n. 7.*

44 Diſpenſatio inſuper eſt triplex; alia ſcilicet Homi-
45 nis; alia Legis (ipſa etenim Lex adverſus rigorem alterius Legis diſpenſat, *cap. ad audientium 2. de Torneamentis*) Alia mixta, quando ſcilicet Lex concedit, ut homo diſpenſet: *cap. de Multa 28. de Præbend.*

46 Diſpenſatio hominis eſt triplex; debita, permiſſa, & prohibita: Gloſſ. *in cap. Ut conſtitueretur* 25. *Verbo Detrahend.* 50. *diſt.* Franc. Leo *in theſ. Fori Eccl. libr. 2. c. 8. n. 2.* Alex. Sperell. *deciſ. 111. n. 4.*

47 Debita diſpenſatio dicitur illa, quæ ex legitima Cauſa peti poteſt à Superiore per officium Judicis, ſi non per actionem: & ſi ab Inferiore Papæ denegetur,
48 poterit recurri ad alium Superiorem, qui eum cogat, cùm hoc non ſit mera Gratia, ſed Juſtitiæ exequutio, Gloſſa *in capit. Exigunt* 18. *cauſa prim. quæſt. 5. §. Cauſa*; Sanchez *de Matrimon. lib. 3. diſp. 10. numer. 20. & 21.* Vincentius Filiuccius *d. tract. 10. capit. 5. num. 181.* Raphael Averſa *de Matrim. quæſt. 7. ſect. 2. verſ. Quod ſi exiſtent.*. Tuſch. *concluſ. 457. n.*
49 *8. litt. D.* & dicitur Debita ratione Temporis, Perſonæ, Pietatis, Utilitatis, vel Neceſſitatis, aut Rei eventus; *cap. Expoſuiſti*, 33. *de Præbend. & Dignit.* Sperell. *deciſ. 111 n. 3.* Barboſ. *de Jure Eccleſ. univ. lib. pr. cap. 7. num. 39.* Cauſæ debitæ diſpenſationis 50
ſunt illæ, quæ in Jure exprimuntur; ut propter ſtragem vitandam *cap. ut conſtitueretur* 25. *diſt.* 50. Sanchez *dict. diſp. 10. num. 5.* Diana *part. 8. tract. 3. reſolut. 27.* Vel ad Spirituale bonum poſtulantis; Vel cauſa vitandi aliquod grave damnum in perſona, vel in rebus temporalibus; quia his caſibus, dum ſine diſpendio concedi poteſt diſpenſatio, tenetur Prælatus, ſaltem ex Charitate, diſpenſationem concedere, & ſuorum ſubditorum ſaluti providere; Merolla *tom. 2. diſp. 4. c. 7. dub. 20. n. 275.* Diana *l. c.* Sperell. *dicta deciſ. 111. n. 10.*

Sic pariter debita erit diſpenſatio, quando neceſſaria ſit ad ſcandalum vitandum, vel pacem firmandam, aut aliud commune bonum ſtabiliendum; *d. capit. cum conſtitueretur diſtinct.* 50. Salas *d. diſput. 20. ſect. 7. numer. 73.* Merolla *loc. citat.*

Simili modo debita erit Diſpenſatio eo caſu, quo Jus abſolutè diſponit, & præcipit, ut tali cauſa exiſtente diſpenſetur; Sanchez *dict. lib. 3. diſp. 10. numer. 4.* Sperell. *dict. deciſ. 111. num. 8.* Meroll. *loc. cit.* Quòd ſi Jus non præcipiat, ſed ſolum permittat diſpenſationem, non eſt debita, Sanchez, & Sperell. *ll. cc.*

Item debita erit diſpenſatio ex Præcepto legislatoris; ut quando mandat Delegato, ut, ſi preces veritati niti repererit, diſpenſet; Quia ſi preces veræ ſint, tenetur Delegatus eo caſu diſpenſare; *cap. ſi quando 5. de Reſcr.* Diana *dicta reſol. 27.* Merolla *tomo 2. diſp. 4. capit. 6. dub. 2. numer. 76.* Salas *de legib. d. diſputat. 20. ſect. 7. num. 72.* & nos infra capit. 6. probabimus.

Porro ubicumque, & quotieſcumque ipſa Pietas, 51
Neceſſitas, Eccleſiæ utilitas, cauſæ Juſtitia, Meritorum prærogativa, vel Rei eventus exigunt, debita eſt diſpenſatio *cauſa 1. q. 7. d. cap. requiritis §. niſi rigor*; vide Salas *d. diſp. 20. ſect. 8. num. 75.*

Et nota, quod dum Jus ex aliqua cauſa diſpenſa- 52
tionem præcipit, ſi eam Ordinarius deneget, poteſt appellari, non ſolum quoad effectum devolutivum, ſed etiam quoad ſuſpenſivum, quia tunc diſpenſationem petens habet actionem ex præcepto Legis; Filiucc. *tom. 1. tract. 10. capit. 5. num. 181.* Merolla *d. capit. 6. num. 278.* Sanchez *d. diſp. 10. numer. 20.* Thom. Pelliccion. *Quæſt. Illuſtr. quæſt. 6. cap. 1. pag. mihi* 35.

At ſi Jus non præcipiat Diſpenſationem, ſed illam 53
remittat conſcientiæ Ordinarii, tunc, ſi adſit juſta cauſa, itaut debita ſit diſpenſatio, & tamen denegetur, poteſt appellari ſolum ad effectum devolutivum, non autem ſuſpenſivum; quia cum diſpenſatio eo caſu à Lege non præcipiatur, nullam habet actionem; Superior autem, cui per hujuſmodi appellationem 54
cauſa erit devoluta, poterit vel diſpenſare, vel Inferiorem cogere, ut diſpenſet. Sanchez *num. 21.* Meroll. *numer. 278.* & Filiucc. ll. cc. Averſa *de Matrimon. qu. 7. ſect. 2.* Stephan. à S. Greg. *univ. Tract. de Vinculis Div. Piet. capit. 97. numer. 12.* Quod ſi 55
cauſa juſta adſit diſpenſandi, itaut poſſit quidem Prælatus diſpenſare, ſed nec Jure præcepta, nec ſpecialiter permiſſa reperiatur diſpenſatio; tunc, ſi denegetur, non poteſt ad ullum effectum appellari, ſed ſolum implorari ſuperioris officium, ut ex miſericordia diſpenſet, vel faciat ab Inferiori diſpenſari; vide Merolla *d. capit. 6. dub. 3. numer. 142.* Et ob id, quando cauſa non eſt omnino ſufficiens, ut v. g. ad diſpenſandum in Votis; committitur Exequutori diſpenſatio, addita clauſula *Miſericorditer in Domino*; quia cum diſpenſatione miſcetur Miſericordia, ut late dicimus præſenti libro. Et hujuſmodi diſpenſatio in Jure vocatur potius Miſericordia, Gratia, beneficium, vel Munus, ut animadvertit Sperell. *deciſ. 111. numer. 15.*

Diſpenſatio permiſſa, quæ etiam arbitraria dicitur, 56
ea eſt, quæ à Papæ, vel alterius Principis diſſimulatione habetur, & potius vocari debet tolerantia Principis adverſus legem ſcriptam; quia ſciendo, & patiendo illam non obſervari, videtur Diſpenſare,

sare, ne contravenientium animæ illaqueentur: Abb. *in cap. Quia circa de Conſ. & Affin. num.* 8. Sanch. *l.* 8. *d.* 4. *num.* 26. Quod verum est, si Papa toleret ea, quæ prohibita sunt Jure positivo, non tamen Divino, ut bene Gamb. *de Offic. & poteſt. Legati lib.* 10.
58 *n.* 171. Sanch. *de Matr. lib.* 8. *disp.* 4. *n.* 2. Et tamen prædicta intelligi debent de dissimulatione rationabili, & in ipsomet Principe supremo, non autem in Inferiore, quia quamvis Inferior actum exerceat contra legem in eo casu, quo Dispensare potest, non propterea dispensare videtur, Innocent. *Cap. Veniens* 5. *de filiis Presb. à numer.* 2. Gamb. *loc. citat. numer.* 304.

59 Prohibita Dispensatio est, quæ absque status Ecclesiæ decoloratione fieri non potest; Ubicumque au-
60 tem justa dispensandi causa non subest, semper prohibita est Dispensatio *Causa prima q.* 7. *Cap. Etsi illa* 23. *Cap. Innotuit* 20. §. *Multa enim de Electione. Speculator Titulo de dispenſat. part. prim.* §. 3. Grassius *deciſ. aur. par. prim. lib.* 2. *cap.* 31. *numer.* 2. Sperell. *deciſ.* 109. *numer.* 54. *vide* Salas *de leg. disp.* 20. *ſect.* 2. *in fine.*

61 Dispensatio Legis, quæ contra communes Leges emanat, comprehenditur in dispensatione hominis; quia ideo dispensatio inventa fuit, ut ipsa esset pars
62 Justitiæ distributivæ: cum enim Legislator faciat Legem communem omnes comprehendentem *l. prima ff. de leg.* & eveniant multæ causæ, propter quas naturalis ratio, & illa intrinseca facti veritas non animadversa, nec à Legislatore considerata, suadeant factum illud non debere sub illa generali determinatione comprehendi, Lex voluit unum esse, qui secundum Justitiæ terminos, adversus ipsius Legis rigorem Dispensaret, Principem videlicet, qui est Vita, Ratio, & Lex animata, ut dicit Imperator *in Auth. de hæred., & falcid.* Hæc etenim est illa virtus Principi concessa, quam Philosophus *V. Ethic.*
63 Epichejam vocat; Quare omnis Dispensatio reducitur ad causam juris, quæ justa, ac certa esse debet, alias non dispensatio, sed Dissipatio est; Speculator *titul. de dispenſationib. in princ.* Gamb. *de off. & auth.*
64 *Legati libr.* 10. *numer.* 255. Unde facultas dispensandi concessa Legato, vel alii Inferiori, semper debet intelligi cum causa, & secundùm terminos Juris, à quo sine causa non est recedendum, alias dispensatio ab Inferiore facta, non solum illicita, sed & nulla, & invalida erit; Gamb. *d. lib.* 10. *num.* 3. Sanchez *de Matr. lib.* 3. *disp.* 8. *num.* 5. Sbrozius *de Off. Vicarii lib.* 2. *q.* 37. *num.* 6. Sperell. *deciſ.* 109. *nu.* 3. *& deciſ.* 115. *num.* 32. Bonacc. *de Leg. disp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *propoſ.* 4. *num.* 12. Avers. *de Matrim. q.* 19. *ſect.* 4. *verſ. dico diſpenſationis*; sic alii Doctores, quos *libr.* 3. *capit. pr.* propterea referimus; quia cum Inferior dispenset in voluntate aliena, non præsumitur concessa facultas dispensandi sine causa contra jus.

65 Dispensatio insuper alia est voluntaria; alia rationabilis non necessaria; & alia rationabilis necessaria.

66 Voluntaria est illa, quam solus Princeps concedere potest, justa existente causa, Cap. *Cuncta per mundum* 17. *cauſ.* 9. *qu.* 3.

67 Rationabilis non necessaria, est, quæ fit ob meritorum prærogativam, quæ pariter soli Principi competit, v. g. in duplicibus Beneficiis conferendis, *d. Cap. de Multa de Præbend. & in ſimilibus.*

68 Rationabilis, & necessaria est, quæ etiam Episcopo competit, nempe in casu necessitatis ad notata per Hostiensem *in ſumma lib.* 1. *ubi de ætate, & qualit.* §. *ætas, verſ. Dico ergo, & de qua late dicemus lib.* 2. *cap.* 2.

69 Rursus dispensatio est triplex; alia justitiæ, alia gratiæ, & alia mixta.

70 Justitiæ est illa, quæ, ut supra diximus, debita est.

71 Gratiæ est, quæ continet merum Privilegium, meramque Principis liberalitatem.

72 Mixta partim justitiæ, & partim gratiæ innititur; & in hac mixta comprehendi potest Principis tolerantia, de qua supra diximus.

73 Duplex præterea est Dispensatio; nempè præcedens, seu collativa; & subsequens, seu restitutiva:

Illa præservat ab obstaculo futuro: hæc illud, quod 74
contractum est, tollit, & fit ut ex retro; ut quando 75
quis restituitur antiquis Natalibus, ex quo verè fit legitimus; Rota *in noviſſimis deciſ.* 50. *n.* 21. *coram Virili*, Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 496. *n.* 30.

Dispensatio insuper alia dicitur excusabilis, alia 76
laudabilis, & alia fidelis

Excusabilis est, dum necessitas urget, quæ non ha- 77
bet Legem, & facit de illicito licitum; Cæsar de Grass. *de Effect. Cleric. eff.* 6. *n.* 24. Antonius Leoncil. *de Paupertatis opibus par.* 2. *priv.* 177. *nu.* 2. August. Barbos. *de Axiom. axiom.* 157. *n.* 2. Thomas Pellicc. *QQ. Illustr.* & Marcus Paulus Leo, quos propterea citamus *lib.* 2. *cap.* 2. Et de hac D. Bernardus ad Eugenium *l.* 3. *de Conſiderat.* ait, *ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt.*

Laudabilis est, quæ fit ob utilitatem, quæ à jure 78
necessitati æquiparatur; & de ea etiam D. Bernardus ait l. c. *Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt*; utilitas (dico) communis, non propria; nam cum nil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

Fidelis dispensatio est dum aliquid præmissorum con- 79
currit, vide Barbos. *de offic. & pot. Epiſc. par.* 1. *titulo* 2. *gloſſ* 15. *n.* 7.

Alia etiam est dispensatio præventiva, & alia præ- 80
servativa; Prima fit super defectu à jure positivo in- 81
ducto, & operatur, ut quis dicatur esse in eadem habilitate; ut quando Papa dispensat cum aliquo, ut quamvis contingat per eum Bigamiam incurri, possit nihilominus Ecclesiasticam Pensionem retinere; quia Papa præveniendo impedimentum, relinquit ipsam pensionem in primævo statu, *Vide deciſ. Rot.* 96. *int. impreſſas per Vivian. poſt prax. juris patronat. numer.* 6.

Præservativa est, dum Papa dispensat v. gr. cum 82
Clerico ad Bellum; quia tunc per hujusmodi dispensationem, hic ab Irregularitate præservatur, *Rota l. citat.*

Diversimode ulterius dicitur dispensato, nempe 83
Generalis, ut quando quis Dispensatur ad beneficia, 84
& successiones.

Particularis, dum quis dispensatur v. g. ad certa 85
beneficia, vel certos Ordines.

Tacita, ut quando Papa, defectum sciens, confert 86
beneficium sic inhabili.

Expressa, ut quando, narrato impedimento, Papa 87
gratiosè rescribit, utens verbo, *Diſpenſamus.*

Dispensatio rursus alia dicitur magna; ut si Illegi- 88
timus dispensaretur ad Ordines etiam Sacros, ad Altaris ministerium; & beneficia Ecclesiastica etiam curata, & regulares Prælaturas; *Cap. ut filii, primo de filiis Presb.* Alia major; v. g. si illegitimus dispensaretur, ut in paterna Ecclesia, & beneficio succederet, aliquo tamen medio, ut in *Cap. ad extirpandas XI. de filiis Presbyt.* Alia maxima, ut si quis dispensaretur, ut in beneficio paterno nullo medio succedere possit *Cap. ex tua* 9. *de eodem titulo.*

Dispensatio tandem dicitur semiplena, ut si quis dispensaretur ad Ordines minores dumtaxat, Plena, ut si ad Sacerdotium; Plenior ut si ad Episcopatum; & Plenissima, ut si dispensaretur ad primatum, & omnes Ordines, & dignitates; vide Goffr. *in Summa lib.* 5. *de Simonia num.* 34. Et hæc generalia breviter attigisse sufficiat, modò videndum erit, quæ differentia sit inter ipsam dispensationem, & potestatem concessam ad dispensandum,

De Justis de Dispenſ. Matrim.

CAPUT II.

An dispensatio sit latè, vel strictè Interpretanda, & Quid de Potestate Dispensandi.

SUMMARIUM.

1 *Potestas Dispensandi generaliter concessa, est favorabilis, & latè interpretanda.*

2 *Dispensatio ipsa est strictè interpretanda ita, ut si aliquid operetur posita tali interpretatione, amplius extendi non possit.*

3 *Regula generalis constituitur, ut si dubium sit, an dispensatio ad aliquem casum extendatur, interpretari debeat non extendi: E' contra si dubitetur, an potestas dispensandi ad aliquem casum extendi possit, præsumendum sit extendi.*

4 *Concessa generali facultate legitimandi spurium, vel cum illo dispensandi, intelligitur generaliter de quocumque spurio; dummodo talis legitimatio, & dispensatio non cedant in Tertii præjudicium.*

5 *Spurius, cum sit terminus generalis, omnes spurietatis species comprehendens, facultas spurium legitimandi generaliter concessa, est ample extendenda citra Tertii præjudicium.*

6 *Data generaliter facultate legitimandi ad Ordines, poterit legitimari ad quoscumque etiam Sacros, non tamen ad Episcopatum.*

7 *Potens dispensare cum Adulterino, dispensare poterit, quamvis ex utriusque Parentis Adulterio natus sit.*

8 *Potens dispensare in aliquo præciso gradu, ut in secundo, vel tertio Consanguinitatis, vel Affinitatis poterit in illo dispensare, quamvis duplicatus est.*

9 *Potens Dispensare in Affinitate, poterit consequenter in publica honestate.*

10 *Si potestas dispensandi restricta sit ad aliquem præcisum gradum v. g. tertium Consanguinitatis, vel Affinitatis, Dispensari non poterit in alio inferiori conjuncto d. tertio.*

11 *Poterit tamen Dispensari super remotiori, si conjunctus sit cum superiori; dum iste inferior sit gradus, super quem Dispensari potest.*

12 *Quando gradus est mixtus ex propinquiori, & remotiori, ut si esset tertius, & quartus in linea inæquali; semper super solo remotiori fit dispensatio, nisi propinquior esset primus.*

13 *An potens præcise dispensare in aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, possit, quando uterque gradus concurrit: referuntur opiniones.*

14 *Quæ sit ratio differentiæ inter dispensationem, & Potestatem dispensandi, quoad earum interpretationem latam, vel strictam.*

15 *Dispensatio cum exorbitet à jure communi, illudque lædat, & vulneret, dicitur odiosa, sterilis, & infæcunda.*

16 *Et debet strictè interpretari.*

17 *Quod verum est sive ab ipso Legislatore, sive ab alio Inferiore dispensetur.*

18 *In dispensatione non est admittenda paritas rationis, nec extensio ad casum similem, in quo eadem, vel etiam major ratio militet.*

19 *Quæ à jure exorbitant, nequaquam trahenda sunt ad consequentiam.*

20 *Nec concesso quod est plus, veniet concessum, quod est minus.*

21 *Standum est simplici tenori Dispensationis, absque ulla extensione, nullo habito respectu ad majoritatem, seu minoritatem.*

22 *Dum Doctores docent dari in dispensatione paritatem rationis, debet intelligi de Dispensatione, quæ facta sit à Lege, seu Canone, & non de illa, quæ facta sit ab Homine; qua cum omninò pendeat à pura voluntate Legislatoris, tantum valet, quantum ejus verba sonant.*

23 *A' proprietate verborum an, & quando sit recedendum.*

24 *Non desunt Doctores, qui probabiliter docent verba dispensationis non esse ita large accipienda, ac eorum significatio fert.*

2æ *Quando dicatur aliquid stricte intelligi.*

26 *In Dispensatione magis spectanda est restrictio termini alio Jure fieri solita, quam ejus proprietas.*

27 *In dispensatione debet præcipue spectari verisimilis intentio Concedentis, quæ ex rei subjectæ qualitate deprehenditur, & secundum illam verba ipsa declarari debent.*

28 *Et eò semper spectari debet, ut minus lædatur Jus commune, & Jus proximi.*

29 *Quomodò sit intelligenda dispensatio, quo ad præjudicium concedentis.*

30 *Dispensatus ab Episcopo ad Beneficium, non intelligitur dispensatus ad Beneficium extra Diœcesim.*

31 *Nec poterit habere in Cathedrali.*

32 *Nec poterit obtinere in eo loco, ubi Pater idem, aut aliud Beneficium obtinuit.*

33 *Dispensatus, ut possit obtinere etiam in Cathedrali, non poterit obtinere in Metropolitana.*

34 *Nec dispensatus ad quamcumque dignitatem Ecclesiasticam, intelligitur dispensatus ad Episcopatum, nisi exprimatur quia.*

35 *Episcopatus cum sit omnium Dignitatum Eccles. culmen, est speciali nota dignus.*

36 *Dispensatus simpliciter ad Beneficia, nisi dictum fuerit* Ad quæcumque, *non poterit obtinere in Cathedrali.*

37 *Item nec Beneficia Curata.*

38 *Nec dispensatus ad Præbendam habentem annexum Ordinem Sacrum, erit dispensatus, ut habeat vocem in Capitulo.*

39 *Dispensatus ad Beneficia, cujuscumque sit Præsentationis, non intelligitur de Præsentatione spectante ad Laicos.*

40 *Minor 20. annis Dispensatus, ut possit esse Canonicus, non poterit ob id esse Judex.*

41 *Nec Dispensatus ad non Residendum, extendetur ad Fructuum consequutionem, qui ab absentibus amittuntur, nisi id expresse dicatur.*

42 *Nec Dispensatus super 3. Gradu consanguinitatis, erit dispensatus super 3. Affinitatis, quamvis Consanguinitas sit fortius vinculum; quia sunt res diversæ.*

43 *Nec dispensatus ad casum expressum, censetur dispensatus ab alio.*

44 *Dispensatus ut quis possit ordinari ad talia, & alia Beneficia, illud verbum,* Alia, *est stricte accipiendum, ut non extendatur nisi ad similia.*

45 *Dispensatus simpliciter ad Ordines, non intelligitur de Majoribus, nisi Papa sciret d. Clericum jam fuisse ad Minores promotum, vel diceretur,* Ad omnes.

46 *Nec Illegitimus dispensatus simpliciter ad Ordines, erit dispensatus ad Beneficia simplicia.*

47 *Regula communis à Doctoribus traditur, quod dispensatio nunquam trahatur ad consequutiva ejus, super quo dispensatur, quia ipsa dispensatio imprimit validum effectum super actu, in quo dispensatur, absque eo quòd ad illius consequutivum extendatur.*

48 *Si Dispensetur cum Monacho, ut Beneficium Curatum retineat, non poterit vi dictæ dispensationis Beneficium simplex possidere.*

49 *Si mandetur provideri de majori Præbenda, non poterit provideri de minori.*

50 *Nec dispensatus ad beneficium, quod majus est, intelligitur dispensatus ad Pensiones.*

51 *Nec dispensatus ad dignitatem, intelligitur ad beneficium simplex, nisi specialiter de eo fuerit facta mentio.*

52 *Nec dispensatus ad Archiepiscopatum, censetur dispensatus ad Episcopatum.*

53 *Ponuntur nonnullæ limitationes ad prædictas Conclusiones.*

54 *Prima Conclusio, qua dictum fuit, potestatem dispensandi esse latè interpretandam, limitatur. Primò si in*

si in materia, de qua ageretur, ex consuetudine, usu, vel stylo, fuisset jam inducta interpretatio.

55 *Quando talis Potestas tenderet in grave præjudicium Tertii.*

56 *Quando esset contrà Jus.*

57 *In omni Dispensatione Jus Tertii præsumitur exceptum.*

58 *Et potius verba Rescripti sunt improprianda.*

59 *Imò potius Rescriptum censeri debet frustratorium, quam quòd damnum Tertio indebitè inferat.*

60 *Et quamvis in Rescripto apposita non fuisset clausula,* Citra Tertii præjudicium, *nihilominus subintelligeretur.*

61 *In concessione alicui facta, ut possit absolvere ab omni Excommunicatione, non erit comprehensa facultas absolvendi ab Excommunicatione lata per sententiam particularem.*

62 *Impetratio, seu Dispensatio facta lite pendente, non valet in præjudicium Tertii.*

63 *Siquis impetret Beneficium ratione alicujus certi delicti, in eventum probationis delicti, & privationis ejusdem; si interim super hujusmodi crimine dispensetur, nihilominus Beneficium debetur Impetranti.*

64 *Si inhabilis haberet Beneficium, & medio tempore alius impetraret, quamvis postea super inhabilitate ille dispensaretur, nihilominus hic obtinebit, quamvis adhuc lis non incæperit pendere.*

65 *Limitatur item Conclusio, ut ille, cui fuit absolutè concessa Potestas dispensandi, non possit dispensare in iis, quæ sunt de Jure Divino naturali, in quibus ipsemet Pontifex, nonnisi ex magna causa dispensare potest, & difficile dispensare solet.*

66 *Quod verum est, quamvis in facultate concessa essent apposita verba quantumcumque prægnantia, & exuberantia.*

67 *Simili modo, concessa per Pontificem facultate absolvendi ab omnibus casibus sibi reservatis, non poterit absolvere à casibus in Bulla Cœnæ reservatis, nisi de eis fuerit facta mentio.*

68 *Item limitatur, ut d. Potestas non sit latè extendenda, quando restringitur ad particulares personas in litteris expressas.*

69 *Quando hujusmodi Potestas est limitata ad certas personas, tantum Jus Delegato tribuitur, quantum in ipsa Commissione exprimitur.*

70 *Quod verum est, quamvis dicta Potestas concessa fuisset in gratiam Dispensaturi.*

71 *In favorabilibus mixtum comprehenditur sub simplici.*

72 *Quando tamen in facultate ad dispensandum concessa, sunt expressa nomina personarum, quibus cum dispensandum est, tunc est restringenda; & in odiosis mixtum non comprehenditur in simplici.*

73 *Et eò magis vera est hæc Doctrina, si ob eam Dispensationem afferatur præjudicium Tertio.*

74 *Item limitatur, si ageretur de extendenda facultate ad casum, quem facultas, sublata verborum significatione, non comprehendit.*

75 *Aliud est latè interpretari, & aliud extendere ad casum non comprehensum.*

76 *Facultas à Jure concessa solùm extenditur ad casus similes, vel inferiores.*

77 *Privilegia Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi an sint latè, vel strictè interpretanda.*

78 *Proponitur sententia Auctoris.*

79 *Ad dignoscendum, an dispositio aliqua sit latè, vel strictè interpretanda, attendi debet ad præcipuum Concedentis, vel Legis, seu Statuti intentum*

80 *Alia Conclusio, qua dictum fuit, Dispensationem esse strictè interpretandam, est limitanda.*

81 *Primo, ut non adeo strictè interpretetur, ut sit elusoria, cùm debeat extendi ad necessariò, & inseparabiliter connexa, sine quibus Dispensationis effectus consistere non posset.*

De Justis de Dispens. Matrim.

82 *Concessio Principis non debet esse illusoria.*

83 *In quacumque dispositione Mundi ea interpretatio sumenda est, ut actus magis valeat, quam pereat.*

84 *Quod venit in necessariam consequentiam, trahitur à principali, etiam contra naturam suam.*

85 *Dispensatus super pluralitate Beneficiorum, intelligitur consequenter dispensatus, ut non teneatur residere in utroque.*

86 *Dispensatione facta cum aliqui, ut possit ducere Consanguineam, illa etiam intelligitur Dispensata ad contrahendum cum ipso.*

87 *Subdiaconus Dispensatus, ut possit Uxorem ducere, censebitur, juxta veriorem sententiam, Dispensatus à recitatione Divini Officii.*

88 *Minor 25. annis dispensatus ad Parochialem, censetur consequenter dispensatus, ut non faciat se promoveri intra annum.*

89 *Dispensatus ad Pensiones Ecclesiasticas, non obstante Bigamia incurrenda, dicitur consequenter dispensatus ad Privilegium Clericale retinendum, tanquam inseparabiliter connexum.*

90 *Illegitimus dispensatus ad Clericatum fiet capax obtinendæ Pensionis.*

91 *Nec tenebitur in consequutione Pensionis de Natalium defectu mentionem facere.*

92 *Si tamen permutare vellet Benefic. ex Dispensatione obtentum, tenetur de ipsis Natalibus mentionem facere.*

93 *Dispensatus ad Sacerdotium censetur Dispensatus etiam ad inferiores Ordines suscipiendos.*

94 *Concessa Episcopo, seu Monacho facultate testandi, poterit sic dispensatus, uno Test. condito, illud annullare, & conficere aliud, usque ad mortem.*

95 *Item limitatur d. Conclusio, de qua num. 85. quando dispensatio est in privato Statuto, seu consuetudine Populi, quæ erant Juri communi contraria; quia tunc, cum reducat ad Jus commune, est favorabilis.*

96 *Dispensatio matrimonialis an sit latè, vel strictè interpretanda.*

97 *Ponitur sententia affirmans esse latè interpretandam.*

98 *Item limitatur dicta Conclusio, de qua numer. 85. quando dispensatio est inserta in corpore.*

99 *Facultas Episcopis a Tridentino concessa, ut dispensare possint in omnibus casibus occultis, non deductis ad forum contentiosum, excepta Irregularitate ex Homicidio voluntario proveniente, extenditur etiam ad Capitulum Sede vacante.*

100 *Concilium Tridentinum facit Jus Ordinarium.*

101 *Capitulum succedit in Jurisdictione Ordinaria Episcopi.*

102 *Dicta facultas, de qua nu. 81. diximus, competit Superioribus Religionum.*

103 *Item limitatur, si Concedens declaret se motu proprio concedere.*

104 *In dispensatione motu proprio facta, est præsumptio Juris, & de Jure, quod adfuerit justa dispensandi causa.*

105 *Item, limitatur d. Conclusio, quando dispensatio versatur circa materiam Juris communis, quia tunc secundùm illud intelligi debet.*

106 *Testamentum sumit vires à morte Testatoris, unde valebit Testamentum, quamvis tempore obtentæ dispensationis illud condendi factum fuisset.*

107 *Item limitatur eadem Conclusio, si dispensatio toti Communitati, seu Religioni fuisset cum tractu successivo concessa, quia tunc æquatur Legi.*

108 *Item limitatur, quando dispensatio debita esset; quia tunc potiùs est beneficium Juris.*

109 *Item limitatur d. Conclusio in dispensationibus favorabilibus; ut si ageretur de publico favore Religionis, vel Animæ, nam Favor publicus, favor Religionis, & Animæ à pari procedunt.*

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

110 *In conflictu opinionum ea semper est præferenda, quæ Pietati favet, Religioni, & Animæ, ut peccatum evitetur.*

111 *Quævis dispositio, licet pœnam continens, dicitur favorabilis, ubi principalis statuentis finis est favor publicus.*

112 *Item limitatur d. Conclusio, quando casus ipse, in quo Dispensandum est, continet rationem expressam d. Dispensationis.*

113 *Ubi est eadem ratio, non dicitur extensio, sed declaratio.*

114 *Item limitatur d. Conclusio, quando minus est inclusum, ut pars in majori.*

115 *Dispensatus ad Sacerdotium, intelligitur etiam Dispensatus ad alios Ordines, sine quibus non posset ad Sacerdotium promoveri.*

116 *Concessa facultate testandi, concessa censetur etiam facultas condendi Codicillos, & causa mortis donandi, quia hæ omnes sunt partes ultimæ voluntatis.*

117 *Dispensatus super Voto Castitatis, cùm verè haberet Votum non nubendi, aut non fornicandi, valida est Dispensatio.*

118 *Si quis haberet Votum Ordinis sacri, & exprimeret Votum non contrahendi Matrimonium, valeret Dispensatio.*

119 *At si Votum esset non fornicandi, & peteretur Dispensatio super Voto Ordinis, non valeret.*

120 *Si quis per errorem peteret Dispensari super gradu majori, cum verè esset minor in eadem specie, valeret Dispensatio.*

121 *Concessa facultate edendi carnem, censetur consequenter concessa facultas edendi, lac, caseum, & ova.*

122 *Si quando non reperiatur casus expressus, recurri debet ad casus consimiles in causis minoribus annexis, vel inclusis in majori, & non in separatis.*

123 *Item limitatur d. Conclusio, de quâ n. 85. in casibus à Jure æquiparatis.*

124 *Item limitatur, quando Dispensatio non ab Homine, sed à Lege, seu Canone inducitur.*

1 MAximum à Doctoribus adnotatur Discrimen inter Potestatem alicui genetaliter ad Dispensandum concessam, & ipsam Dispensationem; Illa etenim tanquàm favorabilis est latè Interpretanda, & ad illos etiam Casus extendenda, qui Casibus in ipsa Concessione expressis quoquomodo, etiam separabiliter, adaptari possunt, licet tantùm accessoria sint; sic bene docent Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 2. *n.* 1. & *disp.* 24. *n.* 9. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 42. Filliucc. *tom. pr. tract.* 10. *cap.* 10. *n.* 29. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 13. Garcia *de Benef. par. pr. cap.* 6. *num.* 73. Marius Anton. *var. resol. lib.* 3. *resol.* 2. *num.* 18. Barbos. *in Votis Canonic. Decis. & Consult. lib.* 2. *Voto* 30. *numer.* 61. Pirrhus Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 27. Carol. Maranta *in Controv. I. V. Responsa. Responsa.* 45. *num.* 56. *par.* 4. Alex. Sperell. *decis.* 112. *nu.* 16. Stephan. Gratian. *Discept. forens. cap.* 278. *num.* 13. *tom.* 2. & *cap.* 982. *n.* 2. & *n.* 23. *tom.* 5.

2 At Dispensatio est adeò strictè interpretanda, ut non solùm intelligatur de prima vice, Tusch. *concluf.* 463. *num.* 5. sed ut, si aliquid operetur, posita tali interpretatione, amplius extendi non possit; Ita concludunt communiter Doctores, inter quos, Sanch. *lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 3. Menoch. *cons.* 72. *num.* 11. Bonac. *de Leg. disp. pr. quæst.* 3. *punct.* 7. *num.* 14. Diana *d. tract.* 3. *resol.* 32. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 21. *numer.* 2. Hieronym. Cæval. *quæst. Comm. contra comm. quæst.* 203. *num.* 3. Franc. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub. pr. num.* 5. Parif. *cons.* 88. *num.* 20. *part.* 4. Caputaquens. *decis.* 272. *num.* 3. *part.* 1. Filiucc. *d. cap.* 10. §. 2. *num.* 293. Tusch. *concluf.* 464. *nu.* 3. *litt. D.* Garcia *de benef. d. cap.* 6. *num.* 58. Sperell. *d. decis.* 112. *num.* 73. Pirrhus Corr. *l. c. n.* 1. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 88. & novissimè celebratissimus Doctor noster magnus Monarcha Juris Lælius Altogrado. *cons.* 64. *num.* 21. *libr.* 2. & ita expressè habetur *in c.* 1. *ad* §. *Illo verò de filiis Presbyterorum in sexto.*

Undè Regula generalis constituitur, ut si Dubium 3
sit, an Dispensatio ad aliquem casum similem extendatur, interpretari debeat non extendi; At si è converso dubitetur, an Potestas dispensandi ad aliquem casum extendatur, præsumendum sit ad illum extendi Sanchez *d. disp.* 2. *n.* 9. Diana *d. tr.* 3. *res.* 42. *in fin.* Pont. *de matr. l.* 8. *c.* 4. *n.* 18. Steph. à S. Greg. *univ. tr. de Vinculis Div. Pet. l.* 3. *c.* 112. *n.* 5. Ægid. *de Coninc. de Sacram. disp.* 33. *dub.* 2. *n.* 20. Meroll. *d. c.* 6. *dub.* 2. *n.* 89. Fragos. *Regim. Christ. Reip. part.* 1. *lib.* 3. *disp.* 6. *n.* 24. Thom. Tamburin. *in Præcepta Decalogi lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. *num.* 2.

Ex dictis Infertur, quòd concessa generaliter fa- 4
cultate legitimandi Spurios, vel cum illis Dispensandi, poterit vigore d. facultatis legitimari quicumque Spurius, dummodò legitimatio non cedat in Tertii præjudicium; Sanchez *d. disput.* 2. *num.* 30. Coninck *l. c.* Fragosius *d. disp.* 6. *n.* 11. Quia cum d. facultas sit generaliter concessa, nec ad certas personas restricta, & Spurius sit terminus generalis, omnes Spuri- 5
tatis species comprehendens, est amplè extendenda, secluso Tertii præjudicio.

Sic etiam data generaliter facultate legitimandi ad 6
Ordines suscipiendos, poterit legitimari ad quoscumque etiam Sacros, non tamen ad Episcopatum (quia hic eget speciali Nota, ut dicemus infra) Coninc. *l. c.* Sic habens facultatem conferendi Beneficia Idoneis, poterit ea conferre Minori Dispensato; quia licet Dispensatio Minoris sit arida, tamen facultas extendi debet ad omnes Idoneos, quia favorabilis est; vide Tusch. *concluf.* 465. *num.* 19. *concl.* 471. *num.* 2. *litt. D.*

Consimili Ratione potens dispensare cum nato ex 7
Adulterio, dispensare poterit quamvis ex utriusque Parentis Adulterio natus sit, Puteus *decis.* 39. *nu.* 2. Merolla *num.* 122. *l. c.*

Sic pariter Potens dispensare in aliquo præciso Gra- 8
du, v. g. in Secundo, vel Tertio Consanguinitatis, vel Affinitatis, poterit dispensare in illo, quamvis duplicatus sit, Rota *decis.* 70. *lib.* 2. *part.* 3. *divers.* Merolla *tom.* 2. *disput.* 4. *cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 121. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 24. *num.* 9. & *numer.* 10. Filiucc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *capit.* 10. *num.* 335. Joannes Ægidius Trullenck. *Oper. mor. lib.* 7. *capit.* 10. *rub.* 4. *num.* 14. *tom.* 3. Tusch. *concluf.* 463. *numer.* 20. *litt. D.* Fragos. *l. c. num.* 25.

Sic etiam Potens Dispensare in Affinitate, poterit 9
etiam in Publica Honestate; quia in d. Potestate sic generaliter concessa includitur quoque Publica Honestas cum Affinitate concurrens; Sanch. *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 41. Trullen. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 4. *numer.* 12. *tom.* 3. Quia cùm Affinitas sit genus, & oriatur ex quacumque Copula tàm licita, quàm illicita, & Potestas Dispensandi sit latè interpretanda, ad utrumque erit Impedimentum extendenda; simili modo si Episcopo demandetur facultas Dispensandi cum Religiosis Simoniacè receptis, ea facultas extendetur, ut possit Dispensare etiam cum Superioribus, qui dictos Religiosos in Religione Simoniacè admiserunt, Fragos. *d. disp.* 6. *n.* 10.

At si Potestas Dispensandi sit restricta, itaut pos- 10
sit Dispensari in aliquo præciso Gradu, v. g. in Tertio Consanguinitatis, vel Affinitatis, non poterit in alio Dispensari, quamvis Inferiori, v. g. in Quarto ejusdem speciei, quamvis etiam dictus Inferior conjunctus esset cum dicto Superiori Gradu, ut si esset, 11
v. g. in Tertio, & Quarto à Communi stipite; Poterit tamen Dispensari, si facultas Dispensandi esset restricta ad solum Tertium Gradum, & Impedimentum esset Secundi, & Tertii à Communi Stipite provenientium; quia cum d. Tertius sit mixtus, & cum d. Secundo conjunctus, intrat Regula ut in Gradi- 12
bus mixtis, & in linea inæquali semper Dispensetur super solo remotiori, qui imbibit, & trahit ad se propinquiorem, nisi ille propinquior esset Primus, circa quem emanavit specialiter Motus proprius Pii V. de quo mentionem facimus *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. ita docent Sylvester *verbo matrimonium* 8. *quæst.* 6. Gamb. *de Off. & potest. legat. lib.* 10. *num.* 263. Gutie-

tierez. *de matrim. cap.* 124. *num.* 4. Sanch. *d. nu.* 9. & *nu.* 10. Coninck *dicta disp.* 33. *rubr.* 2. *n.* 13. Filiucc. *l. c.* Trullenc. *d. dub.* 4. *n.* 14. Reginald. *lib.* 31. *c.* 20. *sect.* 1. *in fine*. Barbos. *in Votis Canon. lib.* 1. *Voto* 3. *nu.* 2. Fragos. *l. c. n.* 25.

13 An autem potens præcisè in aliquo Gradu Dispensare, v. g. in tertio Gradu Consanguinitatis, & tertio Affinitatis, Dispensare possit in utroque, si simul concurrant, dissident Doctores, ut videri potest penes Sanch. *lib.* 8. *disp.* 2. *n.* 28. Et an Potens Dispensare cum Adulterino, vel incestuoso, possit, quando utrumque vitium concurrit, dicimus Infra.

14 Ratio hujusmodi Differentiæ inter ipsam Dispensationem, & Potestatem Dispensandi est, quia in concedendo Potestatem ad dispensandum, ipsi soli Concedenti præjudicium infertur, & ideò cum sit Beneficium Principis præter Jus concessum, nullique Tertio præjudicium afferens, est latè interpretandum in his, quæ vergunt in ipsius Concedentis præjudicium, ut docet Rota in Posthumis Farinaccii *decis.* 368. *num.* 5. *par.* 2. & alii Doctores mox citandi; cùm in hujusmodi generali Potestatis concessione, principale Principis Intentum non sit ipsa Dispensatio, nec respectus ad personas dispensandas, sed principale Concedentis motivum sit favor, quo Princeps, per communicationem suæ Potestatis, Dispensaturum honorat, & ob id directè non intendit Jus commune
15 lædere, nec alicui Tertio damnum, seu præjudicium afferre; At ipsa Dispensatio cum exorbitet à Jure communi, illudque lædat, & vulneret (ut diximus Cap. Præcedenti n. 15.) dicitur odiosa, sterilis, & infœcunda; Sanchez *libr.* 8. *disp. prima numer.* 3. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 32. Paris. *cons.* 137. *numer.* 2. *par.* 4. Barbosa *in Votis Canonicis lib.* 2. *Voto* 30. *num.* 61. *& Voto* 58. *num.* 9. 10. Sperellus *decis.* 110. *num.* 13. & ob id restringi debet, & strictè
16 Interpretari, Marius Anton. *var. resol. lib. pr. resol.* 19. *nu.* 14. Barbosa *l. c. nu.* 10. Rota *decis.* 240. *n.* 2. *par. prima Divers.* Cævall. *Comm. contra Comm. tomo* 3. *quæst.* 829. *à num.* 4. Paris. *l. c.* Pirrhus Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib. primo cap.* 5. *nu.* 1. Id-
17 que verum est, tam si ab ipso Legislatore, quàm si ab Inferiore Dispenseturr, quia utraque Dispensatio à Jure communi exorbitat.

18 Imò nec in Dispensatione paritas rationis est admittenda, prout nec facienda extensio de casu ad casum quamvis similem, in quo eadem, vel major ratio militet; quia cùm Dispensatio ipsa sit odiosa, & Jus lædat, ac vulneret (ut diximus) non valet in ea Argumentum de simili ad simile, nec etiam de majori ad minus, juxtà Regulam 28. *Quæ à d. Jure exor-*
19 *bitant*, *nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, *de Reg. Juris in* 6. sic docent Gamb. *de Offic. & Pot. Legati d. lib.* 10. *num.* 211. Caputaquens. *decis.* 274. *num.* 5. *par. prima*. Quintilianus Mandosius *ad Reg. Cancell. Regula* 20. *quæst.* 7. *num.* 10. Franciscus Merolla *tomo* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 65. Marius Antoninus *lib. prim. resol.* 29. *n.* 10. Nic. Garcia *de Benef. par. pr. cap.* 6. *nu.* 59. Sanchez *disp.* 8. *nu.* 32. Jo: Valerius *Diff. Utr. fori Verbo dispens. Diff.* 9. *n.* 1. Duard. *de Censib. tomo primo §. primo quæst.* 12. *n.* 35. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 8. Barbosa *in Votis Canonicis lib.* 2. *Voto* 58. *nu.* 1. Ludovisius *decis.* 353. *num.* 15. Filiuccius *d. capit.* 10. *num.*
20 293. Pirrhus Corrad. *in d. Praxi num.* 2. *l. c.* Nec concesso, quod est plus, censebitur concessum, quod est minus; Barbos. *n.* 4. *l. c.* Fragosius *Regim. Reip. Christ. part. prima lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 9. & nos in-
21 frà latè dicemus: Et propterea simplici tenori Dispensationis standum esse absque ulla extensione, & nullo habito respectu ad majoritatem, seu minoritatem, pluribus relatis, expressè docent Sanchez *lib.* 8. *disp. prima num.* 32. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *capit.* 21.
22 *num.* 8. Undè Doctores, qui docent dari in Dispensatione paritatem rationis, sunt intelligendi, quoad Dispensationem à Lege, seu Canone concessam, non autem de ea, quæ facta sit ab Homine, ut benè inter alios distinguunt idem Sanchez *l. c.* & Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Divin. Pet. d. capit.* 112. *num.* 115. quia cùm ista à pura Legislatoris voluntate pendeat, tantum valet, quantum ipsius Dispensationis, seu mandati de Dispensando Verba sonant; Salas *de Legibus disp.* 20. *sect.* 10. §. *pr. nu.* 90. Genuen. *in Praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ c.* 20. *num.* 5. Paris. *de Consid. quæst.* 40. *num.* 9. Diana *part. octava*, *tract.* 3. *resol.* 41. *vers. Sed ut verum fatear*; Ita etiam Navarrus, Covarruvias, & alii plures, quos refert Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *limitat.* 4. *nu.* 13. & probabile ait Sanchez *d. disp. pr. num.* 10. A' qua Proprietate Verborum non est rece- 23
dendum, nisi quando vel aliter constaret de mente Dispensantis *l. non aliter ff. de legibus* 3. Rebuffus *in Praxi Benef. ubi de Differentia Int. Privilegia*, *& Rescripta n.* 8. Gamb. *d. lib.* 10. *n.* 267. Sanchez *n.* 10. *l. c.* vel ex stylo introducto, vel usu, seù Jure restricta sint, ut infra dicemus.

Imò nec desunt, qui probabiliter doceant, Verba 24
Dispensationis non esse ita latè accipienda, ac eorum propria significatio extenditur, Sanchez *l. c.* & Gamb. *dict. lib.* 10. *n.* 268. Merolla *num.* 14. *l. c.* quia Lex multoties restringit Terminos, adimendo aliquid de latitudine proprii significari; quod est aliquid strictè intelligi: Regulariter autem in Dispensationibus ma- 25
gis spectatur restrictio Termini alio Jure fieri solita, 26
quàm ejus Proprietas; ut d. Sanch. ibi docet: & præcipuè spectari debet verisimilis Intentio Concedentis, 27
quæ ex qualitate rei subjectæ deprehenditur, secundùm quam verba ipsa declarari debent, ut colligitur *ex cap. primo de conces. præb. in* 6. & docent expressè Sylvester *Verbo privilegium q.* 3. Mandosius *ad Reg. cancell. Reg.* 17. *q.* 8. *num.* 3. Sanchez *lib.* 8. *disp. pr. num.* 11. Coninck *de Sacramentis disp.* 33. *dub.* 2. *n.* 19. Cævall. *quæst.* 693. *numer.* 12. Gratianus *discept. forens. cap.* 814. *num.* 14. Lælius Altogradi *cons.* 61. 28
n. 35. *lib.* 2. eò semper spectando, ut minus lædatur Jus Commune, & Proximi, ut benè concludunt Gamb. *l. c. à nu.* 268. Seraphinus *decis.* 931. *num.* 2. Tusch. *conclus.* 465. *numer.* 12. *littera D.* Quòd si de præjudicio Concedentis agatur, distinguit Sanchez *l. c. n.* 4. inter Dispensationem contra Jus, & aliam 29
quæ fit præter Jus, quia illa strictè, hæc largè venit Interpretanda.

Ex dictis plura Inferuntur.

I. Namque Infertur, quòd si quis dispensetur ab 30
Episcopo ad Beneficium, non Intelligitur Dispensatus ad Beneficium extrà Diœcesim Dispensantis, Rebuffus *l. c. n.* 33. Joannes Valerus *diff. utr. fori Verbo Dispens. Diff.* 9. *n.* 1.

II. Infertur, quòd sic Dispensatus non poterit ob- 31
tinere Beneficium in Cathedrali; Rota *in Antiquis decis.* 45. Garcia *de Benef. part. prima c.* 6. *n.* 62. Gamb. *l. c. n.* 219. Joannes Valerus *l. c. n.* 1. Tuschus *conclus.* 463. *n.* 1. *littera D.*

III. Nec poterit habere in eo loco, ubi Pater idem, 32
vel aliud Beneficium obtinuit, Joannes Valerus *l. c.* & adest dispositio Concilii *sess.* 25. *c.* 5.

IV. Nec Dispensatus, ut possit obtinere Beneficium 33
etiam in Cathedrali, poterit illud habere in Metropolitana; Hoyeda *de Incompatibilitate Benef. part.* 2. *cap.* 12. *n.* 78. Joannes Valerus *l. c.* Gamb. *d. lib.* 10. *num.* 225.

V. Nec Dispensatus ad quascumque Dignitates Ec- 34
clesiasticas, intelligitur Dispensatus ad Episcopatum, nisi apertè exprimatur, quia hic, cùm sit omnium Ecclesiasticarum Dignitatum Culmen, *cap. primo de Privileg. & cap. penult. de Præbend.* Lotherius *de Re Benef. lib. primo quæst.* 26. *num.* 31. Hoyeda *l. c. num.* 77. eget speciali nota, Garcia *d. cap.* 6. *n.* 66. Graf- 35
fius *decis. Aur. cap.* 9. *n.* 38. *lib.* 2. Gamb. *l. c. n.* 217. Fragosius *l. c. n.* 80. *vers. Non venit*; Pirrhus Corrad. *in Praxi dispensat. Apost. l. c. n.* 5.

VI. Nec Dispensatus simpliciter ad Beneficia, si 36
non fuerit dictum *Ad quæcumque* poterit consequi Præbendas, & alia Beneficia Cathedralis, Cævallos *comm. contrà communes quæst.* 829. *n.* 5. Rebuff. *in Praxi Titulo de dispensat. ratione Aetatis*, *Verbo in Cathedralibus*; Barbos. *de appellat. Verb. app.* 32. *n.* 10. Garcia *de benef. part. prima c.* 6. *n.* 63.

VII. Nec sic Dispensatus poterit consequi Beneficia 37
Curata, sed solùm simplicia, Merolli. *tom. prim. disp.*

prima

prima cap. 2. difficult. 1. num. 554. Garcia *d. cap. 6. à num. 50.* Hoyeda *de Incompatibil. benef. part. 2. cap. 2. num. 74.*

38 VIII. Item nec censebitur Dispensatus, ut Vocem in Capitulo habeat ille, qui Dispensatus fuit, ut licet infra Annum non promoveatur, nihilominus retinere possit Præbendam, cui Ordo Sacer est annexus, Barbos. *de Canon. & præb. cap. 37. numer. 12.* Sperellius *decis. 112. num. 28.* Gamb. *d. lib. 10. num. 245.* Tuschus *conclus. 461. numer. 2. littera D.* quia sine isto Accessorio Dispensatio operatur super Canonicatu; Quod intellige, nisi habeat ætatem ad Subdiaconatum requisitam, ut idem Sanchez *lib. 8. disputat. 1. num. 23.*

39 IX. Nec Dispensatus ad obtinendum Beneficium, cujuscumque sit præsentationis, poterit vi talis Dispensationis provideri de Beneficio spectante ad patronos Laicos, Fragosius *l. c.* quia cùm eo casu agatur de præjudicio tertii, non præsumitur Papam velle inferre præjudicium tertio, nisi expresè dicat, ut latè diximus præsenti libro; & maximè si agatur de Patronatu Laicorum, quibus Leges omnes mirificè favent, ne Laici retrahantur à Fundationibus, ut animadvertunt Vivian. *de Jurepatr. capit. 2. num. 12. lib. 7.* Fontanell. *de Jurepatr. quæst. 12. numer. 12. lib. 6.* per Gloss. *in cap. Nobis, in verbo in Capella, de Jurepatr.*

40 X. Nec minor Annis 20. Dispensatus ad Canonicatum, censebitur Dispensatus, ut possit esse Delegatus; Sperellius *numer. 29.* Gambara *numer. 246. ll. cc.*

41 XI. Nec Dispensatus simpliciter, ut residere non teneatur, intelligitur Dispensatus, ut, non residendo, possit percipere distributiones, & fructus, qui Interessentibus debentur, Sanchez. *num. 20.* Sperellius *num. 26. ll. cc.* Tuschus *conclus. 465. num. 1. littera D.* Ratio prædictorum est, quia cum hæc sint separabilia, nec necessariò connexa, Dispensatio concessa ad non residendum, non extenditur ad Fructus percipiendos.

42 XII. Nec Dispensatus, v. g. super tertio Gradu consanguinitatis, erit Dispensatus super tertio affinitatis, quamvis consanguinitas sit fortius vinculum affinitate; quia sint impedimenta diversæ speciei; Sanchez *lib. 8. disp. 24. num. 19.* Bonacina *de legib. disp. prim. quæst. 2. punct. 5. propos. unica, num. 8.* ita etiam Pontius, Coninck, Aversa, Filiuccius, Trullenck, & alii, quos infra *c. 4.* referimus.

43 XIII. Nec Dispensatus ad succedendum in certis casibus expressis censebitur Dispensatus ad alios casus, quia Dispensatio facta ad unum effectum non extenditur ad alios; Fragosius *numer. 12. l. c.* Decius *cons.*
44 *610. numer. 5.* & proindè quando conceditur, ut quis possit ordinari ad talia, & alia Beneficia, illud Verbum, Alia, strictè Interpretatur, itaut non comprehendat nisi Beneficia similia, Fragosius l. c. *num. 80.* in fine; & quòd Verbum, Alia, Intelligatur de similibus, docent Macerat. *res. 2. l. p. nu. 8.* Menoch. *remed. 9. retin. num. 256. dec. cons. 101. numer. 4. & ex vulg. Jur.*

XIV. Nec Dispensatus ad obtinendum, censebitur Dispensatus ad retinendum; Marius Antoninus *var. resol. lib. 1. resol. 29. n. 44.* Rota *decis. 233. numer. 23. part. 1. divers.*

45 XV. Nec Dispensatus simpliciter ad Ordines, Intelligitur Dispensatus ad Majores; nisi Papa sciret dictum Clericum jam fuisse minoribus insignitum, vel diceret, Ad omnes Ordines: Glossa *in cap. litteras, de Filiis presbyt.* Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 21 nu. 5.* Joan. Meroll. l. c. *tom. 1. disp. 1. cap. 2. diffic. 1. n. 544.* Sà, *in aphorism. verbo dispens. num. 13.* Barbosa *de appellat. verb. appellat. 179. num. 1.* Garcia *de benef. part. 1. cap. 6. num. 63.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 10. §. 1. num. 90.*

46 XVI. Nec denique Illegitimus simpliciter Dispensatus ad Ordines censebitur Dispensatus ad Beneficium cùm unum ad aliud non sint consequutiva; Pontius *d. capit. 21. num. 5.* Marius Antoninus *var. resol. lib. 1. resol. 19. numer. 10.* Gamb. *d. lib. 10. numer. 241.* Paulus Squillante *de privileg. Cleric. cap. 4. numer. 48.* Pirrh. Corrad. *in d. praxi lib. 1. capit. 5. num. 15.*

Unde Regula generalis à Doctoribus assignatur, 47
ut Dispensatio nunquam sit trahenda ad consequutiva ejus, super quo Dispensatur, quando ipsa Dispensatio imprimit effectum validum super Actu, in quo Dispensatur, absque eo, quòd ad illius consequutiva extendatur; Sic benè Sanchez *lib. 8 disp. 1. num. 20.* Gratian. *discept. forens. cap. 397. num. 38. tom. 2.* Gabriel *cons. 189. num. 3.* Merolla *tom. 2. disp. 4. capit. 6. dub. 1. n. 23.*

Et non solùm Dispensatio, cum sit odiosa, & Jus vulnerans, est restringenda, itaut ad consequutiva non extendatur, ut diximus, sed nec est extendenda, quamvis Dispensatio concessa esset major ea, qua opus esset, ut exemplificari potest exemplis infra appositis, & Primò:

Si cùm Monacho Dispensetur, ut Beneficium Cu- 48
ratum retineat, non poterit, vigore hujusmodi Dispensationis, Beneficium simplex possidere, Barbosa *de Off. pot. Episcopi allegat. 33. numer. 14.* Fragosius *l. c. numer. 10. & numer. 80.* Pirrhus Corradus *l. c. num. 4.*

II. Si mandetur provideri alicui de majori præben- 49
da, non poterit provideri de minori; Gamb. *d. lib. 10. n. 221.* Sanchez *dicta disp. 1. n. 32.* Nec dispensatus ad obtinendum integram præbendam, poterit, vi hujus Dispensationis, obtinere dimidiam: Fragosius *d. disp. 6. num. 80.*

III. Dispensatus ad Beneficium, quod majus est, 50
non Intelligetur Dispensatus ad pensiones; Fragosius l. c. *num. 9.* Rebuffus *in praxi benef. titulo de Dispensationibus ad plura Beneficia num. 65.* Pirrhus Corradus *l. c. num. 7.* Nec censebitur Dispensatus ad Ordines, quamvis ex Statuto Ecclesiæ omnes Beneficiati teneantur infra certum tempus Ordinari, Tusch. *conclus. 466. num. 2. littera D.* Et si Dispensetur, ut possit permutare suum Beneficium cum alio, non poterit permutare cum duobus: *capit. Quamvis primo de præbend.* Fragosius l. c. *num. 80. vers. Ex quo decid.*

IV. Dispensatus ad Dignitatem, non censetur Di- 51
spensatus ad Beneficium simplex, nisi specialis de eo mentio facta fuerit: Gamb. *d. lib. 10. n. 224.* Joannes Valerus *d. verb. dispen. diff. 9. n. 1.*

V. Nec Dispensatus ad Archiepiscopatum, intel- 52
ligetur Dispensatus ad Episcopatum, quamvis sit idem Ordo; Duardus *de censib. tom. 1. §. 1. quæst. 12. numer. 35.* Tusch. *conclus. 466. in fine littera D.* Fragosius *numer. 80. l. c.* quia cùm prædictæ sint res diversæ, Dispensatio super una ex eis facta, non extenditur ad aliam, quamvis similem, & quamvis etiam eadem, vel major ratio adsit, ut supra diximus.

Quamvis autem prædictè conclusiones veræ sint, 53
tamen aliquas limitationes admittunt.

Ea namque, qua dictum fuit, potestatem ad Dispensandum concessam, esse latè interpretandam, limitatur.

I. Ut non procedat eo casu, quo, in materia, de 54
qua agitur, fuerit jam ex consuetudine, usu, vel stylo inducta interpretatio; quia dicta consuetudo servari debet, ne scandalum suboriatur; Gamb. *n. 193.* l. c. Sanchez *lib. 8. disp. 2. n. 4.* Pontius *lib. 8. cap. 8. n. 14.* Merolla *d. c. 6. rub. 2. n. 87.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 11. num. 100.*

II. Limitatur, dùm hujusmodi potestas esset inter- 55
pretanda in grave tertii præjudicium, ut quia absorberet Jurisdictionem alicujus, vel esset contrà Jus, 56
tunc etenim est strictissimè interpretanda, sive proprio motu Principis, sive ad instantiam partis concessa sit, Rota inter impressas per Ludovic. Cencium *post tract. de censib. decis. 72. num. 5.* Rota coram Cavalerio *dec. 374. num. 7.* Rota coram Buratto *decis. 576. num. 5.* Rota inter impressas penes Vivianum *post praxim de Jure Patronatus dec. 25. num. 6.* Parisius *de resignat. benef. l. 12. quæst. 14. num. 12.* Gratian. *discept. forens. cap. 421. num. 42.* Massobr. *de concur. prælud. 25. dub. 13. num. 48.* Lotherius *de re benef. l. 2. quæst. 54. numer. 62.* Gonz. *ad reg. 8. Canc. glossa 15. §. prim. num. 75.*

num. 75. Mandos. *ad reg. Canc. reg.* 23. *quæst.* 4. *n.* 6. Marius Anton. *var. resol. l.* 1. *resol.* 105. *num.* 6. Pontius *de matr. l.* 8. *capit.* 4. *num.* 14. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 100. Et constat ex ipsis Regulis Cancellariæ Apostolicæ, quæ mentem Papæ testificantur; Massobrius *prælud.* 24. *dub. primo num.* 4 quia in omni Principis dispositione Jus tertii semper præsumitur exceptum; Lotherius *lib. prim. quæst.* 42. *n.* 2. Gamb. *d. l.* 10. *numer.* 317. & potius Verba rescripti improprianda sunt, imò ipsum Rescriptum potius censeri debet frustratorium, quàm quòd intelligatur damnum Tertio afferre Gratian. *discept. forens. capit.* 730. *num.* 31. *& num.* 32. Balthass. de Tomasis *pr. Decade tract. prim. tit.* 7. *num.* 11. Gonz. *Glossa* 28. *num.* 9. *&* 10. Responsa Marantæ *resp.* 21. *numer.* 5. *part. prim.* Staibanus *de Interesse lib. prim. quæst.* 2. *num.* 11. Franciscus Merlinus *decis. Rotæ Lucanæ decis.* 96. *num.* 6. Idque est ita verum, ut quamvis in Rescripto Papæ non fuisset apposita clausula, *Sine præjudicio tertii*, tamen subintelligeretur, Responsa Mar. *resp.* 13. *numer.* 19. *d. part. prim.* Capycius *decis. S. Concilii Neap. lib.* 2. *decis.* 174. *num.* 13. Barbosa *de claus. Eccl.* 157. *num.* 1. *&* 2. Vivianus *de Jure Patronatus lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 80. Unde in Concessione alicui facta, ut v. g. possit ab omni excommunicatione absolvere, non comprehendetur facultas absolvendi ab excommunicatione lata per sententiam particularem, attento præjudicio, quod propterea cederet Prælato, qui excommunicavit: Coninck *de Sacram. disp.* 33. *dub.* 2. *numer.* 12. Qua ratione omnis impetratio, vel Dispensatio, quæ lite pendente fiat, non valet in præjudicium tertii, Gamb. l. c. *num.* 317. Sic pariter, dato quod quis Impetret Beneficium à tertio possessum ratione certi delicti in eventum probationis ipsius delicti, & privationis delinquentis, si is Dispensetur super hujusmodi Crimine, nihilominus Beneficium debetur Impetranti; quia (sicut diximus) Dispensatio semper debet intelligi sine tertii præjudicio, nisi Pontifex expressè declaret se tale præjudicium velle inferre cap. *Quamvis* 8. *de rescript. in* 6. Gamb. *l. c. numer.* 319. Gratianus *discept. forens. cap.* 370. *num.* 31. Rota *decis.* 226. *num.* 1. *part.* 2. *recent.* Sic pariter si Inhabilis haberet Beneficium, at medio tempore alius illud impetraret, quamvis postea Dispensaretur super Inhabilitate, tamen impetrans obtinebit, licet adhuc lis incæpta non fuerit; Idem Gamb. *l. c.*

III. Limitatur ita, ut licet fuerit concessa generalis potestas ad Dispensandum, tamen Dispensari non possit in iis, quæ sunt de Jure Divino naturali, in quibus ipsemet Pontifex non nisi ex magna causa dispensare potest, & difficile dispensare solet, ut in Matrimonio rato, in Voto absoluto perpetuæ castitatis, vel Religionis, & similibus Gamb. *d. l.* 10. *numer.* 205. Sanchez *d. disp.* 2. *num.* 5. Pontius, & Salas *ll. cc.* Nec facit, quòd in facultate concessa, sint apposita verba prægnantia, & quantumcumque exuberantia, per quæ diceretur quòd ille, cui potestas concessa fuit, possit dispensare cum quibuscumque, & in quocumque Gradu Consanguinitatis, vel affinitatis; quia non dispensabit, nec dispensare poterit, nisi tantùm in Gradibus Jure positivo prohibitis.

Consimili ratione concessa alicui à Pontifice facultate absolvendi ab omnibus casibus sibi reservatis, non poterit ob id absolvere à casibus in Bulla Cœnæ reservatis, nisi in ipsamet constitutione de his specialiter mentio fiat: Quia Papa has facultates difficilè solet concedere, nec hæ comprehenduntur in Concessione, nisi specialiter exprimantur, ut benè Coninck *l. c. num.* 13. Papa enim numquam præsumitur concessisse ea, in quibus se difficilem reddere consuevit ad concedendum: *cap. Si Episcopus* 2. *de pœnit. & remiss. in* 6. Tusch. *conclus.* 68. *num.* 7. *littera H.* Mantica *decis.* 104. *num.* 4. & faciunt dicta per Franciscum Redenaschum *cons.* 96. *num.* 475. Unde in potestate dispensandi generaliter concessa non venit potestas dispensandi super crimine, nec commutandi pœnas, vel super eis componendi; Sbrozius *de officio Vicarii l.* 2. *quæst.* 37. *num.* 10. sic pariter si à Papa concedantur Abbati omnia, quæ competunt Episcopo, & Ordinario, non censetur concedere ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis; Tusch. *d. conclus.* 68. *num.* 8. Nec concessa facultate dispensandi super Votis intelliguntur comprehensa in hujusmodi generali facultate Vota Castitatis, & Religionis, nisi specialis mentio de illis facta sit; Sanch. *lib.* 8. *disp.* 9. *numer.* 2. quia cum prædicta sint de arduis, non veniunt in Generali mandato; Lotherius *de re benef. lib. prim. quæst.* 28. *num.* 123. Sbrozius *de Offic. Vicarii l.* 2. *quæst.* 114. *num.* 5. Angelus Maria Verricellus *de Missionib. Apost. quæst.* 132. *num.* 6. *&* 7. Et Papa, concedendo facultatem alicui, nunquam præsumitur concedere cum ea plenitudine potestatis, quam ipse concedens habet; censetur etenim majorem potestatem pro se retinuisse, *cap. Dudum* 14. *de præb. in* 6. Sbrozius *de Offic. Vicarii l.* 2. *quæst.* 93. *num.* 2. Seraphinus *dec.* 1188. *num.* 1. Gratianus *discept. forens. cap.* 891. *numer.* 33. Menoch. *cons.* 83. *num.* 9. *tom. prim.* Caputaquens. *decis.* 337. *num.* 8. *part. prim.* Rota *in novissimis dec.* 71. *num.* 17. coram Coccin. In illis tamen, in quibus Papa dispensare potest, nec reservare solet, ut in Votis communibus, & similibus, quamvis de Jure Divino obligent, poterit vigore potestatis generaliter ad dispensandum concessæ, in illis dispensare; Gamb. *dict. libr.* 10. *numer.* 204. Sanchez *libr.* 8. *disput.* 2. *numer.* 5.

IV. Limitatur d. Conclusio, itaut hujusmodi potestas ad dispensandum concessa, stricte intelligenda sit, si restringatur ad particulares Personas in Commissione expressas; quia tunc tantùm poterit, quatenus Verba sonent, prout de ipsamet dispensatione dictum fuit; isto enim casu tantum Jus delegato tribuitur, quantum in ipsa commissione exprimitur, & proindè ea potestas est strictè interpretanda; Gamb. *l. c. num.* 201. Sanchez *d. disp.* 2. *num.* 6. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 32. *versic. Infertur Tertio*; Angelus Maria Verricellus *de Missionib. Apostol. num.* 98. *num.* 123. Sylvest. *Verbo disp. quæst.* 5. *num.* 9. Fragosius *Regim. Christ. Reip. part.* 1. *l.* 3. *disp.* 6. *numer.* 10. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 2. *numer.* 77. Puteus *decis.* 49. *l.* 3. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 11. *num.* 100. Pontius *de matr. d. cap.* 4. *num.* 5. Coninck *disp.* 33. *dub.* 2. *num.* 14. Responsa Marantæ *responsa* 13. *num.* 34. *part. prim.* Pirrh. Corrad. *in praxi disp. Apost. l.* 1. *cap.* 5. *num.* 14. *& num.* 27. *& lib.* 7. *cap.* 6. *numer.* 77. ubi refert sic fuisse etiam quoad Matrimoniales dispensationes definitum à Clemente VI. per constitutionem, quæ incipit: *Ex injuncto*, & concludit, sic se habere stylum Curiæ.

Amplia, ut prædicta ritè procedant, quamvis hujusmodi potestas concessa fuisset ad instantiam ipsius delegati dispensaturi; quia gratia respicit dispensandos, & in eorum favorem concessa censetur, ut benè animadvertunt dicti, Sanchez *lib.* 8. *disp.* 28. *numer.* 90. Merolla *l. c. num.* 81. Pontius *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 5. Ratio est quia hujusmodi potestas non potest dici generaliter concessa ad dispensandum, cum Papa in ipsamet commissione se restringat ad Personas, & impedimenta exprimat, super quibus dispensandum est, specificando etiam causas, quibus movetur; sed potius videtur dispensatio, quadam præscripta forma, in esse producta, quia si preces veræ sint, nil aliud desideratur, quàm sola exequutio, ut latè dicimus *cap.* 6. idque est ita verum, ut licet dispensandi facultas generaliter concessa absque expressione præcisarum personarum sit latissimè Interpretanda, ut diximus, itaut potens dispensare cum Adulterino, vel Incestuoso, possit etiam dum uterque defectus concurrit, eò quòd d. potestas eo casu favorabilis sit, & consequenter eo casu mixtum comprehendatur in simplici, ut docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *numer.* 9. Paulus Layman. *Theol. mor. l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *numer.* 19. Sperellius *dec.* 112. *num.* 37. Cævallos *quæst. comm. contra comm. quæst.* 203. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 122. Sylvester *var. dispens. quæst.* 5. *num.* 94. Escobar *Theol. mor. tract. primo, exam.* 16. *cap.* 3. *num.* 123. Fragosius *d. disp.* 6. *num.* 11. Quando tamen in facultate ad dispensandum concessa, sunt expressa nomina personarum, quibus cum dispensandum est, quia hujusmodi potestas restringenda est, ut di-

ut diximus, non poterit quoad utrumque defectum dispensari, nisi id specialiter in mandato concessum sit; quia in odiosis mixtum non comprehenditur in simplici, Sanchez *l. c. numer.* 5. Pirrhus Corradus *d. lib. prim. cap.* 5. *num.* 27. *& lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 76. Merolla *l. c.* & sic debet intelligi doctrina Bartol. *in l.* 2. *ff. de verb. obligat.* ubi docet quòd, data facultate ad dispensandum cum Incestuoso, vel Adulterino, possit dispensari cum eo, qui utroque vitio laborat; Et eo magis d. potestas restringi debet, si ob
73 hujusmodi dispensationem damnum tertio afferatur, per ea, quæ supra diximus, quod est maximè advertendum.

74 Quintò d. potestas limitatur, quando ageretur de extendenda facultate ad casum, quem, sublata verborum significatione, facultas non comprehendit; quia tunc non extenditur de casu ad casum; Aliud
75 n. est aliquid latè interpretari, & aliud est ad casum non comprehensum extendere, Cap. *Significante* 34. de Rescriptis, Sanchez *lib.* 8. *disp.* 2. *num.* 2. Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 40. *num.* 72. Gam-
76 bara *d. libr.* 10. *numer.* 303. facultas etenim à Jure concessa solum extenditur ad casus similes, vel inferiores, Gambara l. c. *numer.* 204. testans de communi.

77 Magna inter Doctores quæstio est, an privilegia Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi sint latè, vel strictè interpretanda; Et quamvis Navarrus *libr.* 2. *consil. titulo de Jure Jur. cons.* 1. *in pr. Edit.* Sanchez *libr.* 8. *disp.* 2. *num.* 7. Coninck *disp.* 33. *dub.* 2. *numer.* 14. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 98. & alii plures doceant esse strictè accipienda, cùm sint Beneficia soli Personæ, quæ Jubilæum, vel Bullam recipit, concessa; Nobis tamen probabilius videtur esse late interpretanda, ut docent Bonac. *de leg. disp.*
78 *prim. quæst.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 11. Angelus Maria Verricellius *de Missionib. Apostol. quæst.* 98. *num.* 118. Merolla *d. disp.* 4. *capit.* 6. *dub.* 2. *num.* 90. & ex Palao, Henriquez, Suarez, & aliis egregiè sustinet Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 45. Ratio est quia præcipuus Concedentis finis non est privatum commodum illius singularis Personæ Jubilæum sumentis, sed commune, & universale bonum Ecclesiæ, in quod tendit ipsa Bulla, ejusdemque Ecclesiæ subventio in aliqua publica necessitate; Et quidem ad dignoscendum, an
79 aliqua dispositio sit late, vel stricte interpretanda, attendi debet ad principale concedentis, vel Legis, seu statuti intentum *cap. prim. §. Ex parte verò; de conces. præb. in* 6. Pontius *lib.* 8. *cap.* 21. *num* 5. Pirrhus Corrad. *in praxi dispens. d. cap.* 5. *num.* 27. Marcus Paulus Leo *in praxi pœnit. part.* 2. *post declarationem Impedimentorum Dirimentium vers. Sub Intelligitur, pag. mihi* 241.

80 Alia etiam conclusio, qua dictum fuit, dispensationem esse stricte interpretandam, plures limitationes recipit.

81 Primò etenim limitatur ita, ut dispensatio non sit adeo stricte interpretanda, ut captiosa sit, & inutilis, vel illusoria reddatur, & contra naturam rei, in qua dispensatur, cum extendi debeat ad necessariò, & inseparabiliter connexa, sine quibus dispensationis effectus consistere non posset, ut communiter docent Doctores, ita Sanchez *lib.* 8. *disp. prim. numer.* 19. Merolla *tomo* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *numer.* 19. *& n.* 22. Diana *p.* 8. *tr.* 3. *resol.* 32. *& res.* 102. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 20. *numer.* 6. *in fine*, Coninck *disp.* 33. *dub.* 2. *num.* 17. Sperell. *dec.* 112. *numer.* 19. Gamb. *de pot. leg. lib.* 10. *numer* 239. *&* 240. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 10. §. 1. *numer.* 91. Joan. Valerius *diff. utr. fori diff.* 9. *numer.* 2. *verbo dispensatio*. Menoch. *cons.* 478. *num.* 29. *tom.* 5. Farinacc. *lib.* 1. *cons.*
82 *crim. cons.* 93. *num.* 8. Cum concessio Principis non debeat esse elusoria *capit. Olim* 16. *de verb. significat.*
83 Et in quacumque dispositione Mundi interpretatio sumenda sit, ut actus magis valeat, quàm pereat, *capit. Abbate* 25. *de verb. significat.* Rubeus *dec.* 485. *numer.* 6. *tom.* 2. Sperell. *decis.* 28. *numer.* 61. Gonzalez *ad regul.* 8. Cancell. *Gloss.* 4. *numer.* 133. Caputaquensis *decis.* 149. *numer.* 2. *part. prim.* Illud au-
84 tem, quod venit in necessariam consequentiam, trahitur à principali, etiam contra naturam suam *l. Papinian.* §. *Si ex caus. ff. de inoff. testam.* Gambara *l. c. num.* 236.

Hinc primò infertur, quòd si dispensetur cum ali- 85
quo, v. g. super pluralitate Beneficiorum, consequenter intelligetur dispensatus, ut non teneatur residere in utroque; Mandosius *regula* 20. *quæst.* 7. *numer.* 3. Gamb. *d. lib.* 20. *num.* 230. Sanchez *lib.* 8. *disp. prim. num.* 19. Sperell. *dec.* 112. *num.* 22. Joannes Valerius *differ. utr. for. verbo disp. dict. differ.* 9. *vers. tertia limitatio*.

Secundò Inferimus, quod si quis dispensetur, ut 86
possit contrahere matrimonium cum consanguinea in tertio, seu altero gradu, illa etiam consequenter dispensata erit ad contrahendum cum ipso consanguineo, *Gloss. in capit. Si quis in Clero* 7. *quæst.* 2. *Genuensis in Praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitan. capit.* 20. *numer.* 7. Gamb. *l. c. numer.* 233. In Floribus *lib.* 4. *decis.* 18. aliàs dispensatio redderetur illusoria.

Tertiò, Si Subdiaconus dispensetur, ut mutato ha- 87
bitu possit ducere Uxorem, censebitur etiam dispensatus à recitatione Divini Officii, quia obligatio recitandi Officium non videtur annexa Characteri præcisè, sed statui Subdiaconi; Unde, cum per matrimonii contractum ex dispensatione legitime Subdiaconus mutet statum, & indutus sæcularibus vestibus ad statum incompatibilem transeat, in quo munus Subdiaconi exercere non potest, nec privilegiis Subdiaconi frui, & amittat etiam, si quæ habebat, Beneficia, consequenter probabilius censeri debet, ut sic dispensatus non teneatur Divinum Officium recitare, quæ obligatio stat, ut diximus, inseparabiliter connexa statui Subdiaconi; Idque eo maxime procedit, quia grave onus esset homini, rei familiari, & uxoriæ vacanti, habere hanc obligationem; Ita docent Sanchez *de matrim. lib.* 8. *dispens.* 8. *numer.* 11. Riccius *in collect. decis. collect.* 908. *part.* 3. Merolla *l. c. numer.* 33. & faciunt dicta per Augustinum Barbosa *de Jure Eccles. univ. lib.* 3. *capit.* 7. *num.* 27.

Quartò, Si minor 25. annis dispensetur, ut obti- 88
nere possit Parochialem Ecclesiam, censebitur consequenter dispensatus, ut non faciat se promoveri intra annum; aliàs dispensatio esset inutilis, propter vacationem Ecclesiæ, quæ lapso anno sequeretur: Gamb. *d. lib.* 10. *num.* 233. Sanchez *lib.* 8. *disp. prim. d. num.* 19. Sperellius *d. decis.* 112. *num.* 23. Sic pariter dato, quod Papa dispenset super matrimonio prohibito de Jure positivo, censetur etiam absolvere ab excommunicatione incursa per contrahentes scienter in Gradu prohibito: Tuschus *conclus.* 477. *numer.* 8.

Quintò, Si quis dispensetur ad pensiones Eccle- 89
siasticas, non obstante Bigamia incurrenda, censebitur etiam dispensatus, ut retinere possit privilegium Clericale tanquam inseparabiliter connexum: Rota *decis.* 450. *numer.* 19. *part.* 5. *recent.* Sperell. *l. c. numer.* 25.

Sextò, Sic pariter si Illegitimus dispensetur ad Cle- 90
ricatum, censebitur ob id capax obtinendæ pensionis; Seraph. *dec.* 1264. *n.* 2. Lotherius *de re benef. lib. pr. quæst.* 40. *num.* 143. Imo in consequutione hujusmodi pensionis, attenta d. dispensatione facta, non te- 91
nebitur de Natalium defectu mentionem facere, ut bene docet Lotherius *l. c. n.* 144. licet si dictum Beneficium per hujusmodi dispensationem obtentum velit postea permutare, teneatur de Natalium defectu 92
facere mentionem, ut idem Lotherius *lib.* 2. *quæst.* 48. *num.* 22.

Septimò, dispensatus insuper ad Sacerdotium, cen- 93
sebitur dispensatus ad Ordines inferiores, sine quibus non potest ad Sacerdotium promoveri, quia concesso toto, partes etiam concessæ videntur: Gambara *numer.* 230. Sanchez *numer.* 35. & Sperell. *numer.* 15. *ll. cc.* Ratio prædictorum est, quia dispensatio extendi debet ad ea, quæ inseparabiliter connexa sunt.

Octavò, Consimili ratione si à Papa concedatur 94
Episcopo, seu Monacho facultas testandi, poterit sic

dispen-

diſpenſatus uno Teſtamento condito, illud annullare, & aliud conficere uſque ad mortem, *l. ſi quis ff. de legib.* Sanchez *libr.* 8 *diſp. prim. numer.* 18. Pontius *l. c. num.* 4. Coninck *diſp.* 33. *dub.* 2. *num.* 18. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 42. *verſ. Hinc infertur, &c.* Merolla *dicto dub. prim. num.* 20. Quicquid in contrarium ſentiant alii, quos refert Sanchez *l. c. num.* 17.

95 Secundò limitatur dicta concluſio; itaut diſpenſatio, nec ſit ſtricte interpretanda, quando eſt in privato ſtatuto, aut conſuetudine Populi, quæ erant Juri communi contraria, quia tunc cum reducat ad Jus commune, eſt favorabilis, & amplianda; Sylveſt. *verb. Privilegium, quæſt.* 3. Sanchez *l. c. numer.* 12. Pontius *lib.* 8. *capit.* 21. *numer.* 4. Merolla *loc. citat. numer.* 16. Salas *de leg. diſpenſ.* 20. *ſect.* 10. §. 1. *numer.* 90. & 91. Et ſic pariter, & eò magis, quando ea Diſpenſatio reducit ad Jus, & ſtatum naturalem; ut ſi quis legitimè natus, & habilis ad quæcumque Beneficia, poſt ingreſſum in Religionem diſpenſetur ad Beneficia; quia, cum eo caſu reducat diſpenſatum ad Jus primævum, eſt ea diſpenſatio favorabilis; Tuſch. *concluſ.* 463. *numer.* 5. *littera D.*

96 Hac ratione nonnulli exiſtimant matrimonialem diſpenſationem eſſe favorabilem, & late interpretandam, quia amovendo impedimentum reducit ad Jus naturæ; ita Gamb. *de Offic. Poteſtate Legati lib.* 10. *num.* 262. Tuſchus *concluſ.* 465. *num.* 15. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſolut.* 33. Vera Crux *prima part. Speculi artic.* 44. Merolla *tomo* 2. *diſp.* 4. *capit.* 6. *numer.* 28. & plures alii, quos refert, & meritò rejicit Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 1. *num.* 30. Horum tamen Doctrina mihi non probatur, imo contrarium conſtat ex Cap. *Si cui nulla* 36. *præbend. in* 6. quia cum ſimus in odioſis, & nulla Lege, ſeu Canone decernatur hujuſmodi diſpenſationem eſſe favorabilem, eaque fiat cum
97 expreſſis Perſonis, non eſt dubitandum, quin ſtricte interpretanda ſit, perinde ac de aliis Diſpenſationibus diximus, quod idem bene docent Sanchez *dict. diſp. prim. num.* 30. Gutierez *Canon. QQ. l.* 2. *c.* 15. *n.* 127. Pirrhus Corrad. *in praxi diſpenſat. l.* 7. *cap.* 6. *num.* 77. *& alii.*

98 Tertiò limitatur, quando diſpenſatio eſt inſerta in corpore Juris; cum etenim tunc ſit lex omnibus communiter favens, debet extendi ad omnes eos caſus, in quibus eadem, vel major ratio militat: Sanchez *num.* 7. Merolla *num.* 11. *ll. cc.* Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 32. Salas *de leg. diſp.* 20. *ſect.* 10. §. 1. *num.* 90. Boſſius *de triplici Jubilæi Privileg. ſect.* 1. *caſu* 10. *numer.* 211. Tuſch. *concluſ.* 465. *numer.* 11. *littera D.* Qua ratione.

99 Infertur facultatem Epiſcopis conceſſam per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reformat. capit.* 6. ut diſpenſare poſſint in omnibus caſibus occultis, non deductis ad forum contentioſum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario proveniente, extendi ad Capitulum Sede Vacante, & alios Prælatos inferiores habentes Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut, pluribus citatis, docent Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 2. *numer.* 10. *& num.* 12. Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *capit.* 6. *dub.* 2. *num.* 132. quia cum ſit inſerta in corpore Ju-
100 ris, hoc eſt in Concilio Tridentino, quod Jus commune facit: Sanchez *l. c. num.* 12. & competat Epiſcopo Jure Ordinario, debet late interpretari, itaut competat non ſolùm ipſi Epiſcopo, ſed & Capi-
101 tulo, quod in Juriſdictione Ordinaria Epiſcopi ſuccedit, Fœlinus *in cap. Eam te de reſcript. numer.* 17. Sanchez *l. c. num.* 11. Donatus Antonius de Marinis *Reſ. Quotid. cap.* 105. *num.* 18. imo nec ſolum Capitulo Sede Vacante competit, ſed competit etiam aliis inferioribus Prælatis habentibus Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; ſi etenim facultas diſpenſandi delegata, eſt latè interpretanda, ut diximus, quanto magis hæc, quæ non Jure delegato, ſed Ordinario competit? Vide Sanchez *lib.* 2. *diſpenſ.* 40. *numer.* 14. *& lib.* 8. *diſpenſ.* 2. *num.* 10. Barboſa *de Offic. & poteſtat. Epiſcopi allegat.* 35. *numer.* 15. Merolla *l. c. numer.* 133. Amplia, ut non ſolum com-
102 petat hæc facultas d. Capitulo, & aliis inferioribus Prælatis, ut diximus, ſed competat etiam ſuperioribus Religionum ex Brevi ſpeciali Pii V. quod refert Emmanuel *Quæſt. Regular. tom. prim. quæſt.* 61. *artic.* 9. & de eo meminit Sanchez *loc. citat. numer.* 13.

Quartò; Nec ita ſtricte eſt accipienda diſpenſa- 103
tio, ſi diſpenſans, quamvis ad partis inſtantiam concedat, declaret ſe motu proprio concedere; tunc enim late extendetur quantum propria Verborum ſignificatio patitur; non tamen ultra ipſorum Verborum naturam, Sanch. *lib.* 8. *diſp. prim. num.* 5. *in fine*; Garg. *de benef. part. prim. d. cap.* 6. *num.* 64. Merolla *l. c. num.* 7. Gamb. *d. lib.* 10. *num.* 281. Pirrhus Corrad. *in praxi diſp. apoſt. d. cap.* 5. *num.* 31. Ratio eſt, quia tunc eſt mera gratia, & liberalitas Principis; ultra quam quod hoc caſu ineſt præſumptio Ju- 104
ris, & de Jure, quod in hujuſmodi diſpenſatione fuerit juſta diſpenſandi cauſa; ſic inter alios docent Sanchez *lib.* 8. *diſpenſ.* 17. *numer.* 14. & Paulus Layman. *Theolog. moral. libr. prim. tractat.* 4. *capit.* 22. *numer.* 12.

Quintò limitatur, quando diſpenſatio verſatur cir- 105
ca materiam Juris communis, quia tunc debet juxta illud intelligi, unde quod diximus num. 2. de licentia conceſſa Epiſcopo, ſeu Monacho teſtandi, debet extendi non ſolum, ut poſſit teſtamentum conficere, & illud caſſare, & aliud condere uſque ad mortem, ut *dict. num.* 92. *diximus*, ſed extendi etiam debet ita, ut quamvis ante impetrationem hujuſmodi licentiæ jam fuiſſet conditum, adhuc validum ſit, quia vires ſumit tempore mortis Teſtato- 106
ris, unde etiam hoc caſu d. licentia ſuffragabitur *l. ſi quis filio exhæredato* §. *irritum ff. de Injuſt. rupt. teſt.* Sanchez *num.* 9. Pirrhus Corrad. *num.* 32. & Merolla *num.* 12. *ll. cc.*

Sextò limitatur ſi diſpenſatio toti communitati, 107
ſeu Religioni fuiſſet in perpetuum conceſſa, quia tunc æquatur Legi, & habetur perinde, ac eſſet in corpore Juris clauſa. Suarez *de leg. lib.* 8. *capit.* 27. *numer.* 7. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 10. §. 1. *num.* 91. Sanchez *num.* 13. & Pontius *num.* 4. *ll. cc.* Angelus Marin. Verricellius *de miſſionib. Apoſtolicis*, *quæſt.* 98. *num.* 121.

Septimò limitatur, dum diſpenſatio debita eſſet, 108
eo quòd Princeps, ſeu Prælatus teneretur eo caſu occurrente diſpenſare, quia tunc potius eſt favor debitus cauſæ, & Beneficium Juris, & conſequenter eſt hujuſmodi diſpenſatio dilatanda; Gamb. *d. l.* 10. *à n.* 274. Sanchez *n.* 15. Pontius *n.* 4. Merolla *nu.* 18. Salas *n.* 91. *ll. cc.*

Quando autem teneatur Prælatus diſpenſare, dixi-
mus *c.* 1. *à n.* 46.

Octavò limitatur, itaut dicta ſtricta interpretatio non habeat locum in diſpenſationibus favorabilibus, ut ſi ageretur de publico favore Religionis, vel Ani- 109
mæ: Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 1. *num.* 33. *circa medium*; Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 11. Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Divinæ Piet. cap.* 112. *num.* 3. *lib.* 3. Sperell. *dec.* 12. *num.* 32. Verricellius *l. c.* favor namque Publicus, favor Religionis, & favor Animæ à pari procedunt; Gamb. *d. lib.* 10. *num.* 282. Fœlin. *capit. Poſtulaſti de reſcript.* per dictum Gamb. *citatus*. Et in conflictu opinionum ea ſemper præfe- 110
renda eſt, quæ pietati favet, Religioni, & Animæ, ut evitetur peccatum; Azorius *part. prim. lib.* 4. *capit.* 11. *quæſt.* 4. *littera D.* Pariſ. *de reſignat. lib.* 11. *tom.* 2. *quæſt* 3. *numer.* 66. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 1. *& tractat.* 13. *reſol.* 1. Et omnis diſpoſitio, 111
quamvis pœnam continens, dicitur favorabilis, ubi generalis ſtatuentis finis eſt favor Publicus; Joannes Angelus Boſſius *de Matrimonii contract. cap.* 11. *numer.* 251.

Nonò limitatur, itaut nec ſtricte interpretari de- 112
beant diſpenſationes, quando caſus ipſe, in quo diſpenſatur, expreſſam continet dictæ Conceſſionis rationem; quia ubi eadem reperitur ratio, non dicitur propriè extenſio, ſed declaratio, qua declaratur 113
ipſum caſum includi ex tacita diſpenſantis mente; Sanchez *d. diſpenſ.* 1. *num.* 34. Stephanus à S. Gregorio *loc. citat.* Pariſ. *de confid. quæſt.* 42. *num.* 26. Lo-

therius

therius *de re benef. lib. 2. quæst. 48. num. 198.* Joannes Valerius *differ. utr. fori, verbo dispensatio, differ. 9. vers. Inter alias*; Pirrhus Corradus *dict. capit. 5. num. 23.*

114 Decimò limitatur, quando minus est inclusum, ut pars, vel, ut quid inseparabile, in majori, quia tunc concesso toto, partes etiam concessæ videntur; Sanchez *lib. 8. disp. 1. num. 35.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 41. vers. Limitanda*; Pontius *l. 8. cap. 21. nu. 7.* Stephanus à S. Gregorio *d. cap. 112. n. 3.* Pirrhus Corrad. *d. cap. 5. n. 20.*

115 Hæc Doctrina exemplificari potest pluribus casibus. Si dispensatio concederetur ad Sacerdotium, ut diximus, poterit promoveri etiam ad alios Ordines Minores, sine quibus non posset ad Sacerdotium ascendere.

116 Simili modo, si Episcopo, seu Monacho concessa fuerit facultas testandi, intelligetur etiam concessa facultas condendi Codicillos, & donandi causa mortis, quia hæ sunt partes ultimæ voluntatis: *l. Marcellus ff. de donat. caus. mortis*; Mandos. *de signatura gratiæ, verbo licentia testandi*; Sanchez *loc. citat. numer. 36.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 32. vers. Infertur primo*; Joannes Valerus *differ. utr. fori, verbo dispens. diff. 9. n. 2.*

117 Sic pariter si quis obtinuisset dispensationem à Voto Castitatis, cum revera fuisset solummodo, Votum non nubendi, aut non fornicandi, valebit dispensatio, quia hæc comprehenduntur in illo, Diana *d. tr. 3. resol. 66.*

118 Si quis etiam haberet Votum Ordinis Sacri, & peteret dispensari super Voto non ineundi matrimonium, valebit dispensatio, quia Votum Ordinis Sacri obligat ad non contrahendum matrimonium, & ad aliquid amplius, ut bene Sanchez *Oper. mor. l. 4. c. 47. num. 29.* Diana *l. c.*

119 Quamvis aliter esset, si Votum, super quo petita fuisset dispensatio, esset non fornicandi, & diceretur esse Ordinis Sacri suscipiendi; tunc enim nulla, & invalida esset dispensatio, quia istud non obligat ad non fornicandum. Et proinde Votum non fornicandi non includitur in d. dispensatione, ut bene animadvertunt Sanchez, & Diana *ll. cc.*

120 Si quis insuper dispensaretur super Gradu majori, v. g. Tertio consanguinitatis, vel affinitatis, & impedimentum esset inferioris Gradus, sed ejusdem speciei, valida erit dispensatio, quia ille Gradus inferior virtualiter includitur in d. superiori, dummodo sit ejusdem speciei, ut diximus; sic Sanchez *de matrimonio libr. 8. dispens. 24. numer. 17.* Bonac. *de leg. dispens. 1. quæst. 2. punct. 5. num. 15.* Barbosa *in Votis Canon. lib. 2. voto 8. numer. 22. & 23.* Filiuccius *tom. 1. tract. 10. part. 2. capit. 10. quæst. 17. numer. 327.* Sperell. *decis. 112. numer. 16.* & nos diximus *capit. 4.*

121 Ob eandem etiam rationem, si alicui concederetur facultas edendi carnem, censebitur etiam concessa facultas edendi lac, caseum, & ova; Sanchez *lib. 8. disp. 2. num. 39.* Joannes Valerus *loc. citat. numer. 2.* Merolla *num. 72. loc. citat.* Pirrhus Corrad. *d. cap. 5. num. 22.* Quia cum hæc sementinam originem à carnibus trahant, sublata principali prohibitione, censebitur etiam sublata accessoria. Unde tex-

122 tus *in capit. per Venerab. 13. Qui filii sint legitimi*, qui annuere videtur, ut si quando non reperiatur casus ad dispensationem expressus, debeamus ad consimiles confugere, ita intelligi debet, ut procedat in causis minoribus annexis, vel inclusis in majoribus, non autem in separatis, ut bene animadvertit Pirrhus Corrad. *l. c. n. 24.*

123 Undecimò limitatur, itaut dispensatio stricte interpretari non debeat in casibus à Jure æquiparatis; v. g. Clericus dispensatur, ut possit fructus sui Beneficii in absentia percipere, ratione studii Theologiæ, valida erit dispensatio, si Jus Canonicum audiat; quia hæ scientiæ sunt in Jure æquiparatæ; sic Diana *part. 8. tract. 3. resol. 41. vers. limitanda*; Merolla *loc. citat. num. 68.* unde in his, quæ sunt Jure æquiparata, quod dicitur de uno, dicitur de alio; Lælius Altogradi *cons. 9. num. 52. l. 1.*

Duodecimò limitatur tandem ita, ut dispensatio sit late interpretanda, dum ipsa dispensatio inducitur non ab homine, sed ab ipso Canone, seu Lege, per ea, quæ diximus *numer. 95.* & docent Sanchez *loc. cit. num. 36.* Merolla *d. dub. 1. num. 68.* Diana *loc. cit.*

His itaque præmissis tanquam regulis generalibus pro quibuscumque dispensationibus, est quod nunc ad Matrimoniales calamum dirigamus, & primò ad praxim eas in Romana Curia impetrandi descendamus.

CAPUT III.

Praxis impetrandi Matrimoniales Dispensationes in Romana Curia.

SUMMARIUM.

1 *Pro omnibus Matrimonialibus Dispensationibus, quæ à Summo Pontifice conceduntur, porrigitur Supplicatio.*

2 *Supplicatio ipsa Latino sermone conficitur, qui, tanquam cæteris dignior ab omnibus Nationibus intelligitur.*

3 *Lingua Latina est propria, naturalis, & Romanorum materna.*

4 *Roma est Patria Communis.*

5 *Lingua Latina, uti, naturalis, & communis, attendi debet.*

6 *Confecta supplicatione, porrigitur D. Datario, & revidetur ab Officialibus deputatis, à quibus in Calce d. Supplicationis apponitur Summarium, illudque per D. Datarium legi solet, vel Summo Pontifici referri, qui ipsam Supplicationem signat, & postmodum revidetur ab Officiali super Compositionibus præposito, & solvitur ibi Compositio, si in casu, de quo agitur, solvenda sit.*

7 *Supplicatio revertitur ad D. Datarium, ut apponat Datam, post cujus appositionem, consignatur Officiali de Missis nuncupato, qui ab ea Parvam Datam, & Summarium aufert; & deindè supplicatio mittitur ad Registrum, & cum sit ibi Registrata, & ab ipsis Registri Magistris auscultata, mittitur in Cancellariam, ubi postea super concessa Gratia expediuntur literæ Apostolicæ.*

8 *Pro construendis, limitandis, & ad debitam formam reducendis Literis Apostolicis Summus Pontifex deputat in Cancellaria Apostolica DD. Abbreviatores majoris præsidentiæ.*

9 *Adsunt in Cancellaria Apostolica alii Officiales Deputati pro earumdem literarum revisione.*

10 *Per constitutionem Sixti IV. quæ incipit:* Divina, &c. *fuit institutum, seu potius innovatum Collegium DD. Abbreviatorum, & ordinatum, ut in Cancellaria sint (ultra alios Officiales) num. 72. Abbreviatores, & ex his duodecim præsidentes de Parco majori; Viginti duo de Parco minori; Reliqui vero examinantes in prima visione.*

11 *Aliquando Literæ expediuntur per Cameram, & viam secretam pro Cardinalibus, vel aliis Personis Qualificatis; & tunc non transeunt per manus Abbreviatorum, sed per manus summatoris.*

12 *Officium summatoris quale sit.*

13 *Pro Matrimonialibus unicus Officialis est Deputatus.*

14 *Matrimoniales dispensationes, aliæ expediuntur per Officium minoris Gratiæ, seu Datariam; aliæ per Secretariam Brevium; & aliæ per Officium S. Pœnitentiariæ.*

15 *In Dataria expediuntur omnes dispensationes, quæ petuntur in gradibus remotioribus, ut in quarto, seu tertio, & quarto.*

16 *Per Cancellariam expediuntur Literæ in Gradibus pro-*

propinquis, non tamen in propinquioribus, & sic ibi expediuntur dispensationes in tertio Gradu; ac secundo, & tertio.

17 In propinquioribus Gradibus, ut primo affinitatis, vel primo, ac secundo tam consanguinitatis, quam affinitatis, vel in secundo tantum, vel in primo, & tertio, seu in primo, ac quarto, expediuntur per præfecturam brevium, & sub Anulo piscatoris.

18 Quando impedimenta, super quibus petitur dispensatio, sunt occulta, potest pro ipsis occultis peti dispensatio à Sacra pœnitentiaria.

19 Si plura sint impedimenta, ex quibus aliqua sint Publica, & cætera Occulta potest pro Publicis peti dispensatio in Dataria, seu Cancellaria; & pro Occultis in Sacra Pœnitentiaria, ubi debent exprimi non solum ipsa Occulta, sed etiam Publica.

20 Quomodo eo casu sit exprimendum Sacræ Pœnitentiariæ.

21 Major pœnitentiarius in impedimentis occultis gerit Vices Pontificis.

22 Antiquo tempore, & usque ad annum quartum Pontificatus Pii V. pleræque dispensationes matrimoniales transibant per Officium S. Pœnitentiariæ sub nomine majoris pœnitentiarii; sed d. Pontifex transtulit hujusmodi Officium in Cancellariam Apostolicam, à quo tempore Officium minoris gratiæ fuit dictum.

23 Tenor dictæ constitutionis Pii V. proponitur.

24 Expedita supplicatione super dispensatione, conficiuntur literæ.

25 An ad valorem Gratiæ Literæ necessariæ sint, proponitur opinio negans.

26 In solo Verbo, seu Rescripto Papæ Gratia perficitur.

27 In lingua Principis stat gratia, in scriptura testimonium, in exequutione commodum, & in literis exequibilitas.

28 Nulla verba sunt Jure præscripta ad dispensandum, sed sufficit sive verbo, sive facto deducatur animus in dispensante.

29 Gratia dicitur perfecta ex sola signatura.

30 Quando gratia obtinetur ad supplicationem partis, valida est, non expectatis literis de gratia fidem facientibus.

31 Refertur opinio affirmans gratiam non suffragari literis non expeditis.

32 Regulæ Cancellariæ Apostolicæ sunt universales leges, nec per quancumque generalem derogationem, quantumvis prægnantem, & amplam, censetur illis derogatum.

33 Literæ Apostolicæ sunt necessario extrahendæ, sine quibus gratia non suffragatur; quia DD. Abbreviatores, & alii Officiales, ad quos spectat literarum Apostolicarum expeditio, interpretantur, & limitant gratiam à Papa factam secundum regulas Cancellariæ, quas propterea Summus Pontifex ipsis Officialibus tradit.

34 Cancellaria Apostolica est Organum Mentis, & Vocis Papæ.

35 Quod facit Cancellaria, ipsemet Papa facere videtur.

36 Et dicitur factum in Consistorio Papæ.

37 Gratia ante confectionem literarum dicitur informis, & rudis.

38 Juribus Officialium Romanæ Curiæ Papa numquam intendit præjudicare.

39 Omnis gratia concessa videtur sub quadam tacita conditione, nempe si literæ expediantur.

40 Antequam literæ conficiantur, gratia æquiparatur homini adhuc clauso in utero Matris, qui licet in his, quæ ejus favorem concernunt, inter humanas res reputetur, ad alios tamen effectus non prodest.

41 Statim ac literæ expediuntur, gratia à puncto concessionis suffragatur, etiamsi, mortuo interim Papa, qui eam concessit, literæ à successore expediantur in forma Rationi congruit.

42 Conciliantur dictæ Opiniones.

43 Gratia sumit quidem principium suum ex Rescripto, sed perfectionem, atque ipsum Ens habet in literis.

44 Si provisus à Papa de Beneficio ante literarum expeditionem possessionem capiat, non facit fructus suos, & tanquam intrusus tenetur in conscientia illos restituere, quamvis etiam nemo se opposuerit.

45 Collatio Beneficii non potest probari testibus, quia literæ necessariæ sunt.

46 Gratia Papæ non potest probari testibus.

47 Si Papa dispenset, ut Oratores possint, non obstante impedimento dirimenti, inter Matrimonium contrahere, Gratia valebit; sed non suffragabitur eis, itaut, si velint Matrimonium contrahere, necessaria sit literarum expeditio.

48 Dispensatio, sive facta sit in forma commissaria, sive gratiosa, sive etiam in foro conscientiæ, non suffragabitur non expeditis literis.

49 In Gratiæ concessione tacita conditio inest, si literæ expediantur.

50 Quicquid fuerit tempore antiquo, pro conscientiæ foro, circa expeditionem literarum, cum tamen à tempore Pii V. fuerit declaratum, quod Dispensatio non suffragetur, nisi literis expeditis, & fuerint addita verba In Judicio, nec extra, non videtur, quod absque literarum expeditione, etiam pro foro conscientiæ, sint tuti Dispensationem Impetrantes.

51 Ad impetrandam Dispensationem nomine alterius non requiritur scientia, vel mandatum ejus, pro quo impetratur.

52 Non refert à quo sit impetratum privilegium, dummodo à Principe concessum.

53 Ad hoc, ut Dispensatio prosit illi, cui impetrata est, oportet, ut acceptetur ab eo.

54 Gratia Dispensationis collata censetur, quatenus Dispensatus velit ea uti.

55 Nemo præsumitur jactare suum.

56 Dispensatio præsumitur impetrata pro eo, qui expensas expeditionis sustinuit.

57 Ad hoc ut Dispensatus possit licite, & valide contra Legem Generalem operari, necessaria est notitia factæ Dispensationis, alias non proderit in usu, & exercitio ejus.

58 Amplia, ut dicta Doctrina vera sit, etiam eo casu, pro existente inter Conjuges impedimento dirimente, quod utrumque Conjugem afficeret, ab altero Conjugum, absque alterius scientia, impetrata fuisset Dispensatio.

59 Si impedimentum, super quo impetrata fuit Dispensatio, non afficeret utrumque Conjugem, Dispensatio illi soli suffragatur, qui est impeditus.

60 Notitia obtentæ Dispensationis est adeo necessaria ad effectum, ut possit Dispensatus ea uti, ut si ante ipsius Dispensationis notitiam Matrimonium ab impeditis contraheretur, nullum esset, & irritum, quamvis vere impetrata fuisset Dispensatio.

61 Non est præsumendum, quod Superior velit Subditum à legis obligatione eximere, nisi quando tuta conscientia, & absque peccato possit contra illam agere.

62 Ante notitiam Dispensationis lex saltem in Subditi conscientia suam vim obligandi obtinet.

63 Si Impediti obtenta Dispensatione, sed ante illius notitiam se carnaliter cognoscerent, esset perinde, ac si absque Dispensatione se carnaliter cognoscerent.

64 Quomodò succurri possit Oratoribus, si literæ Commissionis Delegato factæ, antequam exequutæ sint, deperdantur.

65 Formula literarum, quæ in forma, Vidimus per D. Auditorem Cameræ fiunt, pro Matrimonialibus Dispensationibus.

66 Dictæ Literæ cum parva expensa expediuntur, cum Oratores jam solverint Taxas, & Impensas.

67 Quid si literæ fuissent jam Exequutori præsentatæ, & in processu informativo registratæ, & postea deperditæ.

68 *Taxæ, quæ in Cancellaria Apostolica pro Matrimonialibus Dispensationibus solvuntur, sunt duplicis generis; aliæ vocantur Taxæ, & aliæ Regalia, & quomodo, ac quibus solvantur.*

69 *Expensæ, quæ erogantur Officialibus Cancellariæ, quamvis ob aliquem defectum corrigendæ, seu reficiendæ sint, literæ non restituuntur, nec compensantur in nova literarum expeditione.*

70 *A quibus supportari debeant expensæ pro Dispensationibus Matrimonialibus.*

71 *Quid si quis, post obtentam communi consensu Dispensationem, injuste renuat Matrimonium contrahere.*

72 *Quid si juste renuat, sed sine alterius culpa.*

73 *Quid, si quis ob alterius culpam, & justam sibi datam resiliendi causam, renuat.*

74 *Si Sponsa fornicata esset ante Matrimonii promissionem, & deinde post obtentam Dispensationem, alter, fornicatione detecta, resilire vellet, non videtur illam debere integras expensas sufferre.*

75 *Sponsus, quamvis post Sponsalia contracta fornicaretur, non videtur præbere Sponsæ justam causam resiliendi, cum nullam honoris jacturam faciat, si huic nubat.*

76 *Quid si post Matrimonii promissionem, culpa unius ex Sponsis induceretur impedimentum.*

77 *Si Sponsus, post defloratam Sponsam Religionem ingrederetur, ad integras Dispensationis expensas teneretur.*

CErtus est, omnibusque Curialibus notus stylus Romanæ Curiæ, quo factum est, ut pro om-
1 nibus Matrimonialibus Dispensationibus, quæ à Summo Pontifice conceduntur, porrigatur Supplicatio, quæ propterea à peritis viris, illam solita methodo conficere scientibus, fit, & in ea narratur paucis factum, prout se verè habet, & supplicatur pro Gratia, & Dispensatione, quæ desideratur, Supplica-
2 tio ipsa Latino sermone conficitur, qui tanquam cæteris dignior, ab omnibus intelligitur; cum lin-
3 gua Latina sit propria, Naturalis, & Romanorum materna, teste Mandosio *ad Regul. Cancellariæ Regula* 20. *de Idiomate quæst.* 10. *numer.* 4. & à Latio
4 dicta; Unde Virgilius in princip. Æneidos canit *Genus unde Latinum*; Et cum Roma sit Patria Communis *l. Roma ff. de Municip.* Omnes aliæ linguæ sunt accidentales, & extraneæ; hæc namque uti
5 Naturalis, & Communis attendi debet, *ut per textus in l. Si quis posthumos*; & de ea plura in proposito congerit Gomesius *super dict. Regul. de Idiom.*
6 *quæst.* 1. *numer.* 21. Confecta Supplicatione modo, quo supra, porrigitur D. Datario, & revidetur ab Officialibus Deputatis, à quibus in Calce dictæ supplicationis apponitur Summarium contentorum in ea, illudque per D. Datarium legi solet, vel Summo Pontifici referri, qui ipsam Supplicationem signat, & postmodum revidetur ab Officiali super compositionibus Præposito: & si materia, de qua agitur, compositionem exigat, ibi solvitur, & de-
7 nuo Supplicatio revertitur ad D. Datarium, ut apponat Datam; post cujus appositionem consignatur Officiali de Missis nuncupato, qui ab ea parvam Datam, & Summarium aufert, & deinde supplicatio mittitur ad Registrum; & cum sit ibi registrata, & ab ipsius Registri Magistris auscultata, mittitur in Cancellariam, ubi postea super concessa Gratia expe-
8 diuntur Literæ Apostolicæ, pro quibus construendis, limitandis, & ad debitam formam reducendis Summus Pontifex deputavit in Cancellaria Apostolica DD. Abbreviatores Majoris Præsidentiæ, qui, secundum ipsius Cancellariæ Regulas ab ipso Pontifice editas, seu confirmatas, expediunt, vel denegant Literas, & aliquando etiam eas limitant, vel ampliant, prout juxta tenorem dictarum Literarum mentem Summi Pontificis interpretantur.

9 Adsunt insuper in Cancellaria Apostolica alii Officiales, pro earundem Literarum revisione deputati, unde cum dictæ Literæ per manus plurium Personarum transeant, summa cum maturitate digeruntur,
10 & per constitutionem Sixti IV. quæ incipit *Divina*, sub Datum Romæ apud S. Petrum A. I. D. 1478. Tertio Idus Januarii, Pontificatus sui Anno Nono, fuit institutum, seu potius innovatum Collegium DD. Abbreviatorum, & ordinatum, ut in Cancellaria Apostolica præter alios Officiales esse debeant n. 72. Abbreviatores, & ex his duodecim Præsidentes de Parco majori, viginti duo de Parco minori, reliqui verò examinantes Literas in prima visione; Omnes tamen Abbreviatores nuncupentur, & unum ac idem Collegium insimul constituant.

Aliquando etiam Literæ expediuntur per Cameram, 11
& per Viam secretam pro Cardinalibus, vel aliis Personis qualificatis, & benemeritis, & tunc non transeunt per manus Abbreviatorum, sed per manus Summatoris, cujus Officium est recipere, videre, summa- 12
re, & referre Literas, quæ per Cameram Apostolicam pro tempore expediuntur.

Quamvis autem pro Literis Apostolicis plures Of- 13
ficiales deputati sint, ut diximus, pro Matrimonia- 14
libus tamen Unicus Officialis est Deputatus; Ipsæ vero Matrimoniales Dispensationes aliæ expediuntur per Officium minoris Gratiæ, seu Datariam; Aliæ per Cancellariam; Aliæ per Secretariam Brevium; Aliæ demum per Officium, seu prætorium Sacræ Pœnitentiariæ. Primo loco expediuntur om- 15
nes Dispensationes, quæ petuntur in Gradibus remotioribus, ut in Quarto, seu Tertio, & Quarto, tam si ab uno communi, quam si ex pluribus, & multiplicatis stipitibus procedant impedimenta. Per Cancellariam expediuntur Literæ in Gradibus propin- 16
quis, non tamen in propinquioribus, & sic ibi expediuntur Dispensationes in Tertio Gradu, ac Secundo, & Tertio, tam ex uno Communi, quam ex pluribus, & diversis Stipitibus, quamvis cum ipsis propinquis Gradibus alii remotiores conjuncti sint; At 17
pro propinquioribus Gradibus, ut Primo Affinitatis, vel primo, ac secundo tam consanguinitatis, quam affinitatis; vel in secundo tantum, vel in primo, & tertio, seu in primo, ac quarto, sive ab uno Communi, sive à pluribus stipitibus procedant, expediuntur per præfecturam Brevium, & sub Anulo piscatoris: Ita se habet Notorius stylus Curiæ, de quo testatur Pyrrhus Corradus *in praxi disp. Apost. lib. 7. capit. 4. num. 6.*

Quando Impedimenta, super quibus Dispensatio 18
petitur, sunt occulta, potest pro ipsis occultis peti dispensatio à Sacra Pœnitentiaria, quæ solet dispensationem committere Confessario, pro foro conscientiæ tantum, cum clausulis, & modificationibus, prout secundum Casuum contingentiam, & diversitatem stylus ipsius pœnitentiariæ exigit, & nos toto cap. 9. dicemus.

Quod si plura Impedimenta concurrant, ex qui- 19
bus aliqua occulta, & reliqua publica sint, tunc pro publicis peti debebit Dispensatio pro utroque foro in Dataria, vel Cancellaria, seu Secretaria, prout proximitas Graduum major, vel minor requiret, secundum ea, quæ supra numer. 14. adnotata fuerunt; pro Occultis verò poterit seorsum peti Dispensatio à d. Sacra pœnitentiaria pro foro con- 20
scientiæ; exponendo ibi, quod ultra Impedimenta occulta, quæ in dict. Prætorio exponuntur, extant alia publica (narrando præcise quot, & quæ sint) super quibus Pontifex vel jam dispensavit, vel proximè dispensaturus est, ad hoc ut major pœni- 21
tentiarius, qui in his, quæ ad ejus Officium pertinent, vicem gerit Summi Pontificis, Gabriel *cons.* 83. *numer.* 73. *tomo primo*, & ab eo pro occultis tantum Impedimentis est deputatus, sciat quot, & quæ sint Impedimenta, super quibus Oratores egent Dispensatione; Hæ verò Dispensationes, quæ à dicto Tribunali emanant, fiunt Gratis, nec pro eis aliqua Taxa, seu Compositio solvitur, ut dicimus *d. cap.* 9.

Quid autem faciendum sit, si post concessam ab ipsa Sacra pœnitentiaria Dispensationem Impedimenta, quæ tunc occulta erant, tractu temporis publicentur, dicemus infra, ubi etiam de qualitatibus, quæ in Confessario, ad dictas Dispensationes faciendas deputato, concurrere debent, & de modo,

qui-

quibus in illis exequendis se gerere debeat, latè agemus.

22 At cum de Sacra Pœnitentiaria mentionem fecerimus, sciendum est, quod antiquo tempore, & usque ad Annum quartum Pontificatus S. Mem. Pii Papæ V. pleræque dispensationes Matrimoniales transibant per Officium Sacræ Pœnitentiariæ, sub nomine Majoris Pœnitentiarii, sed d. Pontifex transtulit hujusmodi Officium in Cancellariam Apostolicam, & illius Officiales; unde à d. tempore non Officium S. Pœnitentiariæ, sed minoris Gratiæ fuit dictum, ut ex Constitutione *propterea* specialiter edita sub darum Romæ apud S. Petrum A. I. D. 1569. quartodecimo Cal. Junii, Pontificatus sui Anno quarto; Quæ constitutio cum contineat, & præscribat modum, & formam in impetratione Matrimonialium dispensationum, & expeditione Literarum super eisdem servandam, operæ pretium duximus, ac valde opportunum hic totum illius tenorem subnectere; ex cujus lectione unusquisque scrire poterit totam fere praxim impetrationum hujusmodi dispensationum; & est infrascripti Tenoris.

PIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei; Ad Perpetuam rei Memoriam.

23 *IN earum rerum commutatione, quam magnis suadentibus causis facere compellimur, hoc quoque à nobis sedulo curandum est, ut ille Ministrorum numerus, qui novo Ordine compositio, uno in loco usui esse desiit, in alium magis convenientem commodis rationibus elocetur.*

Cum igitur in Generali Reformatione Officii nostri Pœnitentiariæ, & quam nuper edidimus, inter talia multa duo Officia correctorum, itemque functiones, & exercitia omnium, & singulorum Scriptorum, qui viginti septem, & Procuratorum Literarum d. Pœnitentiariæ, qui viginti quatuor sunt, in prædicto Pœnitentiariæ Officio de Apostolicæ Potestatis plenitudine extinxerimus, & aboleverimus, ac eorundem Scriptorum, & Procuratorum, qui tunc Literarum Pœnitentiariæ erant, rationem aliorsum habituri, eos omnes ab ipso Pœnitentiariæ Officio subduxerimus, quemadmodum Literis nostris desuper confectis plenius continetur.

Nos dictis Officiis Scriptorum, & Procuratorum, eorumque Collegiis novum statum inducere, & quantum in nobis est, singulorum ea obtinentium indemnitati consulere volentes; De simili Potestatis plenitudine, omnia, & singula Officia, & loca Scriptorum, & Procuratorum prædictorum, ipsorumque personas, & Collegia (novo Nomine, & Titulo utriusque indito, & libera concessione, & omnimoda alia dispositione octo officiorum hujusmodi procuratorum majori pœnitentiario) eodem, quo antea, Jure perpetuo remanentes ad Cancellariam Apostolicam transferimus, & cum ea perpetuo conjungimus; itaut quondam Scriptores Literarum pœnitentiariæ, de hinc Scriptores Literarum Apostolicarum minoris gratiæ; alii vero Procuratores Literarum earundem appellentur, & inscribantur.

Quibus concedimus, & assignamus Mensam, seu Bancum utrisque commune in eadem Cancellaria post milites SS. Petri, & Pauli, aut alio ibi loco à Dilecto Filio nostro S. R. E. Vice Cancellario constituendo, ad quem Literæ omnes, hoc de hinc Officio Literarum Minoris gratiæ expediendæ in primis deferantur.

Statuentes ut materiæ, quæ in d. pœnitentiarii Officio proximis ante dictam reformationem temporibus communiter habebantur, & ex ordinatione nostra in summam redactæ sunt, deinceps per nostram, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, deputatorumve signaturam fiant. Harum omnium libellos supplices, & item Literarum super eis conficiendarum schedulas, seu minutas soli Procuratores ad d. Cancellariæ stylum conscribant; conscriptas minutas Abbreviatores Literarum Apostolicarum de majori præsidentia in primis examinent, & corrigant; Correctas soli Scriptores hujusmodi Literarum minoris gratiæ describant; ut inde Literæ ipsæ ad Cancellariam prædictam, & defensores, aliosque Præsidentes in banco prædicto deferantur, ibique secundum regulam ad Ritum d. Officii pœnitentiariæ moderandam taxentur; Mox ab abbreviatoribus prædictis instar aliarum in eadem Cancellaria recognitæ, & ad Supplicationem collatæ, ad Bullariam mittantur, subjectoque plumbo protinus à Sigillatore dicti Officii pœnitentiariæ capiantur, qui taxa ad præscriptum nostrum recepta, eas per descriptores ad id assumendo, juxta nostras super hoc Ordinationes regestari, & regestatas ad exemplum, ut in aliis moris est, conferre; denique singulis Literis prædictis omnem impensam per Verbum, Exposuit, uti Literis officii pœnitentiariæ prædictæ moris erat, subscribere, idque etiam in Regesto prædicto adnotare procuret;

Percipiendorum autem à quoquam fructuum, & emolumentorum suorum ea ratio esse debeat, ut finito mense in primis salaria eorum omnium, qui ad mensam prædictam defensores, & alio munere Scriptoribus, & Procuratoribus Literarum minoris Gratiæ hujusmodi constituantur, & solvantur. Demum Procuratores, & Scriptores suam quisque portionem viritim per sua Collegia, ut antea, distribuendam capiant; Regens vero d. Cancellariæ, & Abbreviatores prædicti pro laboribus, illud idem de singulis expeditionibus, quod olim prædicti duo Correctores, & stipendium, & emolumentum libere, & licite percipiant; Cætera item Salaria, & emolumenta in plumbo, & utroque Regesto videlicet Supplicationum, & Literarum prædictarum, & alibi necessaria, juxta Ordinationes nostras prædictas, capiantur; De Taxa vero à d. Sigillatore capienda, stipendia Regentis, Datarii, Correctoris, Theologi Doctoris, Procuratorum, Scriptorum, Sigillatoris, cæterorumque Ministrorum officii pœnitentiariæ; Item impensæ omnes etiam pro charta, atramento, cera, capsula, cordulis, & alia quomodocumque ad expeditionem Literarum d. pœnitentiariæ necessaria, quam gratis ubique fieri, & concedi jam præcepimus, ante omnia desumantur, & singulis persolvantur; Quod vero, his omnibus omnino deductis, & persolutis, reliquum erit, majoris pœnitentiarii prædicti esse debeat.

Ad hæc quoque prædictus Sigillator curam habeat prædictas Supplicationes è manu Datarii recipiendi, & per alios ad id ordinandos describendi, in Regestum ab altero distinctum referendi, & utrumque fideliter custodiendi. Cæterum nullæ omnino Supplicationes super hujusmodi materiis signandæ inter Abbreviatores prædictos distribuantur, neque cuipiam relinquantur, neque super iis sumpta, aliave exempla ex Regestis describantur, etiam postquam Literæ Apostolicæ super illis expeditæ, & partibus eas prosequentibus redditæ fuerint, sed Supplicationes ipsæ apud Regestum prædictum sub Cura d. Sigillatoris, qui pariter ipsi Regesto præfectus sit, fideliter custodiantur. Præcipimus igitur, atque interdicimus Abbreviatoribus, Scriptoribus, Procuratoribus, cæterisque dictis tam conjunctim, quam divisim, ne quid vel minimum, etiam sponte oblatum à partibus sibi pro expeditionis maturatione, sive alio extraordinario labore capiant, aut à famulis, aliisve personis capere permittant, sed suis quisque Taxis, & stipendiis, uti constituta sunt, contenti esse debeant; Quicumque secus fecerint, præter illas Censuras, & pœnas, quæ in talia perpetrantes impositæ sunt, suorum Officiorum privationem incurrant, & ad futura inhabiles, ac etiam infames censeantur, uti nos illis privatos, & infames declaramus eo ipso; & nihilominus mandamus prædicto Vice Cancellario, & Abbreviatoribus, necnon Rescribendario, & Scriptoribus Apostolicis, cæterisque, ad quos pertinet, tam conjunctim, quam divisim, ut Scriptores, & Procuratores prædictos, eorumque singulos, sic cum universo Corpore prædicto conjunctos fraterna charitate prosequantur, & ad hujusmodi Officia, ipsorumque liberum exercitium, necnon honores, onera, & emolumenta omnia recipiant, & admittant, ac faciant prædicta omnia, & singula probabiliter observari; non permittentes quemquam contra præsentium tenorem quomodolibet impediri; Rursus

ſus ejuſdem Scriptoribus, & Procuratoribus ſic cooptatis, & adſcriptis, ut prædicto Vice Cancellario, tanquam Capiti, aliorum d. Cameræ Collegiorum inſtar, obediant, & obſequantur. Non obſtantibus de certo Scriptorum Literarum Apoſtolicarum numero, & aliis eorum, ad d. Cancellariæ ſtatutis, Stylo, Inſtitutione, Conſuetudinibus, Stabilimentis, & Reformationibus quantocumque tempore obſervatis, ac etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam noſtræ Translationis, conjunctionis, ſtatuti, præcepti, interdicti, declarationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſo temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum A. I. D. 1569. Quartodecimo Calendas Junii, Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Cæſar Glorierius.
H. Cumin.

24 Expedita igitur Supplicatione ſuper Diſpenſatione, ut moris eſt, conficiuntur Literæ Apoſtolicæ, juxta ipſius Diſpenſationis qualitatem; quarum tenor infra erit regiſtratus, ubi de præcipuis ipſarum Clauſulis agemus.

25 Hæ autem Literæ an neceſſariæ ſint ad valorem Gratiæ, variæ ſunt opiniones. Prima eſt communior tam Canoniſtarum, quam Theologorum, & Summiſtarum docentium, non requiri ad valorem Gratiæ Scripturam, imo in foro Conſcientiæ poſſe Delegatum Gratia uti, etiam non expeditis Literis; ſed tantum ipſas Literas requiri ad probationem Gratiæ pro foro externo; Sic Navarrus *lib. 4. conſil. titulo de privilegiis conſ. 6. in prim. edit.* Sylveſter *verbo privilegium q. 14.* Afflictus *dec. 253. num. 4.* Gomeſ. *regula de non vindicando juxta formam Supplicationis quæſt. 14.* Seraphinus *dec. 775. n. 2.* Pontius *de matr. l. 8. c. 15. num. 2.* Diana *part. 8. tract. 3. reſol. 84.* Filiuccius *quæſt. mor. tract. 10. c. 10. part. 2. num. 349.* Maſcard. *de probat. concl. 845. num. 14.* Reginald. *l. 31. c. 27. num. 211.* Merolla *diſp. 4. cap. 6. num. 554. tom. 2.* Lezana *QQ. Reg. tom. 3. verbo Gratia pro Regular. num. 13.* Tuſch. *concl. 475. num. 1. littera D. & concl. 52. num. 1. littera S.* & innumeris citatis hanc Doctrinam docet

26 Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 29 à num. 2.* quia in ſolo Verbo, ſeu Reſcripto Papæ Gratia perficitur, Clem. *Dudum §. Nos etenim de Sepult.* Rota *dec. 418. num. 3. part. prim. Diverſ.* Lotherius *de re benef. l. 3. quæſt. 1. num. 4. & num. 15.* Pariſ. *de reſignat. lib. 8. quæſt. 2. num. 8. & lib. 10. quæſt. 1. num. 3.* Cævallos *quæſt. comm. contra comm. quæſt. 779. num. 1.* Rota *dec. 628. num. 7. part. 3. rec.* Eſcobar. *Theol. mor. tract. 7. exam. 9. cap. 8. verſ. Ad valorem*, Imo Gonzales *ad Reg. 8. Cancell. Regula de menſib.* Gloſſa 12. *num. 47.* & Hector Capyc. Latr. *Dec. L. conſ. Neap. dec. 154.*

27 *num. 17* ajunt quod in Lingua Principis ſtat Gratia;
In Scriptura Teſtimonium; In Exequutione Commo-
28 dum; Et in Literis Exequibilitas. Imo nulla Verba ſunt ad diſpenſandum Jure præſcripta, ſed ſufficit ſive verbo, ſive facto deducatur animus in Diſpenſare potente, ut bene docet Sanchez *lib. 8. diſp. 4. numer. 1.* P. Leo *in S. pœnitentiariæ part. 2. rubr. Quid ſit diſp. verſ. Canonice pag. mihi 197.* Et ex ſola Signatura Gra-
29 tia dicitur perfecta; Pariſ. *de reſignat. lib. 8. quæſt. 7. num. 74.* Caputaquenſ. *dec. 88. num. 2. part. 3.* Rota *dec. 628. num. 6. & 7. d. part. 4. rec.* Rota in Noviſſimis *dec. 68. num. 12.* Rota coram Merlino *dec. 281. num. 12.* Tuſchus *concl. 52. num. 4. littera S.* Gamb.
30 *de poteſtate Legati lib. 10. num. 490.* Quando Gratia obtinetur ad ſupplicationem partis, validam eſſe, etiam non expectatis Literis de Gratia fidem facientibus, apertiſſime docet Rota *dec. 11. num. 1. lib. 3. & dec. 85. num. 1. lib. 2. part. 3. diverſ.* Ratio prædictæ opinionis negantis neceſſitatem Literarum ad Gratiæ valorem eſt; quia Gratia eſt quædam Donatio, hæc autem etiam abſque Inſtrumento Donationis eſt perfecta.

Altera Opinio affirmat Gratiam non ſuffragari Li- 31
teris non expeditis, & huic adhærent Gamb. *l. c. numer. 490.* Gomeſius *Reg. de non judicando quæſt. 1.* Pariſ. *de Reſig. benef. lib. 10. quæſt. prim. numer. 7.* Quæ opinio fundatur ſuper Regulis Cancellariæ Apoſtoli-
cæ, quæ ſunt univerſales Leges: Rota *dec. 666. nu-* 32
mer. 5. part. 1. rec. Lother. *de re benef. lib. 2. quæſt. 36. num. 12.* nec per quamcumque Generalem Derogationem, quantumvis prægnantem, & amplam, cenſetur illis derogatum, Gomeſ. *ad Regul. Cancell. q. 5. in proœmio*; Lother. *dict. l. 2. q. 39. num. 19.*

Regula namque vigeſima ſeptima ait, ut infra: *Item cum ante confectionem Literarum Gratia Apoſtolica ſit informis; Voluit, ſtatuit, & ordinavit idem D. N. quod Judices in Romana Curia, & extra eam pro tempore exiſtentes, etiamſi S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Cauſarum Palatii Auditores, vel quicumque alii, non juxta Supplicationum Signaturam ſuper quibuſvis Impetrationibus (niſi in dicta Curia dumtaxat ſint Commiſſiones Juſtitiam concernentes per placet, vel per S. Romanæ Eccleſiæ Vice Cancellarium juxta facultatem ſuper hoc ſibi conceſſam ſignatæ) ſed juxta Literarum ſuper ejuſdem Impetrationibus, & Conceſſionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant; Decernentes irritum, &c.*

Regula inſuper trigeſima prima decernitur. *Quod omnes, & ſingulæ commiſſiones cauſarum, quas in antea fieri contigerit, obtentæ, vel occaſione conceſſionum dumtaxat Apoſtolicarum de Beneficiis Eccleſiaſticis Gratiarum, ſuper quibus Literæ Apoſtolicæ confectæ non fuerint, ac proceſſus deſuper habendi nullius ſint roboris, vel momenti.*

Regula tandem quinquageſima ſecunda diſponit, uti infra: *Item cum conceſſiones ſuper Gratiis Diſpenſationum quarumcumque, quibuſvis per ipſum D. N. conceſſarum, vel concedendarum, per Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, ſint provide limitatæ, licet aliquando in petitionibus ſuper hujuſmodi conceſſionibus oblatis multa ſint petita, ne quis talium Conceſſionum prætextu id Diſpenſative tenere, aut facere præſumat (ad quod conceſſiones hujuſmodi ſe non extendant, Voluit idem D. N. quod nulla talis Diſpenſatio cuiquam in Judicio, vel extra ſuffragetur, antequam ſuper ea Literæ Apoſtolicæ ſint confectæ.* Et ſic iſta ultima regula rationem ſatis aperte affert, ob quam prohibet gratiam ſine Literis ſuffragari, quam etiam referunt Gomeſ. *ad Reg. de non judicando juxta formam Supplicationis quæſt. 1. n. 2.* & Pirrhus Corrad. *in praxi diſp. Apoſt. lib. 1. cap. 1.*
num. 3. nempe quia DD. Abbreviatores, & alii Offi- 33
ciales, ad quos ſpectat Literarum Apoſtolicarum expeditio, interpretantur & limitant Gratiam à Papa factam ſecundum Cancellariæ regulas, quas propterea Summus Pontifex ipſis Officialibus tradit, quæ Can- 34
cellaria eſt organum mentis, & vocis Papæ; Rota *dec. 387. numer. 6. part. 3. rec.* Mandoſius *regula 34. quæſt. 45. num. 2.* Pariſ. *de reſig. lib. 3. quæſt. 6. num. 3. & lib. 9. quæſt. 26. n. 4.* Garcia *de benef. part. 4. cap. 2. num. 18.* Julianus Vivianus *de Jure Patronatus lib. 13. cap. 2. num. 17.* & Pirrhus Corrad. *in d. praxi lib. 2. cap. 3. num. 21.* Et quod facit Cancellaria, ipſemet 35
Papa facere videtur; Gomeſius *reg. de trienn. poſſeſſ. quæſt. 7. verſ. præterea*; Reſponſa Marantæ *reſp. 39. num. 61. part. 1.* cum dicatur factum in Conſiſtorio 36
Papæ: Pariſ. *de reſig. benef. lib. 9. quæſt. 26. numer. 5.* unde ejuſdem Cameræ ſtylus prævalet diſpoſitioni Juris communis, Gonz. *ad Reg. 8. Cancellariæ*, Gloſſ. *6. num. 210.* Garzia *de benef. part. 1. cap. 5. numer. 87.* 37
Unde ante confectionem Literarum gratia dicitur informis, & rudis; Rota *dec. 273. num. 3. lib. 3. part. 3. diverſ.* Pariſ. *de reſig. lib. 10. quæſt. 1. num. 8.* cum egeat expolitione circa Clauſulas, & earum extenſionem per dictos Officiales, qui, ut ajunt Bellam. *dec. 110. n. 6. & num. 7.* Mandoſ. *ad Reg. de non judicando quæſt. 3. nu. 4.* & Gomeſ. *l. c.* poſſunt ſoli eam in mundum reducere, & expolire, ac etiam poſſunt Literas denegare.

Aliam rationem reddit Pariſ. *de reſignat. benef. lib. 8. quæſt. 2. numer. 15.* ob quam neceſſariæ ſint Literæ, nempe ut Officiales Romanæ Curiæ, qui bona fide officia acquirunt, non fraudentur eorum juribus,

& emo-

38 & emolumentis, quibus nunquam intendit Papa præjudicare, ut testantur idem Paris. *lib.* 10. *quæst. prim. numer.* 15. & Pirrhus Corradus *in Praxi dispensat. Apost. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 15. & omnis Gratia concedi videtur sub quadam tacita conditione; nempè si Literæ expediantur; Gomes. *d. reg. de non judicand. quæst.* 1. ferè in principio; Mascard. *de probat. concluſ.* 1303. *numer.* 2. *tom.* 3. Cævallos, & alii infra citandi.

40 Et quidem, antequam Literæ conficiantur, gratia æquiparatur homini adhuc clauso in utero Matris, qui licet in his, quæ ejus favorem concernunt, inter humanas res reputetur, ad alios tamen effectus non prodest *l. qui in utero de statu homi.* Sic gratia à Principe facta, dum ex rescripto, seu signatura deducitur ad illam perfectionem, quam recipit ex Literis, duci videtur ex quodam tenebroso utero ad lucem hujus Mundi; Gomes. *l. cit. quæst.* 1. Lotherius *libr.* 3. *quæst.* 2. *n.* 19. At statim ac expediuntur Literæ, gratia à puncto Concessionis suffragatur; etiamsi mortuo interim Papa, qui eam concessit, Literæ à successore expediantur in forma, *Rationi congruit*; Gomes. *reg. de non judicand. quæst.* 6. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 29. *num.* 9. Diana *part.* 8. *tractat.* 3. *resol.* 44. *vers. Respondeo secundò*; Filliuccius *part.* 2. *tract.* 10. *capit.* 10. *num.* 349. Mascard. *de probat. concluſ.* 1182. *num.* 2. *tom.* 3.

42 Unde prima Opinio vera erit quoad solam partem, quod gratia facta valida sit nec perdatur, quamvis non conficiantur Literæ, sed tamen ejus effectus, & usus suspendatur, & retardetur, donec ipsæ Literæ conficiantur, firma tamen manente ipsa Gratia; Mantica *dec.* 3. *nu.* 1. *de rescript.* Pirrhus Corrad. *d. cap.* 6. *nu.* 10. & secunda opinio vera erit in illa parte, qua dictum fuit gratiam non suffragari absque Literis; Quamvis enim (ut diximus) Gratia in voluntate Papæ perficiatur, ad ipsius tamen Gratiæ extrinsecum usum, & exequutionem Literæ requiruntur, Caputaquens. *dec.* 45. *art.* 2. *num.* 2. *par.* 3. Lotherius *de re benef. lib.* 3. *quæst.* 2. *n.* 12. quia respectu ipsius usus, & exequibilitatis non potest dici perfecta, nisi ea perfectione, qua se habet Potentia ad Actum, quæ dicitur ens æquivoce, veluti habitus quidam dumtaxat, & principium possibile; propterea hic usus extrinsecus, atque exequibilitas sumit quidem initium, 43 & principium suum ex rescripto, sed perfectionem, atque ipsum ens habet in Literis, ut optimè Lotherius *loc. cit. num.* 11. Et sic videmus, quod si provisus à Papa de beneficio ante Literarum expeditionem capiat Possessionem, non facit fructus suos, & tanquam intrusus tenetur in conscientia illos restituere, quamvis etiam nemo se opposuerit, Lotherius *d. lib.* 3. *quæst.* 2. *numer.* 6. Imo docet Cævall. *qq. Comm. contra communes quæst.* 779. *numer.* 23. collationem beneficii non posse probari testibus, eo quia Literæ necessariæ sint, & in materia cujusvis gratiæ Pontificis idem docent Mascard. *de probat. concluſ.* 491. *n.* 5. *conclu.* 524. *num.* 2. *&* *conclu.* 1270. *num.* 6. Caputaquens. *dec.* 61. *num.* 2. *part.* 2. Didacus Ludovicus de Lima in addit. ad Molina *de privileg. lib.* 2. *capit.* 8. *num.* 8. Hector. Capyc. Latro *dec.* 1. *conſ. Neap. dec.* 154. *num.* 36. Donatus Antonius de Marinis *resol. quotid. capit.* 124. *num.* 25. *libr.* 1. Vivus *dec.* 240. *num.* 6. Rota coram Durano *dec.* 208. *num.* 12. Petrus de Ledesma *in summa capit.* 27. *concluſ.* 3. *vers. dico primo*; Manuel Rodriquez *in Summa tom.* 1. *cap.* 235. *num.* 8. *in fine*; Joannes Valerus *diff. utr. fori v. g. diff.* 1. *n.* 1.

47 Ex dictis Infertur, quod si Papa dispenset, ut Oratores possint inter se Matrimonium contrahere, non obstante impedimento dirimente inter illos existente, gratia facta valebit quidem, cum d. Regula 52. non dicat dispensationem, non expeditis Literis, non valere, ut bene hoc idem ponderat Sanchez *dicta disput.* 29. *in fine*, sed non suffragabitur eis; &, si velint Matrimonium contrahere, necessaria erit Literarum expeditio: alias dispensatio, sive sit in forma commissaria, sive gratiosa, etiam in foro conscientiæ non suffragabitur; Et ita acerrime, & egregie defendunt idem Lotherius *d. lib.* 3. *quæst.* 2. *à numer.* 59. omnino videndus, & Cævall. *dict. quæst.* 779. *num.* 20. ubi refert sic fuisse pluries à Rota decisum; quia in Gratiæ concessione inest tacita conditio, si Literæ expediantur, idem Cævallos *numer.* 15. *l. citat.* Paris. *de resignat. lib.* 8. *quæst.* 2. *numer.* 17. *& lib.* 10. *quæst.* 1. *num.* 10. Mascard. *de probat. concluſ.* 1303. *num.* 2. Rodriquez *in summa cap.* 236. *num.* 8. *in fine*, Paulus Comitolus *resp. mor. lib.* 1. *de Sacrament. quæst.* 105. & tandem id satis bene confirmat Garc. *de benef. part.* 4. *capit.* 2. *num.* 31. ubi animadverterim, quod quicquid fuerit pro conscientiæ foro tempore antiquo, cum tamen à tempore Pii V. fuerit in d. regula declaratum, quod dispensatio non suffragetur nisi Literis expeditis, & fuerint addita verba, *in judicio nec extra*, non videtur quod absque Literarum expeditione, etiam in foro conscientiæ possint esse tuti dispensationem Impetrantes: excipe tamen nisi in rescripto Pontificis adesset clausula, ut sola supplicatio sufficeret, quia tunc aliæ Literæ non requirerentur; Tusch. *dict. concluſio* 52. *numer.* 7. *littera G.*

Porro id est singulare, quod ad impetrandam dispensationem nomine alterius, non requiritur scientia, vel mandatum ejus, pro quo impetratur; Nec hujusmodi mandatum, vel scientia sunt de essentia ad valorem dispensationis; Rota *inter dec. impressas post secundum volum. consil. Farinacii dec.* 34. *n.* 6. Ita Sanchez *lib.* 8. *disp.* 26. *n.* 4. *&* *n.* 5. Bonacc. *de leg. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 1. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *par.* 2. *capit.* 10. *numer.* 341. Diana *par.* 8. *tract.* 3. *resol.* 87. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 4. *numer.* 16. *tom.* 3. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 3. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell.* Glossa 63. *numer.* 16. Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Di. Piet. lib.* 3. *capit.* 113. *num.* 141. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 29. *numer.* 364. Lotherius *de re benef. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 32. & Pirrhus Corrad. *in Praxi disp. Apost. lib.* 7. *cap.* 5. *nu.* 101. Et colligitur *ex capit. Si motu proprio* 23. *de Præbend. in* 6. *&* *cap. nonnulli* 28. §. *sunt & alii*, *de rescript.* Quæ jura, licet loquantur in individuo de Literis ad beneficia, tamen sunt ita intelligenda etiam quoad alias gratias, Privilegia, & dispensationes, per ea, quæ docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 26. *n.* 4. & Trullenck *l. c.* & *facit l. Universi* 6. *C. de Precib. Imperatori offerendis*, ubi decernitur, non referre à quo impetratum sit Privilegium, dummodo à Principe concessum sit. Ad hoc tamen, ut dispensatio, & Gratia prosit illi, cui impetrata fuit, necesse est, ut acceptetur ab eo, ut docent Doctores supra citati, & nos dicemus infra. Quia gratia dispensationis collata censetur, quatenus dispensatus ea uti velit; Rota coram Pænia *dec.* 447. *numer.* 14. & cum expeditio Literarum non fiat, nisi cum impensa considerabili, ut notum est, & nemo præsumatur jactare suum; Mascard. *de probat. conclu.* 1150. *nu.* 6. Rota *dec.* 134. *numer.* 1. *part.* 4. *recentior.* Rota in novissimis *dec.* 93. *num.* 74. coram Coccino, Rota coram Buratto *dec.* 85. *num.* 8. Rota inter impressas per Ludovic. Cenc. *post tract. de Censib. dec.* 161. *num.* 11. Caputaquens. *dec.* 143. *numer.* 4. *par.* 1. Ludovicus Postius *resol.* 136. *numer.* 42. ideo præsumitur dispensationem fuisse impetratam pro eo, qui hujusmodi expeditionis expensas sustinuit, Rota coram Buratto *dec.* 203. *num.* 10. *in annotation.* Rot. *decisio* 425. *numer.* 2. *part.* 1. *recent.* Thomas Pelliccionus *QQ. Illustr. quæst.* 31. *pag. mihi* 241. *col. pr. in medio*. Dixi necesse esse, ut dispensatio acceptetur, ad hoc ut possit dispensatus ea uti, quia cum per dispensationem concedatur Personæ privatæ, ut contra communem Legem operari possit; ad hoc ut sciat se posse licite, & valide contra legem generalem operari, necessaria est notitia facta dispensationis, alias non proderit in usu, & exercitio ejus; Rebuff. *in Praxi benef. titulo de dispensat. numer.* 12. Sanchez, & Diana *ll. cc.* & alii communiter.

Ampliatur prædicta Doctrina, itaut vera sit, & procedat etiam eo casu, quo existente inter conjuges impedimento dirimente, quod utrumque conjugem afficeret, ab altero eorum, absque alterius scientia,

impetrata fuiſſet Diſpenſatio; Navarrus *lib. 4. conſil. titul. de ſponſ. conſ. 14. num. 2. in prim. edit.* Gutierez *de matrim. cap. 81. num. 12.* Sanchez *l. c. num. 6.* Stephanus à S. Gregorio *l. c.* Franc. Merolla *d. dub. 29.*
59 *num. 475.* At ſi Impedimentum, ſuper quo impetrata fuiſſet Diſpenſatio, non afficeret utrumque Conjugem, v. g. ſi eſſet Votum Caſtitatis, ſeu Religionis, vel quid ſimile, tunc illi tantum, qui vovit, vel alio ſimili impedimento eſt impeditus, Diſpenſatio ſuffragatur; quia tunc non trahitur per neceſſariam conſequentiam ad alterum, qui impedimento non afficitur; Sanchez *n. 7.* & Diana *ll. cc.*

60 Eſt autem ita neceſſaria notitia obtentæ Diſpenſationis ad effectum, ut poſſit Diſpenſatus ea uti, ut ſi ante ipſius Diſpenſationis notitiam Matrimonium ab impeditis contraheretur, nullum, & irritum eſſet, quamvis vere fuiſſet impetrata Diſpenſatio, quia Diſpenſatio per ſe eſt relaxatio à Lege adhuc vigente, & obligante, unde ad hoc ut licite effectum ſuum operari valeat, debet eſſe ipſi impedito nota:
61 Non enim eſt præſumendum, ut Superior velit Subditum à Legis obligatione eximere, niſi quando tuta conſcientia, & abſque peccato poſſit contra illam agere: Subditus itaque non poteſt tuta conſcientia, & abſque peccato contra illam agère, niſi poſt notitiam Diſpenſationis factæ, cum ante hujuſmodi
62 notitiam, Lex, ſaltem in Subditi conſcientia, ſuam vim obligandi obtineat; Nec præſumi debet, Pontificem velle ſuam Diſpenſationem contra Legem valere, antequam Diſpenſationis notitia devenerit ad diſpenſatum; Gutierez *de matr. c. 81. num. 12.* Diana *part. 8. tr. 3. reſol. 88.* & faciunt dicta per Sanchez *l. 5. diſp. 8. num. 26.* ubi aperte docet, quod ſi impediti obtenta Diſpenſatione, ſed ante illius notitiam, ſe carnaliter cognoſcunt, eſt perindè ac ſi ſine Diſpenſatione copulam inter ſe habuiſſent.
63

Et quoniam diximus eſſe neceſſariam expeditionem Literarum ad hoc, ut Diſpenſatione quis uti poſſit,
64 eſt quod nunc breviter dicamus, quomodo ſuccurri poſſit Oratoribus, ſi Literæ commiſſionis Delegato factæ, antequàm exequutæ ſint, deperdantur, & amittantur. Et quidem remedia, quæ adhiberi ſolent in Romana Curia, ſi perdantur ſupplicationes, & Bullæ, ante, vel poſt earum Regeſtum, recenſet Pirrhus Corrad. *in praxi diſp. apoſt. lib. 7. cap. 7. nu. 89.* Quæ hic non adnotavi, cum ut plurimum inſerviant pro ſtylo, & uſu Officialium ipſius Romanæ Curiæ; At loquendo de illis Literis, quæ jam fuerunt plumbatæ, & in totum expeditæ, & fortaſſe etiam ad ipſos Oratores tranſmiſſæ, ſed nondum Exequutori præſentatæ, ſi hæ deperditæ ſint, utilius remedium Oratores habebunt, ſi à D. Auditore Cameræ Apoſtolicæ Literæ fiant, quæ in forma *Vidimus*, appellantur; Pro quibus conficiendis debet in primis extrahi ex Regiſtro Bullarum ſumptum primarum Literarum deperditarum, quod clauſum, & ſigillatum conſignatur Oratori, ſeu alteri pro eo, & deinde præſentatur d. D. Auditori, ſeu alicui ex ejus Notariis, qui ſumptum ipſum aperit, & juxta illius tenorem expedit quaſdam Literas, quæ de ſtylo Curiæ in forma *Vidimus* appellantur, & in eis inſeritur per extenſum, & ad verbum tenor Literarum deperditarum; & ſi quas Clauſulas cæteratas in illis Notarius reperiat, eas juxta ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ extendit, ita ut nihil prorſus deſit ſolitæ formæ Literarum lectura videri poteſt, quarum tenor hic ſubjicitur.

65 *In Nomine Sanctiſs. & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Amen. Noverint univerſi, & ſinguli hoc præſens publicum Tranſumptum inſpecturi, quod Nos Odoardus Vecchiarellius Protonotarius Apoſtolicus, utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi D. Noſtri Papæ Referendarius, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor: Inſpeximus Literas Apoſtolicas ſub Plumbo, ut moris eſt, expeditas, ac omni ſuſpitione carentes; quarum quidem Literarum tenor talis eſt, ut infra, videlicet.*

ALEXANDER EPISCOPUS
Servus Servorum Dei, &c.

Et hic apponitur per extenſum tenor Literarum Pontificis ad Diſpenſandum conceſſarum, &c.

Quibus quidem Literis diligenter inſpectis ad requiſitionem N. & N. per infraſcriptum Curiæ noſtræ Notarium ipſas exemplari mandavimus, & tranſumi, ac in publicam formam redigi; Decernentes, & volentes, ut huic noſtro præſenti Publico Tranſumpto, ſive Exemplo plena fides deinceps adhibeatur ubilibet, omnibus in locis, ubi fuerit opportunum; Ipſumque Tranſumptum fidem faciat, illique ſtetur, ac ſi Originales ipſæ Literæ apparerent; Quibus omnibus, & ſingulis Auctoritatem Noſtram Ordinariam interponimus, & Decretum.

Datum Romæ ex Aedibus noſtris, &c. Anno &c. Indictione, &c. Die vero, &c.

Pontificatus, &c. Anno Primo.

N. Notarius.

L. Locumtenens.

Loco Sigilli A. C. †

Quæ Novæ Literæ ſic in d. forma expeditæ, eo 66
quia jam per omnes ſoluta fuerit pro hujuſmodi Diſpenſatione debita Taxa, & debitæ expenſæ fuerint ſupportatæ, expediuntur cum modica expenſa, & ad partes tranſmittuntur, & Ordinario præſentatæ, ſunt fide dignæ, & Authenticæ, eandemque merentur exequutionem perinde, ac ipſæ Originales, & Apoſtolicæ Literæ, & ſic multoties in Curia Epiſcopali Lucana ſervari vidi, dum Literæ Diſpenſationis deperditæ, vel interceptæ fuerint; Idque eſt remedium ſatis utile, & facile, quia cum modica, & fere nulla impenſa ſuccurritur Oratoribus in tali caſu.

Quod ſi Literæ fuiſſent jam Exequutori præſenta- 67
tatæ, & in Proceſſu informativo regiſtratæ, ſi poſtea caſu aliquo deperdantur, poſſunt probari per teſtes, deponentes ſuper illarum tenore, & amiſſione, ut docent Franciſcus Merolla *tom. 3. diſp. 7. capit. 4. dub. 27. numer. 262.* Joannes Valerus *diff. utr. fori* verbo gratia *diff. 1. numer. 1.* Didacus Ludomer de Lima *in addit. ad Molina de Primog. lib. 2. capit. 8. numer. 8.* Pariſ. *de reſignat. benef. lib. 8. quæſt. 2. num. 26.*

Quoad expenſas, quæ pro impetratione Diſpenſa- 68
tionis fiunt in Romana Curia, ſciendum eſt, Taxas, quæ propterea in Cancellaria Apoſtolica ſolvuntur, eſſe duplicis generis; Aliæ congeruntur in communi menſa cujuslibet Collegii, & in fine menſis ſingulis de Collegio diſtribuuntur, & hæ proprie appellantur Taxæ, eo quod rata expenſarum ad unumquodque Collegium ſpectans taxatur; Aliæ autem debentur ipſis Officialibus tantum, & appellantur Regalia, & ſolvuntur illis pro actuali ſui officii exercitio, & aſſiſtentia in Cancellaria; Videlicet Reſcribendario, ſeu Computatori, aut Defenſoribus Collegii, ideſt Scriptorum Apoſtolicorum: & hæ expenſæ, quæ his ero- 69
gantur, quamvis ob aliquem errorem corrigendæ, ſeu reficiendæ ſint Literæ, non ſolent reſtitui, nec bonæ fieri in nova Literarum expeditione; ſed ſolum eo caſu bonæ fiunt Taxæ primo loco, ut ſupra declaratæ.

Cæterum à quibus ſupportandæ ſint expenſæ pro 70
Diſpenſationum matrimonialium impetratione neceſſariæ, communis Doctorum ſententia eſt, quod ſi inter contrahere volentes nulla interceſſit pactio ſuper ipſis expenſis, tunc communibus utriuſque Sponſi expenſis ſit impetranda Diſpenſatio; quia cum uterque ſentiat Diſpenſationis commodum, par eſt, ut ſentiat uterque incommodum, & cum iſti promiſerint ſibi ipſis ad invicem Matrimonium contrahere, nec poſſint abſque Diſpenſatione id facere, includitur in ea promiſſione tacita conditio petendi conſequenter Diſpenſationem ſuper impedimento dirimente inter eos exiſtente, ſine qua inter ſe contrahere non poſſent; Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 36. numer. 1.*

mer. 1. Gutierez *de matrim. cap.* 128. *numer.* 25. Bonacina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 11. *propos.* 2. *num.* 3. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *capit.* 10. *num.* 364. Pirrhus Corradus *in praxi disp. apost. lib.* 7. *cap.* 5. *numer.* 106. Si tamen colligeretur alterum ex Oratoribus aliunde teneri ad integras expensas persolvendas, v. g. quando vigore Legati, aut successionis in majoratu, tenetur Matrimonium contrahere cum Consanguinea, tunc quia iste commodo Legati, seu Majoratus frui vult; debet etiam incommoda ferre, quæ ad illius consequutionem inducunt; Sanchez *de matrim. lib.* 5. *disp.* 5. *num.* 21. Bonacina *loc. cit.*

Si quis insuper peteret Dispensationem ad contrahendum cum Consanguinea inscia fututi Matrimonii, nondum facta conventione Matrimonii ineundi, tenebitur de suo ad expensas; quia præsumitur expensas libere feciſſe de suo, & suo Juri cessisse in obsequium suæ voluntatis; Bonacina *l. c.* Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 36. *num.* 3. ubi tamen declarat id intelligi, si tempore, quo de Matrimonio conventum fuit, alter norit ab alio fuisse impetratam Dispensationem, quia tunc cum nihil de expensis pepigerit, & jam sit impetrata Dispensatio potest, beneficio ipsius Dispensationis, nullo onere expensarum collato, frui; At è converso, quamvis tempore promissi Matrimonii Dispensatio jam obtenta sit, si eam alter Sponsus ignoret, & tamen Matrimonium promittat, quod non potest ob impedimentum dirimens absque Dispensatione consistere, tenebitur ad suam partem expensarum, ad quam, hujusmodi Matrimonium promittendo, se tacite obligavit; quia si impedimentum dirimens fuit illi notum, præsumitur etiam sciviſſe Dispensationem ipsam necessariam fore ad contrahendum, & sine ea non posse Matrimonium iniri.

71 Si post obtentam communi consensu Dispensationem, quis injuste renuat Matrimonium contrahere, ad integras Dispensationis expensas tenebitur; cum non sit æquum, ut alter damnum patiatur ob injustam ejus actionem: Bonacina *n.* 6. loco citato; Si

72 vero juste, sed sine alterius culpa, ut si ob supervenientem notabilem deformitatem in altero Sponso, vel ob ingressum Religionis resiliat, tuncis, qui juste renuit, ad solam expensarum medietatem tenetur; Sanchez *d. lib.* 5. *disp.* 5. *num.* 33. Bonacina *l. c.* Filiuccius *num.* 365. *l. c.* Excipe tamen, nisi is dolose Matrimonium contraxisset, animo etiam juste resiliendi, vel Religionem ingrediendi; quia quamvis ingrediendi Religionem jus haberet, non tamen habebat jus alterum decipiendi, & expensis gravandi; Sanchez *lib.* 8. *dict. disp.* 36. *numer.* 5. Filiuccius *loc. cit.*

73 At si quis, ob alterius culpam, & justam sibi datam resiliendi causam, renuat, ad nullas teneretur dispensationis expensas; sed eæ omnes supportari debent ab alio, qui causam sufficientem dedit, ut alter juste resilire posset, v. g. si fœmina post contracta sponsalia, & post dispensationem obtentam, fornicaretur; Sanchez *num.* 34. & Bonacina *n.* 8. *ll. cc.*

74 Dixi si post contracta sponsalia fornicaretur, quia si ante Matrimonii promissionem fornicata fuisset, & deinde post obtentam Dispensationem, alter fornicatione detecta resilire vellet, non videtur illam debere integras expensas sufferre, quia vere post promissum Matrimonium nullam injustam exercuit actionem, ac Sponso injuriosam; Sanchez *l. c.* Bonacina

75 *n.* 10. *l. c.* Addit Sanchez ubi supra secus esse dicendum de Sponso, qui etiam post sponsalia contracta fornicaretur, quia ob id non videtur justam resiliendi causam Sponsæ præbere, cum nullam jacturam honoris faciat, si illi nubat; sequitur Filiuccius *loc. cit. num.* 366.

76 Quod si post Matrimonii promissionem, culpa unius ex Sponsis induceretur impedimentum dirimens, ut si Sponsus cognoviſſet matrem, vel sororem, seu filiam Sponsæ, tunc ille, cujus culpa inductum fuit hujusmodi impedimentum, tenebitur ad integras Dispensationis expensas; cum æquum non sit, ut ipsius culpa Conjux innocens damnum patiatur, habet enim Jus, ne Matrimonium cum suo damno inire cogatur; Sanchez *lib. prim. disp.* 56. *num.* 4. Bonacina *l. c. num.* 11. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 291.

Si verò Sponsus, post defloratam Sponsam, Reli- 77
gionem ingrederetur, ad integras Dispensationis expensas teneretur, quia hujusmodi ingressus culpæ tribuendus est; quod si culpa careat, tenetur tantum ad suam partem; At si fuit injuriosa defloratio, nempe vi, aut precibus importunis violentiæ æquipollentibus extorta, tenebitur eo casu ad integras expensas, quia tunc non debet Religionem ingredi; secus erit, si, nulla data fide Matrimonii, Virgo consentiens defloratа sit; Filiuccius *d. tract.* 10. *cap.* 10. *num. ultim.* vide Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 44. & *lib.* 8. *disp. ultim. à num.* 8. ubi hanc materiam optime agit.

CAPUT IV.

De His, quæ exprimi debent Pontifici, ne Dispensatio reddatur subreptitia.

SUMMARIUM.

1 *Subreptio, & Obreptio inter se differunt.*
2 *Subreptio quid sit.*
3 *Obreptio quid?*
4 *Illa sola taciturnitas vitiat, quam Jura jubent exprimi, vel de quibus est in Jure cautum, quod illis expressis Papa non concederet.*
5 *Voluntas Principis talis esse præsumitur, qualis est intentio Juris.*
6 *Papa præsumitur velle dispositioni Juris se semper conformare, nisi aliud expresse decernat.*
7 *Jura pro forma exigunt expressionem qualitatum à Jure requisitarum.*
8 *Forma non servata corruit actus.*
9 *Quamvis per simplicitatem, vel ignorantiam omissa sit.*
10 *Si taceatur aliqua qualitas, quam Jura non jubent exprimi, quæ si expressa fuisset, Papa difficilius concessisset, non vitiaretur dispensatio.*
11 *Quoties agitur de invaliditate gratiæ ob taciturnitatem, debet regulariter intelligi juxta veriorem opinionem, ut vitiet taciturnitas eorum, de quibus est in Jure cautum, quod illis expressis Princeps non concessisset.*
12 *Si essent exprimenda omnia, quæ retraherent, seu retardarent Principem à concessione, etiamsi Jure, vel stylo non caveatur esse exprimenda, nec de Jure præsent impedimentum, nulla fere dispensatio esset tuta, & certa.*
13 *Valet Dispensatio, tacita veritate, propter quam Papa maxima, vel majori difficultate concessisset, nisi Jus exigat, ut dicta qualitas tacita exprimatur.*
14 *Si aliqua qualitas de Jure communi exprimenda taceretur; quamvis ignoranter, & absque dolo fieret, gratia vitiaretur, nec juvaret quod nihilominus Princeps, dicta qualitate expressa, concessisset.*
15 *Ignorantia Juris communis non præsumitur, nec potest allegari.*
16 *Qui veritatem in casibus Jure expressis reticet, præsumitur in dolo.*
17 *Sublata Juris necessitate, cessat doli præsumptio.*
18 *Non solum irritatur gratia ob taciturnitatem qualitatum, quæ jure exprimi debent, sed irritatur etiam ex taciturnitate eorum, quæ stylus Curiæ exigit.*
19 *Stylus Curiæ facit Jus, & pro lege servandus.*
20 *Item irritatur gratia, tacita qualitate, cujus expressionem consuetudo Principis exigit.*
21 *An expressio falsi tam in causa finali, quam in impulsiva vitiet.*
22 *Proponitur opinio affirmans.*
23 *Literæ Pontificis habent in se tacitam conditionem* Si preces veritate nitantur.

24 *Dicta conditio quamvis expressa non fuisset, tamen subintelligitur.*
25 *Quod verum asseritur, quamvis absque dolo subreptio sequuta sit.*
26 *Falsitas, quæ Pontificem non reddidisset difficiliorem ad concedendum ex causa à Jure approbata, non vitiat.*
27 *Et eo magis si causa falso allegata, si vere expressa fuisset, facilliorem Pontificem reddidisset ad concedendum.*
28 *Verior tamen opinio est, solius Causæ finalis falsa expressione vitiari gratiam.*
29 *Quæ sit causa finalis, quæ impulsiva, & quid, si concurrant plures causæ finales, seu plures impulsivæ.*
30 *Qualitates, quæ taceri possunt, sunt in duplici differentia, nempe extrinsecæ, & intrinsecæ.*
31 *Extrinsecæ, tanquam non pertinentes ad dispensationem, si omittantur, non vitiant, ut in exemplis, quæ subjiciuntur.*
32 *Qualitates intrinsecæ sunt, quæ de Jure, seu stylo, vel consuetudine Principi exprimi debent.*
33 *Qualitates intrinsecæ, si omittantur, vitiant.*
34 *Actus nullus censetur non actus.*
35 *Limita, si gratia sit divisibilis, falsæ causæ expressio, ob ignorantiam facta, vitiat illam solam partem, in qua subreptio commissa fuit.*
36 *At si obreptio sequuta fuerit dolose, & fraudolenter culpa petentis Dispensationem, vitiatur in totum.*
37 *Falsus precator nullum commodum reportare debet.*
38 *Quando obreptio dolo admittitur, vitiat gratiam.*
39 *Dispositio Capituli* Si eo tempore *quod loquitur de solis Justitiæ literis, ex communi Doctorum doctrina, & ex consuetudine extenditur ad alia quæcumque gratiarum Rescripta.*
40 *Quamvis taciturnitas veri non vitiet Rescriptum à Principe* Motu proprio *concessum, nihilominus quando causa finalis falso exprimitur, qua non expressa non concederetur dispensatio, quamvis dispensatio cum d. clausula* Motu proprio *concessa sit, nihilominus gratia erit nulla, & irrita.*
41 *Clausula* Motu proprio *non firmat gratiam contra Concedentis intentionem.*
42 *Quid si obreptio, vel subreptio committerentur culpa Sollicitatoris.*
43 *Sollicitantes, & Officiales Romanæ Curiæ, qui in expeditione dispensationum matrimonialium committunt obreptionem, vel subreptionem, subjiciuntur pœnis contentis* in Motu proprio *Pii Quinti.*
44 *Quid si ob incuriam Scriptoris fuerit error in Literis circa expressionem speciei Impedimenti.*
45 *Non attenditur ad simplicitatem Oratorum, sed ad mentem Pontificis.*
46 *Error, quantumcumque culpa carens, non efficit ut Rescriptum extendatur ad casum, qui sub ejus verbis non comprehenditur, quamvis, si petitum fuisset, Papa non denegasset.*
47 *Differentia inter expressionem, quæ fit per modum demonstrationis, & aliam, quæ fit per modum taxationis.*
48 *Error in qualitate adjecta per modum demonstrationis non vitiat.*
49 *Error in qualitate adjecta per modum taxationis vitiat.*
50 *Quando verba censeantur apposita causa taxationis.*
51 *Quando apposita censeantur causa demonstrationis.*
52 *Hæc tamen Doctrina quoad dispensationes matrimoniales adaptari non potest.*
53 *Quando aliquid adjicitur, tanquam qualitas rei, vel requiritur demonstratio ad certitudinem, & valorem actus, censeri potest factum causa demonstrationis, & non taxationis, & consequenter pro validitate actus præsumendum.*
54 *Error Nominis non vitiat, quando constat de corpore, cui concessa est gratia.*
55 *Sic non vitiat error Pronominis.*
56 *Limita si dispensatio petatur* in forma pauperum, *quia posset hoc casu dari locus fraudi.*
57 *Quomodo fiat correctio Nominis in Romana Curia.*
58 *Cautela, qua utuntur Curiales Romanæ Curiæ, in petenda Dispensatione, si ignorent Pronomina Oratorum.*
59 *Dicta tamen Cautela non habet locum, si dispensatio petatur* In forma pauperum.
60 *Quid si erretur in expressione loci, seu locorum originis Oratorum.*
61 *Non potest delegatus mentem Pontificis aliter interpretari, quam contineatur expressa in mandato.*
62 *Mandatum Pontificis est stricti Juris, & strictissime interpretandum.*
63 *Non est in potestate Delegati protrahere verba Rescripti ad casus similes, vel minores, sed debet pure, & simpliciter id tantum exequi, quod habet in mandatis.*
64 *Si Oratores, qui petunt dispensationem ob causam angustiæ loci, sint ex diversis locis, debet utriusque loci expressio fieri, & coram delegato eorum angustia verificari.*
65 *Attenditur locus Originis, & non Domicilii Oratorum.*
66 *Expressio locorum Oratorum non est necessaria, quando dispensatio petitur ob aliam causam, quam* ob angustiam loci, *& tunc sufficit expressio eorum Diœcesum.*
67 *Expressio Diœcesis Oratorum necessaria est, non solum in impetrationibus dispensationum Matrimonialium, sed etiam aliarum gratiarum.*
68 *Intellige quod exprimenda sit Diœcesis Originis, & non Domicilii, quia Papa intendit dispensationem committere Ordinario Oratricis juxta dispositionem Concilii.*
69 *Si in espressione Diœcesis Originis erratum esset, probabilius est vitiari dispensationem.*
70 *Mandatum Pontificis ita debet interpretari, ut non trahatur ultra intentionem ipsius Mandantis.*
71 *Laudantur plures Vicarii Generales Lucani.*
72 *Item alii jam preteriti.*
73 *Expressio qualitatum Oratorum quibus casibus facienda sit.*
74 *Quid si post impetratam, & factam dispensationem super aliquo impedimento dirimenti, detegeretur aliud impedimentum dirimens.*
75 *Quomodo rescribi soleat per Pontificem in d. casu.*
76 *Quid si in Supplicatione fuissent expressa plura impedimenta, at coram Delegato non reperirentur omnia adesse.*
77 *Si post Matrimonium contractum, & consummatum aliquod impedimentum detegatur, super quo petenda sit dispensatio, exprimi debet de necessitate, an pro Matrimonio contracto Denuntiationes rite præcesserint, vel saltem de Ordinarii licentia remissæ, alias dispensatio nulla erit.*
78 *Si plura impedimenta extent inter contrahere volentes, ea omnia sunt Pontifici exprimenda.*
79 *Sublato uno impedimento remanet aliud.*
80 *Dispen atio facta super uno impedimento, non protrahitur ad aliud.*
81 *Papa nunquam censetur voluisse sanare defectus, & amovere Impedimenta, quæ ignorat*
82 *Tot sunt necessariæ dispensationes, quot sunt obstacula, & Impedimenta.*
83 *Dispensatio Pontificis ea sola Impedimenta comprehendit, quæ fuerunt ibi expressa.*
84 *Impedimenta ita sunt Pontifici exprimenda, ut quod certum est, non ponatur sub dubio; alias dispensatio nulla erit.*
85 *An omnia Impedimenta debeant simul in eadem Supplicatione exponi.*
86 *Proponitur sententia negans.*
87 *Verior sententia est, ea omnia simul, & in eadem Supplicatione exprimenda esse, maxime in dispensationibus Matrimonialibus.*
88 *Duo, vel plura Vincula fortius ligant, quam unum; maxime si ad unum eundemque finem tendant, & unum augeat aliud.*
89 *Papa difficilius dispensat cum habente plura Impedimenta, quam cum habente unum.*
90 *Si Papa non intelligat quantitatem gratiæ, quam facit, non potest eam velle, & consequenter ea ta-*

ea taciturnitate, & ignorantia gratia vitiatur.

91 *Prædicta doctrina adeo est vera, ut si aliter factum fuisset, & Dispensatio fuisset obtenta super aliquo Impedimento seorsum, opus esset in Supplicatione facienda pro Dispensatione impetranda super aliis remanentibus Impedimentis, exprimere etiam aliud Dispensatum, & obtinere Literas in forma,* Perinde valere.

92 *Ignorantia Oratorum non prodest ad hoc, ut Dispensatio, quæ nulla est, validetur, sed solum ad illos excusandos à culpa.*

93 *Limita nisi Impedimenta essent diversæ rationis, ut v. gr. si cum Impedimento dirimenti concurreret Votum Castitatis, vel Religionis.*

94 *An debeat prius obtineri Dispensatio super Voto, vel sufficiat si impetretur post Dispensationem obtentam super dirimenti.*

95 *Refertur sententia affirmans posse tam ante, quam post.*

96 *Verior opinio, quod debeat prius impetrari super Voto, & deinde super dirimenti.*

97 *Intellige de Voto Castitatis, reservato Papæ, quod non possit à parentibus irritari.*

98 *Si dictum Votum esset dispensabile per Episcopum, sufficeret prius impetrari ab eo, & deinde à Pontifice dispensari super dirimenti.*

99 *Si Dispensatione egens esset etiam ligatus sponsalibus de futuro cum alia fœmina, quid agendum.*

100 *Dispensatio super dictis Sponsalibus difficillime à Papa conceditur, quia agitur de præjudicio Tertii.*

101 *Quid si post impetratas à Pontifice Literas dispensationis, Delegato commissæ, sed nondum exequutæ, superveniret affinitas.*

102 *Quid si hujusmodi affinitas superveniret post factam Dispensationem, nondum tamen exequutam.*

103 *Dicta Conclusio, quam nu. 87. diximus, limitatur etiam eo casu, quo ex Impedimentis dirimentibus, super quibus petenda esset Dispensatio, aliqua essent occulta, & alia publica.*

104 *In Prætorio S. Pœnitentiariæ non exprimuntur nomina Oratorum.*

105 *Dum in Prætorio S. Pœnitentiariæ petitur dispensatio super occultis, & à Pontifice super publicis Impedimentis, necesse est, ut in d. Prætorio non solum explicentur ipsa occulta, sed etiam aliq publica.*

106 *Nec refert si prius à Summo Pontifice super publicis, vel à S. Pœnitentiaria super occultis petatur Dispensatio.*

107 *Cautela, qua uti potest, qui impetrare vult à Pontifice Dispensationem super aliquo Crimine, quod vere commisit, sed defectu probationum fuit absolutus, vel aliqua arbitraria pœna punitus, ne suum Crimen prodat.*

108 *Si quis occidisset Uxorem, non tamen animo ducendi Concubinam, & de hoc crimen fuisset in foro Judiciario inquisitus, & aliqua pœna extraordinaria punitus, si postea velit ducere Concubinam, quomodo se gerere possit, ne se prodat.*

109 *Qua circumspectione, & cautela se gerere debeant Oratores, qui cum Impedimento dirimenti, ab eis crasse ignorato, Matrimonium contraxerunt, ne in Dispensatione petenda se prodant.*

110 *Inhabilitas Oratorum, si quæ adsit, exprimi debet Pontifici in Dispensatione petenda super Impedimento dirimenti; alias Dispensatio erit subreptitia, & nulla.*

111 *Quamvis etiam* Motu proprio *Dispensatio facta esset.*

112 *Papa, dum Dispensationem concedit, non intendit approbare id, quod male, & nulliter à contrahentibus factum est, nec aliud Impedimentum non expressum amovere; unde sublato Impedimento proposito remanent alia.*

113 *Si Dispensatio aliquo modo cedat in præjudicium Tertii, id exprimi debet in Supplicatione porrecta pro Impetratione Dispensationis; alias dispensatio erit subreptitia, & nulla.*

114 *Si vidua petat dispensationem ad contrahendum, an debeat de Viduitate mentionem facere.*

115 *Singula Impedimenta in propria specie, & gradu, & cum necessariis circumstantiis debent exponi.*

116 *Pro Impedimento Consanguinitatis debet exprimi gradus præcisus, quo Oratores sunt conjuncti.*

117 *An ex uno communi, seu potius ex diversis stipitibus proveniat Consanguinitas.*

118 *Quo propinquior est gradus, & quo majora sunt Impedimenta, eo difficilior redditur dispensatio*

119 *Item exprimi debet, an distantia graduum sit in linea recta, vel transversali.*

120 *Probabile est Matrimonium in linea recta prohiberi in infinitum.*

121 *Si Oratores sint in linea inæquali infra secundum gradum, & fœmina sit propinquior stipiti, debet exprimi.*

122 *Si Oratores distent gradu inæquali infra Quartum gradum, de stylo Curiæ debet uterque gradus in Supplicatione exponi, ad hoc ut super remotiori fiat Dispensatio, & super propinquiori concedantur Literæ Declaratoriæ.*

123 *Literæ Declaratoriæ, quamvis antiquo tempore non fuissent necessariæ, hodie tamen, consuetudine legitime introducta, sunt adeo necessariæ, ut illis non obtentis, non possit Matrimonium contrahi.*

124 *Licet super solo remotiori gradu dispensetur, nihilominus, quia alterum Collateralem esse propinquiorem stipiti, efficit Dispensationem difficiliorem in eo gradu; propterea id totum erit exprimendum.*

125 *Quando propinquior gradus esset primus, exprimi debet, eo magis attenta dispositione Bullæ Specialis Pii V.*

126 *Dispensatio non præsumitur in insolitis concedi, etiam spatio 40. annorum, quamvis in aliis, quæ sunt solita concedi, spatio triginta annorum præsumatur.*

127 *Quando Oratores sunt in Primo, & Secundo gradibus, tunc quia unusquisque gradus constituit ex se Impedimentum, non dispensatur super remotiori tantum, sed super ambobus; nec declaratur casu distantiam Secundi non obstare.*

128 *Quando Oratores sunt juncti infra Secundum gradum, debet insuper exprimi provenientia consanguinitatis.*

129 *Dicta expressio necessaria etiam est si Oratores conjuncti sint Primo, vel Primo & Secundo ex actu fornicario.*

130 *Alii tamen probabilius docent in Impedimento hujusmodi affinitatis non requiri dictam expressionem provenientiæ.*

131 *Si in expressione graduum consanguinitatis fieret error, quid agendum.*

132 *Eo ipso quod Papa dispensat super Gradu superiori virtualiter, & formaliter in illo continetur minor in eodem ordine, & eadem specie.*

133 *Quid si loco majoris gradus, qui vere extat, supponeretur minor, qui non extat.*

134 *Amplia ut d. casu dispensatio sit subreptitia, quamvis absque dolo impetrata fuerit.*

135 *Error, quantumcumque culpa carens, non efficit, ut Rescriptum extendatur ad casum, qui sub ejus verbis non comprehenditur; quamvis, si is petitus fuisset, Literæ similiter concessæ fuissent.*

136 *Quid si impedimentum fuisset expressum esse consanguinitatis, cum vere esset affinitatis, vel è contra.*

137 *Cum eadem compositione in paritate graduum dispensatio conceditur in affinitate, ac in consanguinitate.*

138 *Actus non operatur ultra intentionem agentis.*

139 *Consanguinitas, & Affinitas sunt Impedimenta dirimentia diversa; & dum Papa dispensat in consanguinitate, non dispensat in affinitate, vel è contra.*

140 *Prædictam doctrinam amplia, ut procedat, quamvis expressum fuisset Pontifici Impedimentum esse consanguinitatis, ex qua oritur fortius vinculum, quamvis esset affinitatis, eo quod*

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

141 *Consanguinitas, & Affinitas sunt Impedimenta diversa; ideò in facultatibus, quæ dantur à Pontifice Legatis, vel Nunciis ad Dispensandum super Impedimentis dirimentibus, semper dicitur, ut possint dispensare super Impedimentis consanguinitatis, vel affinitatis, quæ dictio,* Vel *stat alternative, ut mox dicam.*

142 *Dictio,* Vel, *stat Alternative: In Alternativis sufficit unam partem verificari.*

143 *Error non supplet intentionem concedentis; unde quamvis Oratores ex communi errore putarentur esse, v. gr. in Tertio affinitatis, cum vere essent in Tertio consanguinitatis, vel è contra, adhuc Dispensatio erit subreptitia.*

144 *Quando gratia emanat ad Supplicationem partis, Papa censetur se præcisè fundare super narratis.*

145 *Nunquam censetur Papa dispensare super Impedimentis non expressis.*

146 *Quando Impedimentum esset solius consanguinitatis, vel solius affinitatis; Solicitatores, si nesciunt speciem Impedimenti, solent in Supplicatione exponere Impedimentum esse vel consanguinitatis, vel affinitatis.*

147 *Si Impedimenta sint partim consanguinitatis, & partim affinitatis debent exprimi ambæ species, & præcisi uniuscujusque speciei gradus.*

148 *Pro Dispensatione impetranda super Impedimentis affinitatis, & publicæ honestatis, explicari debet Gradus.*

149 *An affinitas, vel honestas ex uno, vel pluribus stipitibus insurgant.*

150 *An affinitas sit in linea recta, vel Collaterali.*

151 *An ex Matrimonio rato, vel consummato, seu potius ex illicita copula insurgat.*

152 *An ex solis Sponsalibus, vel ex Matrimonio rato oriatur honestas.*

153 *Non est necesse in Dispensatione petenda super affinitate exprimere, quod fœmina sit propinquior stipiti, sed sufficiet simpliciter describere inæqualitatem graduum.*

154 *Quando affinitas consurgat ex copula illicita, & quando ex solis Sponsalibus oriatur honestas, sufficiet dicere in genere d. Impedimenta subesse; & quamvis diceretur illa orta fuisse ex Matrimonio, valeret Dispensatio.*

155 *E' converso, irrita erit Dispensatio, si affinitas, vel publica honestas ex Matrimonio insurgerent, & id non fuisset expressum, quia tunc duo Impedimenta sunt nempe affinitatis, & honestatis.*

156 *Si diceretur honestatem esse in Secundo, vel Tertio, seu Quarto Gradu, non esset opus exprimere, quod procedat ex Matrimonio rato, quia satis constat Impedimentum publicæ honestatis non aliunde quam ex Matrimonio rato consurgere.*

157 *Si honestas insurgeret ex Matrimonio rato, & Oratores essent in gradu inæquali, sufficeret exprimere remotiorem, attento Jure communi*

158 *Constitutio Pii Quinti, qua decernitur necessarias esse Literas Declaratorias super Gradu proximiori, loquitur tantum de consanguinitate, & affinitate.*

159 *Si quis, habens tantummodo Impedimentum publicæ honestatis cum aliqua, procedens ex Matrimonio rato, & non consummato cum Sorore fœminæ, quam ducere intendit, exponeret honestatem procedere ex Matrimonio consummato, valide dispensaretur.*

160 *Quid si affinitas procederet ex copula fornicaria, & adesset etiam Impedimentum publicæ honestatis.*

161 *Si affinitas procedat ex copula licita, sufficiet hoc narrare; quia in d. affinitate tacite comprehenditur publica honestas ex Matrimonio rato.*

162 *Nec opus erit exprimere quoties copula repetita fuerit cum eadem persona.*

163 *Limita si post Dispensationem obtentam ab contrahendum, sed nondum contracto Matrimonio, copula repetita fuit cum consanguinea, Primo, vel Secundo Gradu conjuncta cum fœmina, quam quis ducere intendit, quia tunc affinitas contrahitur, & alia opus erit Dispensatione.*

164 *Rescriptum Pontificis non extenditur ad casus postea exortos.*

165 *Si honestas sit in gradu inæquali, superfluum erit explicare, quod ex Matrimonio rato proveniat, quia honestas ex Sponsalibus proveniens non excedit primum Gradum.*

166 *Quoad errorem in expressione Nominis, Pronominis, Gradus, Loci, vel Diœcesis Oratorum; prout circa Compositiones, & Taxas pro Dispensatione solvendas, eædem Regulæ assignantur in affinitate, ac in consanguinitate.*

167 *Pro obtinenda Dispensatione super Impedimento cognationis Spiritualis debet explicari qualitas cognationis.*

168 *Super Paternitate Papa non solet Dispensare.*

169 *Insuper explicari debet, an Cognatio oriatur ex Baptismo, vel Confirmatione, vel ex ambobus.*

170 *Quid si quis plures filios alicujus de sacro fonte levasset, vel plures in Confirmatione tenuisset.*

171 *Spiritualis Cognatio multiplicatur, vel ex diversis Sacramentis, nempe Baptismo, & Confirmatione, vel quando Compatres alter alterius vicissim levant filios.*

172 *Quid si aliquis plures filios alicujus baptizasset.*

173 *Etiam in casu necessitatis, & in privato Baptismo domi celebrato, Baptizans Cognationem contrahit.*

174 *Circa Dispensationem obtinendam super Voto, vel Juramento, debet exprimi, si Votum, vel Juramentum fuerunt facta unum independenter ab alio.*

175 *Quid si Juramentum factum fuisset in confirmationem Voti.*

176 *Quid si quis teneretur Voto Castitatis, & Religionis.*

177 *Quid si habens Votum non nubendi, vel non fornicandi, exprimeret se habere Votum Castitatis.*

178 *Votum, vel Juramentum si soli Deo factum sit, vel in gratiam Tertii, debet exprimi.*

179 *Quid si ille, qui eget Dispensatione super Voto, peteret Dispensationem à Juramento, vel è contra.*

180 *Qui potest Dispensare in Votis, potest etiam in Juramentis soli Deo factis.*

181 *Quamvis millies fuissent repetita Vota, nulla nova obligatio esset inducta.*

182 *Limita, nisi repetita fuissent post Dispensationem jam factam.*

183 *Assignatur Regula pro explicandis Votis.*

184 *Quid si Vota sint diversa, & unum non includatur in alio?*

185 *Quid si unum includatur in alio? Vide plura exempla, quæ subjiciuntur.*

186 *Quoad Impedimentum Raptus, debet exprimi in Dispensatione petenda, an factus fuerit ad effectum Matrimonii contrahendi.*

187 *Item exprimi debet, si factus fuerit eo fine, ut faciliorem impetraret Dispensationem.*

188 *Pro Dispensatione obtinenda super commisso, seu machinato Crimine, quid sit exprimendum.*

189 *Quid si Dispensatio petatur super iterato Crimine.*

190 *Non præsumitur Pontificem velle idem genus Criminis pluries remittere.*

191 *Indignus est venia, qui clementia Principis ad consuetudinem peccandi abutitur.*

192 *Crimina repetita semper reddunt Pontificem difficiliorem ad dispensandum, & propterea dicta repetitio exprimi debet.*

193 *Semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali.*

194 *Solitus delinquere gravius peccat.*

195 *Intellige tamen, esse exprimendam repetitionem ejusdem generis Criminis, quod repetitum est.*

196 *Si quis fuisset prima vice Dispensatus v. gr. super Crimine Machinationis, & postmodum indigeat Dispensatione super Crimine Adulterii cum promissione, & fide data futuri Matrimonii, non erit necessaria expressio primi Criminis in Dispensatione petenda, quia sunt diversa Impedimenta.*

197 *Si quis incurrisset in Irregularitatem ob aliquod homicidium, & obtenta Dispensatione aliud homicidium*

dium perpetrasset, si petat dispensationem, debet de prima dispensatione mentionem facere.

198 *Quid si crimen fuisset jam deductum ad forum contentiosum, non tamen plene probatum.*

199 *Quid si post dispensationem obtentam super aliquo Impedimento dirimenti superveniat affinitas Matrimonium dirimens.*

200 *Quid si dict. Affinitas superveniat post commissam Delegato dispensationem, sed nondum ab eo exequutam.*

201 *Si consanguinei, vel Affines contraherent inter se Matrimonium cum dispensatione, & deinde mortuo uno ex conjugibus vellet superstes dispensari ad ducendum aliam consanguineam, an necesse sit primæ dispensationis facere mentionem.*

202 *Quid si post Impetratam dispensationem ad contrahendum cum consanguinea, mutato proposito vellet ducere aliam consanguineam.*

203 *Quid si post impetratam dispensationem ad ducendam consanguineam, aliam duceret; qua mortua, vellet prima dispensatione uti.*

204 *Si constitutus in Sacris dispensaretur, ut ducere posset uxorem, & deinde ducere vellet consanguineam, an primæ dispensationis mentio sit facienda.*

205 *Necessaria est mentio prioris dispensationis obtentæ tribus casibus.*

Primò, quando casus est à jure expressus; Secundò, quando commemoratio prioris dispensationis necessaria est, ut Papa non ignoret totum impedimentum, super quo dispensatio petitur Tertiò, quando per secundam dispensationem petitur alia major gratia super eo, de quo fuit alias dispensatus.

206 *Beneficiatus obtinuit dispensationem non residendi per quinquennium in beneficio cum perceptione fructuum; si expleto d. quinquennio petat super eadem re aliam Gratiam, & dispensationem, necesse erit exprimere priorem.*

207 *Si quis obtenta Dispensatione super Voto Castitatis, ducat Uxorem, eaque mortua velit ducere aliam, tenebitur, non solum impetrare novam dispensationem super d. Voto, sed de prima dispensatione mentionem facere, alias dispensatio erit subreptitia.*

208 *Si illegitimus dispensatus ad Beneficia, velit deinde dispensari super pluralitate, debebit in ista secunda dispensatione mentionem facere, non solum de prima gratia obtenta, sed etiam de illegitimitate.*

209 *Amplia, ut non solum eo casu necessaria sit d. expressio Illegitimitatis, sed debebit etiam de necessitate exprimi qualitas ipsius illegitimitatis, ut si sit Spurius, Sacrilegus, &c.*

210 *Quid sit prius absolute impetrasset à Papa legitimationem.*

211 *Si natus ex duplici Adulterio exprimeret simpliciter se natum ex Adulterio, vitiaretur gratia, nisi expressisset se natum ex conjugato, & conjugata.*

212 *Si quis dispensationem obtinuisset cum aliqua limitatione, & postea super eadem re vellet dispensari absolute, tenebitur de dict. priori dispensatione, cum limitatione obtenta, facere mentionem.*

213 *Si quis obtenta aliqua dispensatione super una re velit postea dispensationem, seu majorem exemptionem super eadem re obtinere, ut v. gr. si obtenta exemptione à parte decimarum, vellet majus Privilegium super eadem re obtinere, debebit de priori dispensatione mentionem facere.*

214 *Sic tenebitur mentionem facere de priori dispensatione cum limitatione obtenta ille, qui postea petat absolute aliam dispensationem super eadem re.*

215 *Tunc valida erit secunda dispensatio, non facta mentione de prima super eadem re obtenta.*

216 *Primò quando nova, & sufficiens causa supervenisset, ex qua præsumatur Pontifex dispensationem secundam non denegaturus.*

217 *Secundò, quando prima dispensatio concessa fuisset cum limitationibus, quæ de stylo Curiæ in tali concessione solitæ sunt apponi.*

218 *Si quis ad tollendum aliquem scrupulum, seu dubium super priori dispensatione petat de novo super eadem re, vel impedimento dispensari, & facta simili expressione quoad circumstantias obtineat illam æqualem quoad gratiam valebit ista secunda, quamvis de priori dispensatione non fuerit facta mentio.*

219 *Nec vitiabit, si taceatur quod eamdem dispensationem alias petierit, & non obtinuerit.*

220 *Vel si taceatur, quod à Pontifice denegata fuisset, eo quia judicasset non adfuisse justam dispensandi causam.*

221 *Amplia, ut non solum possit dictis casibus Inferior dispensare ut supra, sed consimili ratione poterit etiam dispensare habens facultatem delegatam ad dispensandum, eo quod ab habente jurisdictionem ordinariam denegata fuisset.*

222 *Petitio dispensationis prius à Pontifice facta non operatur Præventionis effectum.*

223 *In usu Jurisdictionis voluntariæ non habet locum Præventio.*

224 *Qui obtinuit rescriptum Apostolicum, ut possit à Confessario dispensari, eandem dispensationem obtinere poterit ab Episcopo, vel alio inferiori Prælato, qui tali facultate præditus sit, non facta mentione ejusdem Rescripti.*

225 *Concessa in favorem non debent in odium retorqueri.*

226 *Si Dispensatio prima est nulla, non est opus in secunda de priori mentionem facere.*

227 *Quando jura specialiter prohibent, ne, tali casu occurrente, dispensatio concedatur, necesse erit de eo casu mentionem facere, si dispensatio super aliquo impedimento dirimenti petenda sit.*

228 *Si consanguinei, vel affines intra 4. gradum Matrimonium scienter cum impedimento dirimenti contraxissent, & eo magis si consummare præsumpsissent, tenentur in dispensatione petenda ad contrahendum istam circumstantiam explicare.*

229 *Concilium Tridentinum facit jus commune.*

230 *Quando Papa, dispensando contra Concilium absque justa causa, peccaret mortaliter.*

231 *Ad Concilium spectat, ea, quæ ad fidem, & mores Ecclesiæ spectant, definire, & declarare.*

232 *Ad hoc, ut Papa sciat dispensationem peti super casu, in quo dispensatio prohibita est à Jure, vel à Concilio, necessaria est expressio d. qualitatis, alias dispensatio erit nulla.*

233 *Dispensatio in casu proxime dicto nulla erit, quamvis etiam* Motu proprio *facta fuisset.*

234 *Non solum facienda erit mentio de Matrimonio clandestine contracto inter prohibitos, in dispensatione petenda; sed & exprimendus erit finis, quo Matrimonium contractum, vel consummatum fuerit.*

235 *Sic pariter, si hujusmodi Matrimonium fuerit clandestine scienter contractum, post mandatum à Pontifice ad dispensandum commissum, sed nondum à Delegato exequutum.*

236 *Ad hoc, ut vere dici possit Tractatus, oportet, ut fuerit completus, & perfectus cum conclusione.*

237 *Tractatus non conclusus, nec aliis concurrentibus, non concludit ad Matrimonium.*

238 *Ad hoc, ut Oratores subjaceant prohibitioni Concilii sess. 24. nu. 5. de reform. Matrimonii de non dispensando, & aliis pœnis ibi appositis, non sufficit, quod sola sponsalia sint inter Oratores contracta, quamvis etiam fuerit inter eos subsequuta copula, sed requiritur quod Matrimonium fuerit clandestine contractum.*

239 *Concilium ibi solum Matrimonium clandestinum punit, non autem solam copulam, quamvis scienter habita sit.*

240 *In pœnalibus non est facienda extensio: Concilium Tridentinum punit illos, qui Matrimonium clandestinum inter se scienter contrahunt, de illis loquitur, qui cum scientia Impedimenti dirimentis coram Parocho, & testibus contrahunt.*

241 *Quid si inhabiles ad contrahendum contrahunt per verba de præsenti, sub conditione impossibili.*

242 *Ex hujusmodi Matrimonio non oritur Impedimentum publicæ Honestatis.*

243 *Si qui bona fide, & ignorantes aliquod Impedimentum inter se existere, Matrimonium contrahant spretis denunciationibus, si postea aliquod Impedimen-*

mentum dirimens detegatur, tenentur in dispensatione petenda de hujusmodi omissione, & spretu mentionem facere, alias dispensatio nulla erit.

244 *Qui sic contraxerint, subjacebunt pœnis à Concilio comminatis.*

245 *Filii ex dicto Matrimonio nati, erunt illegitimi.*

246 *Non est dignus Ecclesiæ benignitatem experiri, qui ejus salubria præcepta temere contempsit.*

247 *Non dicitur ignorantia probabilis, quando omittuntur requisita à Jure, vel ab Ecclesia.*

248 *In Matrimonio clandestine celebrato præsumitur mala fides.*

249 *Qui male agit, odit lucem.*

250 *An Copula sit explicanda in dispensatione petenda.*

251 *Non est proprie Incestus, nisi copula fuerit perfecta.*

252 *Si illi, qui habuerunt incestum, non habebant notitiam impedimenti, non committitur incestus; nec tenetur in dispensatione petenda de hujusmodi copula mentionem facere.*

253 *Nec erit necesse hujusmodi qualitatem, & circumstantiam consanguinitatis, vel Affinitatis eo casu aperire in Confessione.*

254 *Quid si unus tantum ex habentibus copulam sciat impedimentum.*

255 *Et copula proprie dicitur incontentiosa, quæ habetur inter consanguineos, vel affines.*

256 *Copula inter impeditos cognatione Spirituali, vel Publica Honestate, non est incestuosa, nec exprimenda in dispensatione.*

257 *Copula, quæ habita sit inter consanguineos, vel affines post dispensationem factam à Pontifice, vel Delegato, antequam Matrimonium contractum sit, non est incestuosa.*

258 *Quid si post dispensationem factam à Delegato, nova insurgeret affinitas Matrimonium dirimens.*

259 *Quid si in dispensatione, seu potius mandato per Pontificem Delegato commisso adesset clausula* Dummodo copula non intercesserit.

260 *Proponitur sententia affirmans non teneri Oratores copulam manifestare, si dispensatio sit pro foro externo.*

261 *Proponitur sententia affirmans teneri illam manifestare.*

262 *Dictio,* Dummodo, *conditionem importat, ob quam Jurisdictio suspenditur, donec d. clausula non fuerit justificata, & ita qualificat gratiam, ut sive modum, sive conditionem importet, nil actum censeatur, donec sit plene justificata.*

263 *Hodie non datur dispensatio cum d. clausula.*

264 *Reprehenduntur Judices, qui cum non habeant in mandato de copula inquirere, interrogant Sponsos, an sequuta fuerit.*

265 *Ad delegatum non spectat cognoscere de his, quæ non habet in mandatis, nec tenetur verificari facere id, quod in Literis suæ commissionis non legitur, nec continetur.*

266 *Si copula habita fuit spe facilius obtinendi dispensationem super impedimento dirimenti, an, & quando explicari debeat in impetratione dispensationis.*

267 *Quid si alter conjugum habuerit dictam spem, alter vero sit innocens.*

268 *Quid si d. finis, & spes fuerit occulte habita, & solum in mente retenta.*

269 *Quid si copula non adducatur in causam, sed ob aliam causam dispensatio impetretur.*

270 *An copula sit de necessitate exprimenda, si ob aliam causam impetretur dispensatio.*

271 *Proponitur Sententia affirmans.*

272 *Proponitur Sententia negans.*

273 *Iteratio copulæ cum eadem persona, quam quis ducere intendit, non auget, nec novum impedimentum inducit.*

274 *Quid si copula habeatur post commissam dispensationem à Pontifice, sed nondum ab Ordinario exequutam.*

275 *Quid si copula habita sit, antequam Oratores intenderent contrahere.*

276 *Quid si copula sit occulta; Quando S. Pœnitentiaria dispensat super impedimento, expressa sibi copula occulto habita, solet committere Confessario non solum absolutionem ab incestu, sed & dispensationem super impedimentis, quamvis fuerit alias concessa, seu concedenda a Pontifice.*

277 *Refertur opinio affirmans, pro foro conscientiæ non esse necessariam copulæ expressionem, sed tantum esse faciendam, quando copula publica sit.*

278 *Referuntur fundamenta prædictæ opinionis.*

279 *Refertur opinio negans necessitatem expressionis hujusmodi copulæ in dispensatione petenda, si alia causa proponatur pro impetratione dispensationis.*

280 *Opinio Auctoris.*

281 *Doctrina eorum, qui dicunt illam taciturnitatem vitiare, intelligi debet de his, de quibus est in jure cautum, quod illis expressis Papa non dispenset.*

282 *Quando appareat, quod Jura jubeant aliquam qualitatem exprimi.*

283 *Quod Lex non dicit, non est ab homine præsumendum.*

284 *Dispensationem esse nullam, est pœna.*

285 *Ubi Jus pœnam non imponit, non est imponenda.*

286 *Pœna nullitatis ipso Jure non intelligitur, nisi in casibus Jure expressis.*

287 *Quamvis pœna apposita fuisset ipso Jure incurrenda, adhuc declaratoria requireretur.*

288 *Si Legislator pœnam nullitatis voluisset, utique expressisset.*

289 *Legislator id voluisse præsumitur, quod cum facile potuisset exprimere, non expressit.*

290 *Si non expressum, ergo volitum.*

291 *Non expressum à Lege habetur pro omisso.*

292 *Quando Papa aliud non explicat, constitutio non se extendit.*

293 *In odiosis, & pœnalibus omissum habetur pro omisso.*

294 *Non expressum à Lege interpretari debet fuisse omissum ex mente omittentis.*

295 *Nullo jure præcipitur copulam exprimi.*

296 *Non præcipitur Jure naturæ.*

297 *Non Jure Divino.*

298 *Non Jure positivo.*

299 *Non in Concilio Tridentino.*

300 *Non in Regulis Cancellariæ.*

301 *Non in ipsis Literis dispensationum.*

302 *In Literis dispensationum apponitur clausula,* Dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit.

303 *Taciturnitas copulæ cum non reperiatur in Jure prohibita, utique censeri debet permissa.*

304 *Illa sola taciturnitas vitiat, quæ sit circa causam finalem dispensationis.*

305 *Copula ex se non potest esse causa finalis Dispensationis.*

306 *Ejus taciturnitas non vitiat, quamvis ob dictam copulam Papa difficilius concessisset.*

307 *Quando ad impetrandam dispens. aliqua causa exprimitur, quæ ex se sufficiens sit ad concedendum, si taceatur alia causa, quæ difficiliorem reddidisset Pontificem ad dispensandum, quamvis etiam quoad modum quemdam accidentalem, nec variantem rei substantiam, nec absolutam concessionem, sed quoad majorem concedendi facilitatem sit aliquantulum involuntaria, concessio nihilominus simpliciter, & quoad substantiam est voluntaria.*

308 *In petenda dispensatione matrimoniali non est necessario facienda mentio de criminibus.*

309 *Experientia docet plerosque incestuosos potius in peccato perseverare, si ad novas dispensationes impetrandas cum nova expensa adstringantur.*

310 *In diversitate opinionum, ea opinio est amplectenda, quæ Pietati favet, Religioni, & Animæ, ut peccatum, & scandala evitentur.*

311 *Et quæ mitior est, æquior, ac benignior.*

312 *Maxime si Libertati favet, & Matrimonio.*

313 *Quamvis in dubio practico tutior via sit eligenda, tamen in dubio speculativo tutior via est eligenda tantum in casibus à Jure expressis, non autem in aliis, nisi de consilio.*

314 *Potest quis sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.*

315 *In*

315 *In dubio ea facienda est Interpretatio, quæ facit pro validitate actus, & Dispensationis, & ut magis sustineatur, quam pereat.*

316 *Ea Interpretatio sumenda est, per quam evitatur subreptio Gratiæ, & Dispensationis.*

317 *Nulla hucusque Constitutione, de qua authenticè constet, reperitur reprobata opinio negans necessitatem expressionis copulæ in dispensatione petenda.*

318 *Reprobata fuit, & damnata opinio, quod valida esset Confessio facta per Pœnitentem Confessario absenti per Literas.*

319 *Quod est inverisimile, non est credibile.*

320 *Quæ sunt speciali nota digna, si non sint expressa, censentur omissa.*

321 *Concilii Dispensatio sess. 24. cap. 5. de Reformat. Matrim. nullam obligationem inducit copulam exprimendi.*

322 *Pontifex expressa copula potius facilius dispensat attenta probabili, & ferè certa consequentia scandalorum, quæ ob dictam copulam ex Dispensationis denegatione possunt verisimiliter exoriri.*

323 *In gradibus propinquioribus, in quibus aliæ causæ ordinariæ non admittuntur, & est prohibita à Concilio Dispensatio, si copula exprimatur, & narrentur diffamatio mulieris, & eximium periculum, ut innupta remaneat, & gravia scandala sint verisimiliter eritura, nisi Matrimonium contrahatur, Papa dispensat.*

324 *Dum copula exprimitur, omnes aliæ causæ cessant.*

325 *Imo non solum si sequuta fuerit copula, sed etiam si Oratores insimul conversati sint, Papa concedit Dispensationem, dum scandala, & alia prædicta timentur.*

326 *Quamvis expressio copulæ sit causa, ut Dispensatio concedatur, cum majori compositione, & cum multis additionibus, id tamen non pertinet ad causam finalem, & motivam, cum non fiant pro Consanguinitate, vel Affinitate, super quibus dispensatio petitur, sed in pœnam copulæ Incestuosæ.*

327 *Incestus est gravissimum crimen, & gravi pœna dignum, & ob id incestuosi multis pœnis, & præjudiciis subjiciuntur, quæ hic referuntur.*

328 *Aliud est incestuosos copula expressa, & pro causa dispensationis allegata puniri, dum absolutio petitur à Pontifice; Aliud autem est, quod non expressa copula irritetur dispensatio ipso Jure.*

329 *Dispensatio cum majori compositione, & injunctis pœnitentiis conceditur, etiam dum Oratores inter se conversati sunt, non habita copula.*

330 *Incestus cum ipsis consanguineis, vel affinibus, qui inter se contrahere volunt, nullum est impedimentum ad contrahendum, cum non procedat ex Jure Divino, nec humano, nec ex aliquo stylo, seu consuetudine.*

331 *Incestus, quatenus esset impedimentum ad contrahendum (quod expresse negatur) adhuc non esset necessarium ob illud adire Pontificem, ex quo posset etiam Episcopus super eo dispensare.*

332 *Si Matrimonium in d. casu, quo dispensatio requireretur, absque dispensatione contraheretur, esset quidem illicitum, sed tamen validum.*

333 *Solus Incestus cum Affinibus conjugum antiquo tempore Matrimonium contrahendum prohibebat, ob injuriam, quæ inferebatur Matrimonio, non tamen erat impedimentum dirimens.*

334 *In d. incestu cum affinibus poterat, & solebat Episcopus dispensare.*

335 *Dictum impedimentum jamdiu recessit ab usu.*

336 *Generali consuetudine factum est, ut nulla sit culpa contrahere Matrimonium cum impedimentis impedientibus præter Votum, Sponsalia, & interdictum Ecclesiæ.*

337 *Et sic, ut ob nullum incestum petatur dispensatio nec à Pontifice, nec ab Episcopo.*

338 *Non est necessaria expressio impedimenti tantum impedientis, in impetratione dispensationis super alio dirimenti.*

339 *Dispensationes ideo obtinentur, ut illud valide fiat, quod sine illis, si fieret, esset invalidum.*

340 *Crimen incestus cum alia via, quam dispensationis tolli possit, non est necessaria de eo mentio in dispensatione.*

341 *Incestus est impedimentum diversum à consanguinitate, vel affinitate.*

342 *Antiquo tempore hoc impedimentum oriebatur quidem ex copula illicita habita inter consanguineos Viri, vel Uxoris inter 4. gradum, non tamen contrahebatur inter ipsos copulam habentes, qui fuerant principium affinitatis.*

343 *Hodie impedimentum ex fornicatione contractum, est à Concilio ad secundum gradum restrictum, ut sess. 24. cap. 4. de Reformatione Matrimonii, adeo ut in ulterioribus gradibus non sit illicitum contrahere.*

344 *Stylus, cum sit quid facti, eget probatione.*

345 *Stylus Curiæ non inducit necessitatem aliis judicibus, & Tribunalibus extra curiam illum servandi, nisi sit scriptus, probatus, notorius, & speciali decisione, ac declaratione Pontificis confirmatus.*

346 *Stylus Curiæ est variabilis, itaut ad mutationem Papæ, & auditorum varietur.*

347 *Stylus Curiæ modo albus, modo niger.*

348 *Pro stylo accipi debet Juris interpretatio.*

349 *Copula in dispensatione petenda de consilio Virorum Doctorum non semper exprimitur; quamvis aliquando de consilio aliorum contrariæ opinionis exprimatur.*

350 *dispensatio* In forma Pauperum *ob nullam aliam causam conceditur, quam ad succurrendum honori fœminæ, & scandala evitanda.*

351 *Qui exprimunt copulam, non propterea quoad alios legem faciunt.*

352 *Navarrus fuit unus ex consultoribus Sacræ Pœnitentiariæ.*

353 *De stylo Romanæ Curiæ ex diversis causis dispensationes Matrimoniales conceduntur, & ex his, si plures concurrant, datur optio Oratoribus allegandi quam velint, dummodo talis sit, ut moveat Pontificem ad dispensandum.*

354 *Declarationes S. Congregationis an sint Decisivæ, seu Doctrinales.*

355 *Declarationes S. Congregationis ad hoc ut obligent, quæ requirantur.*

356 *Declarationes S. Congregationis ad instantiam particularium personarum factæ, eas tantum personas obligant quibus authentice, & modo quo hic notificantur.*

357 *Declarationes prædictæ, quamvis authenticæ sint, non faciunt Generale Jus, sed solum deserviunt pro illis casibus, in quibus dantur.*

358 *Si Pontifex vellet d. Declarationes, esse universales, & infallibiles Leges, omnino recipiendas, typis mandari juberet.*

359 *Ipse Princeps dans responsum in aliquo particulari casu, non fungitur munere Principis toti Reipublicæ Jusdicentis, sed potius munus privati Judicis in causa particulari, de qua potest judicare secundum propriam opinionem.*

360 *Declarationes S. Congregationis, quæ non fiunt ad instantiam partium ad hoc ut obligent, quæ requisita necessaria sint.*

361 *Istæ declarationes, cum sint novæ leges, nova egent publicatione, ut obligent.*

362 *Non debet præstari fides Doctoribus simpliciter asserentibus sic in tali casu fuisse à S. Congregatione decisum, nisi authenticæ sint, & concurrant requisita dicta.*

363 *Ex speciali Decreto ipsius S. Congregationis non est adhibenda fides d. Declarationibus, non concurrentibus requisitis, de quibus dicimus.*

Apponitur tenor ipsius Decreti.

364 *Referuntur plures casus, in quibus publicatæ fuerunt per Episcopum Lucanum, aliquæ declarationes S. Congregationis.*

OBreptio, & Subreptio, quamvis dicantur sinonyma, & nil inter se differre, ut existimat Sanchez *l.* 8. *disp.* 21. *n.* 2. nihilominus vere inter se differunt, ut explicant magis communiter Doctores: 2 Subreptio etenim tunc proprie committitur, dum verum 1

rum subticetur, vel per confusam, & perplexam narrationem aliquid occultatur: Obreptio autem fit
3 cùm aliquid falsò narratur; Sic bene distinguunt Menochius *cons.* 387. *num.* 3. *&* *num.* 24. *volum.* 4. Mascardus *de probat. conclus.* 1210. *num.* 10. Lezana *QQ. Regul. tom.* 4. *verbo Literæ Apostolicæ num.* 3. Franciscus Leo *in Thes. Fori Ecclesiastici part.* 2. *cap.* 16. *num.* 12. Lotherius *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 54. *num.* 9. Franc. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *num.* 339. & alii quos refert idem Sanchez *l. c.* vide Salas *de Legib. disp.* 20. *sect.* 15. Pirrhum Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 54.

An autem, & quando hæ Gratiam vitient, multi multa dicunt, ut videri potest penes ipsum Sanchez *d. disp.* 21.

At omissis Disputationibus, si de Subreptione loquamur, ea nobis opinio probatur, quæ affirmat
4 solam illam veri taciturnitatem vitiare, quam Jura exprimi jubent, vel de quibus est in Jure cautum, quòd illis expressis Papa non concederet;
5 Voluntas namque Principis talis esse præsumitur, qualis est intentio Juris *l. ex facto in principio.* Glossa *in cap. Paratus, causa* 23. *qu. pr.* Menoch. *cons.* 52. *num.* 78. *vol. pr.* Puteus *decis.* 66. *num.* 5. *lib.* 1. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 12. Seraphin. *decis.* 965. *num.* 15. *&* *decis.* 1396. *num.* 3. Ludovis. *decis.* 163. *num.* 6. Merlin. Pignatell. *controv. forens. cap.* 8. *num.* 5. *centuria* 2. Barbosa *de Jure Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 107. Et Papa sem-
6 per præsumitur velle dispositionibus Juris communis se conformare, nisi aliud decernat; Sanchez *d. disp.* 21. *num.* 12. Lotherius *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 54. *num.* 23. Gratian. *discept. forens. cap.* 940. *num.* 3. *tom.* 5. Menoch. *cons.* 416. *num.* 22. *tom.* 5. Tusch. *conclus.* 53. *num.* 2. *lit. P.* Rota *in novissimis decis.* 196. *num.* 27. Rota coram Durano *decis.* 154. *num.* 23. *&* *num.* 25. *&* *decis.* 171. *n.* 2. Rota *inter impress. post pr. Volum. consil. Farinacii decis.* 84. *num.* 10. Et quod illa sola Taciturnas vitiet, quam Jura exprimi jubent, vel de quibus est in Jure cautum, quòd illis expressis Papa non concederet; apertè docent Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 15. *num.* 115. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *diff. pr. num.* 347. Bellam. *decis.* 697. *n.* 4. *circa finem*; Paris. *de resignat. benef. lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 86. *&* *lib.* 10. *quæst.* 2. *num.* 18. *&* *de Confid. quæst.* 46. *num.* 54. Puteus *decis.* 97. *num.* 6. *lib.* 2. *&* *decis.* 187. *num.* 1. *lib.* 1. Silva *de benef. part.* 3. *quæst.* 11. *num.* 48. Caputaquens. *decis.* 46. *num.* 2. *part.* 2. *&* *decis.* 224. *num.* 1. *&* *decis.* 245. *num.* 1. *tom.* 3. Mandosius *de Signatura Gratiæ, titulo de Absolutione ab hæresi, versic. Dispensatum fuerat*; Fragosius *Regim. Christ. Reipublicæ part.* 1. *lib.* 4. *disp.* 11. §. 3. *num.* 303. Gamb. *de Pot. Legat. lib.* 6. *num.* 367. Ludovicus Beda *Resp. Cas. Consc. part.* 2. *casu* 3. §. Sed his non obstantib. Prosper Farinacc. *in Praxi Crimin. part.* 1. *quæst.* 6. *num.* 48. *&* *cons.* 93. *num.* 6: Mascard. *de probat. conclus.* 846. *num.* 2. Navarr. *lib.* 4. *Consil. consil.* 2. *de Consangu. & Affin. in* 1. *edit. &* *in Summa cap.* 27. *num.* 86. Menoch. *de Arbitr. Judic. casu* 201. *num.* 26. *lib.* 2. Rota *decis.* 86. *num.* 3. *&* *decis.* 105. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* Rota *int. impressas post* 2. *Volum. Consil.* Farinac. *decis.* 157. *n.* 3. *Responsa* Marant. *Respons.* 39. *part.* 1. Guttierez *Canon. QQ. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 3. Caputaquens. *decis.* 310. *num.* 3. *part.* 1. Layman *Theol. Moral. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 18. Melchior Lother *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 51. *&* *quæst.* 54. *num.* 51. Antoninus Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 53. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 50. *&* *resol.* 83. Ludovis. *dec.* 108. *num.* 6. *&* *decis.* 150. *num.* 2. *&* *num.* 11. *in annotat.* Capyc. Latro *decis. Sacri Consilii Neap. decis.* 182. *num.* 13. Merlin. Pignatell. *controv. forens. cap.* 87. *num.* 2. *centuria* 2. & alii plures, quos refert, & sequitur Sanchez. *d. disp.* 21. *num.* 10.
7 Ratio est, quia Jura pro forma exigunt expressionem harum qualitatum, & proinde, nisi forma
8 servetur, corruit Actus, ut dicimus *cap.* 6. quamvis per simplicitatem, vel ignorantiam omissa sit; 9
Fælinus *cap. Super literis num.* 1. *vers. Limita primò.* Paris. *de resignat. benef. lib.* 10. *quæst.* 2. *num.* 3. Maschardus *de probat. conclus.* 846. *num.* 4. & ob id si taceatur aliqua qualitas, quam Jura non ju- 10
beant exprimi, quamvis si expressa fuisset, Papa difficilius concessisset, tamen non vitiabitur Gratia; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *nu.* 11. Layman *d. cap.* 22. *n.* 18. Paris. *de confident. quæst.* 46. *n.* 54. Gratian. *discept. forens. cap.* 535. Diana *d. resol.* 83. Lother *d. lib.* 2. *q.* 54. *num.* 31. Qui propterea refert Francum, Decium, Farinac. Bellamera, Verallum, & Puteum; quia regulariter dum agitur de invaliditate Gratiæ ob 11
Taciturnitatem, intelligi debet, juxta veriorem opinionem, ut vitiet taciturnitas eorum, de quibus est in Jure cautum, quod illis expressis Papa non concessisset, ut optimè concludunt Bellam. *decis.* 697. *paulo ante num.* 5. Lotherius *d. lib.* 2. *quæst.* 51. *num.* 51. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 353. Rota apud Vivian. *post Praxim decis.* 97. *num.* 1. Gratian. *discept. forens. cap.* 535. *num.* 26. *&* *n.* 27. Ratio est, quia Papa, vel Princeps præsumitur Dispositioni Juris communis velle se conformare, nisi aliud expresse decernat, ut *num.* 6. diximus; & propterea optimè dicunt Garzia *de benef. par.* 8. *cap.* 3. *num.* 25. Merlin. Pignatell. *controv. forens. cap.* 87. *num.* 13. *centuria secunda*, & Gratian. *l. c.* 12
quod si exprimenda essent omnia, quæ retraherent, vel retardarent Pontificem à concessione, licet Jure, vel stylo non caveatur esse exprimenda, nec de Jure præstent impedimentum, nulla fere gratia, seu concessio esset tuta, & certa, & esset valde durum, & grave subjacere hujusmodi nullitatibus ipso Jure; Unde non immerito Rodriquez *in Summa tomo* 1. *cap.* 237. *num.* 1. *con-* 13
clus. 1. docet valere Dispensationem tacita veritate, propter quam Papa majori cum difficultate concessisset, nisi Jus exigat, ut dicta Qualitas exprimatur.

At viceversa si aliqua qualitas taceretur, quæ ex 14
dispositione Juris exprimenda esset, quamvis etiam ignoranter, & absque dolo fieret, Gratia vitiaretur, & nulla esset; quia Jura dictam qualitatis expressionem pro forma exigunt; *Colligitur ex Capitulo penult. de Rescript. &* *cap. Si motu proprio, eodem titulo*, ubi definitur esse subreptitiam impetrationem à Sede Apostolica factam de Beneficio, tacitis aliis jam obtentis: Sic docent Sanchez *num.* 14. *l. c.* Mascard. *de probat. conclus.* 846. *num.* 4. Menoch. *de arbitr. casu* 244. *num.* 18. *lib.* 2. Layman *l. c.* Lother. *d. lib.* 2. *quæst.* 54. *num.* 28. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *num.* 348. Lezana *QQ. Regul. tom.* 4. *verbo Literæ Apostolicæ*, *num.* 4. Sperell. *decis.* 173. *num.* 54. Imo nec juvaret, quod Papa, dict. qualitate expressa, fuisset nihilominus concessurus; ut bene ponderat Lotherius *loc. cit.* quia cum Jus commune
omnibus pateat, & semper sit certum, illius igno- 15
rantia non præsumitur; Mascard. *de probat. conclus.* 1191. Paris. *cons.* 68. *num.* 302. *part.* 4. Rota inter impressas per Ludovic. Cenc. *post tractatum de Censib. decis.* 460. *num.* 8. imo nec potest ipsius ignorantia allegari; Regula *de Juris, & Facti Ignorantia.* Rota inter Decis. impressas post primum Volum. Consilior. Farinacii *decis.* 66. *nu.* 4. Redenasch. *cons.* 79. *num.* 26. Merlinus Pignatell. *controv. forens. cap.* 54. *n.* 1. *centuria* 1. & faciunt dicta per Franciscum Vivium *Decis. Regni Neap. decis.* 253. *n.* 1. & qui hoc 16
casu veritatem reticet, præsumitur in dolo; Lotherius *l. c. n.* 9. Paris. *de confid. quæst.* 21. *n.* 2. Sublata 17
autem Juris necessitate, cessat doli præsumptio, & Gratia ob id non invalidatur; Lotherius *d. quæst.* 54. *n.* 30. Seraphin. *decis.* 1432. *n.* 9. Unde optime concludunt Doctores infra *n.* 26. citati, tunc solum vitiari Dispensationem, quando tacita veritas fuit causa finalis Dispensationis.

Nec solum ex taciturnitate Qualitatis de Jure exprimendæ vitiatur Gratia, ut diximus, sed id similiter 18
procedit, quando ex inconcusso stylo Curiæ obtentum sit, ut aliqua qualitas exprimi debeat; Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *num.* 352. Sanchez

d. lib. 8.

d. lib. 8. *disp.* 21. *n.* 13. Layman. *d. cap.* 22. *num.* 18. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 15. *num.* 117. Sperellius *l. cit.* Diana *d. resol.* 50. *vers. Itaque in dispensationibus*

19 Mascard. *de probat. conclus.* 846. *num.* 8. Stylus namquæ Curiæ facit Jus, & est pro Lege servandus; Gar. *de benef. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 23. Barbos. *in Praxi exigendi Pens. par.* 1. *quæst.* 5. *num.* 16. Paris. *de resignat. lib.* 10. *quæst.* 2. *nu.* 17. Sanchez *de Matr. lib.* 3. *disp.* 29. *numer.* 17. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 135. Responsa Marantæ *resp.* 39. *n.* 62. *part.* 1. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. Glossa* 6. *num.* 200. Mandos. *Reg. Cancell. Reg.* 33. *quæst.* 9. *num.* 7.

20 Imò id pariter procedit, cum aliqua Qualitas de consuetudine Principis exprimi deberet; Consuetudo namque pro Lege servatur: *l. minime ff. de leg.* Layman *Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *n.* 1. Mascard. & Merolla *ll. cc.*

21 Obreptio autem, sive falsa expressio, an, & quando Gratiam vitiet, dissident Doctores; & quidem

22 non desunt, qui absolutè doceant, dispensationem esse irritam, & nullam, tam si falsitas contingat circa causam finalem, quam si sit circa solam impulsivam; Ita Barbosa *in Votis Canonicis libr.* 2. *voto* 17. *num.* 81. Crescentius *decis.* 8. *alias* 139. *num.* 7. *de Prabend.* Masc. *de prob. concl.* 846. *num.* 1. Gutierez *can. QQ. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 12. Caputaquens. *decis.* 274. *n.* 8. 9. *par.* 1. late Gar. *de benef. par.* 6. *c.* 2. *num.* 200. & alii plures, quos refert Sanchez *d. disp.* 21. *n.* 10. Ratio istorum est, quia Gratia Principis

23 habet in se tacitam conditionem, *Si preces veritate nitantur*, quæ clausula, quamvis etiam apposita non fuisset, tamen subintelligeretur: Petrus Paulus Paris.

24 *cons.* 4. *nu.* 29. *par.* 2. *& cons.* 108. *n.* 12. *par.* 4. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 25. Layman. *Theolog. mor. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. Gutierez *can. QQ. lib.* 2. *cap.* 15. *numer.* 52. & alii plures, quos *capit.* 5. citabi-

25 mus; unde si preces veræ non sint, Gratia redditur nulla.

26 Limitant tamen plerique istorum, & alii mox citandi, ut non vitiet dispensationem falsitas illa, quæ, si expressa fuisset, Pontificem difficiliorem non reddidisset ad concedendum, ex causa tamen è Jure approbata; Ita Barbosa *In votis Canonic. libr.* 2. *Voto* 58. *num.* 18. Rota *inter. decis. impressas post Praxim* Viviani *decis.* 97. *num.* 1. Rota coram Merlino *decis.* 688. *nu.* 8. Et eo magis id procedit, dum causa falso allegata, si vere expressa fuisset, potius reddidisset

27 faciliorem Pontificem ad concedendum; quia si causa demonstrationis, & non taxationis aliqua Qualitas adjuncta esset, non vitiaretur gratia; ut si diceretur, tale beneficium esse curatum, cum vere esset simplex; Rota coram Durano *decis.* 424. *n.* 5. Rota coram Merlino *decis.* 35. *n.* 12. Sanch. *d. disp.* 21. *n.* 35. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *c.* 6. *dub.* 15. *coroll.* 1. *n.* 369. Sylvest. & Gutierez *can. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *numer.* 83. Aversa *de Matrim. quæst.* 19. *sect.* 6. *vers. Si vero.*

Quando autem censeatur expressa causa demonstrationis, vel taxationis, dicemus infra.

28 Quicquid tamen isti, & alii dicant, tu dic probabilius, solius causæ finalis falsam expressionem irritare dispensationem, quia expressio falsi facilius tantum impellentis, non tollit voluntarium, ad concessionem gratiæ substantialiter requisitum, & sine quo etiam concessa fuisset gratia, licet majori cum difficultate; constat, *ex cap. dudum* 14. *vers. nos igitur de Præb. in* 6. Glossa *in cap. Ex parte* 14. *el.* 2. *verbo Falsa si causa de conver. conjug.* & sic expresse docent Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *diffic.* 2. *nu.* 363. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 11. Coninck *de Sacramentis disp.* 33. *n.* 62. Escobar *Theol. Mor. tract.* 7. *exam.* 9. *cap.* 8. *n.* 102. *vers. rescriptor.* Diana *par.* 8. *tract.* 3. *resol.* 61. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *par.* 2. *c.* 10. *n.* 324. Marcus Paulus Leo *Praxi Pœnitent. Apostolicæ part.* 1. *ubi de transgress. Vot. vers. causæ impulsivæ pag. mihi* 50. Cassador. *decis.* 11. *n.* 15. *de Præb.* Lælius Altograd. *cons.* 52. *nu.* 64. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 16. *n.* 123. Thomas Pelliccion. *Illustris. utr. Jur. Quæst. quæst.* 25. *capit.* 2. *pag. mihi* 215. *col.* 1. Merlinus Pignatellus *controv. forens. cap.* 55. *num.* 5. *centuria* 1.

Quæ autem sit causa finalis, & quæ sit impulsiva, 29 dicemus *lib.* 3. *cap. pri.* ubi de causis dispensationum late agemus.

Circa prædicta est in primis adnotandum; qualitates, quæ taceri possunt, esse in duplici differentia. 30 Quædam enim sunt extrinsecæ, & non pertinentes 31 ad id, quod de jure, vel stylo Curiæ, seu consuetudine legitime introducta ad dispensationem requiritur; & tunc dictæ qualitates non veniunt explicandæ, nec ob illarum taciturnitatem vitiatur dispensatio, quamvis etiam d. qualitate, & circumstantia cognita, Pontifex non dispensasset; ut si dispensationem, & gratiam petens esset homo facinorosus, & valdè Criminosus, itaut si Papa d. crimina, & vitia scivisset, certe gratiam denegasset; quia hujusmodi dispensatio ob istorum criminum taciturnitatem non vitiatur, cum hæc, tanquam extrinseca, non pertineant ad ipsam dispensationem, nec illam intrinsece afficiant. Simili modo si quis sciens vacare beneficium, quod familiaris Papæ impetrare intendit, illud impetret, tacendo quod ille Familiaris impetrare volebat; validè impetrabit, quamvis certum esset, quod Papa, si scivisset desiderium sui Familiaris, ei & non Impetrantis concessisset; quia hæc intrinsece non afficiunt gratiam, ut diximus, nec eorum taciturnitas nocet. Sic pariter si quis incidat in Irregularitatem ob homicidium commissum in persona Sacerdotis, si in petenda dispensatione taceat qualitatem Sacerdotii, valida erit dispensatio, quia per solum patratum homicidium incidit in Irregularitatem. Simili modo si Bigamus peteret dispensari, & ter, aut quater Nuptias contraxisset, non esset opus istam multiplicitatem explicare, quia per solam Bigamiam fit irregularis; Vide de prædictis Doctores mox citandos.

Qualitates intrinsecæ sunt, quæ pertinent ad id, 32 circa quod fit dispensatio, nempe quæ de Jure, seu stylo, vel consuetudine exprimi debent, & hæ necessariò exprimendæ sunt, & coram delegato probandæ, alias dispensatio nulla, & irrita erit; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *n.* 18. Coninck *de Sacram. disp.* 33. *dub.* 6. *n.* 61. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 4. *n.* 24. Layman. *l. c. n.* 19. Garcia *de beneficiis par.* 8. *capit.* 3. *nu.* 25. Lotherius *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 34. *n.* 16. Rota *decis.* 457. *n.* 2. *par.* 2. *recent.* Unde Matrimonium contractum vigore dispensationis, quæ tacitis 33 hujusmodi intrinsecis qualitatibus impetrata fuisset, nullum, & irritum esset; colligitur *capit. Constitutus de rescript.* & docet Barbos. *in Votis Canonicis libr.* 2. *voto* 17. *num.* 2. quia cum Dispensatio fuerit nulla, 34 nullum producit effectum, regula *Quæ contra Jus* 64. *de Reg. Jur. in* 6. Responsa Marantæ *resp.* 7. *num.* 30. *part.* 4.

Quando tamen gratia esset divisibilis; ut si quis in 35 eadem supplicatione peteret dispensationem à Voto Castitatis ob periculum incontinentiæ, quod vere extat; & ab alio impedimento dirimenti, allegata ob id falsa causa, tunc si ex ignorantia, & absque dolo id factum sit, vitiabitur Gratia in ea sola parte, in qua, si res cognita fuisset, Papa denegasset; colligitur *cap. ad Audientiam el. Primo de rescript.* & expresse docent Afflict. *decis.* 116. *num.* 6. Vivianus *de Jure Patronatus lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 14. Garcia *de benefic. par.* 8. *d. cap.* 3. *n.* 16. *& n.* 17. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 16. *n.* 9. Escobar *Theol. mor. tract.* 1. *examine* 16. *cap.* 2. *vers. Subreptio*; Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *n.* 404. Gutierez *canon. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 61. Diana *par.* 8. *tract.* 3. *resol.* 80. Merlinus Pignatell. *controv. forens. cap.* 15. *nu.* 1. *&* 11. *centuria* 2. Rota *decis.* 143. *n.* 60. *part.* 3. *divers.* quia hæ dispensationes vere diversæ sunt, & in separabilibus utile per inutile non vitiatur; Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 40. *n.* 330.

At si abreptio, vel subreptio hujusmodi sequutæ 36 fuerint dolose, & fraudolenter, nec sine culpa dispensationem petentis, tunc in pœnam malitiæ tota gratia irrita, & nulla censeri debet; Sanchez *libr.* 8. *disput.* 21. *num.* 65. *& numer.* 74. Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 1. *ubi de transgress. Votor. vers. Idemque dicendum pagin. mihi* 64. nempe nullo erit ipso Jure in ea parte, in qua malitiosè,

& do-

& dolosè commissa fuit falsitas, & in alia veniet per Judicis sententiam irritanda; Sanchez *lib.* 8. *d. disp.* 21. *num.* 78. Coninck *de Sacramentis disp.* 33. *dub.* 6. *num.* 67. Escobar. *Theol. mor. tract.* 7. *exam.* 9. *cap.* 8. *vers. Rescriptorum in fine*; Merolla *tom.* 2.
37 *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 412. quia falsus precator nullum ex Impetratis commodum reportare debet, *cap. Super literis* 20. *ff. Nos igitur de rescript.* Mandosa *ad Reg. Cancell. Regul.* 19. *quæst.* 18. *num.* 3. Responsa Marant. *respons.* 55. *num.* 33. *par.* 4. Carolus de Grassis *de Effect. Clericatus Eff.* 1. *num.* 1131. Lessius *de Justitia lib.* 1. *cap.* 2. *dubiet.* 4. *num.* 27. Papa namque plurimum à fraudibus abhorret, *l. si*
38 *cui. Ibi per medias vias, ff. de servitut.* Unde quando subreptio dolo admittitur, vitiatur Gratia *d. cap. super Literis de Rescr.* Bellarm. *decis.* 4. *num.* 1. Seraphinus *decis.* 936. *nu.* 3. Responsa Marantæ *par.* 1. *resp.* 39. *num.* 21. Intellige tamen de subreptione, & obreptione, quæ circa causam finalem committeretur, ut diximus.

Et quod, interveniente dolo & fraude, Gratia obtenta irritanda sit in totum, sumitur *ex cap. Si eo tempore* 9. *de Rescriptis in* 6. & docent Garcia *de Benef. par.* 8. *cap.* 3. *num.* 16. *&* 17. Coninck *l. c.* Layman. *d. cap.* 22. *num.* 25. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 4. *num.* 20. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 54. Filiuccius *tomo* 1. *tract.* 10.
39 *par.* 2. *cap.* 10. *num.* 324. Et licet in d. capit. *Si eo tempore* solùm sermo sit de Justitiæ Literis, tamen ex communi Doctorum Doctrina, & ex consuetudine introducta, extenditur ad alia quæcumque Gratiarum Rescripta, ut bene animadvertunt Sanchez, & Bonacina *ll. cc.*

40 Et quamvis Taciturnitas veri non vitiet Rescriptum à Principe, motu proprio concessum, *cap. Si motu proprio* 28. *de Præb. in* 6. Silva *de Benef. par.* 3. *quæst.* 12. *num.* 17. Sanchez *d. disp.* 21. *num.* 47. nihilominus quando falsa causa finalis exprimitur, qua non expressa Gratia non concederetur, Gratia, etiam cum dicta Clausula *Motu proprio* concessa, irrita erit, & nulla; Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centuria* 3. *casu* 201. *num.* 80. Sanchez *l. c. num.* 32. Filiuccius *l. c. num.* 324. Paris. *cons.* 68. *num.* 217. *par.* 4. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *nu.* 395. Quia
41 Clausula *Motu proprio* non firmat Gratiam contra concedentis intentionem, Blasius Michalorius *tract. de Fratrib. part.* 3. *cap.* 25. *num.* 65.

42 Quod si Obreptio, vel Subreptio circa causam finalem committerentur culpa Solicitatoris, vel alterius Romanæ Curiæ Officialis, dùm Dispensationem peteret pro Oratoribus, qui bona fide, & absque fraude expresserunt factum, prout verè se habebat, tunc si materia sit divisibilis, ea sola pars vitiabitur in qua Subreptio, vel Obreptio commissa fuit; quia Oratores verè non possunt dici obtinuisse Rescriptum fraudulenter, & dolosè; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 66. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 4. *num.* 17. Merolla *l. c.* Ita etiam Ancharanus, Francus, Decius, & Corduba à d. Merolla
43 citati; Solicitatores tamen, & alii qui hujusmodi Subreptionem, & Obreptionem commiserint, subjiciuntur pœnis contentis in *Motu proprio* Pii Quinti incipiente *Cum, sicut accepimus, nonnulli suæ Conscientiæ prodigi, &c.* Quo decernitur pœnas falsi incurrere omnes, & singulos Procuratores Officii Sacræ Pœnitentiariæ, seù Contradictarum, & alios quoscumque Solicitatores, & Scriptores, qui in Matrimonialibus Dispensationibus impetrandis veritatem facti à narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia, & qualitates necessariò exprimendas diversam faciunt, seù quoquo modo invertunt, aut immutant, vel depravant. Quam Constitutionem ad verbum refert Pirrhus Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 7. *cap.* 4. *nu.* 2.

Nec nobis probatur Doctrina Pauli Laymani *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 26. *&* 27. & Antonini Diana *par.* 8. *tract.* 3. *resol.* 63. *propè finem*, cui adstipulari videtur Doctrina Rotæ inter Decis. impressas post sec. volum. Consil. Farinacii *decis.* 270. *num.* 4. & ipsius Farinacii *cons. crim. lib.* 1. *cons.* 92. *num.* 8. dùm admittunt posse Ordinarium, cui Dispensatio commissa fuit, ad exequutionem procedere eo casu, quo per Oratores petita fuisset Dispensatio; v. gr. super Consanguinitate inter eos existente, at per in- 44
curiam Scriptoris fuisset in Literis scriptum, quod Impedimentum esset Affinitatis, & super hac commissa appareret Dispensatio; Quamvis enim vere fuerit expositum Impedimentum Pontifici, & nulla fraus ab Oratoribus commissa, nihilominus difficultas est, quomodo possit Delegatus ad Dispensationem procedere, dùm ei præsentatæ sint Literæ Apostolicæ, quibus sibi committatur Dispensatio super Affinitate, & ipse ex Informationibus habitis reperierit Oratores egere Dispensatione super Consanguinitate, vel è contra; certum etenim, ac indubium 45
est, Delegatum fines Mandati egredi non posse, nec Literas Apostolicas aliter Interpretari, quam verba sonent, *cap. Cum dilecta* 22. *de Rescriptis*, ut nos diximus. Nec refert, quod Delegatus alias certus sit de errore Scriptoris, quia ad ipsum, ut Inferiorem, & simplicem Mandatarium, non spectat de validitate, vel invaliditate Literarum Pontificis, & an error in illis irrepserit, cognoscere, nec verba Rescripti distrahere ad Casus similes, vel minores, sed debet precisè id tantùm exequi, quod sibi in Mandato committitur, ut docent Pirrhus Corrad. *in Praxi Disp. Apost. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 30. Responsa Marantæ *resp.* 13. *num.* 33. *tom.* 1. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 12. *num.* 19 Gratian. *discept. forens. cap.* 27. *num.* 4. *tom.* 1. *&* *cap.* 961. *num.* 10. *&* *cap.* 965. *num.* 18. *tom.* 5. Rota *decis.* 226. *num.* 1. *par.* 1. *divers.* Rota *decis.* 463. *num.* 4. *par.* 1. *recent.* Rota coram Cavalerio *decis.* 612. *num.* 16. Rota inter impressas post sec. Volum. Farinacii *decis.* 112. *num.* 2. Nec refert, quòd Oratores non sint in culpa, sed errore Scriptoris id factum sit; quia error, quantumcumque 46
culpa carens, non efficit, ut Rescriptum extendatur ad casum, qui sub ejus verbis non comprehenditur, quamvis, si petitum fuisset, Papa non denegasset; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 39. Pirrhus Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 29., quo ita se habere stylum Curiæ testatur; Unde ad hoc ut possit Delegatus licite, & valide eo casu procedere, debebit Literas dimittere corrigendas, & interim ab illarum exequutione abstinere, & aliter faciendo, nulliter, & invalide procedet, suam, & Oratorum animas illaqueando.

Ad hoc autem, ut dignosci possit, an, & quando error in expressione facta vitiet, distinguunt communiter Doctores inter expressionem, quæ fieret per 47
modum Demonstrationis, & aliam factam per modum Taxationis; Quando etenim erratur in expri- 48
menda qualitate, per modum Demonstrationis adjecta, docent non vitiare; v. gr. si Papa, conferendo alicui Beneficium, diceret se conferre Titio tale Beneficium sub tali Titulo, in tali Ecclesia, Vacans per obitum Joannis, &c. & est de Jure Patronatus Titii; Hoc casu si hujusmodi Beneficium vere esset Patronatus non Titii, sed Caii, talis error non vitiabit, quia de ipsius rei substantia satis constat, & hujusmodi error in simplici Demonstratione irrepsit. At si erretur in qualitate adjecta per modum Taxa- 49
tionis, itaut rei substantiam contineat, & designet, tunc Rescriptum per hujusmodi errorem vitiatur, & Dispensatio inde sequuta inficitur; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 36. Paulus Laymannus *d. cap.* 22. *num.* 26.

Tunc verba, apposita censentur causa Taxationis, 50
quando sub una tantùm conceptione verborum fit expressio; ut si diceretur, Titius legavit Sempronio scuta centum, quæ ei debebat Cajus; unde si Cajus dicta scuta centum non debebat; Titio perit legatum.

At causa Demonstrationis tunc dicta censentur, 51
quando sub diversis verborum conceptionibus expressa sunt, ut supra *num.* 50. diximus; Vide Sanchez *l. c.* Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *nu.* 371.

Prædicta tamen Doctrina, quamvis in multis ve- 52
ra sit, tamen, quoad Matrimoniales Dispensationes adaptari non potest, quia quæcumque qualitates semper appositæ viderentur causa Taxationis, & conse-

quen-

quenter Diſpenſationem irritarent; ut ſi diceretur, Oratores eſſe Tertio Conſanguinitatis Gradu conjunctos, cùm verè eſsent in Quarto ejuſdem ſpeciei; quia ſi ad Diſpenſationes hujuſmodi Regula adaptaretur, vitiaretur dicto caſu Diſpenſatio; & tamen certum eſt in majori Gradu comprehendi minorem ejuſdem Speciei, & ordinis, ut diximus cap. 2. Unde in materia Diſpenſationum Matrimonialium potius dicendum eſt, quòd quando aliquid adjicitur tamquam qualitas rei, vel requiritur Demonſtratio ad certitudinem, & valorem Actus, cenſeri poteſt factum cauſa Demonſtrationis, & non Taxationis, & conſequenter pro validitate Actus præſumendum eſt, ut bene animadvertunt idem Sanchez *l. c. in fine*, & Merolla *l. c. num.* 372.

Et ut magis ad particularia deſcendamus, error Nominis non vitiat Gratiam, quando conſtat de Perſona, cui conceſsa eſt, quia Summus Pontifex intendit Diſpenſationem concedere petenti, ſive is ſit Petrus, ſive Paulus, vel Franciſcus, quod æquus Diſpenſator non ſpectat, nec ſpectare debet, ſed ſolam Cauſæ æquitatem, ut docent Sanchez *d. diſp.* 21. *num.* 37. Merolla *d. dub.* 15. *num.* 373. Rota *deciſ.* 87. *num.* 3. *par.* 2. *recent. & deciſ.* 566. *num.* 3. *eodem tomo, & deciſ.* 319. *num.* 1. *par.* 2. *recent.* Bonacina *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 4. *num.* 5. & 6. Layman. *dict. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 27. *circa finem*; Pariſ. *de Reſignat. Benef. lib.* 11. *quæſt.* 6. *num.* 53. & 54. Eſcobar *Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *verſ. Aliquid*; Seraphinus *deciſ.* 701. *n.* 1. Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 919. *num.* 5. *tom.* 5. & ita de Jure indubitanter procedere teſtatur Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 63.

Nec pariter vitiabitur Diſpenſatio, ſi erratum fuerit in pronomine Oratorum, dum de perſona certe conſtet, ut concludunt Doctores in *l. ultima C. de hæred. inſtit.* Layman *d. cap.* 22. *num.* 27. Pariſ. *l. c. num.* 55.

Excipe tamen, ſi petatur Diſpenſatio *in forma Pauperum*, quia cum Diſpenſatio in dicta forma non concedatur, niſi ſolis Pauperibus perſonis, quæ ex ſuo labore, & induſtria tantum vivunt, ut dicemus; tunc ſi erretur in nomine, ſeu pronomine Oratorum, opus erit correctione, antequam Delegatus Diſpenſationem exequatur, cum aliàs dari poſset locus fraudi, quia Officialibus Romanæ Curiæ pro eorum emolumentis damnum inferretur.

Quando, poſt regiſtratam Supplicationem, ſed antequam Literæ expeditæ ſint, neceſsaria eſset correctio Nominis, fit Supplicatio infraſcripti tenoris.

Pater Sancte; Dignetur Sanctitas Veſtra ſuper Præinſerta conficiendas Literas cum expreſſione, quòd Orator non Joannes, ſed Vincentius, & non aliter nominatur, & cognominatur; in reliquis verò juxta ejuſdem Præinſertæ vim, formam, continentiam, & tenorem expediri mandare de Gratia ſpeciali, non obſtantibus omnibus, quæ eadem S. V. in dicta Præinſerta conceſſit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque, &c.

Nec parvi facienda videtur cautela, qua in Romana Curia pro Diſpenſationum Impetratione uti ſolent Practici Curiales, qui ſi Pronomina Oratorum ignorent, apponunt Nomina eorum Genitorum, quæ ex Arboris ſibi tranſmiſſi inſpectione deſumunt, ſic dicendo, videlicet, *Vincentius Flaminiæ, Dorotheæ Benigni, &c.*

Si error ſit in expreſſione loci, ſeu locorum originis Oratorum, ut quia Oratores eſsent, v. gr. ex loco de Corelia orti, & dictum fuiſset eos eſse ex loco de Camajore, tunc ſi Diſpenſatio obtenta eſſet ob cauſam anguſtiæ loci, ſeu locorum utriuſque Sponſi, ſi de diverſis locis Oratores ſint, non poteſt Delegatus Literas exequutioni demandare, ſed debebit illas dimittere corrigendas, quia cum cauſa finalis, qua motus fuit Pontifex ad diſpenſandum, fuerit anguſtia eorum locorum, in quibus Oratrix Virum ſibi non Conſanguineum, vel Affinem, paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequit, cum eo caſu error irrepſerit in Cauſa finali, eſt inſanabilis per ea, quæ dicimus *lib.* 3. Nec valet dicere, quòd nihilominus Pontifex æque, vel etiam facilius conceſſiſſet, ſi expreſſus fuiſſet verus locus dictæ Originis; quia, ut diximus non eſt in poteſtate Delegati interpretari mentem Pontificis Diſpenſationem committentis, niſi eatenus, quatenus verba Reſcripti, ac Commiſſionis ſonent; cum etenim ſit ſimplex Mandatarius, & Exequutor ea tantum poteſt exequi, quæ habuit in Commiſſione, & quatenus narrata Pontifici vera ſint, ut diximus, & dicemus Cap. ſequenti. Et cum Reſcripta Pontificis ſint ſtricti Juris; Fœlin. *cap. Significante de Reſcript. num.* 2. Rota coram Pœnia *deciſ.* 415. *num.* 4. Cæphalus *conſ.* 338. *num.* 12. *tom.* 3. Pariſ. *de Reſignat. lib.* 9. *quæſt.* 17. *num.* 133. *tom.* 2. Lælius Altograd. *conſ.* 71. *num.* 35. *lib.* 2. Franciſcus Merlin. *Deciſ. Rotæ Lucenſ. deciſ.* 96. *nu.* 97. Pyrrhus Corradus *in Praxi Diſpenſat. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 82. ejus verba reſtringuntur tantum ad expreſſa, Marius Anton. *var. reſol. lib.* 1. *reſol.* 39. *num.* 21. Lælius Altograd. *l. c.* & nos alibi diximus. Nec facit ad validitatem hujuſmodi nullitatis bona fides, aut ſimplicitas Oratorum; cum hæ excuſent ſolum à culpa, non tamen efficere poſſint, ut ſanetur defectus, aliàs inſanabilis.

Dixi, ſi erratum fuiſſet in expreſſione loci, ſeu locorum originis Oratorum, quia dum petitur Diſpenſatio ob dictam cauſam Anguſtiæ, &c. ſi Oratores ſint ex diverſis locis, debet utriuſque loci Anguſtia explicari, ac coram Delegato verificari, ut late *lib.* 3. dicemus, ubi de cauſa ipſius Anguſtiæ fuſiſſimè agemus.

Dixi inſuper, ſi erretur in expreſſione loci Originis Oratorum, quia is exprimi debet, & non Domicilii, ut late dicemus Cap. ſequenti.

Id tamen eſt adnotandum, quod expreſſio loci Oratorum neceſſaria eſt, ſi Diſpenſatio petatur *Ob anguſtiam, &c.* at in aliis caſibus neceſſaria non eſt, cum de ſtylo Curiæ ſufficiat exprimi Diœceſim Oratorum, ut notum eſt; quæ Diœceſis expreſſio omnino neceſſaria eſt, Pariſ. *de Reſignat. Benefic. lib.* 8. *quæſt.* 7. *num.* 46. quia Papa facilius providet Originariis, quam exteris; Textus eſt in *cap. Sanctorum Canonum* 2. 70. *Diſt. l. in Eccleſiis C. de Epiſcopis, & Cler.* Aliàs, juxta probabiliorem opinionem, Gratia ſubreptitia erit, & nulla; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 39. Franciſcus Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *coroll.* 3. *num.* 376. Rebuff. *in Praxi Beneficiaria par.* 1. ubi de forma ſignaturæ ſimplicis §. *ejuſdem Diœceſis*; Pyrrhus Corradus *in d. Praxi Diſpenſat. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 39. & *d. lib.* 7. *conſ.* 5. *num.* 26. ubi ita de ſtylo Curiæ ſervari teſtatur. Intellige tamen, exprimendam eſſe Diœceſim Originis, & non Domicilii Oratorum: Rebuff. *l. c. verſ. Magalonenſ.* & nos dicemus ſuo loco. Quamvis enim Papa cum eadem facilitate Diſpenſationem committeret Ordinario Domicilii Oratorum, ſi hoc in Supplicatione ſibi porrecta expreſse petitum fuiſſet; nihilominus, quando id non fuit petitum, Papa ſemper intendit Diſpenſationem committere Ordinario Oratricis, ut ſe conformet diſpoſitioni *Concilii Tridentini ſeſſ.* 22. *cap.* 5. *de Reform.* ubi decernitur hujuſmodi Diſpenſationes Ordinario Oratricis eſſe committendas. Unde ſi in expreſſione originariæ Diœceſis erratum ſit, ut ſi, v. g. dictum fuiſſet Oratores eſſe Florentinæ Diœceſis, cum vere ſint Lucanæ, & ſic per errorem Diſpenſatio commiſſa eſſet Vicario Florentiæ, ſubreptitia erit, tanquam contra Concedentis intentionem extorta, & neuter ex dictis Vicariis illam exequi poterit; non Florentinus, cui per errorem, & contra intentionem Pontificis commiſſa fuit; non Lucanus, cui non fuit facta commiſſio, ut bene prædicta docent Sanchez *lib.* 8. *d. diſp.* 21. *num.* 39. Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dict. dub.* 15. *coroll.* 3. *num.* 376. Rebuff. *l. c.* Pirrh. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 39. Thom. Pelliccion. *QQ. Ill. quæſt.* 25. *cap.* 3. *col.* 2. *pag. mihi* 217. cum Mandatum Pontificis non debeat trahi ultra intentionem mandantis, *l. non omnis ff. ſi certum petatur*; Lotherius *de re Benef. lib.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 32. Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 800.

num.

vii. 12. *tom.* 4. Sbrozius *de Offic. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 36 *num.* 2. nec extendi debet de casu ad casum, qui sub rescripti verbis non comprehenditur, ut dictus Pelliccionius *l. cit.* & nos alibi diximus. Idque est mente tenendum, quia hic Casus multoties accidit; Et quidem alias Literati in hujusmodi dispensationibus exequendis decipiuntur; putant enim Literas Pontificis super dispensationibus Matrimonialibus editas posse executioni demandari, quamvis erratum sit, vel in expressione locorum, ob quorum angustiam conceditur dispensatio, vel in expressione Diœcesum, vel etiam speciei impedimenti; & adducunt rationem, quod Papa adhuc cum eadem facilitate concessisset, si peritus fuisset: Et quidem toto aberrant Cœlo, quia mandatum Pontificis est stricti Juris, ut diximus, & cum versemur in materia dispensationum, quæ est odiosa, non valet in illa argumentum de simili ad simile, nec de majori ad minus, ut diximus *Cap.* 2. sed verba rescripti interpretari debent solum quantum sonant, *ut dicto Cap.* 2. probavimus.

71 Hic autem non debet sub silentio præteriri, quanta cum laude, tam in hujusmodi dispensationibus, quam in aliis quibuscumque rebus gerendis se gesserint tres magni Viri undequaque celebratissimi, tum generis splendore, tum multiplici eruditione, gubernandi Peritia, Justitiæ cultu, Doctrinæ præstantia, ac morum integritate, nempe Reverendiss. DD. Alexander Cenami Prior sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Alexandri Majoris de Luca, Vic. Gener. tempore, quo Ecclesiæ Lucanæ præerat Eminentiss. D. Cardinalis Franciottus; Ludovicus Cittadella Prior Sæcularis, ac Collegiatæ Insignis SS. Joannis, & Reparatæ de Luca, dum esset Vicar. General. Illustriss. & Reverendiss. Episcopi, D. Joan. Baptistæ Raynoldi, & Flamminius Nobili Canonicus Cathedralis, Vicarius Generalis Illustriss. & Reverendiss. D. Petri Rota pariter Episcopi; Nec non omni laude
72 digni fuerunt Reverendiss. DD. Antonius Nobili, Tobias Sirti, Joann. Baptista Bottini, & Daniel de Nobilibus, qui diversis ante temporibus Vicarii Generalis munus subjerunt.

73 Expressio qualitatum Oratorum, ut si sint Nobiles, vel de Nobili Genere procreati, vel Illustres, seu Principales, vel ex Principalioribus Oppidi, vel saltem ex honestis familiis, duobus tantum casibus est necessaria; Primo si dicta qualitas adducatur pro causa finali dispensationis; Secundò si ea qualitas exprimatur ad effugiendam probationem alicujus clausulæ coram Delegato, quæ clausula, si dicta qualitas apposita non fuisset, de ipso stylo in proposito casu apponi debuisset; ut si Oratores essent in secundo, & tertio consanguinitatis, vel affinitatis Gradibus, & peteretur dispensatio ob *causam Angustiæ Loci, &c.* quo casu solet apponi clausula, *Et si extra, &c.* & tamen si exprimitur qualitas Oratorum, dicta clausula omittitur, ut late dicimus infra lib. 3. ubi quando, & quomodo hæ qualitates probari debeant, fuse declaramus.

74 Si jam obtenta per Impeditos dispensatione super aliquo impedimento dirimenti Pontifici expresso, aliud dirimens detegatur, tunc, si hoc publicum sit, denuo supplicari debebit ad Sanctiss. eidem narrando totum factum prout se habet, nempe Oratores alias ob tale impedimentum, & ex tali causa, Literas à Sede Apostolica obtinuisse, directas Vicario, per quas imponebatur, &c. & narretur tota series facti, repetendo tenorem Supplicationis antea porrectæ, & rescripti desuper emanati, faciendo insuper mentionem de præsentatione Literarum jam Delegato facta, & dispensatione sequuta, & quod postmodum ad eorum devenit notitiam ultra impedimentum, super quo jam fuerunt dispensati, aliud dirimens existere (exprimendo quale sit) & quod, si divortium fieret (quatenus Matrimonium jam contractum sit) vel ob
75 aliam causam (si adhuc contractum non fuerit) gravia exinde imminerent scandala, & propterea petant, &c. Et tunc super dicta nova supplicatione concedi solent Literæ in forma *Perinde valere*; per quas committitur ordinario, ut negotium reassumens Literasque primas valere decernens, servata alias earum forma, dispenset, &c. perinde ac si in primis Literis expressum fuisset ipsos Oratores, non solo v. gr. tertio consanguinitatis, sed duplici Tertio, &c. esse conjunctos; prolem, &c. legitimam nunciando, &c. *Vide infra lib.* 3. de hac re late dicimus, & hujusmodi Literarum formulam apponimus.

At si Impedimentum, quod detegeretur esse occultum, vide quæ dicimus infra.

Quod si è converso fuissent per errorem Pontifici 76
in supplicatione expressa duo, vel plura impedimenta, sed coram delegato, ex informationibus habitis, non reperirentur ea omnia adesse, sed id per errorem expressum fuisset, sufficiet eo casu dispensari super impedimento, quod vere adest, quia cum partes Rescripti separatæ sint, & cesset fraus; rescriptum in ea parte, qua verum est, sustinetur, & utile per inutile non vitiatur, & ita passim practicari testatur Pirrhus Corradus *in praxi dispens. Apost. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 80. *& lib.* 8. *cap.* 1. *nu.* 31.

Si tamen post Matrimonium contractum aliquod 77
detegeretur impedimentum, super quo petenda esset dispensatio, debebit de necessitate exprimi, an pro Matrimonio contracto præcesserint legitimæ denuntiationes, vel saltem de licentia ordinarii omissæ sint, & an dicta licentia fuerit fraudolenter extorta, alias dispensatio subsequuta erit nulla, & invalida per ea, quæ dicimus *lib.* 3.

Porro si plura impedimenta extent inter contrahere 78
volentes, quæ non possint alia via, quam dispensationis, tolli, ea omnia exprimi debent, ad hoc ut 79
per dispensationem tollantur; uno namque sublato remanet aliud; Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 13. *nu.* 85. *& seqq.* Bellam. *dec.* 697. *num.* 2. Navarr. *de Horis Canonicis num.* 638. Gar. *de benef. par.* 8. *cap.* 3. *num.* 54. Fragosius *l. cit. num.* 321. responsa Marantæ *respons.* 69. *nu.* 36. *part.* 4. Carolus de Grassis *de eff. Cleric. eff.* 4. *n.* 56. Gratianus *discept. forens. cap.* 96 *n.* 8. *& num.* 16. *tom.* 1. Balth. de Thomasis *prima Decade tract.* 1. *titulo* 16. *num.* 10. Et dispensatio 80
facta super uno defectu, & impedimento, non protrahitur ad aliud; Afflictus *dec.* 320. *nu.* 12. Gamb. *de Off. & Auct. Legati lib.* 10. *nu.* 214. Alex. Sperell. *dec.* 112. *n.* 23. Duardus *de Censib. tom.* 1. §. 1. *quæst.* 12. *nu.* 36. Nec unquam censetur Papam voluisse sanare defectus, quos ignorat *capit. si eo tempore* 9. *de rescript. in* 6. Ludovis. *dec.* 164. *num.* 6. Pirrhus Corradus *in Praxi dispens. Apost. lib.* 1. *c.* 2. *nu.* 2. Unde tot sunt necessariæ dispensationes, quot obstacula sunt, ac impedimenta, Rota *dec.* 233. *num.* 22. *par.* 1. *divers.* Gonzal. *Glossa* 13. *nu.* 97. Ludov. *dec.* 87. *n.* 16. *in annot. & decis.* 209. *num.* 6. Responsa Marantæ *respons.* 69. *n.* 38. *part.* 4. Gratianus *disceptat. forens. cap.* 397. *nu.* 39. *tom.* 2. Sperell. *l.c. num.* 24. Quia dispensatio Pontificis ea sola impedimenta comprehendit, quæ fuerunt expressa; Puteus *dec.* 39. *lib.* 3. Paris. *cons.* 143. *nu.* 25. *part.* 4. Pat. Leo *in Praxi S. Pœnitentiariæ part.* 1. Ubi de forma commut. Cælibatus *vers. Præmissis*, *pag. mihi* 122. & ita impedimenta exprimi debent, ut quod certum est, non ponatur pro dubio; alias dispensatio nulla, & invalida erit; Coninck *de Sacram. disp.* 33. *dub.* 6. *num.* 70. Sanchez *libr.* 8. *d. disp.* 21. *nu.* 40. Bonaccina *de leg. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 7. Anton. de Escobar *Theol. Mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 3. *vers. Estne validum*. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 387. quia cum eo casu error sit in substantia rei, in qua dispensatur, vitiatur dispensatio.

Sed difficultas est, an omnia Impedimenta debeant 81
simul in eadem supplicatione explicari Pontifici; & quidem sunt, qui putant posse separatim exponi; ea præcipuè ratione, quod ligatus pluribus Excommunicationibus potest absolutionem ab una petere, & alias tacere; Ita sentiunt Sa, verbo *dispensatio num.* 16. Navarr. *l.* 4. *consil. titulo de cons.* 1. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 15. *in fine*; Genuens. *in Praxi Archiepiscopalis Curiæ Neapolitanæ cap.* 20. *num.* 8. *in fine*; Sayrus *in Floribus l.* 1. *tit.* 3. *dec.* 3. Fragosius *n.* 323. 82

His tamen non obstantibus, quicquid forsan circa alias materias in contrarium dici posset, certum est, omnia impedimenta simul, & in eadem Supplicatione in

ne in impetratione Matrimonialium dispensationum
88 exprimi debere; duo etenim, vel plura impedimenta, quando ad unum, eundemque finem (ut in casu nostro) tendunt, & unum auget aliud, fortius ligant, quam unum; & Papa difficilius dispensat
89 cum habente plura impedimenta, quam cum habente unum (ut est notum) ideo quoad hujusmodi dispensationum impetrationes omnia impedimenta simul in eadem supplicatione exprimi debere, expresse docent, Cævallos *Comm. contra Comm. quæst.* 829. *num.* 1. Responsa Marantæ *respons.* 20. *numer.* 36. *par.* 1. Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell.* §. 3. *Proœm. num.* 67. *& Gloss.* 13. *nu.* 92. Gratianus *discept. forens. cap.* 827. *n.* 19. Joannes della Crux *in directorio cas. conscientiæ quæst.* 4. *art.* 6. *dub.* 16. *concl.* 1. Suarez *de leg. lib.* 6. *cap.* 24. *litera B. col.* 2. *nu.* 2. Franciscus Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 404. *& nu.* 451. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 23. *numer.* 2. *& disput.* 21. *numer.* 71. *& num.* 72. Bonaccina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. *& punct.* 9. *num.* 1. Diana *par.* 1. *tract.* 10. *resol.* 39. *& part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 25. Coninck *dict. disp.* 33. *dub.* 2. *nu.* 21. *& num.* 73. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 326. Raphael Aversa *de Matrim. quæst.* 19. *sect.* 5. Laymanus *Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 19. Trullenck *Opere Moral tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 4. *num.* 1. Reginaldus *lib.* 31. *cap.* 26. *n.* 200. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *capit.* 17. *§.* 5. *n.* 25. Escobar *Theol. Mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *vers. Habetur quis.* Salgado *labyrinto Creditor. par.* 1. *cap.* 28. *numer.* 4. Marcus Paulus Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiar. part.* 2. ubi de secundo, ex actu fornicario de Contract. *vers. Nihilominus pag. mihi* 266. optime Garcia *de benef. part.* 8. *cap.* 3. *numer.* 54. & novissime Balthassar de Thomasis *l. cit.* Et sic se habere stilum Curiæ testantur Merolla, & Marcus Paulus Leo *ll. cc.* Ratio est, quia dicta plura impedimenta simul conficiunt quandam indecentiam, ac repugnantiam cum Matrimonio contrahendo, majorem, quam singula conficerent, ut est duplex consanguinitas, vel affinitas, sive consanguinitas, & affinitas simul, respectu earumdem Persona-
90 rum. Et etiam quia, si ipse Papa non intelligat quantitatem gratiæ, quam facit in eodem Matrimonio, non potest eam velle, & consequenter ex ea taciturnitate, & ignorantia rescriptum vitiatur, ut docent plerique Doctores supra citati. Unde si dispensatio super aliquo ex impedimentis fuisset obtenta, tacitis aliis, quæ ad unum eundemque finem tendunt, non solum ea dispensatio nulla, & irrita erit, sed
91 oportebit novas Literas in forma *Perinde valere* impetrare, narrando in nova supplicatione omnia Impedimenta, & quod super uno ex eis (specificando quale sit) Oratores fuerunt jam dispensati; & tunc Pontifex committere solet ordinario, ut deposita omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, &c. negocium reassumens, Literasque primas valere decernens, dispenset, & prolem legitimet. Nec juvaret
92 ad sustinendam dictam dispensationem ignorantia, & bona fides Oratorum, & quod absque dolo dicta alia impedimenta tacuissent; quia simplicitas excusabit quidem Oratores à culpa, sed non poterit efficere, ut dispensatio, quæ nulla est, validetur, ut docet Sanchez *lib.* 8. *disp.* 23. *numer.* 3. & nos diximus supra.

93 Prædictam conclusionem limitant, ut non habeat locum, si Impedimenta non se contingant, sed sint diversæ rationis; ut si Orator, qui petit dispensationem super Impedimento dirimenti, habeat etiam Votum Castitatis, vel Religionis, quia tunc, si adsint
94 causæ sufficientes, saltem ad commutandum, poterit prius impetrari dispensatio, seu commutatio super Voto, & deinde super impedimento dirimenti, juxta Doctrinam Ægidii de Coninck *l. c.* Sanchez *dict. disp.* 23. *nu.* 4. Pontii *lib.* 8. *cap.* 17. *§.* 4. *num.* 22. Layman. *d. cap.* 22. *num.* 21. Garciæ *d. cap.* 3. *num.* 64. Merolla *d. cap.* 6. *num.* 454. Navarr. *lib.* 4. *consil. titulo de Privileg. cons.* 12. *in* 1. *edit.* Et faciunt d. per Merlin. Pignatell. *controv. forens. cent.* 2. *capit.*
95 15. *n.* 1. *& n.* 11. Nec relevant, quæ in contrarium docet Bonacc. *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 14. quia hæc Impedimenta vere diversæ sunt rationis, & ob id non constituunt unam, eandemque repugnantiam respectu Matrimonii contrahendi; nec impedimentum Voti auget difficultatem in sui ablationem, sed potius periculum Incontinentiæ, quod solet esse causa dispensationis in hujusmodi Voto, facilitat ad Matrimonium, nec ita afficit aliud Impedimentum dirimens, ut debeat simul cum illo de necessitate explicari, ut docent Doctores præcitati; imo Aversa *de Matrimonio quæst.* 19. *sectio.* 5. *vers. juxta has rationes*, admittit posse non solum peti dispensationem Impedimenti dirimentis, sed etiam posse dispen- 96
sari à Voto post impetratam super ipso dirimenti dispensationem: Nobis tamen magis probatur Doctrina Sanchez, & Merolla, & aliorum supra citatorum, & magis tuta videtur; quia sublato Voto solum remanet impedimentum consanguinitatis, vel Affinitatis, & de eo solo tunc sufficit facere mentionem.

Intellige tamen de Voto Castitatis, vel Religio- 97
nis, quod ipsi Pontifici reservatur, quia si emissum fuisset ante annos Pubertatis, nec postmodum ratificatum, posset hujusmodi Votum à Parentibus irritari, & sic alia via, quam dispensationis tolli; & sic
etiam dato, quod in eo Voto posset Episcopus dispen- 98
sare, poterit super illo impetrari dispensatio, eaque obtenta, recurri ad Pontificem pro dispensatione super Impedimento dirimenti. Simili modo si petens dis- 99
spensationem ad ducendam Consanguineam esset ligatus Sponsalibus de futuro cum Fœmina, posset impetrare dispensationem super consanguinitate, nulla de Sponsalibus facta mentione; dummodo antequam Matrimonium contrahatur cum consanguinea, ea Sponsalia sibi à dicta Fœmina remittantur, quia cum possint Sponsalia à dicta Fœmina absque Pontificis dispensatione remitti, vel aliter irrita sint, non est opus illa narrare Pontifici; si tamen a dicta Fœmina non remitterentur, non posset contrahi Matrimonium, nisi super ipsis Sponsalibus à Pontifice dispensaretur; vide Sanchez *lib.* 8. *dict. disp.* 23. *num.* 6. *& disp.* 27. *numer.* 4. Bonaccina *de Leg. disput.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 9. *numer.* 1. Layman. *d. capit.* 22. *numer.* 19. 100
Nota tamen, quod difficillime, & non nisi ex urgentissimis causis Pontifex dispensationem super hujusmodi Sponsalibus concedit; attento præjudicio ipsius Fœminæ; cum Papa non intendat Juri Tertii præjudicare, nisi ex justissima causa moveatur, ut dixi- 101
mus. Quid autem dicendum sit, si post impetratas à Pontifice Literas dispensationis Delegato commissæ, sed nondum exequutæ; & quid, si post factam dispen- 102
sationem, sed non dum exequutam, superveniret affinitas, videbimus capp. seqq.

Limita secundo, & dic, posse impedimenta separatim exponi, quamvis etiam se contingant, & unum augeatur ab alio, & ad unum eundemque finem tendant, & repugnent Matrimonio contrahendo, quando aliqua ex dictis impedimentis sunt publica, & re- 103
liqua occulta, quia tunc pro publicis peti poterit dispensatio in Dataria, vel Cancellaria, seu Secretaria, secundum qualitatem impedimentorum, ut diximus *Cap.* 3. & pro occultis recurri ad Sacram Pœnitentiariam pro solo Conscientiæ foro. Exempli gratia; Petrus intendit ducere Bertam suam consanguineam infra quartum Gradum, cujus Sororem, vel Matrem, seu Filiam ipse Petrus antea secreto cognovit; poterit peti dispensatio super consanguinitate, quæ publica est, à Pontifice, tacita affinitate ob justam causam, quam habet, se Bertam, & alias ab ipso cognitas non infamandi; & deinde pro affinitate, quæ occul- 104
ta est, recurrere ad Prætorium Sacræ Pœnitentiariæ, in quo cum non exprimantur Oratorum nomina, sed tantum dicatur *Ex parte latoris præsentium*, non est periculum manifestationis. Quamvis autem pro solis occultis impedimentis Matrimonialibus habeatur recursus ad ipsam Sacram Pœnitentiariam, de-
bebunt nihilominus ibi exponi non solum occulta, 105
sed etiam publica impedimenta, quæ extant inter Oratores, exponendo qualia præcise sint, & quod super dictis publicis Papa jam dispensavit, vel de proximo dispensaturus est. Et sic de necessitate ex-

primi debet, ad hoc, ut, per forum Pœnitentiariæ omnia Impedimenta simul proponantur Pontifici, & per dictam integram Impedimentorum expressionem ipse Pontifex sciat, quot, & quæ sint Impedimenta, super quibus Oratores egent dispensari, &
106 sic in Praxi servatur. Nec refert, si prius à Summo Pontifice super publicis, vel à Sacra Pœnitentiaria super occultis petita sit Dispensatio; vide Pontium *de Matrim. §.* 4. *n.* 23. Sanchez *num.* 2. Trullenck *d. dub.* 4. *n.* 2. & Bonacina *ll. cc.*

107 Si quis autem vellet Dispensationem à Pontifice Impetrare super aliquo Crimine, quod vero commisit; & licet de eo data fuerit notitia in foro contentioso, cum tamen non fuerit plene probatum, vel fuit absolutus, vel aliqua arbitraria pœna punitus; tunc, ne se prodat, poterit narrare Pontifici in foro externo, quod de tali crimine diffamatus fuit, & defectu Probationum absolutus, vel arbitraria pœna punitus, prout factum se habet; Deinde debebit recurrere ad Sacram Pœnitentiariam, & exponere veritatem facti, & quod in petenda Dispensatione à Summo Pontifice, & ne se proderet, exposuit tali modo, &c. quia, ut diximus, cum in dicto Tribunali non exprimantur Nomina Oratorum, non est periculum, quòd Crimen manifestetur; Ita Pontius *l. c.* Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 22. qui exemplificat casum in eo, qui Uxorem interfecit animo ducendi Concubinam, & ob id cum fuerit in foro contentioso, & judiciario; delatus, non tamen convictus aliqua fuit arbitraria pœna punitus, quia si postea velit Concubinam ducere, poterit in petitione Dispensationis explicare, ut supra dictum fuit, &
108 veritatem Pœnitentiariæ narrare; At si occidisset Uxorem, sed absque animo ducendi Concubinam; tunc si Concubinam ducere velit, docet sufficere, ut exprimat Pontifici fuisse sibi oppositum Impedimentum interfectionis Uxoris, cum verè non interfecerit, & se Dispensationem petere, ut foro externo satisfaciat; Nec in hoc mentitur, quamvis coram Delegato juret preces veras esse, quia machinatio, absque animo ducendi Concubinam, non dirimit Matrimonium; & quamvis antiquo tempore impedierit, hodie tamen est ab usu sublatum; ut bene idem Sanchez *l. c.* Et si hic dicit non occidisse, intelligitur non occidisse, quatenus d. occisio sit Impedimentum ad Matrimonium.

109 Qua autem circumspectione, & cautela se gerere debeant Oratores, qui cum Impedimento dirimenti, ab eis crasse ignorato, Matrimonium contraxere, fuse docet Sanchez *lib.* 8. *tota disp.* 25. & nos diximus *lib.* 3. *cap.* 15.

Nec solum exprimi debent Pontifici omnia Impedimenta simul in petenda Dispensatione, ut diximus, sed narrari debebit etiam Inabilitas, si quæ
110 sit in Oratoribus dispensari petentibus; ut si ipsi; vel eorum alter sit puer, impubes, furiosus, vel aliter de jure inhabilis ad contrahendum, & gratiam consequendam; alias Dispensatio subreptitia erit, & nulla, ob præsumptam voluntatem Pontificis eo casu Dispensationem verisimiliter non concessuri; Constat *ex Cap Si motu proprio* 23 *de Præb. in* 6. & expresse docent Petrus Rebuff. *in Praxi Benef. ubi de Mandatis Apostolicis num.* 19. *pag. mihi* 67. Sylvester *verbo Rescriptum quæst.* 6. *vers. Addo etiam*. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 49. Mantica *decis.* 122. *numer.* 3. *& num.* 8. Caputaquens. *decis.* 43. *num.* 8. *part.* 2. Silva *de Benef. part.* 3. *quæst.* 12. *num.* 17. Merolla *tom.* 2. *dis.* 4. *cap.* 6. *numer.* 390. ubi ex Sylvestro, & San-
111 chez ampliat, vitiari eo Casu Dispensationem, quam-
112 vis motu proprio facta sit, Papa enim dum super Impedimento proposito dispensat, non intendit approbare id, quod alias male, & nulliter à contrahentibus factum sit, nec aliud Impedimentum sibi non expressum amovere; unde sublato proposito Impedimento remanent alia, quæ non fuerunt expressa, & sublata, ut supra diximus. Si in Dispensa-
113 tione, quæ petitur, Jus Tertii ledatur, debet id exprimi; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 50. Merolla *d. cap.* 6. *numer.* 391. alias Dispensatio nulla erit, & irrita, quia Papa nunquam præsumitur velle Juri Tertii præjudicare, nisi apertissime exprimat, ut diximus *Cap.* 2.

Si Vidua contrahere velit cum Consanguineo, vel Affine intra Gradus prohibitos, existimat Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. §. *ultimo*, teneri in Dispensatione petenda de qualitate Viduitatis mentionem facere, præsertim si filios ex primo Matrimonio susceperit; aliàs Dispensationem obtentam videri subreptitiam, quamvis ex ignorantia hæc Viduitatis qualitas tacita sit; quia Leges de hujusmodi Viduis maritandis nullam curam habent, sed solum de Virginibus, aut aliàs innuptis Mulieribus maritandis, & ad hæc probanda allegatur ab ipso *Authent. Cui relicto C. de Indicta Viduitate*; Quidquid tamen ipse dicat, id non servatur in Praxi, & quotidie videmus concedi Literas Apostolicas Dispensationum Matrimonialium eadem facultate, & pari modo, tam si hæc qualitas exprimatur, quam si taceatur, nec umquam vidi, nec audivi super hoc fuisse factam oppositionem, nisi eo solo casu, quo ob ætatem Mulieris petita fuisset Dispensatio, quia ob dictam causam non conceditur Dispensatio ipsis Viduis, & propterea in Literis Dispensationum, quæ ob dictam causam ætatis conceduntur, Clausula, quòd dicta Oratrix vigesimum quartum annum, & ultra agens hactenus virum paris conditionis cui nubere possit, non invenit, per quam Dictionem *Hactenus*, excluduntur Viduæ, & consequenter si taceretur eo casu qualitas Viduitatis, subreptitia esset Dispensatio

Cæterum ita exprimenda sunt Impedimenta in Dispensatione ad contrahendum petenda, ut singula in propria specie, & gradu, & cum necessariis circumstantiis exponantur, nec unum pro alio, nec certum pro dubio, vel è contra, supponatur; quia si unum pro alio, nec in sua specie, & existentia proponatur, non valebit Dispensatio, cum neutrum Impedimentum ob id auferatur; non etenim amovetur id, quod falso narratur, cum vere non extet; nec id, quod verum est, si subticeatur, vel in dubio proponatur; Et propterea ne Dispensationes Matrimoniales obreptionis, vel subreptionis vitio subjaceant, erunt infrascripta respective exprimenda.

Quoad Impedimentum Consanguinitatis exprimi debebunt præcisi Gradus, quibus Oratores sunt conjuncti, ut si sint in Secundo, Tertio, vel alio Gradu; Nec sufficiet dicere in genere, se esse Consanguineos, alias Dispensatio non valebit; cum defectus sit in qualitate necessario exprimenda, ut inter alios docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 23. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *c.* 10. *n.* 327.

An ex uno Communi, seu potius ex diversis stipitibus proveniat Consanguinitas, omnes suos gradus explicando, quia quo propinquior est Gradus, & quo majora sunt Impedimenta, eo difficilior Dispensatio redditur; Filiuccius *d. n.* 327. *&* 328. Sanchez *d. disp.* 24. *n.* 5. Aversa *de Matrim. d. q.* 19. *sect.* 5. *vers. Affirmandum tamen*.

An distantia Graduum Consanguinitatis sit in linea recta, vel transversali, quia in illa non dispensatur, non solum in primo Gradu, sed nec umquam in aliquo ejus Gradu dispensatum fuisse legitur: imo non desunt, qui probabiliter asserant, in hujusmodi linea in infinitum esse prohibitum Matrimonium, ut dicimus *lib.* 2.

An Oratores, qui sunt infra secundum Gradum conjuncti, distent in Gradu inæquali, & Fœmina sit proximior stipiti, quia id pariter exprimi debet, ob maximam indecentiam, quæ inde resultat ex eo, quod Matertera, vel Amita, quæ jure naturæ superior est, subdatur Viro in Matrimonio; Sanchez *l. c. num.* 12. Bonacina *de Legibus disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 16. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 6. *n.* 9. Filiuccius *l. c.* Et hoc casu Papa vel non dispensat, vel difficillime concedit.

Si Oratores distent in inæquali Gradu, (ut si distent tertio, & quarto, à communi stipite provenientibus, Consanguinitatis gradibus) de stylo Curiæ debet uterque Gradus in Supplicatione exprimi, ad hoc ut super remotiori dispensetur, & super propinquiori concedantur Literæ declaratoriæ,

quod

quod ejus distantia non obest: quæ Literæ, quam-
123 vis antiquo tempore necessariæ non fuissent, hodie tamen consuetudine legitimè introducta necessariæ sunt, itaut illis non obtentis Matrimonium contrahi non possit, & sic declarasse Urbanum Octavum Summum Pontificem refert Barbosa *in votis Canonicis*, quem nos propterea referimus *lib.* 2. Unde quamvis verissimum sit, quod in linea inæquali super solo remotiori Gradu dispensatio necessaria sit, per ea, quæ dicimus *dict. Capitul.* unde non videatur necessarium exprimere eo casu gradum propinquiorem, nihilominus quia alterum Collateralem esse propinquiorem stipiti efficit dispensationem in eo gradu
124 difficiliorem, ideo id totum in eadem supplicatione exprimendum erit in petenda dispensatione, ut docent Molina *de Just. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 161. Diana *part.* 8. *tractat.* 3. *resol.* 60. Nec quoad hoc audiendi sunt Pontius *num.* 27. & Aversa *vers. Excipit etiam ll. cc.* contrarium docentes; Hodie tamen de stylo Curiæ dispensatio super Remotiori, & declaratio super Propinquiori unica Bulla conceduntur, ut est notum; quod idem suo tempore servatum fuisse testatur Franciscus Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 2. *capit.* 8. *numer.* 45. Et eo magis exprimi debet propinquior gradus, si is esset primus, cum propterea emanaverit specialis Bulla Pii V. Anno 1566. die 26.
125 Augusti, unde si Orator esset v. gr. Patruus, vel Avunculus magnus Oratricis, vel si quis vellet contrahere cum Sorore sui Patris, vel Matris, vel Avi, seu Aviæ, vel Proavi, seu Proaviæ, id necessario exprimi debebit, quia in his Gradibus Papa non solet dispensare, & difficillime dispensat ob singularem indecentiam, quæ ex hujusmodi conjugiis resultat; quia ut bene animadvertit Coninck *d. disp.* 34. *num.* 72. eadem fere reverentia istis personis debetur, quæ parentibus ipsis debita est.

Et cum hoc casu agatur de dispensatione insolita, quamvis aliæ, quæ solitæ sunt concedi, spatio triginta annorum præsumantur, ut docet Puteus *decisio* 257. *numer.* 3. *libr.* 3. illæ tamen, quæ non
126 sunt solitæ, nec spatio quadraginta annorum præsumuntur: idem Puteus *decision.* 139. *numer.* 3. *eodem libro.*

Id tamen est singulare, quod si Oratores sint in primo, & secundo ex communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus, uterque gradus con-
127 stituit de per se impedimentum, & propterea non dispensatur solum super secundo remotiori, nec dantur Literæ Declaratoriæ super primo, ut in aliis casibus fit, sed debet dispensari super utroque gradu, sic dicendo, *quod impedimento primi, ac etiam secundi consanguinitatis Graduum hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Matrimonium inter sese publice, &c.* Et sic se habet notorius Curiæ stylus, ut dicemus *lib.* 2.

128 Dictus stylus Curiæ servat, ut, si Oratores sint infra secundum gradum, debeat etiam exprimi provenientia ejusdem Consanguinitatis, sic dicendo, quod ipsi sunt conjuncti v. gr. secundo consanguinitatis gradu ex eo proveniente, quia Orator est Patruus Oratricis, vel aliter, prout res se habet, quia in his gradibus tam propinquis Papa vult scire omnes qualitates præcise: Quod idem servatur etiam in primo, & se-
129 cundo ex actu fornicario, teste Pirrho Corrado *in Praxi dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 22. 23. *&* 24.
130 Alii tamen probabilius docent in hujusmodi Affinitate, non requiri de necessitate expressionem hujusmodi provenientiæ; Ita inter alios docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 25. Bonaccina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *punctо* 5. *n.* 18.

131 Si in expressione graduum fieret error, tunc si fuisset expressus major pro minori (dummodo sit in eadem specie) valebit dispensatio, quia eo ipso, quod
132 Papa dispensat super superiori, virtualiter, & formaliter in illo continetur minor in eodem ordine, & eadem specie; Rodriquez *in Summa tom.* 1. *cap.* 237. *numer.* 3. Sanchez *libr.* 8. *disp.* 24. *numer.* 27. Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *n.* 31. Bonaccina *d. punctо* 5. *num.* 15. Aversa *de Matrimon. quæst.* 19. *sectio.* 5. *vers.* 5.

Trullenck *d. dub.* 4. *n.* 6. Escobar *tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *vers. Est ne dispensatio;* Quia in gradu superiori includitur inferior ejusdem ordinis, & speciei: Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *par.* 2. *capit.* 10. *nnmer.* 327. Sperellius *decis.* 112. *num.* 16. Bonaccina *l. cit.* Esset quidem subreptitia dispensatio, si loco majoris 133
impedimenti, quod vere extat, fuisset suppositum aliud minus, quia tunc esset error circa substantiam ipsius dispensationis, & nullatenus eo casu in dicto gradu superiori dispensaretur, utpote qui nec formaliter, nec virtualiter includitur in minori; Sanchez *d. disp.* 24. *num.* 5. Barbosa *in votis Canonicis lib.* 1. *voto* 4. *numer.* 13. Rota *decis.* 117. *numer.* 2. *part.* 3. *diversor. libr.* 1. eo maxime, quod dispensatio difficilius, & cum majori compositione conceditur in propinquiori, quam in remotiori Gradu, ut alibi dici- 134
mus; Idque verum est, quamvis absque dolo, sed bona fide factum sit, quia licet eo casu Oratores excusentur à culpa, non tamen valebit Dispensatio; Pontius *numer.* 31. Sanchez *numer.* 18. *ll. cc.* Error 135
enim, quantumcumque culpa carens, non efficit, nec efficere potest, ut rescriptum extendatur ad casum, qui sub ejus verbis non comprehenditur, quamvis etiam simili modo Pontifex concessisset, si petitus fuisset; Sanchez *lib.* 8. *disput.* 21. *numer.* 39. Pirrhus Corrad. *in d. Praxi dispensat. Apost. lib.* 7. *capit.* 5. *n.* 29. Et nos alibi diximus.

Dixi, si impedimentum sit in eadem specie, quia si 136
error contingeret in diversa specie, ut si diceretur, impedimentum esse consanguinitatis, cum esset affinitatis, vel è contra, &c. subreptitia esset dispensatio, li- 137
cet cum eadem compositione, in paritate graduum, 138
dispensetur in consanguinitate, ac in affinitate, quia 139
cum consanguinitas, & affinitas sint impedimenta diversæ speciei, dispensando in consanguinitate, non dispensatur in affinitate, nec e contra; Imo ob dictam rationem non solum erit subreptitia dispensa- 140
tio, si loco consanguinitatis, quæ majus, & fortius est Impedimentum, expressa fuisset Affinitas, quæ minus est vinculum, & super ea facilius Papa dispensare solet, sed & nulla, ac invalida erit Dispensatio, quamvis loco affinitatis expressa fuisset consanguinitas, unde concesso quod majus est, videretur concessum quod minus; Ita expresse docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 19 Coninck *disput.* 33. *dub.* 2. *numer.* 13. Bonaccina *dict. punctо* 5. *numer.* 8. Filiuccius *dict. numer.* 327. *in fine*; Stephanus à S. Gregorio *univ. tract. de Vinculis Div. Pietat. lib.* 3. *capit.* 113. *num.* 7. Escobar, Pontius, Aversa, & Trullenck *ll. cc.* Ita etiam Lessius *de Just. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 11. *n.* 79. Gutierez *de Matrim. cap.* 124. *n.* 10. Pirrhus Corradus *d. cap.* 5. *n.* 71. *& num.* 72. 141
Et sic videmus, quod in facultatibus, quæ dantur à Pontifice Legatis, vel Nunciis Apostolicis, seu aliis, ut dispensare possint super impedimentis dirimentibus, semper dicitur, ut dispensare possint super impedimentis consanguinitatis, vel affinitatis; quæ dictio, 142
Vel, cum sit alternativa, ponitur inter diversa; Lotherius *de re benef. lib.* 3. *quæst.* 37. *n.* 37. Gonzales *ad reg.* 8. *Cancell. Glossa* 52. *n.* 3. & novissime celebratissimus Doctor noster Lælius Altogradus *libr.* 2. *cons.* 13. *numer.* 8. Bertazzol. *de Claus. in repetit. Legis, si quis major quæst.* 22. *numer.* 356. Unde cum consanguinitas, & affinitas sint impedimenta omnino diversa, non valebit dispensatio facta super consanguinitate, si impedimentum affinitas sit, vel è contra, cum de diversis non fiat illatio *leg. Papianus Exul. ff. de minor.* Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 24. *numer.* 83. Marius Antonin. *var. resol. lib.* 2. *resol.* 106. *numer.* 42. Paris. *de resignat. lib.* 11. *quæst.* 8. *num.* 8. Stai. *de Interesse lib.* 2. *titulo* 16. *quæst.* 5. *numer.* 20.

Amplia, & dic dispensationem eo casu subreptitiam 143
esse, quamvis etiam ex communi errore Oratores putarentur esse in tali Gradu, v. gr. consanguinitatis, cum sint in eodem affinitatis, vel è contra, quia proposito in supplicatione impedimento v. gr. Con- 144
sanguinitatis, Papa censetur se fundare solum super narratis; Rota coram Durano *decisio.* 147. *numer.* 7. *part.* 1. cum nunquam dispensare intendat su- 145

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

per impedimentis non expressis ; Rota *in novissimis dec.* 350. *n.* 20. Rota coram Pœnia *dec.* 350. *nu.* 20. Franciscus Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 2. *capit.* 8. *num.* 49. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 20. Bonaccina *d. puncto* 5. *n.* 8. & sic Dispensatio non operatur ultra mentem Pontificis, qui, ut diximus, se fundat tantum super narratis in supplicatione ; & actus non operatur ultra intentionem agentis *l. non omnis initio ff. si certum petatur* ; Rota inter decis. impressas per Ludovicum Cencium post *tract. de Cens. dec.* 205. *num.* 2. *& decis.* 272. *num.* 10. Paris. *de resignat. libr.* 1. *quæst.* 3. *num.* 35. Lælius Altogradi *cons.* 45. *numer.* 40. *lib. prim.* Hieronymus Palma *conseq.* 38. *num.* 24.

146 Quando tamen Impedimentum, quod Pontifici proponeretur, esset unicæ speciei, nempe vel consanguinitatis, vel affinitatis, tunc valebit Dispensatio, si Impedimentum alternative proponatur, dicendo esse vel Consanguinitatis, vel Affinitatis ; tunc etenim dispensationem concedendo, Papa intendit amovere Impedimentum propositum, sive consanguinitatis, sive Affinitatis sit : Hac cautela uti solent practici sollicitatores in petenda dispensatione, quando ignorant impedimentum esse consanguinitatis, vel affinitatis, unde sufficiet postea in una specie coram Delegato verificari, cum in alternativis id sufficiat *Regula in alternativis* 70. *de Regul. Jur. in* 6. Rota *dec.* 569. *numer.* 2. *part.* 1. *recent. & decis.* 611. *numer.* 3. *part.* 3. *recent.* Rota coram Durano *decisio* 103. *numer.* 3. Zerola *in Praxi Episc. part.* 1. *verbo rescriptum* §. 5. Lælius Altogradi *cons.* 33. *numero* 6. *lib.* 2. Id tamen non admittitur si Impedimenta, quæ exponerentur alternative, essent partim consanguinitatis, & partim affinitatis, quia tunc exprimi debet distinctim in quo Gradu consanguinitatis, & in quibus affinitatis impedimenta sint, & ita se habet stylus Curiæ ; vide Pyrrum Corradum *in Praxi Dispensation. libr.* 7. *capit.* 5. *numer.* 73.

148 Pro impedimentis affinitatis, & Publicæ Honestatis explicandi sunt Gradus, quibus inter se distant contrahere volentes, ut de Consanguinitate diximus.

149 Item, an Affinitas, vel Honestas ex uno, vel ex pluribus stipitibus insurgant, ut quia Orator unam, vel plures Sorores, vel Matrem, seu Filiam Oratricis cognovisset.

An antea contraxisset Matrimonium cum duplici consanguinea intra quartum gradum personæ, quam quis ducere intendit ; quia tunc ex duplici capite impeditur ; Sanchez *lib.* 8. *d. disp.* 24. *à nu.* 4. Coninck *disp.* 33. *dub.* 6. *n.* 81. Laymanus *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *numer.* 19. Garc. *de benef. part.* 8. *capit.* 3. *numer.* 88. Pontius *d. cap.* 17. §. 5. *num.* 25. Filiuccius *l. c. num.* 329.

150 An affinitas sit in linea recta, vel transversali ; cum facilius in ista, quam in illa dispensetur.

151 An ex Matrimonio rato, vel consummato, vel potius ex illicita copula insurgat impedimentum, quia in hac longe facilius dispensatur.

An ex solis sponsalibus, vel ex Matrimonio rato

152 oriatur Honestas ; quia ex Matrimonio fortius vinculum oritur, ut animadvertunt Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 4. *n.* 10. Sanchez *n.* 26. Filiuccius *num.* 330. *ll. cc.*

153 In petenda dispensatione super Affinitate, non erit opus exprimere, quod Fœmina sit propinquior stipiti, ut respectu consanguinitatis jam diximus ; sed satis erit describere inæqualitatem Graduum, quia non est in affinitate ea peculiaris indecentia contrahere cum hujusmodi personis, prout est contrahendo cum consanguineis ; Filiuccius *l. c.* Trullenck *d. dub.* 4. *numer.* 9.

154 Quando ex copula illicita consurgit Affinitas, & sic etiam dum ex solis Sponsalibus procedit Honestas, sufficiet dicere in genere dd. Impedimenta subesse ; & quamvis diceretur eadem ex conjugio orta fuisse ; valeret dispensatio ; quæ tamen è converso irrita esset, si ex Matrimonio affinitas, vel publica honestas insurgerent, & id non fuisset expressum ; quia tunc duo impedimenta sunt, nempe affinitas, & honestas ; Sanchez *numer.* 40. & Trullenck *numer.* 11. *ll. cc.*

Si tamen diceretur honestatem esse in secundo, vel tertio, seu quarto gradibus, non esset opus exprimere, quod procederet ex Matrimonio rato ; quia satis constat impedimentum publicæ honestatis ultra primum gradum, non aliunde consurgere, quam ex Matrimonio rato ; Sanchez *dict. disp.* 24. *numer.* 39. Trullenck *d. dubio* 4. *n.* 10. *in fine*. Quod si honestas insurgeret ex Matrimonio rato, & Oratores essent in gradu inæquali, sufficeret exprimere remotiorem, ut jure communi disponitur, quia constitutio Pii Quinti, qua decernitur necessarias esse Literas declaratorias super gradu proximiori, loquitur tantum de consanguinitate, & affinitate ; Pontius *nu.* 26. *l. c.* Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 27.

Si quis haberet tantummodo impedimentum publicæ honestatis procedens ex Matrimonio rato, & non consummato cum Sorore Fœminæ, quam ducere intendit, valide dispensaretur, si exponeret se habere cum illa affinitatem ex Matrimonio consummato ; quia in hujusmodi affinitate includitur illa honestas : Unde dum Pontifex intendit per dispensationem auferre impedimentum affinitatis, eo ipso aufert illud honestatis ; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 38. Pontius *dict. c.* 13. *n.* 30. Aversa *l. c.*

At si affinitas procederet ex copula fornicaria, & simul adesset Impedimentum publicæ honestatis, tunc satis non esset dictam Affinitatem exprimere, sed oporteret etiam eam honestatem exponere, quia in illa hæc non comprehenditur ; Sylvest. *verbo Matrimonium* 8. *quæst.* 4. Garcia *de benefic. part.* 8. *d. cap.* 3. *num.* 45. Trullenck *num.* 11. Sanchez, & Aversa *ll. cc.*

Si quis peteret dispensationem ad contrahendum cum consanguinea Uxoris ex Matrimonio consummato cognitæ, & exprimeret affinitatem procedere ex Copula licita, tunc in d. Affinitate comprehenditur honestas, & ob id superflua esset expressio existentiæ dictæ Honestatis ; Sanchez *num.* 38. Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *n.* 30. Vide Gambara *de Offic. & Authoritate Legati lib.* 10. *n.* 44.

Nec in expressione affinitatis exprimi debebit, quoties copula repetita fuerit cum eadem persona, quia affinitas non per diversas copulas, sed per diversas personas multiplicatur ; nec ipsa copula cum eadem persona pluries repetita reddit Pontificem difficiliorem ad dispensandum, nec impedimentum auget ; Sanchez *l. c. num.* 7. Bonaccina *de leg. dict. puncto* 5. *n.* 3. Garcia *part.* 8. *cap.* 3. *numer.* 77. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 58. Aversa *d. quæst.* 19. *sect.* 5. *vers. affirmandum*.

Intellige tamen de copula repetita cum eadem persona, ante factam, & exequutam dispensationem ; quia si post factam dictam dispensationem iteretur copula cum consanguinea intra secundum gradum conjuncta Fœminæ, quam quis ducere intendit, novum impedimentum insurget, & nova opus erit dispensatione ; cum rescriptum, & dispensatio Pontificis non extendatur ad casus postea exortos, Ludovis. *dec.* 34. *n.* 2. unde denuo recurri debebit ad Summum Pontificem, si copula publica sit, seu ad S. Pœnitentiariam, si occulta remaneat, & exponi factum, prout vere est ; Sanchez *numer.* 8. & Pontius *numer.* 25. *ll. cc.*

Tandem concludo, quod, si Honestas sit in Gradu inæquali, superfluum erit explicare, quod ex Matrimonio rato proveniat ; quia id ex eo plane constat, quod post Concilium honestas ex solis Sponsalibus proveniens, non possit ultra primum gradum extendi, & consequenter nulla esse potest graduum distantia, ut diximus *n.* 153.

Quoad errorem in expressione Nominis, Pronominis, Gradus, Loci, & Diœcesis Oratorum, prout respectu solutionis Taxæ, & compositionis pro impetranda dispensatione, eædem regulæ dantur, pro consanguinitate, ac affinitate.

Quoad dispensationem faciendam super impedimento cognationis spiritualis :

Primo explicari debet qualitas cognationis, ut si

Orator

Orator Oratricem ipſam baptizavit, vel potius filium, vel filiam dictæ Oratricis tenuit, vel è contra; cum longe indecentius ſit contrahere cum ipſa filia ſpirituali, quam cum matre ejuſdem filiæ; & Summus Pontifex non ſoleat ſuper Paternitate diſpenſare, ut teſtant Coninck *diſp.* 33. *num.* 77. Averſa *de Matrim. quæſt.* 19. *ſect.* 5. *verſ. Sextò*; Bonaccina *de legib. d. punct.* 5. *num.* 6. Sanchez *l. cit. num.* 15. qui duo ultimi affirmant, nunquam legiſſe, quod ſuper dicta Paternitate fuerit diſpenſatum; Pontius tamen *l. c. num.* 28. refert ſingularem caſum diſpenſationis factæ per Summum Pontificem Gregorium XIV. & animadvertit etiam infelicem exitum dicti Matrimonii.

169 Debebit inſuper explicari, an Cognatio ex Baptiſmo, vel ex confirmatione inſurgat, cum ex illo fortius ſit vinculum; Sanchez *num.* 15. Filiuccius *num.* 331. *ll. cc.* vel ſi procedat ex ambobus Sacramentis, ut quia quis tenuerit unum filium in Baptiſmo, &
170 alium in Confirmatione, ſive eumdem in utroque, quia tunc eſſet duplex cognatio, ut dicimus infra *libr.* 2.

At ſicut Affinitas non multiplicatur, nec augetur ex repetitione Copulæ cum eadem perſona, ut diximus ſupra; ita ſi quis plures filios alicujus de Sacro Fonte levet, vel in confirmatione teneat unam tantum Cognationem contrahet; Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 58. Garcia *de benef. part.* 8. *d. cap.* 3. *num.* 78. ubi refert ſic fuiſſe declaratum à Clemente VIII. Summo Pontifice dum eſſet Datarius Sixti V. Multi-
171 plicatur quidem hæc Spiritualis Cognatio, vel ex diverſis Sacramentis nempe Baptiſmo, & Confirmatione, vel ſi Compatres unus alterius viciſſim levent filios; Vide Filiuccium *l. cit. num.* 331. Averſa *dicta quæſt.* 19. *ſect.* 5. *verſ. affirmandum*. Trullenck *d. dub.* 4. *nu.* 13. Si quis tamen baptizaret plures fi-
172 lios perſonæ unius, contraheret cognationem multiplici titulo, Filiucc. & Trullenck *ll. cc.* quamvis etiam in caſu neceſſitatis, & in privato Baptiſmo
173 domi celebrato baptizet, ut late dicimus *lib.* 2. aliud enim eſt baptizare, & aliud ſuſcipere.

174 Quod attinet ad diſpenſationem Voti, vel Juramenti, primo eſt explicandum, an Votum, ſeu Juramentum fuerint facta unum independenter ab alio, quia utrumque exprimi opus erit; Sanchez *libr.* 8.
175 *diſp.* 2. *n.* 124. At ſi Juramentum fuiſſet in confirmationem Voti exiſtimat idem Sanchez *l. c.* ſufficere, ſi ſuper ſolo Voto diſpenſatio obtineatur, quia ſublato Voto ceſſat Juramentum; ſequitur Filliuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 334.

176 Si quis teneretur Voto Religionis, ac Caſtitatis, debet vel utrumque ſimul explicare, ut docent Laymanus *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *n.* 19. Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 24. §. 4. vel prius Diſpenſationem petere à voto Religionis, eaque obtenta, petere diſpenſationem à voto Caſtitatis; quia ſi prius exponeretur Votum Caſtitatis, non valeret ſuper eo facta diſpenſatio, ſi remaneret obligatio Voti Religionis, ut animadvertit Merolla *tom.* 2. *diſput.* 4. *capit.* 6. *numer.* 358. Quod ſi peteretur diſpenſatio ſuper dictis Votis ad effectum contrahendi Matrimonium, crediderim utrumque ſimul explicari debere, per ea quæ diximus.

177 Si quis habens Votum non nubendi, vel non fornicandi, exprimeret ſe habere Votum Caſtitatis, valida eſſet diſpenſatio, quia in hoc illa comprehenduntur; Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 66.

178 Item exprimi debebit, ſi Votum, vel Juramentum non nubendi ſint ſoli Deo facta, vel potius in gratiam Tertii, quia ſuper hoc Papa difficillime diſpenſat, nec unquam præſumitur velle in eo diſpenſare, niſi apertiſſime exprimat; Sanchez *in ſumma libr.* 4. *cap.* 47. *num.* 36. *& de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 50. Bonaccina *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *num.* 10. Ratio eſt quia agitur de præjudicio Tertii, & nunquam præſumitur Papam velle Juri Tertii derogare, ut diximus *cap.* 3.

179 Valida inſuper erit diſpenſatio ſuper Juramento petita, & obtenta, quamvis non ſuper Juramento, ſed ſuper Voto neceſſaria fuiſſet, vel è contra, quia hæc ſunt æquiparata; Sanchez *Operæ Mor. lib.* 4. *capit.* 47. *num.* 30. *& de Matrimon. lib.* 8. *diſp.* 2. *nu.* 24. Franciſcus Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *capit.* 6. *dub.* 15. 180
num. 379. Qui enim poteſt in Votis diſpenſare, poteſt etiam in Juramentis Deo factis; Thomas Pelliccionius *Quæſt. Illuſtr. quæſt.* 10. *verſ. contraria tamen pag. mihi* 94. Filliuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 334.

Et ſicut diximus non eſſe opus exprimere repetitionem Copulæ cum eadem perſona factam, quia dicta repetitio non auget, nec novum Impedimentum inducit: ſic pariter dicendum eſt de repetitione Voti, ante ejus exequutam diſpenſationem facta, quia quamvis millies repetitum fuiſſet, nulla nova obligatio inducta eſſet; Vega *tom.* 2. *Summæ capit.* 129. 181
caſu 8. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 27. *num.* 25. Merolla *to.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *num.* 358. *& num.* 81. Filiuccius *l. cit.* Dixi ante exequutam diſpenſationem, quia ſi poſt illam repeteretur Votum, nova eſſet in- 182
ducta obligatio, aliaque opus eſſet diſpenſatione; Merolla *dict. num.* 381.

Pro explicatione Votorum Pontifici facienda, Regula generalis aſſignari ſolet, ut ſi Vota ſint diverſa, & unum in alio non includatur, tunc de omnibus 183
illis neceſſaria ſit mentio; quia ſi falſo exponeretur eſſe unum, cum revera eſſet aliud diverſum, diſpenſatio erit ſubreptitia, ut ſi v. gr. diceretur eſſe Votum Caſtitatis, cum eſſet Votum Jejunii, vel è contra; vel ſi quis eſſet obligatus Voto non fornicandi, & peteret diſpenſationem à Voto non nubendi; vel ſi Votum eſſet perſeverandi in Religione, & diceretur eſſe Religionis, quia hæc ſunt Vota diverſa. Aliud enim eſt Votum perſeverantiæ, & aliud Votum Religionis, ut bene animadvertit Sanchez *de Matri-* 184
monio libr. 8. *diſp.* 21. *numer.* 23. Bonaccina *de leg. diſput.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 5. *num.* 15. *& nu.* 21. Joannes de Salas *de leg. diſp.* 20. *ſect.* 2215. *numer.* 122. Merolla *l. c. num.* 358. Amplia, ut ſit nulla diſpenſatio, quamvis etiam Votum falſo expoſitum gravius eſſet Voto vere emiſſo, ut ſi dictum fuiſſet eſſe Hieroſolymitanæ Peregrinationis, cum ſit Compoſtellanæ; Merolla *n.* 358. *l. c.*

Sic pariter ſi Votum, quod falſo explicatur, ſit inferius Voto, quod vere emiſſum fuit, tunc nec virtualiter, nec formaliter poteſt comprehendi in illo; & conſequenter diſpenſatio inde ſequuta ſubreptitia erit, & nulla; ut ſi falſo exprimeretur eſſe Votum non nubendi, cum eſſet Caſtitatis, aut Ordinis Sacri ſuſcipiendi; Merolla *d. dub.* 15. *n.* 378.

At è contra, ſi Votum expreſſum includatur in alio, 185
tunc expreſſo majori, valebit diſpenſatio ſuper utroque, ut ſi expreſſum fuiſſet Votum ſuſcipiendi Ordinis Sacri, cum vere eſſet non nubendi, quia Votum Ordinis Sacri obligat ad non contrahendum Matrimonium, & ad aliquid aliud, ut bene Sanchez *Operæ Mor. lib.* 4. *cap.* 47. *nu.* 29. Merolla *dict. num.* 358. Bonaccina *d. puncto* 5. *n.* 15.

Si Religioſus profeſſus peteret diſpenſari ad contrahendum Matrimonium, & eſſet promotus ad Sacros Ordines, teneretur & profeſſionem, & Ordines explicare, quia ſunt diverſa vincula Matrimonium dirimentia. Imo ſi eſſet Diaconus, vel Sacerdos, non ſatis eſſet exprimere in genere ſe eſſe in Sacris, ſed debebit de præciſo Ordine, ad quem fuit promotus, facere mentionem; Filiuccius *l. c. in fine*. Stephanus à S. Gregorio *de vinc. Div. Piet. lib.* 3. *cap.* 113. *numer.* 10. Joannes Ægidius de Trullenck *dict. dub.* 4. *numer.* 15.

Raptus, ſi ſequutus fuerit ad finem contrahendi 186
Matrimonium cum Rapta, & petenda ſit diſpenſatio ob aliud impedimentum dirimens, explicari debet, an fuerit factus ad finem Matrimonii contrahendi, vel potius explendi libidinem, vel facilius obtinen- 187
di diſpenſationem; Sanchez *libr.* 8. *diſputat.* 25. *numer.* 19. quia dato, quod hujuſmodi Raptus ſit exprimendus, debet exprimi cum omnibus ſuis qualitatibus, & circumſtantiis, ut in caſu ſimili, diximus infra.

Circa diſpenſationem obtinendam ſuper commiſſo, 188
ſeu machinato Crimine, explicari debet, an hujuſ-

modi Impedimentum oriatur ex Machinatione, seu Adulterio, vel ex ambobus; si idem Crimen fuis-
189 set alia vice patratum, & deinde repetitum, debebit de hujusmodi repetitione fieri mentio, alias Dispen-
190 satio secundo obtenta erit nulla, ac subreptitia, quia Papa non præsumitur velle idem genus Criminis pluries remittere *l. Nemo 3. C. de Episcopali Audientia, ubi dicitur Remissio veniæ Crimina semel com-*
191 *missa non habeant*; Est enim indignus venia, qui clementia Principis ad consuetudinem peccandi abutitur, & Crimina repetita semper difficiliorem red-
192 dunt Pontificem ad dispensandum, & propterea Criminis denuo commissi expressionem esse faciendam, docent Simon Majolus *de Irregularit. lib. 5. cap. 27. num. 2.* Sanchez *lib. 8. disp. 22. num. 20.* Coninck *disput. 33. dub. 5. num. 87.* Pontius *lib. 8. cap. 17. §. 1. num. 8. in fine*; Aversa *de Matrim. quæst. 19. sect. 5.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 15. num. 116.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 75.* Fragosius *lib. 3. disp. 6. num. 79. part. 1.* Layman. *lib. 1. tract. 4 cap. 22. num. 19.* Merolla *tom. 2. disp. 4. cap. 6. dict. dub. 15. numer. 350.*
193 Quia semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali: *Reg. Semel malus 8. de Reg. Juris in 6.* Responsa Marantæ *resp. 13. num. 39. par. 2.* Paris. *de Consid. quæst. 35. num. 81.* Barbosa *de Axiom. axiom. 142. numer. 4.* Hector Gapyc. Latr. *Decis. Sac. Cons. Neapol. decis. 168. num. 7. lib. 2.* & solitus delin-
194 quere gravius peccat, idem Barbos. *axiom. 68. nu. 7.*
195 Intellige tamen, ut sit de repetitione Criminis mentio facienda, quando repetitum fuit idem genus
196 Criminis; si etenim quis fuisset una vice dispensatus, exempli gratia, super Crimine machinationis, & postmodum indigeat Dispensatione super crimine Adulterii, cum promissione, & fide data Matrimonii, vel è contra, &c. non erit eo casu necessaria repetitio Criminis, cum primum sit diversum ab isto secundo; Coninck *num. 88. l. c.* Merolla *d. cap. 6. dub. 27. in fine*; Aversa *de Matr. quæst. 19. sect. 6. vers. Demum.*

197 Si quis ob Homicidium incurrisset Irregularitatem, & post obtentam super ea Dispensationem, ob aliud Homicidium alia egeret Dispensatione, debebit de prima mentionem facere; Suarez *de Legib. lib. 6. cap. 24. num. 12.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 57. in fine*; Menochius *cons. 185. num. 3.* Tusch. *concluss. 56. num. 6. lit. G.* Fragosius *Regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 4. disp. 11. §. 3. n. 309.*

198 At si contingeret eum, qui Crimen commisit, fuisse delatum in Judicium, sed quia Crimen non fuisset plenè probatum, aliqua arbitraria pœna punitum fuisse, tunc si Dispensatione egeat, ut quia v. gr. interfecisset Uxorem, animo ducendi Concubinam, & postea illam ducere velit, diximus, posse exprimere Pontifici se fuisse de tali Crimine diffamatum, sed defectu probationum absolutum, vel pœna arbitraria punitum; & deinde in Sacra Pœnitentiaria exponere veritatem, prout vere est, & quod Dispensationem à Summo Pontifice petiit, subticendo eidem veritatem commissi Criminis, ne se proderet.

199 Si post impetratas à Pontifice Literas Dispensationis Delegato directas, sed nondum exequutas superveniret Affinitas Matrimonium dirimens, ut si Orator cognosceret Sororem, vel Filiam, vel Matrem ipsius Fœminæ, quam ducere intendit, oportebit iterum ad Pontificem recurrere, & novas Literas in forma *Perinde valere* obtinere, utrumque
200 Impedimentum exponendo; si tamen primæ Literæ jam exequutæ fuissent, & facta Dispensatio, sed antequam fuisset Matrimonium contractum supervenire hujusmodi Affinitas, tunc sufficiet ad Pontificem recurrere pro Dispensatione super nova Affinitate, quia cum fuerit facta Dispensatio super dirimenti, fuit hujusmodi Impedimentum sublatum; Sanchez *lib. 8. disp. 33. n. 4.*

201 Si Consanguinei, vel Affines contraherent inter se cum Dispensatione, & deinde mortuo uno ex Conjugibus, vellet superstes dispensari ad aliud Matrimonium cum alia Consanguinea, vel Affine, non tenebitur in hac secunda Dispensatione de prima mentionem facere; quia hæ Dispensationes super diversis Matrimoniis sunt; Sanchez *lib. 8. disp. 22. n. 13.* Bonacina *de Leg. disp. 1. quæst. 2. puncto 8. nu. 6.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 55.* Laymanus *d. c. 22. nu. 21.* Pontius *loco citato num. 9.* Aversa *d. quæst. 19. sect. 6. vers. Demum*; Fragosius *l. c. nu. 314.*

Ob eandem pariter rationem si quis obtenta Dis- 202
pensatione ad contrahendum cum Consanguinea, vel Affine, mutato proposito, peteret aliam Dispensationem ad contrahendum cum alia Consanguinea, vel Affine, non videtur necessaria mentio prioris Dispensationis; Diana, & alii præcitati Doctores, *ll. cc.* At si postea denuo mutato proposito, nollet 203
cum secunda contrahere, sed cum prima; docet Sanchez *lib. 8. disp. 22. numer. 19.* non posse, eo quia per impetrationem secundæ Dispensationis videatur renunciasse priori; Hæc tamen Doctrina nobis non probatur per ea, quæ dicimus Cap. seq.

Ob eandem denique rationem, si constituras in 204
Sacris, obtenta Dispensatione, ut Uxorem ducere possit, velit postea ducere Consanguineam, vel Affinem; docent Sanchez *lib. 8. disp. 22. nu. 5.* & Gratianus *discept. forens. cap. 827. num. 14. tom. 5.* Fragosius *par. 1. lib. 3. disp. 6. num. 79.* non teneri in hac ultima Dispensatione mentionem facere de prima, quia sunt res diversæ; quod idem probabile ait Laymanus *d. cap. 21. num. 19. in fine*, & inclita Rota *decis. 120. num. 1. lib. 1. part. 3. divers.* Quicquid tamen isti dicant, contrarium puto verius per rationes, & Jura, quæ supra adduximus.

Tribus casibus necessaria est expressio primæ Dis- 205
pensationis in petitione secundæ.

Primò, quando casus est à Jure expressus.

Secundò, quando commemoratio prioris Dispensationis necessaria est, ut Papa non ignoret totum Impedimentum, super quo Dispensatio petitur.

Tertiò, quando per secundam Dispensationem petitur aliqua major Gratia super eo, de quo quis fuit alias dispensatus; quia tunc necesse est, ut per expressionem prioris Gratiæ Papa intelligat qualitatem, & quantitatem Gratiæ, quam vel per unam, vel per plures Dispensationes super eadem re facit, quod exemplificari potest in exemplis, quæ subjiciuntur.

Primò, si Beneficiatus obtinuit Dispensationem 206
non residendi per quinquennium in Beneficio cum perceptione fructuum, si expleto quinquennio petat super eadem re aliam Gratiam, & Dispensationem, necesse erit priorem obtentam exprimere, alias hæc nulla erit, & irrita; Pontius *lib. 8. cap. 17. §. 1. num. 8.* Diana *l. c.* Sanchez *lib. 8. disp. 22. num. 6.* Menochius *de arbitr. Judic. casu 202. nu. 68. lib. 2.* Rota *decis. 47. nu. 1. lib. 2. part. 3. divers.* Escobar. *Theol. Mor. tract. 1. exam. 16. cap. 2. vers. Quid si*; Tuschus *conclus. 460. nu. 2. lit. D.* Fragosius *part. 1. lib. 4. disp. 11. §. 3. nu. 312. & 317.*

Secundò, si quis obtenta super Voto Castitatis 207
Dispensatione, ducat Uxorem, & soluto Matrimonio velit aliam ducere, tenebitur novam Dispensationem impetrare, & simul de obtenta mentionem facere, alias Dispensatio secunda erit subreptitia, & nulla; quia Papa ignorat quantam in eodem Voto relaxationem faciat; Pontius *dict. cap. 17. à nu. 6.* Puteus *decis. 246. num. 1.* Menochius *l. c. casu 103. num. 32.* Meroll. *tom. 2. disp. 4. cap. 6. num. 415.* Didac. Ludovic. de Lima *in Addit. ad Molina lib. 2. cap. 4. num. 51.*

Tertiò, si Illegitimus dispensatus ad Beneficium, 208
velit postmodum dispensari super pluralitate, debebit in petenda secunda, de priori Dispensatione obtenta, & de Illegitimitate facere mentionem; Sanchez *num. 2.* Bonacina *numer. 3.* Laymanus, & Escobar *ll. cc.* Salas *de Leg. disp. 20. sect. 10. §. 1. num. 91.* Fragosius *part. 1. lib. 3. disp. 6. num. 79.* quia verisimile est, quòd si Papa conscius fuisset de priori Dispensatione ab Illegitimo obtenta, posteriorem denegasset. Nec solum eo casu necessaria erit dicta expressio Illegitimitatis, sed & ipsius Illegitimita- 209
tis qualitatis adhuc exprimenda erit; ut si sit Spurius, Sacrilegus, Adulterinus, seu Incestuosus, & quo

gra-

gradu, & genere fœditatis; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 3. Covarruvius *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 8. §. 9. *num.* 2. & 3. Pontius *l. c.* §. 5. *n.* 25. Tuſchus *concluſ.* 463. *n.* 2. Fragoſius *Regim. Chriſtianæ Reip. part.* 1. *libr.* 3. *diſp.* 6. *n.* 70. Laymanus *l. c.* Barboſa *in Votis Canonicis lib.* 2. *voto* 58. *nu.* 14. ſi tamen legitimationem 210
prius abſolute à Papa impetraſſet, tunc non tenebitur de illegitimitate mentionem facere, quia cum natalium defectus abolitus ſit, poterit non minus, quam alii Legitimi, Beneficiorum pluralitatem cum diſpenſatione Papæ obtinere; Laymanus *l. c.* Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 173. §. *Item legitimatus*; Lotherius *de re Benef. lib. prim. quæſt.* 40. *n.* 144.

211 At ſi eſſet natus ex duplici adulterio, nempe ex conjugato, & conjugata, & exprimeret ſimpliciter illegitimitatem, narrando ſe natum ex adulterio, ſubreptitia eſſet gratia, niſi expreſſe diceret, ſe natum ex conjugato, & conjugata; Sanchez *libr.* 8. *diſput.* 24. *num.* 5. quamvis *num.* 4. contrarium docuiſſet.

212 Quartò, ſi quis diſpenſationem obtinuiſſet cum aliqua limitatione, & poſtea ſuper eadem re vellet
213 diſpenſari abſolute, tenebitur de priori, cum limita-
214 tione obtenta, facere mentionem; Coninck *loc. cit. n.* 92. Eſcobar *Theolog. moral. l. c. verſ. De una*; Fragoſius *d. lib.* 4. *diſp.* 11. §. 3. *n.* 312. & *n.* 317. quia (ut diximus) Pontifex debet non ignorare quantam gratiam ſuper eadem re faciat.

215 Admittunt plures Doctores validam cenſeri diſpenſationem ſecundo obtentam, tacita alia jam ſuper eadem re obtenta:

216 Primò, quando nova, & ſufficiens cauſa ſupervenisſet; ita ut Pontifex, inſpecta dicta nova, & ſufficienti cauſa, præſumatur diſpenſationem ſecundam non denegaturus, quamvis primæ gratiæ cum limitatione conceſſæ recordaretur. Vide Fragoſium *d. part.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 6. *nu.* 79. *verſ. Fallit ſecundò*; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 22. *num.* 12. Bonacc. *de Leg. l. c. n.* 1. Didac. Ludovic. *in d. Addit. ad Molina lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 51. *limit.* 2.

217 Secundò, quando prima diſpenſatio conceſſa fuiſſet cum limitationibus, quæ de ſtylo Curiæ in ſimilibus Conceſſionibus ſolitæ ſunt apponi; ut per ſe patet, & ſupra citati Doctores aſſerunt.

218 Si quis ad tollendum ſcrupulum, ſeu dubium ſuper priori diſpenſatione, petat ſuper eadem re, vel Impedimento denuo diſpenſari, & facta ſimili expreſſione quoad circumſtantias, obtineat illam æqualem quoad gratiam, valida erit iſta ſecunda, quamvis prioris obtentæ diſpenſationis non fuerit facta mentio; quia iſta tantum petita fuit ad corroborationem primæ, & quod præcipuum eſt, utraque diſpenſatio ſimul ſumpta intentionem non excedit concedentis; Pontius *num.* 9. Bonaccina *num.* 2. Eſcobar, & Didacus Ludovicus de Lima, & Fragoſius *verſ. Illud tamen ll. cc.*

219 Nec tandem obſtabit diſpenſationis validitati, quod quis eandem diſpenſationem prius petierit, & non obtinuerit; quia nullo jure, aut ratione probatur hujuſmodi diſpenſationem eſſe invalidam, nec denegationem prioris eſſe exprimendam, cum ejus taciturnitas verſetur circa cauſam finalem, ut bene docent Sanchez *l.* 8. *diſp.* 22. *num.* 14. Pontius *lib.* 8. *dict. capit.* 17. *num.* 4. Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *numer.* 415. Bonaccina *de Leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 5. *numer.* 1. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 54. Eſcobar *Theolog. mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *verſ. Valida ne*. Idque verum eſt, quamvis à Pontifice dene-
220 gata fuiſſet diſpenſatio, eo quia non judicaſſet cauſam juſtam adfuiſſe; imo ſi poſtea ab inferiore alias diſpenſare potente concederetur, quamvis nulla hujus prioris denegationis facta eſſet mentio, adhuc valida erit diſpenſatio; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 22. *num.* 4. Pontius, Eſcobar, & Diana *ll. cc.* Ratio eſt, quia in hac diſpenſatione vere adſunt omnia requiſita ad ejus validitatem, nec ſuperior ob dictam denegationem ita ſibi diſpenſationem reſervavit, ut ob id Ordinario inferiori Juriſdictionem abſtulerit, ut bene Pontius *loco citat.*

221 Amplia, ut non ſolum poſſit in dictis caſibus Infe-

rior diſpenſare, ſed conſimili ratione diſpenſare etiam poſſit habens poteſtatem delegatam ad diſpenſandum, ſi ab habente ordinariam diſpenſatio denegata fuiſſet, quia adhuc eadem ratio militat; Pontius, & Diana *ll. cc.* poteſt enim accidere, ut ſuperior diſpenſare noluerit, vel quia ſcrupuloſus ſit, vel magis rigidus, & difficilis; non tamen ex hoc ſequitur, quod voluerit poteſtatem diſpenſandi ab inferiore tollere, ſi alias cauſa, quæ proponitur, juſta, ac ſuffi- 222
ciens videatur: nec petitio diſpenſationis, prius Pontifici porrecta, operatur Præventionis effectum, quia 223
in uſu voluntariæ Juriſdictionis non habet locum Præventio, ſed liberum eſt poſtulanti à priore poſtulatione recedere, & aliam intentare; Ita ex Suarez, Salas, & Portel, docet Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 49.

Conſimili ratione, qui obtinuit reſcriptum Apo- 224
ſtolicum, ut poſſit à Confeſſario diſpenſari, eandem diſpenſationem poterit obtinere ab Epiſcopo, ſeu alio inferiori Prælato, qui tali facultate præditus ſit, non facta mentione ejuſdem reſcripti; quia reſcriptum Apoſtolicum non aufert poteſtatem Epiſcopis, aut aliis diſpenſare potentibus; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 14. *n.* 3. Bonaccina *l. cit. num.* 6. dum etenim Gratia fuit in 225
favorem Oratoris à Pontifice conceſſa, non debet in ejus odium retorqueri; Regula, *Quod ob Gratiam* 61. *de Regul. Juris in* 6. Barboſa *de Axiom. axiomate* 96. *num.* 1. Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 651. *num.* 20. *tom.* 4.

Tandem concludo validam eſſe diſpenſationem, 226
non facta mentione prioris ſuper eadem re obtentæ, ſi prior ex aliqua cauſa invalida fuerit; Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 22. *num.* 21. Bonaccina *de Leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 8. *num.* 7. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 59. Maſſobr. *de conc. prælud.* 7. *dub.* 20. *num.* 156. Maſcard. *de probat. concluſ.* 846. *num.* 22. Didacus Ludovic. *in addit. ad Molina libr.* 2. *capit.* 4. *limit.* 3. Tuſchus *concluſ.* 460. *numer.* 3. *lit. D.* & *concluſ.* 56. *numer.* 22. *litt. G.* Fragoſius *numer.* 310. *loc. cit.* Ratio eſt, quia cum prima invalida ſit, non præſtat impedimentum, Regula *Non præſtat* 52. *de Reg. Jur. in* 6.

Cæterum ſi jura ſpecialiter prohibeant, ne tali ca- 227
ſu, vel circumſtantia occurrente, diſpenſatio concedatur; ſi diſpenſatio petenda ſit, & talis caſus, vel circumſtantia concurrant, neceſſe erit de hujuſmodi caſu; ſeu circumſtantia omnino facere mentionem, alias diſpenſatio nulla erit, & irrita. Exempli gra- 228
tia, aliqui conſanguinei, ſeu Affines infra quartum gradum, Matrimonium inter ſe, cum ſcientia impedimenti dirimentis, contraxerunt, & conſummare præſumpſerunt; ſi poſtea ſuper tali impedimento petant diſpenſationem, debebunt iſtam circumſtantiam contracti Matrimonii, & eo magis ſi conſummare præſumpſiſſent, in ſupplicatione explicare, quia Con- 229
cilium Trident. (quod Jus commune facit. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 12.) *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reformat. Matrimon.* cum his ſpecialiter prohibet diſpenſari: & quod ſit neceſſaria hujuſmodi circumſtantiæ expreſſio colligitur *ex capit. dilectus* 26. *de reſcript.* & docent Navarr. *lib.* 4. *conſilior. titulo de Conſ.* & *affinit. conſ.* 5. *numer.* 5. *in prima edit.* Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 45. *num.* 3. & *libr.* 8. *diſp.* 21. *numer.* 15. Laymanus *Theolog. mor. libr.* 1. *tractat.* 4. *capit.* 22. *numer.* 18. *verſ. deinde*; Garzia *de benef. part.* 8. *capit.* 3. *num.* 41. Raphael Averſa *de Matri. quæſt.* 7. *ſect.* 3. *verſ. aliam quoque*; Merolla *to.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *num.* 350. Salas *de leg. diſput.* 20. *ſect.* 15. *num.* 116. Petrus de Ledeſma *in ſumma* ubi de Matrim. *cap.* 27. *concluſ.* 1. *verſ. dico primò*, & *verſ. dico ſecundò*; Joannes de la Crux *in direct. Caſ. Conſc.* ubi de diſpenſ. *quæſt.* 4. *art.* 6. *dub.* 13. *concluſ.* 2. Thomas Zerola *in Praxi Epiſcop. part.* 1. *verbo Diſpenſatio* §. 54. Reginald. *libr.* 31. *capitul.* 26. *numer.* 198. & attenta dict. prohibitione Concilii, quamvis alias Papa va- 230
lide poſſit diſpenſare, cum ſit ſupra Concilium, ut dicimus *libr.* 2. tamen quia ad Concilium ſpectat ea, quæ ad fidem, & mores Eccleſiæ ſpectant, definire, & declarare; & declaraverit eo caſu non eſſe diſpenſationem concedendam, non poteſt Papa abſque 231

231 justa causa licitè dispensare. Unde ad hoc, ut Papa
232 sciat Dispensationem peti super Casu, quo prohibita est a Concilio, vel à Jure, necesse est, ut d. Circumstantia exprimatur, aliàs Dispensatio, tanquam fraudolenter, & subreptitie extorta, irrita erit, & nulla; Coninck *de Sacram. disp. 27. dub. 9. num. 81.* Sanchez *l. c.* Bonac. *de Leg. disp. 1. quæst. 2. puncto 5.*
233 *num. 10.* Idque verum est, quamvis etiam *Motu proprio* facta fuisset; Clem. *si Romanus 4. de Præb. in 6. Glossa in cap. Si motu proprio 23. eodem titulo in 6. in Addit.*

234 Et non solùm exprimi debebunt hujusmodi qualitates, & circumstantiæ v. gr. dicti contracti, ac consummati Matrimonii, sed & facienda erit eo casu mentio, in petenda Dispensatione, de fine, quo contractum, vel consummatum fuit; ut si fuit ex causa explendæ libidinis, vel potius obtinendi facilius Dispensationem à Pontifice, quia hæ qualitates afficiunt substantiam Gratiæ, & cum concomitentur qualitatem necessariò exprimendam, debet ipsa qualitas cum suis circumstantiis explicari, per ea, quæ dicemus infra.

235 Idem erit, si hujusmodi clandestinum Matrimonium, post Mandatum de dispensando à Pontifice commissum, sed nondum à Delegato exequutum, fuisset contractum; Sanchez *lib. 8. disp. 25. num. 21.* Ita Manuel, & Vega penes ipsum. Unde non poterit Delegatus tunc Dispensationem exequi, sed Oratores egebunt nova gratia in forma *Perinde valere*, quia cum eo casu prohibita sit Dispensatio, ut diximus, oportet, ut Papa dictum Matrimonium cum scientia Impedimenti, & clandestine contractum fuisse sciat, ut dignoscere possit, an causa proposita sufficiens sit ad dispensandum.

Prædicta tamen sunt in aliquibus limitanda, & declaranda.

Primò, si inter Impeditos interceserit dumtaxat tractatus de Matrimonio inter se contrahendo. Ad
236 hoc, ut dici possit adfuisse vere, & proprie tractactum, oportet, ut hujusmodi tractatus fuerit completus, & cum conclusione perfectus, nec sufficit fuisse inanem, quia tota vis tractatus in conclusione consistit *l. si voluntatem 8. C. de rescind. vend. c. Tua nuper 8. de is, quæ fiunt à Prælato*; Hector Capyc. Latro *decis. S. Concil. Neapol. decis. 140. num. 5. lib. 2.* Ludovicus Postius *resol. 43. num. 20.* Rota coram Durano *decis. 379. n. 5. par. 2.* Menoch. *de arbitr. Judic. lib. 2. casu 470. num. 2.* Paris. *de consid. quæst. 39. num. 8. & quæst. 40. num. 13.* Gonzal. *ad Reg. 8. in c. Glossa 63. nu. 34.* Mantica *decis. 271. n. 8.* Et nisi adsit talis vis ex conclusione, frustrà allegatur; Ludovisius *decis. 168. num. 2. & in annot. num. 5.* Pater Leo *in Praxi S. Pœnitentiariæ part. 2. post descriptionem Impedimentorum dirimentium, vers. Tractatus pag. Mihi 226.* Et consequenter nisi sit conclusus, & nisi alia
237 requisita concurrant, non concludit ad Matrimonium; Ludovis. *decis. 247. num. 11.* Cæsar. de Graff. *decis. 64. alias 18. n. 10.* unde cum absque conclusione non concludat ad Matrimonium, nec sit attendendus, non est de eo facienda mentio in Dispensatione petenda super Impedimento dirimenti.

Addo secundò cum Sanchez *lib. 8. disp. 25. n. 36.* & Basilio Pontio *lib. 8. cap. 17. §. 6. à nu. 35.* quod
238 ad hoc, ut Oratores subjaceant prohibitioni Concilii *sess. 24. cap. 5. de Reformat. Matrimon.* de non dispensando, & aliis pœnis ibi appositis, non sufficit, ut sola Sponsalia inter Impeditos contracta sint, Quamvis etiam inter eos subsequuta sit Copula; sed requiritur, ut Matrimonium fuerit clandestine
239 contractum; quia Concilium solum Matrimonium clandestinum punit, non autem solam Copulam, quamvis scienter habita sit: Et quamvis ante Concilium Sponsalia cum Copula transirent in Matrimonium, tamen post Concilium aliter est dicendum. Vide Marium Antoninum *var. resol. lib. 1. resol. 79. num. 5.* Navarr. *lib. 4. consil. titulo Despons. cons. 53. numer. 1. in prima editione.* Cencium *in Collect.*
240 *ad Decret. Coll. 131. num. 2.* Unde in proposito casu, cum simus in pœnalibus, non est facienda extensio *l. cum quidam ff. de lib. & posthum. & si quis ff. Divus Marcus ff. de Relig. & sumpt. funer. Regul. Quæ à Jure 28. & Regula Odia 15. de Reg. Juris in 6.* Cævallos *Quæst. Comm. contra Commun. quæst. 825. num. 16. & quæst. 833. num. 25.* Gutierez *Can. QQ. lib. 1. cap. 15.* & consequenter non erit de hujusmodi Sponsalibus facienda mentio in impetratione Dispensationis, ut bene docet Sanchez *l. c.* imo nec de Copula subsequuta esse necessario faciendam mentionem existimo per ea, quæ dicam.

Addo Tertiò; quod dum Tridentinum punit Contrahentes scienter Matrimonium clandestinum, de illis loquitur, qui cum scientia Impedimenti dirimentis coram Parocho, & Testibus contrahunt; Unde nisi adsit præsentia Parochi, & Testium, dici non potest, quòd Oratores præsumant Matrimonium contrahere, cum in hujusmodi contractu deficiat forma substantialis, sine qua Matrimonium consistere non potest, sed potius Concubinatus nomen mereretur, ut bene docent Aversa *de Matrimon. quæst. 19. sect. 6. vers. Negant ex adverso*; Sanchez *d. disp. 3. num. 34. & 35.* Cævallos *QQ. comm. contra comm. quæst. 130. num. 7.* Gutierez *de Matrim. cap. 76. num. 29. & Canon. QQ. lib. 1. cap. 18. n. 4.* Non ergo de hujusmodi Matrimonio clandestino (si tali nomine dignum sit) erit necessario facienda mentio Pontifici in petenda Dispensatione super Impedimento dirimenti, ut in propriis terminis expresse docet idem Sanchez *l. c.*

Animedvertit, & bene, Basilius Pontius *de Matrim. d. n. 35.* quod si inhabiles contrahant inter se de facto per verba de præsenti sub conditione impossibili, erit ridiculus hujusmodi Contractus; nec sic Contrahentes dicentur consentire in Matrimonium; nec in Excommunicationem, contentam in Clem. prima, incurrent; nec efficientur indigni Dispensatione; imo nec propterea oritur Impedimentum publicæ Honestatis.

Quamvis autem Oratores bona fide, & ignorantes aliquod Impedimentum inter se existere, Matrimonium spretis Denunciationibus contrahant; si postea aliquod impedimentum dirimens deregatur, super quo impetrari debeat dispensatio à Pontifice, tenentur omnino de hujusmodi denunciationum omissione mentionem facere; alias dispensatio subreptitia erit, & nulla. Patet ex ipsa dispositione Concilii *loc. cit.* & docet Trullenck *Opera Mor. tom. 3. lib. 7. capit. 10. dub. 5. num. 11.* Sanchez *lib. 8. disp. 25. numer. 21.* Coninck *disp. 33. num. 83.* Et Oratores ipsi subjacebunt eo casu pœnis à dicto Concilio comminatis; Jo: Baptista Corrad. *Resp. Cas. Conscient. quæst. 318. part. 2.* & ex d. Textu dicti Concilii colligitur, Filii insuper ex eo Matrimonio nati erunt illegitimi; Cævallos *Comm. contra Comm. quæst. 697.* Gratianus *discept. forens. capit. 83. num. 4. tom. 1.* quia non est dignus Ecclesiæ benignitatem experiri, qui ejus salubria Præcepta temere contempsit, ut idem Concilium statuit *loc. cit.* Nec juvat, quod in contrahendo Matrimonio Oratores habuerint ignorantiam probabilem Impedimenti, quia non potest dici ignorantia probabilis, quando requisita à Jure, vel ab Ecclesia omittuntur; Sanchez *lib. 3. disp. 43. num. 1.* Joannes Angelus Bossius *de Matrimon. contractu cap. 8. n. 46.* Et in Matrimonio clandestine celebrato præsumitur mala fides; Barbosa *in votis Canonicis lib. 1. voto 2. numer. 19.* qui enim male agit, odit lucem; *Joann. 3.*

Tandem occurrit illa magna, & difficilis Quæstio, an copula inter consanguineos, vel affines præhabita, sit necessario exprimenda Pontifici in dispensatione super Impedimento dirimenti petenda, si alia causa pro dispensatione allegetur; & cum hic casus frequenter eveniat, & ob diversitatem opinionum non cesset ratio dubitandi, valde opportunum erit hanc materiam discutere, & quæ ex his nobis magis probetur opinio in medium afferre; sed antequam ad ulteriora dilabamur, nonnulla erunt specialiter adnotanda.

Et primo sciendum est, non esse proprie incestum, juxta probabiliorem Doctorum sententiam, si copula non fuerit perfecta, & per veram virilis seminis intra

intra vas effusionem consummata; Ita Vivaldus *in Cand. ubi matrim. num. 97.* Gutierez *de matrim. capit. 77. num. 15.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 83.* Sanchez *lib. 8. disp. 25. num. 10.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. puncto 5. num. 11.* Filiuccius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 338.* Trullenck *dict. cap. 10. dub. 5. num. 5.* (quicquid in contrarium doceat Garcia *de benef. part. 8. cap. 3. numer. 98.*) quia si non fiat ut supra, non est vera Copula, sed instar cujusdam actus impudici; unde cum hæc sint pœnalia, sunt restringenda.

252 Adnotandum secundo, quod si Consanguinei; vel Affines, qui inter se Copulam habuerunt, non habebant eo tempore notitiam Impedimenti Consanguinitatis, vel Affinitatis inter eos existentis, non tenentur in Dispensatione petenda super hujusmodi impedimento de Copula mentionem facere; quia attenta probabili ignorantia, quam de Impedimento habebant; non committerunt proprie Incestum; Colligitur ex Cap. primo *de eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ*, & docent Vivaldus *loc. cit. num. 99.* Gutierez *loc. cit. num. 11.* Jacobus Graffius *dec. Aur. lib. 2. cap. 81. num. 4.* Sanchez *lib. 7. disp. 15. num. 9.* Garcia *de benef. part. 8. cap. 3. numer. 106.* Rota *int. impress. post 1. vol. Consilii Farinacii dec. 35. num. 1.* Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ part. 2. ubi de Absolutione ab Incestu vers. Secus vero pag. mihi* 253 316. Imo nec necessario esse eo casu aperiendam in Confessione dictam qualitatem Consanguinitatis, vel Affinitatis, docet idem Garcia *numer. 108. loc. citat.*

254 Ampliat Sanchez *lib. 8. disp. 25. num. 10.* ut non sit Incestus, nec sit explicanda Copula in Dispensatione petenda, si unus tantum ex contrahere volentibus Impedimenti Consanguinitatis, vel Affinitatis fuisset conscius; quia, ut ipse dicit, si alter ignoret Impedimentum, non est totaliter, & undequaque Incestus; unde cum hæc sint pœnalia, sunt restringenda. Id tamen non mihi probatur, quia dato, quod de Copula necessaria esset mentio in Dispensatione super Impedimento dirimenti petenda, deberet exprimi veritas, prout se vere habet; nempe v. g. Oratorem cum scientia Impedimenti, Oratricem vero cum ejusdem Impedimenti ignorantia Copulam inter se habuisse; quia præsupposito, quod hæc expressio necessaria sit, debet consequenter cum suis circumstantiis exprimi, ut bene concludit Sayrus *in Floribus lib. 4. titul. 8. dec. 15.* Veritate enim patefacta, Orator, qui scienter cum Impedimento Oratricem cognovit, acrius de stylo Curiæ puniri solet, & gravioribus pœnitentiis affligi; Vide Filiuccium *d. cap. 10. numer. 339. in fine*; Pyrrhum Corradum *in dict. praxi dispensat. Apostol. lib. 8. cap. 1. numer. 18.* Aversa *de matrim. quæst. 19. sect. 6. vers. At si ex duobus.*

255 Addo Tertio, Incestuosam Copulam eam proprie dici, quæ inter ipsosmet Consanguineos, vel Affines intra quartum Gradum, si ex copula licita, vel in primo, & secundo, si ex illicita sunt conjuncti, vel 256 se attinent, & consequenter Cognati Spirituales, vel publica Honestate, seu altero Impedimento dirimenti impediti, si Copulam inter se habeant non committunt proprie Incestum; &, si inter se Matrimonio copulari velint, non tenentur in Supplicatione pro Dispensatione porrigenda de ea Copula facere mentionem, si aliam causam habeant, quæ Pontificem moveat ad dispensandum; Ita Sanchez *libr. 8. disp. 25. numer. 9.* Filiuccius *dict. cap. 10. numer. 338.* Gutierez *de matrim. d. cap. 87. num. 10.* Bonacina *de Leg. disp. 1. quæst. 2. puncto 5. num. 12.* Trullenck *d. cap. 10. dub. 5. num. 4.* Sayrus *in Floribus lib. 4. titulo 7. dec. 5.*

257 Dico quarto, non esse Incestum, quando post Dispensationem jam à Pontifice, seu ejus Delegato factam, nondum tamen contracto Matrimonio, habita sit Copula inter Consanguineos, vel Affines; quia per Dispensationem jam fuit sublatum Impedimentum, & propterea Copula subsequuta non fuit Incestuosa, sed simplex fornicatio, nec ullum Matrimonii Contractui Impedimentum affert; Ecclesia etenim, quæ Impedimentum constituit, ipsamet jam per Dispensationem id abstulit; & sic hujusmodi Impedimento sublato, Copula non fuit Incestuosa: Ita docent Sanchez *lib. 7. disp. 67. num. 9. & lib. 8. disp. 25. num. 4.* Gutierez *de matrim. cap. 99. num. 15.* Bonacina *de Leg. d. puncto 5. numer. 9.* Garcia *de Benef. part. 8. cap. 3. numer. 74.* Barbosa *in Summa Bullarii verbo, Dispensare pag. mihi 277.* Trullenck *Oper. moral. tom. 3. lib. 7. cap. 10. dub. 5. num. 1.* Joannes della Crux *in Direct. Cas. conscient. quæst. 4. art. 6. dubio 14.* ubi *de disp. Impedim.* Rodriq. *in Summa tom. 1. cap. 237. numer. 7.* Pyrrhus Corradus *in dict. praxi lib. 8. cap. 2. num. 43. & 44.* Sayrus *in Floribus lib. 4. tit. 1. dec. 5.*

Dixi si Copula inter ipsosmet Consanguineos, seu Affines habita sit, quia si post factam Dispensationem Copula haberetur, seu reiteraretur cum Consanguinea, v. g. Fœminæ, quam quis ducere inten- 258
dit, infra secundum Gradum conjuncta, tunc nova insurgeret Affinitas Matrimonium dirimens, unde nova opus esset Dispensatione, ut diximus.

Quinto, si in Dispensationis Mandato adesset Clau- 259
sula *Dummodo Copula non intercesserit*, tunc, si Dispensatio concessa sit pro solo conscientiæ foro, tenentur Oratores Copulam Confessario aperire, quamvis occulta sit; quia cum Dispensatio sit pro conscientiæ foro concessa, Oratores legitime interrogantur, & veritatem fateri tenentur; alias non proderit eis Dispensatio; Sanchez *lib. 8. disp. 25. num. 12. & seqq.* Aversa *de matrim. quæst. 19. sect. 6. vers. Stylus Curiæ.* Filiuccius *quæst. mor. tom. 1. tract. 10. part. 2. capit. 10. num. 338.* Trullenck *Oper. mor. tom. 3. lib. 7. cap. 30. dub. 5. num. 8.* At si Dispensatio sit pro foro 260
externo, & Copula sit occulta, docent gravissimi Doctores non teneri Incestuosos Copulam aperire, imo posse Delegato interroganti, cum Juramento Copulam denegare in animo reticendo, *Non habui Copulam, ut tibi dicam, vel ut in Judicio proferam*; Ita Aversa de Matrim. *loc. cit.* Diana *d. part. 1. tract. 10. de leg. resol. 44.* Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 17. §. 6. num. 33.* Trullenck *l. c. n 8.* & plures alii, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 8. disp. 25. n. 13. & 14.* Ratio hujus sententiæ est, quia hæc Dispensatio intelligi debet secundum naturam concessæ dispensationis, quæ est pro foro externo, in quo de Copula non constat, ergo, &c.

Quamvis tamen hæc opinio horum Doctorum auctoritate probabilis sit, nihilominus longe probabilius existimo, dictos Incestuosos eo casu teneri ad 261
veritatem manifestandam, & Copulam, si habita sit, Delegato interroganti aperire; quia Papa Dispensationem cum d. Clausula committendo, satis aperte suam intentionem declarat, nempe, quod non intendit Dispensationem concedere, si Copula habita sit, nec distinguit an sit occulta, vel publica; unde non potest delegatus mentem Pontificis aliter, quam verba Rescripti sonent, interpretari, ut diximus. Dicta autem dictio *Dummodo*, conditionem delegato im- 262
ponit, ob quam Jurisdictio suspenditur, donec dict. Clausula justificata non fuerit; ita enim qualificat gratiam, ut sive modum, sive conditionem importet, nihil actum censeatur, donec plene justificata sit; Barbos. *in praxi exigendi pensionem part. 1. quæst. 2. num. 4.* Lotherius *de re Benef. lib. 1. quæst. 38. numer. 40.* Seraph. *dec. 1017. num. 4.* Et quod Copula eo casu sit manifestanda, docent Gutierez *de matrim. capit. 124. num. 14.* Joannes Baptista Corrad. *Resp. cas. Conscient. part. 2. quæst. 320. vers. Quando Papa*; Escobar *Theol. mor. tract. 1. exam. 16. cap. 2. vers. Estne in foro externo*, Rodriquez *in Summa tom. 1. capit. 237. numer. 8.* Joannes della Crux *in direct. cas. conscient. quæst. 4. art. 6. dub. 14. conclus. 1.* Et eo magis tenentur copulam Judici aperire, dum dicta clausula apposita sit, quia non interrogantur, ut puniantur, sed ut intentioni Papæ satisfiat, & consequenter, ut valida sit Dispensatio, quod idem animadvertunt idem Sanchez *loc. cit.* Bonacina *de Leg. disp. 1. quæst. 2. puncto 5. numer. 14.* Gutierez *de matrim. loc. cit.*

Hodie tamen non datur Dispensatio cum d. clau- 263
sula,

sula, ut sciunt curiales, & testatur Pyrrhus Corradus *in d. praxi disp. apost. lib.* 8. *cap.* 2. *nu.* 20. Et ob
264 id plures Doctores merito reprehendunt Judices, qui cum non habeant in mandato de Copula inquirere, interrogant Sponsos, an Copula inter eos habita sit, & quidem male faciunt, cum eo casu non procedant ex officio ad consulendum bono publico, vel ad cavendum Tertii damnum, sed in casu quodam speciali, & non juridice; & ad ipsos, uti Inferiores, non spectat cognoscere de his, quæ non habent in mandatis; nec tenetur Delegatus verificari facere id, quod in literis suæ commissionis non legitur, nec continetur, ut bene Seraphin. *dec.* 1446. *numer.* 4.
265 Nec ad substantiam ipsius Dispensationis confert scire dictam Copulam, maxime si occulta sit; & refert Gutierez *dict. capit.* 124. *numer.* 14. *vers. Cæterum*, se, uti Officialem ordinarium Civitatensem, infinitas Dispensationes Matrimoniales expediisse, & nunquam interrogasse Sponsos, an Copula inter eos habita fuisset, cum id non haberet in mandato: quia vere Delegatus, cum absque commissione interroget ex se, non habet Jus interrogandi, ut bene Ledesma *in Summa capit.* 27. *conclus.* 3. *vers. Dico tertio*. Et quidem hanc consuetudinem interrogandi Sponsos de Copula extra fines mandati, uti corruptelam, multi Doctores vituperant, eamque esse contra expressam Summi Pontificis mentem novissime testatur Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 2. ubi *de Oratoribus, qui nondum receptis Literis super Duplicis Tertii Affinitatis Gradus Impedimento, &c. vers. Animadvertat, pag. mihi* 311. subdens, quod non solum per hujusmodi Interrogationes non evitatur peccatum, sed potius plurium peccatorum occasio præbetur; cum experientia doceat, quod non solum hi, quibuscum dispensandum est, pejerant ob naturalem erubescentiam, negando Copulam, sed mala malis addendo, ne perjuri habeantur, & novas expensas cogantur facere pro obtinenda nova Dispensatione pro foro externo, Matrimonium de facto contrahunt; unde juremerito hanc consuetudinem exterminandam esse exagerat Salzedo *ad Practicam*, *Diaz capit.* 129. *alias* 136.
266 Adnotandum ultimo, quod si Copula habita fuit spe facilius obtinendi Dispensationem super Impedimento dirimenti, & Copula ipsa adducatur in causam finalem Dispensationis, vel inductivam ad finalem, nempe ad scandala evitanda, & ad reparationem honoris Oratricis, nulli dubium est, quin, explicata Copula, explicandus etiam sit d. finis; quia cum explicatio ipsius Copulæ fiat tanquam quid inducens ad causam finalem, eique inhæreat, debet ea Copula cum omnibus circumstantiis culpam aggravantibus manifestari; Ita Sanchez *dict. disp.* 25. *numer.* 22. *& num.* 38. Aversa *de matrim. quæst.* 19. *sect.* 6. *vers. Quod si Sponsi*; Garcia *de Benef. part.* 8. *cap.* 3. *num.* 93. Bonacina *de Leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 10. Pontius, *de matrim. lib.* 8. *cap.* 17. *§.* 6. *n.* 32. Quod si eo casu Copula cum suis qualitatibus non exprimeretur, vitium esset in causa finali, & consequenter Dispensatio nulla, & irrita esset per ea, quæ dicimus *l.* 3.
267 At si tamen alter Conjugum dictum pravum finem habuit, & alter est innocens, tunc si hæc Copula adducatur pro causa finali, vel inductiva ad finalem, ut supra, debet exprimi totum factum, prout vere se habet; Bonacina *loc. cit.* Pyrrhus Corradus *in praxi disp. apostol. lib.* 8. *cap.* 1. *numer.* 18. & faciunt dicta per Covarruv. *tom.* 1. *part.* 2. *capit.* 6.
268 §. 10. *numer.* 13. At si dictus finis fuisset internus, & mente retentus, & non publicus, poterit quoad dictum finem occultum recurri ad Sacram Pœnitentiariam, & ad Pontificem pro publicis Impedimentis, modo, & forma, prout diximus supra servari, quando concurrunt Impedimenta occulta cum publicis.
269 At si Incestuosi, qui cum d. pravo fine, & malitia se carnaliter cognoverunt, aliam causam habeant, quæ moveat Pontificem ad dispensandum, & dictam Copulam non explicent, tunc, quicquid in contrarium doceant Sanchez *lib.* 8. *disp.* 25. *num.* 38. Emanuel Sà *in Aphorismis*, *verbo Dispensatio num.* 10. necesse non erit de dicto pravo fine, & malitia mentionem facere in petenda Dispensatione super Impedimento dirimenti; quia dato, quod Copula non manifestetur, nec est explicandus finis, quo habita fuit, qui per non expressionem Copulæ cessat, ut bene docent Navarrus *lib.* 4. *consilior. titulo de conf. & affinit. conf.* 5. *numer.* 5. *in prima edit.* Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 17. *§.* 6. *num.* 32. Aversa *loc. cit. vers. Verum si adsint*; Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 82. Garcia *de Benefic. part.* 8. *d. cap.* 3. *numer.* 97. Nec obstat dispositio Concilii *sess. de matrim. cap.* 5. quia solum loquitur, quando dictus animus cum Matrimonio intervenit.

His præmissis, tanquam speciali nota dignis, difficultas remanere videtur circa expressionem faciendam de Copula, quæ ex humana fragilitate inter consanguineos, vel affines dispensari petentes habita fuit; quæ Copula, vel potest interveniisse ante Supplicationem Pontifici porrectam; vel post Pontificis Mandatum Ordinario directum, sed nondum Ordinario præsentatum; vel post dictam præsentationem, sed antequam facta sit Dispensatio; vel tandem post ipsam factam Dispensationem, sed ante Matrimonii contractum. Hoc ultimo casu Copulam non esse incestuosam, sed simplicem fornicationem, quia jam Impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis fuit sublatum, diximus.

Tota itaque difficultas restringitur quoad expres- 270
sionem Copulæ habitæ ab ipsis consanguineis, vel affinibus, antequam Supplicatio Dispensationis porrecta fuerit Pontifici, vel post Pontificis commissionem nondum ab Ordinario exequutam. Et quidem sunt in hac Quæstione gravissimæ Doctorum hinc inde opiniones.

Esse necessariam hujusmodi Copulæ expressionem 271
affirmant Petrus Andreas Gambara *de offic. & auctoritate Legati lib.* 7. *num.* 408. *&* 409. Franciscus Leo *in Thes. fori Eccl. lib.* 2. *cap.* 8. *à numer.* 48. Joannes Baptista Corradus *Respons. cas. conscient. part.* 2. *quæst.* 319. *in fine*; Emanuel Sà *in Aphorism. Confess. verbo disp. numer.* 10. Late Nicolaus Garcia *de Benef. part.* 8. *cap.* 3. *à num.* 30. *usque ad num.* 113. Paulus Comitulus *Resp. moral. libr.* 1. *quæst.* 104. ubi *de Rescriptis Pontificiis*; Antoninus Diana *resol. mor. part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 135. Joannes Gutierez *de matrim. capit.* 124. *num.* 12. *& Canon. QQ. cap.* 15. *à num.* 16. Augustinus Barbosa *in Remissionib. supra Concilium ad sess.* 24. *de Reform. matrimonii cap.* 5. *num.* 17. & latius *in Votis Canonicis lib.* 2. *voto* 17. *à num.* 57. *usque ad finem*; Martinus Bonacina *de Leg. disp.* 1. *qu.* 2. *puncto* 5. *num.* 9. Stephanus Quaranta *in Summa Bullarii verbo Matrimoniales Dispensationes*, *vers. Quibus expletis num.* 13. *pag. mihi* 399. Valerius Reginald. *in Praxi fori Pœnitentialis lib.* 31. *cap.* 26. *numer.* 200. Paulus Laymanus *Theol. moral. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 18. Thomas Sanchez *de matrim. l.* 8. *disp.* 25. *nu.* 8. Ægid. de Coninck *de Sacramentis disp.* 33. *dub.* 6. *num.* 83. Vincent. Filiucc. *QQ. moral. tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 300. *& num.* 336. *&* 337. Thom. Zerola *in praxi Episc. verbo disp. §.* 4. *vers. Tertio si quis part. prim.* Rodriquez *in Summa cap.* 238. *num.* 7. Thomas Pelliccion. *Quæst. Illustr. quæst.* 25. *cap.* 3. *pag. mihi* 216. *vers. Displicet*; Homobon. de Bonis *exam. Eccl. part.* 3. *tract.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 24. Stephanus à S. Gregorio *univ. tract. de Vinc. Divin. Piet. l.* 3. *cap.* 113. *num.* 11. late Pyrrhus Corrad. *in Praxi Disp. Apost. lib.* 8. *cap.* 1. *à num.* 3. Marcus Paulus Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 2. Ubi de Oratoribus, qui nondum receptis Literis, &c. *in princip. pag. mihi* 309. Antonius de Escobar, & Mendoza *Theolog. moral. tract.* 7. *capit.* 8. *exam.* 9. *vers. Quid si habita sit Copula, &c.* Ita etiam Sarmiento, Gallego, Genuens. Manuel, Ludovicus Lopez, Rebellius, & alii pro hac opinione relati à Nic. Garcia *loc. cit.* Ita Petrus Odragavia, & Tannerus relati ab Antonino Diana *dict. resol.* 135. Ita tandem Sanctarellus Gallet. Riccius, & alii, quos præterea citat Augustinus Barbosa in

dictis

dictis Remissionibus ad Concilium *d. num.* 17. Et plerique istorum indistincte ita sentiunt de Copula ante petitam Dispensationem habita, ac de ea, quæ post Literarum expeditionem, sed ante Ordinarii exequutionem, habita sit; eo quia Dispensatio Summi Pontificis non censeatur perfecta, & completa, antequam Delegatus, cui fuit à Pontifice commissa, illam fuerit exequutus.

272 Nonnulli tamen admittunt post primam expressionem Pontifici de Copula factam, non esse necessariam aliam expressionem, si postea, ante factam à Delegato Dispensationem, denuo iteretur; Ita Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 8. Filiuccius *num.* 337. Bonaccina *num.* 4. *ll. cc.* Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 4. *num.* 3. *&* n. 9. Escobar *d. exam.* 16. *cap.* 2. *vers. Committens*; Pyrrhus Corrad. *d. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 11. Ita etiam Corduba, & Ludovic. Lopez relati à Sanchez *lib.* 8. *disp.* 25. *num.* 7. Et sic de stylo Sacræ Pœnitentiariæ servato testatur idem Filiuccius *l. c.* & huic sententiæ adhæret Garcia *d. cap.* 3. *num.* 91. quamvis *num.* 92. limitet, ut id non procedat, si Copula iteretur post factam à Delegato separationem; tunc enim docet Incestuosos nova egere Dispensatione in forma *Perinde valere*;

273 Ratio, quæ à dictis Doctoribus assignatur, est, quia iteratio Copulæ cum eadem persona, quam quis ducere intendit, nec Impedimentum auget, nec novum inducit.

274 Alii è contra existimant, non vitiari Dispensationem, si Copula habita sit post commissam à Pontifice Dispensationem, sed nondum à Delegato exequutam. Ducuntur ea ratione, quod Papa tunc non moveatur ad Dispensationem concedendam ex causa dictæ Copulæ, cum expressa non fuerit, imo nec ante porrectam Supplicationem habita; unde cum fuerit motus ex alia causa finali, quæ vera fuit, non potest vitiari Dispensatio ex subsequuta Copula; Ita expresse in propriis terminis docent Rodriquez *in Summa cap.* 236. *num.* 8. *tom.* 1. & Corduba *tract. Cas. Conscientiæ, quæst.* 45. *puncto* 5. relatus à Guttier. *Can. QQ. lib.* 5. *d. cap.* 15. *num.* 11. qui *l. c.* subdit sic tenuisse duos Theologos insignes Hispanos, & bis fuisse juxta hanc Doctrinam judicatum.

275 Alii insuper sentiunt, non esse explicandam Copulam in Dispensatione petenda, si habita sit antequam Oratores intenderent Matrimonium contrahere; Ita Ludovicus Lopez, Manuale Rodriquez, & Navarrus, quos refert, & sequitur Jo. della Crux *in Directorio Cas. Consc. quæst.* 4. *art.* 6. *dub.* 14. *n.* 6.

Alii tandem affirmant nullam pro foro conscientiæ requiri Copulæ expressionem, sed eam tantum esse faciendam, si Copula publica sit; Sic Henriquez *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 4. 5. *&* 6. relatus à Sanchez *d. disp.* 25. *num.* 6. late Trullenck *dub.* 5. *n.* 9. *loc. cit.*

276 Concedunt plerique quod, si Copula occulta sit, & alia causa adducatur Pontifici pro Dispensatione super Impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis pro foro externo impetranda, sufficiat pro dicta Copula haberi recursus ad Sacram Pœnitentiariam, eidem exponendo non solum Copulam secreto habitam, sed etiam alia Impedimenta publica, super quibus Pontifex vel jam dispensavit, vel proxime dispensaturus est; Ita inter alios Sanchez *d. disp.* 25. *num.* 11. Coninck *d. disp.* 33. *num.* 83. Trullenck *d. cap.* 10. *dub.* 5. *num.* 6. Filiuccius *num.* 338. *loc. cit.* Pyrrhus Corrad. *in d. Praxi lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 26. Et quoad hoc concordant omnes Doctores communiter, & eo casu solet Sacra Pœnitentiaria committere Confessario non solum Absolutionem ab Incestu, sed etiam Dispensationem super Impedimentis, quamvis fuerit alias concessa, vel concedenda à Pontifice, ut suo loco dicemus.

277 Fundamenta dictæ opinionis affirmantis necessitatem expressionis d. Copulæ in Dispensatione petenda, tria præcipua sunt.

278 Primum; Quod expressa Copula Papa difficilius dispensat, & cum majori Compositione, & multis additamentis, & conditionibus, ut Incestuosi hujusmodi Pœnitentiis deterriti abstineant ab Incestu.

Secundum; Quòd Incestus sit Impedimentum obstans Matrimonio, quo stante, hoc contrahi non possit.

Tertium; Quod stylus Curiæ, qui facit Legem, exigat hujusmodi Copulæ expressionem, non quia Incestus sit vere, & proprie Impedimentum dirimens, sed ex supra dicta causa, & ratione; nempe ut timore manifestationis deterriti Consanguinei, vel Affines retrahantur ab illa.

Addunt nonnulli, ita fuisse à Sacra Congregatione decisum.

Contrariæ tamen opinioni neganti necessitatem 279
expressionis Copulæ in petenda Dispensatione super Impedimento dirimenti, si alia causa allegatur Pontifici pro Dispensatione, adhærent Navarrus *lib.* 4. *Consil. Tit. de Cons. & Affin. cons.* 1. *in prima edit.* Vega *tom.* 2. *cap.* 34. *casu* 97. Joannes della Crux *in Directorio casuum conscientiæ part.* 2. *de Matrim.* §. *de Dispensat. dub.* 14. *conclus.* 2. ubi asserit graves Doctores Romæ, & Hispaniæ consultos sic respondisse, idque esse in praxi receptum in Diœcesi Salamantina, Palentina, & aliis; & subdit quosdam Consanguineos de Oppido de Yepes Anno 1604. post commissionem Ordinario factam, & nondum præsentatam, habuisse inter se Copulam, & à Consiliariis Archiepiscopi fuisse factum præceptum Parocho sub certa pœna, ut, dicta Copula non obstante, eos Matrimonio jungeret; Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. *toto* §. 6. Antoninus Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 44. *& part.* 4. *tract. Miscell. resol.* 135. & latius *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 81. late Hieronymus Cævallos *in Speculo Aureo QQ. Commun. contra comm. q.* 737. *per totum, & num.* 3. testatur se hanc opinionem defendisse in consulendo, & judicando, & bis fuisse in Archiepiscopali Curia Toletana pro hac opinione judicatum: Raphael Aversa *de Matrim. quæst.* 19. *sect.* 6. Emanuel Sà *verbo Dispens. num.* 10. quem, & præcisa ejus verba refert Joannes de Salas *de Legib. disp.* 20. *sect.* 15. *num.* 114. Antonius de Escobar *Theol. moral. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *vers. Committens, & cap.* 4. *num.* 124. *vers. Est ne subreptitia*; Marius Antonius *var. resol. lib.* 1. *resol.* 112. *casu* 33. *vers. Primò cum non reperiatur*; Ita Vvandus, Salzedo, Bernardus Diaz, Cotta, Guttierez & Rudriquez relati à Pontio *d. num.* 33. Ita Joannes Præpositus, & Adamus Tannerus penes Dianam *d. part.* 4. *tract. Miscell. resol.* 135. Ita etiam Ochavia, & Perez relati ab eodem Diana *part.* 8. *tract.* 3. *dict. res.* 81. Et hanc opinionem existimat probabilem Sanchez *d. disp.* 25. *num.* 7. *in fine*; ubi *num.* 6. dixerat eandem tenuisse gravissimos viros de hoc consultos, & in puncto Juris hanc eandem probabiliorem docet Villalobos *part.* 1. *tract.* 10. *diffic.* 27. *num.* 7. quem refert Diana *d. part.* 1. *tract.* 10 *resol.* 44. & stando in Jure communi probabiliorem, & magis Æquitati, & Rationi consonam existimat Petrus de Ledesma *ad Matrim. in addit. ad tertiam partem S. Thom. quæst.* 56. *artic.* 5. *vers. Secunda conclusio, pag. mihi* 538. Huic etiam opinioni adhærent Theologi celebratissimi, & plures Neoterici doctissimi hujus Lucanæ Civitatis.

Et quidem istorum opinio nobis etiam vera, & 280
& in Praxi tuta videtur, nec alio indiget fundamento, nisi quia nullibi reperitur in Jure cautum, ut hæc Copula sic inter Consanguineos, vel Affines ex humana fragilitate habita, exprimi debeat; & tamen verum est, quod juxta probabiliorem Doctorum sententiam illa sola taciturnitas vitiat, quam Jura jubent exprimi, ut plene probavimus, vel de qua est jure cautum, quod illis expressis Papa non concessisset; & sic intelligi debet Doctrina eorum, 281
qui dicunt illam taciturnitatem vitiare, quæ Pontificem à concessione retraxisset; quia intelligi debet de his, de quibus est in Jure cautum, quod illis expressis non dispensetur, ut bene, & egregie explicant Navarrus *lib.* 4. *consil. titulo de Cons. & Affin. cons.* 4. *in prima edit. num.* 3. Ludovis. *dec.* 150. *num.* 11. *in annotat.* Ægidius Bellam. *decis.* 697. paulo *ante num.* 5. *vers. Tertio principaliter*; Joannes della

della Crux *in direct. caſ. conſcient. quæſt.* 4. *art.* 6. *dub.* 13. *num.* 5. Melchior Lotherius *de re benef. l.* 2. *quæſt.* 51. *numer.* 51. Rota inter impreſſas poſt 2. volumen Conſilior. Farinacii *dec.* 257. *num.* 3. Rota apud Vivian. *poſt praxim Juris patronatus dec.* 97. *numer.* 1. *verſ. Amplius*; Antoninus Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 81. *circa medium*, & faciunt dicta per Quintilianum Mandoſ. *ad Regul. Cancell. Reg.* 32. *quæſt.* 9. *numer.* 10. Thom. Sanchez *de matrim. l.* 8. *diſp.* 21. *numer.* 18. Seraph. *dec.* 1432. *num.* 8. Ratio eſt, quia Papa præſumitur velle ſua Reſcripta conformare Diſpenſationi Juris communis, niſi aliud expreſſe decernat, ut diximus.

282 Tunc autem apparet, quod Jura jubeant aliquam qualitatem exprimi, vel quando id ſpecifice, & expreſſis verbis jubent, vel quando prohibent, ne aliquod delictum remittatur, vel ne in aliquo caſu diſpenſetur, ut bene explicant Sanchez *libr.* 8. *diſp.* 21. *numer.* 15. Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 1. ubi *de tranſgreſſ. Votorum verſ. Jura autem, pag. mihi* 60. ubi concludit, ita communiter Doctores *in l.* 3. *C. de Epiſc. Audien.* Unde in caſu noſtro, cum Jura nullo modo jubeant hujuſmodi Copulæ ex-
283 preſſionem, quod lex non dicit, non eſt ab homine præſumendum *l. Diſſentientis C. de Repud.* Alex. *conſ.* 3. *numer.* 10. *lib.* 4. Menoch. *conſ.* 52. *num.* 78. *vol.* 1. Rot. *dec.* 660. *num.* 5. *part.* 2. *rec.* Barboſa *in Votis Canonicis lib.* 2. *voto* 47. *num.* 115. Reſponſa Marantæ *reſp.* 52. *numer.* 212. *part.* 2. Redenaſch. *conſ.* 85. *num.* 17. Farinac. *conſ. Crim. lib.* 1. *conſ.* 45. *num.* 41.
284 Et cum Gratiam, & Diſpenſationem eſſe nullam, ſit pœna; Franciſcus Merolla *diſp.* 1. *cap.* 2. *corollario* 2. *tom.* 1. Caſſadorus *dec.* 14. *numer.* 6. *ad Regul. Cancell.* Rota *dec.* 59. *num.* 2. *part.* 1. *rec.* Rota inter Deciſ. impreſſ. per Ludovic. Cencium *tract. de cenſib. dec.* 67. *num.* 12. Pariſ. *de reſignat. Benef. l.* 12. *quæſt.* 2. *num.* 7. *& de conſid. quæſt.* 13. *num.* 15. Lotherius *de re benef. lib.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 6. Sanchez *l.* 8. *diſp.* 21. *num.* 12. cum ob dictam nullitatem privetur quis
285 beneficio Gratiæ, & Diſpenſationis, ideo ubi Jus non imponit, non eſt imponenda pœna; Gloſſa *cap. fin.* 31. *de Jure Patronatus capit. Is, qui in Eccl.* 18. *de ſent. excomm. in* 6. Regula *in pœnis* 49. *de Reg. Juris in* 6. Sanchez *d. diſp.* 21. *num.* 12. *& diſp.* 44. *num.* 2. *eodem lib.* Rota inter impreſſas poſt prim. lib. Conſil. Farinacii *dec.* 112. *num.* 8. Tuſch. *concluſ.* 216. *num.* 1. *litera* P. Barboſa *de axiom. axiom.* 181. *n.* 7. Caſſad. *dec.* 2. *num.* 4. *de Jure Jur.* Menoch. *conſ.* 107. *numer.* 44. *volum.* 2. *& conſ.* 275. *num.* 21. *volum.* 3. Gabriel *conſ.* 17. *num.* 2. *tom.* 1. Achilles de Graſſis *dec.* 358. *alias* 12. *de privil.* Mareſcott. *var. reſol. cap.* 72. *numer.* 6. *lib.* 2. Fuſar. *de ſubſtit. quæſt.* 740. *num.* 15. *&* 16. Peregr. *de Fideicomm. art.* 3. *numer.* 83. Cæphal. *conſ.* 39. *num.* 44. *volum.* 1. Bertazzol. *de clauſ. in repetit. legis Si quis major num.* 147. *& num.* 174. Rota int. impreſſ. poſt 2. vol. conſil. Crim. Farin. *dec.* 87.
286 *num.* 20. maxime cum pœna nullitatis ipſo Jure non intelligatur, niſi in caſibus jure expreſſis, ut docent Lotherius *d. lib.* 3. *quæſt.* 19. *numer.* 18. Pariſ. *de conſid. quæſt.* 22. *num.* 11. *quæſt.* 36. *numer.* 42. *quæſt.* 41. *num.* 12. *& quæſt.* 58. *num.* 8. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell.* Gloſſa 15. *à num.* 136. Marius Antoninus *var. reſol. lib.* 3. *reſol.* 39. *num.* 11. *& num.* 32. Alex. *conſ.* 103. *num.* 16. *l.* 1. Rota *dec.* 8. *numer.* 2. *part.* 1. *rec. & dec.* 769. *num.* 2. *part.* 1. *diverſ.* Gabriel. *conſ.* 196. *num.* 2. *tom.* 1. Rota coram Pænia *dec.* 52. *numer.* 3. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 78. Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnitent. part.* 1. ubi, an Confeſſores delegati ſint meri exequutores *verſ.* 5. *quando Sacræ Pœnitent. pag. mihi* 31. & innumeri alii à dd. Doctoribus, & præci-
287 pue à dicto Mario Antonino relati; Imo dato etiam quod pœna impoſita, fuiſſet ipſo jure incurrenda, adhuc tamen declaratoria requireretur *cap. cum ſecundum Leges* 19. *unde hæret. in* 6. Alex. *conſ.* 103. *numer.* 17. *l.* 1. Fragoſius *Regim. Chriſt. Reip. part.* 1. *lib.* 1. *diſp.* 2. §. 3. *num.* 189. Carolus de Graſſ. *de eff. Cleric. effect.* 4. *num.* 8. Capyc. Latro *dec.* 167. *num.* 40. Farinac. *conſ. crim.* 5. *num.* 24. *lib.* 1. Rota inter impreſſas poſt 1. volum. conſil. Farinacii *dec.* 16. *numer.* 3. Tuſch. *concluſ.* 238. *numer.* 15. *liter.* P. Riccius *in praxi fori Eccl. reſol.* 245. *num.* 1. Gratianus *diſcept. for. c.* 809. *numer.* 13. *tom.* 5. Gonz. *ad Reg. S. Cancell. Gloſſa* 15. *num.* 139. *& Gloſſa* 56. *numer.* 127. Menoch. *conſ.* 99. *num.* 168. Zerola *in Praxi Epiſc. verb. Privatio dub.* 3. *verſ. Ad quintum part.* 1. & faciunt dicta per Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 30. *num.* 1. & per Vericell. *de Miſſionib. Apoſt. quæſt.* 163. *num.* 10. maxime in caſu de quo agimus, ubi agitur de omiſſione, & proinde ad incurſum pœnæ neceſſaria ſit monitio, ut bene inter caſus omiſſionis, & alios commiſſionis diſtinguit; Tuſch. *concl.* 257. *num.* 7. *liter. P.* quia ſi Legislator 288
pœnam nullitatis voluiſſet, utique expreſſiſſet; Cap. *Ad audientiam* 12. *de Decimis*; Cævall. *QQ. comm. contra comm. quæſt.* 808. *numer.* 87. Barboſa *de axiom. axiom.* 136. *num.* 5. Reſponſa Marantæ *reſp.* 44. *numer.* 25. *part.* 2. Gutierez *pract. QQ. l.* 3. *&* 4. *quæſt.* 22. *num.* 6. Rota *dec.* 484. *num.* 17. *part.* 7. *rec.* Unde ſi non expreſſit, cum facile potuerit exprimere, 289
præſumitur noluiſſe; Menoch. *conſ.* 30. *num.* 8. *vol.* 1. Hieronym. Palma *conſ.* 82. *numer.* 40. Caputaquenſ. *dec.* 42. *num.* 3. *part.* 3. Gutierez *loc. cit. num.* 7. Reſponſa Marantæ *reſp.* 78. *num.* 19. *part.* 3. *& reſp.* 64. *num.* 56. *& reſp.* 78. *num.* 14. *part.* 4. Pariſ. *conſ.* 35. *num.* 18. *part.* 1. Barboſa *de axiom. axiom.* 136. *num.* 6. Rota inter impreſſas poſt 1. vol. conſil. Crimin. Farinacii *dec.* 112. *numer.* 8. & facit vulgata concluſio, Si non expreſſum, ergo nolitum *l.* 1. §. *Sin autem C. de Caduc. tollen.* Marius Antonin. *var. reſol. lib.* 1. *reſol.* 1. *num.* 10. & non expreſſum à lege, ha- 291
betur pro omiſſo *ff. ſoluto matrim. l. unica* §. *ad deficientis d. C. de Caduc. toll.* Lælius Altogradi *conſ.* 76. *numer.* 68. *lib.* 1. Anchar. *conſ.* 1. *numer.* 6. Cævallos *comm. contra comm. quæſt.* 828. *numer.* 107. Et quando Papa aliud non explicat, Conſtitutio non ſe exten- 292
dit; Argum. *in cap. Non eſt vobis* 11. *de ſponſ.* Et cum ſimus in odioſis, & pœnalibus, omiſſum habetur pro 293
omiſſo; Rota *dec.* 648. *num.* 3. *l.* 3. *part.* 3. *div.* Rota *dec.* 143. *n.* 1. *part.* 2. *rec.* Caputaquenſ. *dec.* 313. *num.* 4. Pariſ. *de reſignat. libr.* 6. *quæſt.* 4. *numer.* 32. Merlin. Pignatell. *controv. for. cap.* 82. *num.* 18. *centuria* 2. Franciſc. Redenaſch. *conſ.* 19. *num.* 41. Cum itaque nullibi inveniatur appoſita obligatio iſtam Copulam exprimendi, non debet pœna nullitatis Diſpenſationis ipſo Jure habere locum, cum præſumatur 294
fuiſſe de ejus voluntate omiſſam, Pariſ. *conſ.* 69. *numer.* 180. *part.* 3. Et conſequenter iſte, tanquam caſus omiſſus, cenſeatur relictus diſpoſitioni Juris communis; Carolus Maranta *controv. J. U. reſp.* 44. *num.* 25. *part.* 2. Coccinus *dec.* 48. *num.* 4. Ludovicus Cencius *de Cenſib. quæſt.* 40. *numer.* 32. Salgado *labyrint. Credit. part.* 2. *cap.* 29. *numer.* 70. Blaſius Michalorius *tract. de Teſtibus part.* 3. *c.* 11. *num.* 135. Rota coram Merlino *dec.* 728. *n.* 7.

Et quod hæc Copula nullo Jure exprimi præcipiatur, 295
apertiſſime patet, & affirmant Cævallos *d. quæſt.* 737. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 139. *& part.* 8. *tr.* 3. *reſol.* 81. Averſa *de matr. d. quæſt.* 19. *ſect.* 6. Trullenck *l. c. n.* 7. Et quoad hoc nullus ex Doctoribus contrariæ opinionis contradicit.

Et quidem non præcipitur Jure naturæ, ut eſt no- 296
tiſſimum, & animadvertunt idem Cævallos *loc. citat. à numer.* 3. Alphonſ. à Vera Cruce *part.* 1. *artic.* 23. *concl. prim.* Non Jure Divino, quia in Levitico *ca-* 297
pit. 18. iſta prohibitio non reperitur, cum ſolum reperiatur prohibitum Matrimonium cum Affinibus, & Conſanguineis, ut bene explicant idem Cævallos, & Vera Crux *ll. cc.* Non Jure poſitivo, *quia in cap.* 298
Tranſmiſſæ 4. *& in cap. Ex literis* 8. *de eo, qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ*, ſolum impeditur Inceſtuoſos contrahere cum affinibus; Non in Con- 299
cilio Tridentino, quia *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. ubi de hac materia decernit, ſolum punit præſumentes clandeſtine, & ſcienter in Gradu prohibito contrahere (intelligendo coram Parocho, & teſtibus; per ea, quæ diximus ſupra:) Non in Regulis Cancellariæ; & ta- 300
men conſtat Regula 49. fuiſſe plures pœnas contra Raptores impoſitas; Non denique in ipſis Literis 301
Diſpenſationis Matrimonialis cum in eis appoſita non ſit Clauſula, *Dummodo Copula non interceſſerit*, prout de ſtylo apponitur alia Clauſula, *Dum-* 302
modo

modo d. Mulier propter hoc rapta non fuerit ; & sic eo Raptu sequuto, Papa non intendit super Impedimento proposito dispensare ; ergo si solo crimine Raptus sequuto non dispensatur, sequitur, quod in aliis casibus, & criminibus non dirimentibus, nec Jure expressis, nec in commissione Dispensationis exceptis, sit dispensandum ; Argum. *in leg. Cum Prætor ff. de Judic. & l. Tribunus §. fin. de milit. Testam.* quod idem prudentissime ponderant idem Cævallos *d. qu.* 737. *num.* 27. Et novissime Daniel de Nobilib. *in Selectis controv. disp.* 37. *num.* 27. Et faciunt dicta à Rota *decis.* 497. *num.* 2. *part.* 4. *recent.* Paris. *lib.* 1. *cons.* 8. *à num.* 8. Et cum in Rescripto Pontificis non committatur Delegato, ut cognoscat an Copula sequuta fuerit, consequenter obligatio de illa habetur pro omissa ; Hieronymus Palma *cons.* 88. *num.* 18. Lælius Altogradi *cons.* 2. *n.* 3. *lib.* 1.

303 Cum itaque nullo Jure, Canone, Rescripto, Constitutione, Decreto, seu Lege (quæ legitime publicata sit) cautum reperiatur, quod de hujusmodi Copula sit facienda mentio in Dispensatione petenda, est casus omissus, & ob id remanet in Dispositione Juris communis ; Lælius Altogradi *cons.* 64. *nu.* 3. *lib.* 1. Hieronymus Palma *cons.* 50. *nu.* 2. & *num.* 28. Merlin. Pignatell. *controv. forens. cap.* 55. *nu.* 16. *centuria* 2. Paris. *de resignat. lib.* 10. *quæst.* 5. *num.* 7. Ludovic. Cenc. *tract. de Cens. quæst.* 40. *n.* 32. Gratian. *discept. forens. cap.* 211. *num.* 34. *tom.* 2. & *cap.* 741 *nu.* 1. & 2. *tom.* 4. Cæval. *QQ. commun. contra communes quæst.* 808. *nu.* 93. Rota coram Cavaler. *decis.* 111. *num.* 3. Barbosa *de axiom. axiom.* 39. *num.* 8. Et consequenter cum in Jure non reperiatur cautum, quod d. Copulæ mentio sit facienda in Dispensatione, nulla est obligatio illam exprimendi, quia illa qualitas de Jure non consideratur, quæ non est necessaria ad actum ; Caputaquens. *decis.* 33. *num.* 3. Imo cum nullibi reperiatur prohibita taciturnitas dictæ Copulæ, utique censeri debet permissa, per ea quæ dicunt Rota inter decis. impress. per Ludovic. Cencium post *tract. de Censib. decis.* 91. *num.* 3. Idem Cencius *dict. tract. de Censib. quæst.* 72. *num.* 12. Gratianus *discept. forens. cap.* 870. *nu.* 37. *tom.* 5. Barbos. *de axiom. axiom.* 115. *num.* 1. Speculator *part.* 1. *lib.* 1. ubi *de Accusat. partic.* 2. *num.* 1. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 16. *numer.* 2. Mascard. *de probation. lib.* 3. *concl.* 1236. *num.* 12. Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnit. part.* 2. *formula, de sec. ex actu fornicario de contracto, vers. Permissa, pag. mihi* 266. Tusch. *conclus.* 298. *num.* 1. *lit. P.*

Nec desunt alia Jura, & fundamenta quibus hæc doctrina sustinetur, quorum aliqua veloci calamo percurram.

304 Dico primò, illam solam taciturnitatem vitiare Gratiam, quæ sit circa causam finalem Dispensationis, ut latè probat Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 11. & *num.* 74. Filiuccius *d. tract.* 10. *cap.* 10. *part.* 2. *num.* 324. & sequitur Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. *numer.*

305 41. Hæc autem Copula, quamvis exprimatur, non est ex se causa finalis Dispensationis, imo nec illam intrinsece afficit, cum sit res diversa ab Impedimento, super quo petitur Dispensatio, & ad ipsam Dispensationem non pertinens, ut bene docet idem Cævallos *d. disp.* 737. Et quod sola Copula ex se non sit causa finalis, patet, quia est peccatum ; ergo nec debet, nec recta Justitia potest Pontifex causam dispensandi à re peccaminosa sumere, nisi aliæ causæ explicentur, v. gr. Diffamatio Mulieris, & periculum, ut innupta remaneat, & gravia scandala sequantur, nisi Matrimonium contrahatur, ut bene docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 45. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 4. §. *Si vero concedi-tur num.* 8. Diana *part.* 8. *tract.* 10. *resol.* 65. ubi propterea citat Merolla, Gaeta, Texeda, & Amicum; Unde taciturnitas d. Copulæ, cum intrinsece non

306 afficiat Dispensationem, nec causam finalem concessionis, non vitiabit ipsam Dispensationem, quamvis etiam d. Copula expressa, Papa difficilius concessisset, per ea, quæ diximus supra, & dicemus *lib.* 3. *cap.* 1.

Et consequenter petita ob aliam causam, quam d. diffamationis, & scandalorum ex ipsa Copula insurgentium, exempli gratia, ob angustiam loci, defectum dotis, & alias similes causas, ipsius Copulæ taciturnitas non vitiabit, ut diximus, & faciunt pro hac doctrina dicta per Lotherium *de re Beneficiaria lib.* 2. *quæst.* 54. *nu.* 31. Gratian. *discept. forens. cap.* 535. *num.* 26. & 27. Sanchez *lib.* 8. *d. disp.* 21. *num.* 74. qui ultimus *loc. cit. num.* 11. apertissime docet, quod si ad impetrandam Dispensationem aliqua causa exprimatur, quæ ex se sufficiens sit ad concedendum, si taceatur alia causa, quæ difficiliorem reddidisset Pontificem ad dispensandum, quamvis etiam quoad modum quendam accidentalem, nec variantem rei substantiam, nec absolutam concessionem, sed quoad majorem concedendi facilitatem sit aliquantulum involuntaria, concessio nihilominus simpliciter, quoad substantiam, est voluntaria ; ergo in casu nostro tacita Copula, quamvis etiam difficiliorem Pontificem ejus expressio reddidisset, non vitiat, quia ex alia causa movetur Pontifex ad dispensandum. 307

Addo secundò cum Cævallos *l. c. num.* 9. Felin. *c. Postulastis de rescriptis numer.* 2. & Gutierez *Canon. QQ. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. in petitione Dispensationis Matrimonialis non esse necessario faciendam mentionem de Criminibus non dirimentibus ; alias dici posset, quod de omni crimine, & delicto commisso in vita sua teneretur quis mentionem facere, quod nullo modo est dicendum. Ergo cum Incestus cum propria Consanguinea sit quoddam Crimen ex se Matrimonium non dirimens, non est necessario de eo facienda mentio in Dispensatione petenda super Impedimento dirimenti, cum d. Incestus non pertineat ad Dispensationem, nec de jure sit Impedimentum. Nec præsumi debet Pontificem velle obligari hujusmodi Incestuosos ad Incestum necessario manifestandum cum gravi sui, & Consanguineorum honoris, ac famæ jactura ; nisi id apertissime aliqua Lege, Constitutione, seu Rescripto expressit. 308

Addo tertiò, plerosque Incestuosos (ut experientia docet) potius in peccato perseverare, absque spe resipiscentiæ, si post impetratas Literas Dispensationis, & solutionem expensarum propterea factam, ad novas impetrationes faciendas, & alias graves expensas adstringantur ; ex quo fit, ut eorum animæ gravius illaqueentur ; & sæpissime, ne eorum crimen, cum jactura famæ, & honoris, manifestetur, & ut novas expensas effugiant, Matrimonium malitiose contrahant, credentes se peccare lethaliter, & irrite, & nulliter contrahere, & mala malis addendo, semper pejerant. Unde non crederem à nostra opinione recedendum, cum pietatem foveat, innumera scandala tollat, & tot Viros doctissimos habeat Patronos, & Defensores. cum, maxime in diversitate opinionum, utraque probabili existente, ea amplectenda sit, ac præferenda, quæ Pietati favet, Religioni, & Animæ, ut peccata evitentur, ac scandala ; Responsa Marantæ *responsa* 19. *num.* 33. *part.* 3. & in dubio opinio illa est sequenda, quæ mitior, æquior, ac benignior est ; Achilles de Grassis *decis.* 12. *alias* 358. *nu.* 3. *de Privileg.* Menoch. *cons.* 215. *num.* 113. & *num.* 116. *vol.* 3. Mandosius *ad Reg. Cancell. Regul.* 29. *quæst.* 10. Farinacc. *cons. crimin. lib.* 1. *cons.* 30. *num.* 158. ita Nevizan. Cæval. & alii quos refert & sequitur Joannes Angelus Bossius *Moral. var. part.* 1. *titulo* 1. §. 27. *num.* 672. maxime si faveat Libertati, ac Matrimonio ; *cap. final. de sent. & re Judic.* Navarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 287. Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 71. *n.* 34. 309 310 311 312

Et quamvis verum sit, quod in dubio practico tutior via sit eligenda, Sperellius *decis.* 175. *n.* 100. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 9. Coninck *de Sacram. d. disp.* 34. *dub.* 10. *num.* 88. tamen in dubio speculativo, ut in casu nostro, tutior via est eligenda in casibus tantum Jure expressis, non autem in aliis, nisi de consilio, ut bene docent dicti Sanchez *lib.* 2. *disp.* 41. *d. num.* 9. Alex. Sperell. *decis.* 175. *num.* 99. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *n.* 8. Suarez *de censur. disp.* 4. *sect.* 6. *num.* 5. 6. 8. 9. Bossius *l. c.* 313

314 *loc. cit. num.* 720. Et dato etiam, & non concesso, quod nostra opinio minus probabilis esset, ex quo tamen probabilis est, ut diximus, potest quis, tuta conscientia, illam sequi relicta probabiliori; quia ad effectum non peccandi sufficit in foro conscientiæ sequi opinionem probabilem; cum etenim multa sint nobis valde obscura, si non possemus sequi probabilem sententiam, sed teneremur sequi id tantum, quod certius, aut tutius est, nulla fere actio esset, in qua aliquid dubitandum non remaneret, & consequenter conscientiæ nostræ semper illaquearentur. Ita expresse docent Gutierez *de matrim. cap.* 50. *numer.* 2. *& Can. QQ. lib.* 1. *cap.* 13. *numer.* 23. Lælius Altograd. *cons.* 94. *num.* 31. *lib.* 1. Sanchez *Opere moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *numer.* 14. *& de matrim. lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 30. *in fine, lib.* 3. *disp.* 20. *num.* 4. *& lib.* 8. *disp.* 6. *numer.* 18. Francisc. Merolla *tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. Filiuccius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *numer.* 128. Fragosius *Regim. Christ. Reip. part. prim. lib.* 4. *disp.* 10. *num.* 196. Bonacina *de leg. disp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 9. *num.* 4. Coninck *de Sacramentis disp.* 34. *num.* 84. Leonardus Lessius *de Just. cap.* 29. *dubitat.* 8. *num.* 68. Leoncillus *de opibus paupertatis part.* 2. *privileg.* 192. *numer.* 9. Diana *part.* 2. *tract.* 13. *resol.* 1. *vers. Sed communit.* Laymanus *Theolog. moral. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. Trullenck *Opere moral. tom.* 2. *libr.* 8. *capit.* 1. *dub.* 6. *numer.* 1. Joannes de Lugo *de Just. part.* 2. *disp.* 37. *sect.* 10. Garc. *de Benef. part.* 11. *capit.* 5. §. 4. *numer.* 361. Rodericus de Arriaga *disp. Theolog. tomo* 2. *disp.* 27. *sect.* 5. Ita Metina, Vasquez, Valentia, Suarez, Henriquez, Azorius, Bannes, Sayrus, & alii relati à Sanchez *Opere moral. dict. capit.* 9. *numer.* 14. Ita etiam Lorea., Martinez, Alvarez, Aragona, Granado, Tanerus, & alii, quos propterea citat Merolla *dict. dub.* 1. *numer.* 24.

315 Addo quarto, in dubio illam opinionem tenendam esse, quæ favet substantiæ actus, & magis ut valeat, quam pereat; Mascard. *de probat. concl.* 1115. *num.* 2. Joannes Angelus Bossius *moral. var. part.* 1. *titulo* 1. §. 27. *num.* 725. ergo & consequenter in dubio ea interpretatio est facienda, quæ facit pro validitate Actus, & Dispensationis, & magis ut sustineatur, quam pereat; Leoncillus *de paupertatis opibus part.* 2. *privileg.* 388. *num.* 10. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 4. *num.* 153. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *numer.* 20. *&* 25. Lælius Altogradi *cons.* 8. *numer.* 35. *lib.* 1. Hieronymus Palma *cons.* 87. *num.* 21. *& cons.* 88. *num.* 7. Laymanus *Theol. moral. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 14. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 62. &
316 maxime ea interpretatio sumenda est, per quam evitatur subreptio Gratiæ, & Dispensationis; Rota coram Durano post *dec.* 284. *disc.* 235. *num.* 50. *part.* 3. Gabriel *cons.* 200. *num.* 14. *lib.* 1. Sequitur igitur Dispensationem validam esse, tacito Incestu inter ipsos Oratores præhabito, cum inter Doctores sit dubium, an ejus taciturnitas in Dispensatione petenda vitiet, nec ne, ut ostendimus.

317 Addo quinto, plures Doctores tam antiquos, quam modernos, diversis temporibus hanc nostram opinionem apertissime in suis Tractatibus probabilem, & in praxi tutam docuisse, & in dies docere; ex quibus aliquos enunciavimus; & quamvis hi Tractatus typis excussi undique circumlati, & per manus plurium publice habiti, lectique sint, & quotidie habeantur, teneantur, & publice legantur, nulla tamen hucusque Constitutione, de qua publice, & authentice constet, fuit hæc opinio reprobata, prout si falsa, & erronea esset, præsumi debet, quod aliquo modo reprobata fuisset, itaut de hujusmodi reprobatione penes Tribunalia Ecclesiastica publice, & authentice constaret; agitur enim de re gravissima, quia si contraria opinio certa esset, insurgerent ex hujusmodi Copulæ taciturnitate, invaliditas Dispensationis, nullitas Matrimonii, irritatio Sacramenti, illegitimitas Prolis, Concubinatus, & Incestus perpetui, & consequenter innumera peccata, scelera, & scandala gravissima, & nulla fere Dispensatio fieret, in qua aliquid non remaneret dubitandum; ergo præsumi potest, & debet, quod si ista opinio non esset probabilis, sustinibilis, & tuta, aliquo modo damnata fuisset ab Ecclesia, & tali modo, ut ejus reprobatio ubique legitime, & authentice publicaretur; prout in alio casu de Anno 1602. factum fuisse sci- 318
mus: quo tempore cum à nonnullis probaretur quædam opinio, quod nempe valida, & licita esset Confessio facta per Pœnitentem Confessario absenti, per epistolam, Sanctæ Mem. Clemens VIII. Summus Pontifex, die 20. Junii, in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, proposita Quæstione, utrum liceat per Literas, seu Internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere, idem Sanctissimus auditis Votis Patrum Theologorum, & re cum Eminentissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus mature, ac diligenter proposita, ac considerata, dictam propositionem, scilicet, licere per Literas, seu Internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere, uti falsam, temerariam, ac scandalosam damnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, privatisve Lectionibus, Concionibus, & Congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quoquomodo deducatur: Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directe, seu indirecte deduxerit, præter Excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à qua non possit, præterquam in mortis articulo, ab alio quocumque etiam Dignitate fulgente, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi; Aliis etiam pœnis Arbitrio Sanctissimo infligendis subjaceat.

Si igitur hujusmodi Copulæ expressio, ita necessaria esset, ut ejus taciturnitas Dispensationem irritaret, inverisimile est, ut aliqua Declaratione, vel Constitutione cautum non fuisset, Incestum inter Oratores præhabitum, esse in Dispensatione petenda manifestandum; quod cum sit inverisimile (ut dixi- 319
mus) nec est credibile, *l. Mævius in principio ff. de legat.* 2. Farinac. *cons.* 1. *lib.* 1. *cons.* 25. *num.* 55. Franc. Merlin. *dec. Rotæ Lucens. dec.* 97. *numer.* 19. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 46. *num.* 2. *vers. Tertio quia*; Fontanella *de pactis Nupt. Claus.* 7. *Gloss.* 2. *part.* 2. *num.* 9. *tom.* 2. Hector Capyc. Latro *dec. S. Cons. Neap. dec.* 138. *numer.* 2.

Et quidem ista obligatio exprimendi Copulam, si 320
alias certa foret, speciali nota digna esset; ergo dum non fuit talis obligatio Lege, vel Jure præscripta, utique censeri debet omissa; Constat *l. Item apud Labeonem* §. *hoc edictum ff. de injuriis, & cap. Quamvis de præbend. libr.* 6. & docent expresse Navarrus *libr.* 4. *consil. Titulo de Sponsa. cons.* 27. *numer.* 1. *in prima edit.* Tuschus *concl.* 68. *litera N.* Gutierez *Canon. QQ. lib.* 2. *capit.* 1, *numer.* 33. Paris. *cons.* 112. *numer.* 33. *part.* 4. Ludovic. Cenc. *de cens. quæst.* 46. *numer.* 18. Gonzal. *Gloss.* 9. §. 1. *numer.* 33. Sanchez *libr.* 3. *dispens.* 35. *numer.* 11. Et actus censeri debet permissus, si non reperitur prohibitus, ut diximus.

Addo demum, irritationem Matrimonii esse causam gravissimam; Sanch. *lib.* 7. *disp.* 2. *nu.* 12. Pontius *de matrim. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 3. Rot. *inter impress. post* 2. *vol. Concil. Trid. dec.* 94. *numer.* 7. Coninck *de Sacramentis disp.* 30. *num.* 11. Layman. *mox citandus*: Et cum per Constitutionem Impedimentorum restringatur libertas ad contrahendum Matrimonium, quod est Jure naturali, & Divino unicuique permissum; Sanchez *lib.* 7. *disp.* 1. *numer.* 4. Pontius *l.* 6. *cap.* 3. & Reipublicæ Christianæ expediat potius ea restringi, ut bene animadvertit Navarrus *lib.* 4. *consil. Titulo de Cognat. spir. cons.* 2. *numer.* 7. *in* 1. *edit.* & clare colligitur ex Dispositione ipsius Conci- 321
lii Tridentini *sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 2. ubi ait; *Docet experientia, propter multitudinem prohibitio-*

tionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus, vel non sine magno peccato, perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur: Propterea Ecclesia ita sibi Impedimenta matrimonii reservavit, ut jam prohibitum sit, non solum Principibus Sæcularibus fidelibus inter Subditos fideles; Paulus Laymanus *Theolog. moral. l. 5. tract. 10. part. 4. capit. 1. numer. 2.* Hieronymus Cævallos *QQ. comm. contra comm. quæst. 58. num. 10.* Baptista Fragosius *Regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 2. disp. 4. §. 2. num. 299.* verum etiam ipsis Episcopis, & aliis quibuscumque Prælatis Ecclesiasticis (Papa excepto) alia Impedimenta Matrimonii, præter communia universalis Ecclesiæ, statuere; Sanchez *l. 7. disp. 1. num. 9.* Filiuccius *tom. 1. tract. 10. part. 2. capit. 1. num. 10.* Aversa *de matrim. quæst. 9. sect. 3. vers. Nihilominus*; Imo ipsemet Pontifex non nisi universalibus Canonibus, vel generali Concilio, hujusmodi Impedimenta pro universali Ecclesia decernere possit, ut docet Laymanus *d. cap. 1. num. 4.* testans de communi Doctorum doctrina; ad quam faciunt dicta per Navarr. *l. 4. cons. tit. de Sponsa. cons. 2. num. 6. in 1. edit.* Raphael Aversa *de matrim. quæst. 9. sect. 3. in princip. & vers. Nihilominus, & dict. quæst. 9. sect. 4. vers. Nec sane*; quia cum causæ, quibus Matrimonii valor vertitur, gravissimæ sint (ut diximus) debent universali Pontificio Jure definiri, ut idem Laymanus docet *l. c.*

Et quamvis ex gravi, & justa causa possit Summus Pontifex, quibusdam particularibus personis interdicere Matrimonium, easque prorsus reddere inhabiles ad illud contrahendum; Sanchez *l. 7. disp. 2. dict. numer. 12.* Laymanus *loc. cit. num. 4.* Aversa *d. quæst. 3. in fine*, nihilominus ad hoc, ut valide, & licite ea inhabilitas fiat, tria copulative requiruntur, nempe, Causa justa; Sanchez *l. 7. disp. 1. nu. 6.* Pontius *l. 6. cap. 3. numer. 1.* Diana *part. 8. tract. 1. resol. 61.* Aversa *d. sect. 4. in princ.* Sententia Pontificis: Laymanus *loc. cit.* Et Decretum irritans; Sanchez *l. 7. disp. 2. num. 10.* Filiuccius *d. cap. 1. nu. 11.* Gutierez *de matrim. cap. 61. num. 56.* Et tamen hujusmodi potestate Papa non facile utitur, ut animadvertit idem Laymanus *loc. cit.* Constat ergo taciturnitatem Copulæ ex se non vitiare Dispensationem Matrimonialem; id enim esset inducere novum Impedimentum dirimens, quod generaliter constitui non potest, nisi à Pontifice in universalibus Constitutionibus, vel generalibus Conciliis, ut dictum fuit; nec de aliquo stylo, seu consuetudine in contrarium constare potest, per ea, quæ diximus, & dicemus infra *lib. 2. cap. 1.* Nec dispositio Concilii *sess. 24. cap. 5. de reformat.* aliquam obligationem inducit Copulam exprimendi, ut aliqui perperam interpretantur, quia, sicut diximus, dispositio dicti Concilii procedit eo casu, quo Impediti præsumant Matrimonium intra Gradus prohibitos scienter contrahere, ut patet ex lectura d. Concilii, id tamen est longe diversum à casu nostro.

Nec me movent rationes, & fundamenta, quæ à Doctoribus contrariæ opinionis afferuntur, quæ ex infrascriptis facile (ni fallor) diluuntur.

322 Quoad primum, nempe Pontificem expressa sibi Copula difficiliorem reddi ad dispensandum, respondeo, tantum abesse, ut Pontifex ex hujusmodi Copulæ expressione difficilior reddatur ad dispensandum, dum non ex fraude, sed ex humana fragilitate habita sit, ut potius dicendum videatur ex d. expressione facilius moveri, attenta probabili, & fere certa consequentia scandalorum, quæ ob dictam præcedentem Copulam ex Dispensationis denegatione possent verisimiliter exoriri, ut bene animadvertunt Basilius Pontius *de matrim. libr. 8. capit. 17. §. 6. numer. 33.* Hieronymus Cævallos *d. quæst. 737. numer. 12.* Escobar *Theolog. moral. tract. 1. exam. 16. capit. 4. vers. Est ne subreptitia disp. inter Consanguineos*; Rodriq. *in Summa tom. 1. capit. 237. numer. 8.* Diana *part. prim. tract. 10. de Leg. resol. 44. & part. 4. tractat. 4. resol. 135.* & sic videmus quod in proxi-
323 mioribus Gradibus (nempe infra secundum) in quibus regulariter non admittuntur causæ Angustiæ loci, defectus dotis, Sedationis inimicitiarum, Extinctionis litium, & aliæ similes, tamen etiam in his proximioribus gradibus (licet in illis Concilium Tridentinum *sess. 24. de reform. dict. cap. 5. prohibeat dispensari nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam*) si copula exprimatur una cum diffamatione mulieris, & exinde periculum, ut innupta remaneat, & gravia scandala possint verisimiliter exoriri, nisi Matrimonium inter ipsos Oratores contrahatur, Papa dispensat, non solum cum personis Illustribus, ac Principibus, ut permittit Concilium, sed etiam cum aliis infimæ conditionis. Imo id est singulare, quod 324
dum Copula exprimitur, omnis alia causa cessat, ut animadvertit Pirrhus Corradus *in Praxi dispensation. Apost. lib. 8. cap. 5. n. 58.* in fine, ubi testatur sic de stylo Curiæ servari.

Imo nec solum, si Copula sit effectivè habita, mo- 325
vetur Pontifex ad dispensandum etiam in his proximioribus gradibus, sed dispensationem etiam in illis concedit, quamvis non sequuta Copula, Oratores insimul conversati sint, si inde orta sit suspicio, licet falso, quod se carnaliter cognoverint; cum ex ista sola suspicione, perinde ac ex ipsa Copula, sæpe sæpuis diffamatio Mulieris insurgat, & quod innupta remaneat, & gravia scandala timeantur, & sic quotidie hæ dispensationes conceduntur, ut est notorium.

Et quamvis expressio Copulæ causa sit, ut major 326
compositio exigatur, & cum nonnullis modificationibus, & qualitatibus eo casu dispensatio concedatur, id tamen non pertinet ad causam motivam, quia non fiunt pro consanguinitate, vel Affinitate, super quibus dispensatio petitur, ut bene animadvertunt Diana, Aversa, Trullenck, & Cævallos *ll. cc.* quod idem confirmat Pater Leo *in Praxi S. Pœnitentiariæ part. 2.* ubi *de impedimentis dirimentibus, vers. Ista autem bona fides, pag. mihi 225.* sed in pœnam Copulæ incestuosæ, cujus Absolutio, una cum Dispensatione super Impedimento dirimenti committi solet Delegato; quamvis enim incestus non sit impedimentum reservatum Pontifici, ut dicemus infra, ex quo tamen Oratores exprimunt se illum commisisse, & petunt Absolutionem ab eo, Papa absolutionem delegato committit, & in pœnam d. Incestus Oratores majori impensa, & pœnitentiis affligit, quia incestus vere est gravissimum crimen, gravique pœna dignum, & ob id incestuosi, ultra pœnas contra ipsos à Jure Ca- 327
nonico inflictas, & de quibus in Clem. *unica de consang. & in cap. 1. de consang. & affin. & in cap. Inquisitioni 44. de sententia Excomm.* pluribus aliis Jure civili inflictis subjiciuntur pœnis, ut constat *l. si quis Incesti 6. C. de Incest. & Inutil. Nuptiis; cap. cum secundum Leges 19. de hæret. in 6. in Authent. Incestas Nuptias d. C. de Incest. & inutil. Nupt.* Quibus Legibus Incestuosi prohibentur testari, & alios successores habere, nisi illos, qui alias ab Intestato venirent; Cadunt ipso Jure à dominio bonorum suorum, & à potestate in filios, alias legitimos, & à lucris dotalibus, & fiunt infames: Requiritur tamen ad has pœnas incurrendas declaratoria Judicis *l. ejus qui delatorem 29. Glossa in capitul. Fraternitas tua; verbo cum augmento 12. quæstio. 2.* Fælinus *capitul. Audivimus de Simonia*. Unde cum Incestus sit crimen gravissimum, gravique pœna dignus, non mirum si eo expresso Papa Absolutionem Delegato committendo acriter Oratores puniat; non tamen ob hujusmodi punitionem censetur necessitatem inducere ipsum incestum explicandi, si aliam causam justam, & innocentem habeant pro impetratione dispensationis; imo etiam Incestu non expresso, & sine Clausula *dummodo Copula non intercesserit*, vel alia Clausula necessitatem hujusmodi expressionis denotante, Dispensationem concedit ex alia causa; aliud namque est, ince- 328
stuosos, Copula expressa, eaque pro causa dispensationis, vel inductiva ad dispensandum allegata, puniri, dum absolutio pro ipso Incestu à Pontifice in supplicatione dispensationis petitur, & ab ipso committitur Delegato; Aliud autem est, quod non expressa Copula, dispensatio irrita sit, & nulla ipso Jure; cum id nullo Jure, Decreto, seu rescripto, nec in ipsis Literis, seu Mandato caveatur; & San-

chez

chez ipſe, qui licet hanc opinionem probabilem aſſerat, ut diximus, nihilominus in aliam ſententiam magis inclinat, hoc fundamentum diſcutit, & tanquam debile, nec verum rejicit, ſolumque ſe fundat in ſtylo Curiæ, ut videre eſt *dict. diſp.* 25. *numer.* 38.

329 Et quod ob dictam majorem Compoſitionis exactionem, & alias pœnitentias, quæ, ſi Copula expreſſa ſit, Oratoribus imponuntur, non inducatur neceſſitas exprimendi Copulam, clare conſtat, non ſolum ex dictis, ſed etiam ex eo quod eadem major Compoſitio exigitur, & dictæ additiones, & pœnitentiæ infliguntur Oratoribus, maxime in forma *Pauperum* Diſpenſationem impetrantibus, quamvis Copula nec ſequuta, nec expreſſa fuerit, ſed ſimpliciter, ſi Oratores inter ſe converſati ſint, cum ſuſpicione, quod dicta Copula ſequuta fuerit, unde diffamatio Mulieris, & quod innupta remaneat, & gravia ſcandala ſequutura timeantur, quia, ut diximus, Papa non movetur ad diſpenſandum ob Copulam ſequutam, vel converſationem ab Oratoribus habitam, ſed pietate motus, ne Oratrix, cum animæ periculo, & jactura honoris, innupta remaneat, & ne ſequantur ſcandala gravia, quæ veriſimiliter timentur, niſi Matrimonium contrahatur; cum ergo cum dict. majori Compoſitione, & cum eiſdem modificationibus, maxime in forma *Pauperum*, Diſpenſatio concedatur, tam ſi Copula expreſſa ſit, quam ſi non præceſſerit, nec allegata ſit, certum eſt dictam majorem Compoſitionis exactionem, & pœnitentias non reſpicere Diſpenſationem ſuper Impedimento Conſanguinitatis, vel Affinitatis, ſed illas imponi in pœnam, vel Copulæ expreſsæ, vel converſationis ſuſpectæ, ſuper quibus Abſolutio Delegato committitur, unde cum hæc Diſpenſationem, & ipſius cauſam finalem non afficiant, non ſunt de neceſſitate exprimenda, & ipſis tacitis, non vitiatur Diſpenſatio.

330 Nec pariter obſtat ſecundum fundamentum, cui contraria opinio nititur, nempe Inceſtum eſſe Impedimentum Matrimonio obſtans, itaut ſi Inceſtuoſi contrahere velint, neceſſaria ſit in Diſpenſatione mentio ipſius Inceſtus; loquendo etenim de Inceſtu habito inter ipſoſmet Conſanguineos, vel Affines, qui inſimul contrahere intendunt; & de quo nos agimus; nullum eſt Impedimentum ad contrahendum, cum non procedat ex aliquo Jure Divino, vel Humano, ut diximus, & docent Cævallos *d. quæſt.* 737. *num.* 5. Alphonſus à vera Cruce *in Speculo part. prim. art.* 23. *concl.* 1. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 81. ubi propterea refert Covarruv. S. Antoninum, & Caſtro; nec ex aliquo ſtylo, ſeu conſuetudine, ut mox dicemus; ergo nec impedit, nec dirimit Matrimonium, & conſequenter nulla ſuper eo opus eſt Diſpenſatione.

Et quod ob crimen Inceſtus cum ipſis propriis Conſanguineis non prohibeatur Matrimonium, ex D. Thoma, Riccardo, Turrecremata, S. Antonino, Sylveſtro, Cajetano, & aliis innumeris, probat Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 15. *numer.* 16. & citatis Cordova, Ledeſma, Matienzo, & pluribus aliis confirmat idem Cævallos *loc. cit. num.* 3. Hanc etiam Doctrinam docent Vivaldus *in Cand.* ubi *de matrim. numer.* 94. Leonardus Leſſius *de Juſt. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 11. *numer.* 82. Averſa *de matrim. dict. ſect.* 6. *verſ. Inceſtus*, & materia ſatis diſcuſſa, tandem ita concludit Joannes Gutierez *de matrim. cap.* 77. *num.* 20. *verſ. Secunda opinio, & Can. QQ. lib.* 1. *cap.* 15. *numer.* 6. aſſerens, eſſe communem Theologorum ſententiam; unde cum non ſit de Jure Impedimentum, non eſt neceſſaria illius mentio in Diſpenſatione petenda ſuper Impedimento dirimenti, ſi ex alia cau-
331 ſa petatur Diſpenſatio; Et quatenus etiam aliquod Impedimentum eſſet (quod expreſſe negatur) adhuc tamen nec neceſſarium eſſet ob illud adire Pontificem, ex quo poſſet etiam Epiſcopus ſuper eo diſpen-
332 ſare, ut infra dicemus; Et dato etiam, quod eſſet Impedimentum, & nihilominus abſque diſpenſatione Matrimonium contraheretur, eſſet quidem hujuſmodi Matrimonium illicitum, ſed tamen validum, per ea, quæ docet Rota *dec.* 264. *numer.* 40. *in novisſimis*.

Solus Inceſtus cum Affinibus Conjugis, antiquo 333
tempore, Matrimonium contrahendum prohibebat, ob injuriam, quæ Matrimonio inferebatur, non tamen hujuſmodi Impedimentum erat dirimens *capit. Tranſmiſſæ* 4. *de eo, qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ*; Vera Crux *in Speculo part.* 1. *art.* 23. *in princ.* Cævallos *d. quæſt.* 737. *n.* 1.

In iſto tamen, ſicut in aliis Impedimentis non di- 334
rimentibus, poterat, & ſolebat Epiſcopus diſpenſare, ut bene Rodriquez *in Summa capit.* 238. *num.* 5. Sperellius *dec.* 112. *num.* 36. Cævallos *loc. cit. numer.* 16. Gutierez *de matrim. cap.* 87. *num.* 23. Navarrus *lib.* 4. *conſil. conſ.* 2. *num.* 2. *titulo de Sponſ. in prim. edit.* Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 259. Barboſa *de Offic. & poteſtate Epiſcopi alleg.* 35. *numer.* 2. At jamdiu hoc Im- 335
pedimentum receſſit ab uſu, ut docent Sanchez *l.* 7. *diſp.* 17. *num.* 8. Coninck *de Sacram. diſp.* 30. *dub.* 3. *num.* 25. Pontius *de matrim. lib.* 6. *cap.* 14. *numer.* 4. Eſcobar *Theolog. moral. tr.* 7. *exam.* 9. *cap.* 9. *verſ. Septimo dixiſti*. Et ex generali conſuetudine factum eſt, 336
ut nulla ſit culpa Matrimonium contrahere cum Impedimentis impedientibus, præter Votum, Sponſalia, & Interdictum Eccleſiæ; Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 19. *num.* 9. & ob nullum Inceſtum petatur diſpenſatio, nec à 337
Papa, nec ab Epiſcopo; Navarrus *in Manuali cap.* 22. *num.* 75. *& lib.* 4. *conſil. titulo de conſ. & affinit. conſ.* 1. *in* 1. *edit.* Sanchez *libr.* 7. *d. diſp.* 17. *à num.* 4. & latius *num.* 9. Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *numer.* 12. Diana *part.* 8. *tr.* 3. *reſol.* 81. Reginald. *l.* 31. *cap.* 27. *n.* 201. Leſſius *de Juſt. d. dub.* 11. *in fine*; Gutierez *loc. citat. num.* 22. Coninck & Averſa *ll. cc.* & alii plures à prædictis citati.

Et quod neceſſaria non ſit expreſſio Impedimen- 338
ti tantum impedientis in impetratione diſpenſationis ſuper alio dirimenti, noviſſime docet Marcus Paulus Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 2. *formula de ſecundo ex actu fornicario de contracto, verſ. Quæ omnia, pag. mihi* 267. ubi expreſſe affirmat non eſſe neceſſariam, ad validitatem Matrimonii, Diſpenſationem ſuper Impedimento non dirimenti, nec illius taciturnitatem vitiare Diſpenſationem; quia Diſpenſationes ideo obtinentur, ut illud valide fiat, 339
quod ſine illis, ſi fieret, eſſet invalidum; Cum ergo hoc crimen, quatenus eſſet Impedimentum, alia 340
via, quam Diſpenſationis, tolli poſſit, non eſt neceſſario facienda mentio de eo in diſpenſatione ſuper conſanguinitate, vel affinitate; Ita expreſſis verbis, docent etiam Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 23. *numer.* 6. Bonacina *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 9. *numer.* 1. *verſ. Prima eſt*; Laymanus *Theolog. moral. libr.* 1. *tract.* 4. *capit.* 22. *numer.* 19. *verſ. Sexto, qui petit*; maxime cum ſint diverſa ab eis, ſuper quibus petitur Diſpenſatio; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 22. *numer.* 5. *in fine*. Unde cum Inceſtus ſit Impedimentum di- 341
verſum à conſanguinitate, & affinitate; Rodriquez *in Summa, tom.* 1. *capit.* 237. *numer.* 5. & nos diximus ſupra, non eſt de eo facienda mentio, ut bene Rota *in novisſimis dec.* 7. *numer.* 16. *&* 17. coram Coccino.

Nec dicatur, quod ex Inceſtu contrahatur Impedimentum affinitatis, Matrimonium contrahendum impediens, & contractum dirimens. Cap. *Diſcretionem* 6. *de eo, qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ*; *cap. Extraordinaria* 11. *cauſa* 35. *quæſt.* 3. *Gloſſa recepta in arbore affinitatis*: quia reſpondetur cum Gutierez *Can. QQ. lib.* 1. *capit.* 15. *numer.* 10. quod antiquo tempore hoc Impedimentum oriebatur quidem 342
ex Copula illicita, habita inter Conſanguineos Viri, vel Uxoris, intra quartum Gradum, *ut in capit.* 2. *& cap. non debet* 8. *de Conſ. & Affinit.* non tamen contrahebatur inter ipſoſmet Copulam habentes, qui fuerant principium Affinitatis, ut patet ex his, quæ docent Sylveſter *verbo matrimonium* 8. *Impedimento* 15. Gabriel Palæot. *de Noth. & Spur. cap.* 7. *numer.* 4. *&* 5. *Speculum conjug. part.* 1. *art.* 47. Ferdinandus de Loazez *de matrim. dub.* 1. *&* 15. relati à d. Gu- 343
tierez *loc. cit.* hodie tamen hoc Impedimentum, ex fornicatione contractum, ad ſecundum Gradum eſt à

Con-

Concilio Tridentino restrictum, *ut sess. 24. c. 4. de Reform. Matrimonii*; adeo ut in ulterioribus Gradibus non sit illicitum Matrimonium contrahere, ut habetur in Motu proprio Pii Quinti anni 1566.

Minus obstat tertium fundamentum, super quo potissimum contraria opinio fundatur, nempe quod stylus Curiæ hujusmodi Copulæ expressionem in Dispensatione petenda exigat; primo, quia hic stylus, cum sit quid facti, eget probatione, Cævallos QQ. *comm. contra comm. quæst.* 737. *nu.* 24. Rota coram Pænia *decis.* 66. *num.* 3. Mantica *decis.* 8. *n.* 4. & dato etiam, quod probaretur, adhuc non inducit necessitatem aliis Judicibus, & Tribunalibus extra Curiam illum servandi, nec illum sequendi, nisi hujusmodi stylus sit scriptus, probatus, notorius, & speciali Decisione, ac Declaratione Pontificis confirmatus, ut docent Cævall. *d. quæst.* 737. *numer.* 21. Ferrettus *cons.* 48. *num.* 19. *vol.* 1. Gratianus *discept. forens. tom.* 2. *cap.* 236. *nu.* 29. Nicolaus Boerius *cons.* 8. *nu.* 13. cum maxime variabilis sit, itaut ad mutationem Papæ, & Auditorum varietur, ut animadvertunt Boerius *nu.* 14 & Cævallos *num.* 22. *ll. cc.* Hostiensis *in Summa num.* 4. *in Proœmio*, *Gomesius ad Reg. Cancell. Reg. de Trienn. Possess. quæst.* 53. *circa finem*, Ferretus *l. c.* quod idem confirmant Staphil. Mandos. & alii penes ipsum Cævallos *l. c.* unde dictum stylum modo album, modo nigrum, dicunt Paris. *de Resignat. lib.* 3. *quæst.* 6. *num.* 24. Cassador. *decis.* 7. *num.* 4. *de rescript. & decis.* 13. *de præbend. circa finem*, Gomes. & Cævall. *ll. cc.* quapropter pro stylo accipi debere Juris interpretationem, docent Melch. Lotther. *de re benef. in Apparatu numer.* 74. Secundo, quia hic stylus, circa dictam obligationem exprimendi Copulam, non solum non fuit hucusque confirmatus speciali declaratione Papæ, de qua publice, & authentice constet, sed nec de eo constare potest, quoad omnes Incestuosos Dispensationem petentes ad contrahendum; quis enim scit (ut ait Aversa *dict. quæst.* 19. *sect.* 6.) quot Consanguinei, & Affines Dispensationem petant ad contrahendum, & exequutionem ab Ordinario accipiant, præhabita inter se Copula, nullaque de ea facta mentione in hujusmodi Dispensationis impetrationem? Hæc namque Copula, ut ponderant Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 135. & Trullenck *d. dub.* 5. *numer.* 7. de Consilio Virorum Doctorum non semper exprimitur, quamvis aliquando de consilio aliorum, contrariæ opinioni adhærentium, exprimatur; Illi autem, qui dictam Copulam exprimunt in Dispensatione petenda, id faciunt, vel quia aliam innocentem causam non habent pro Dispensatione, maxime in gradibus propinquioribus, ubi urgentiores causæ requiruntur, vel quia, cum pauperes sint, nec possint Dispensationem in forma ordinaria impetrare, illam petunt in forma *Pauperum* (quæ ob nullam aliam causam concedi solet, quam ad succurrendum honori Mulieris, & scandala, quæ propterea timentur, evitanda) vel quia opinioni contrariæ adhærent, vel ad majorem cautelam; non tamen ob id legem faciunt, ut bene docet idem Aversa *l. c.* & faciunt dicta per Pontium *d. num.* 33. & Gratianum *discept. forens. c.* 752. *num.* 87.

Et quidem de hoc stylo, an forte esset, Henriquez, & Sà, qui Romæ scripserunt, nullam mentionem faciunt, ut bene animadvertit Diana *part.* 8. *tract.* 3. *d. res.* 81. & Navarrus, qui longo tempore in Alma Urbe commoratus fuit, ibique centesimum explevit suæ ætatis annum, testatur *in Summa c.* 22. *n.* 75. se nunquam vidisse, nec audisse, Incestuosos petere Dispensationem ad contrahendum; & tamen affirmat Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 7. *cap.* 4. *nu.* 72. dictum Navarrum fuisse unum ex Consultoribus Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ: unde præsumi potest, quod, si dictus stylus viguisset, de eo mentionem fecisset.

Quod si rem diligenter consideremus, certum est de stylo Romanæ Curiæ ex pluribus, & diversis causis Dispensationes Matrimoniales concedi; exempli gratia, propter angustiam loci, defectum dotis Oratricis, sedationem inimicitiarum, extinctionem litium, honoris Oratricis reparationem, scandalorumque evitationem, meritorum remunerationem, ætatem Oratricis, & plures alias causas, quas toto Libro tertio adnotabimus, & pro singulis causis sua peculiaris formula adaptatur, & in Rescripto apponitur; ex his tamen causis, si plures concurrant, optio datur omnibus, ut quam maluerint, explicent, dummodo hæc talis sit, ut soleat ob illam Dispensatio concedi; unde si Oratores ex humana fragilitate habuerint inter se Copulam, vel suspectam conversationem, ex qua suspicio ipsius Copulæ orta sit, & consequenter insurgat diffamatio Mulieris, & pericula, ut innupta remaneat, graviaque scandala exinde verisimiliter timeantur, & prædicta adducere in causam Dispensationis eligant, non consequitur, quod si aliam innocentem causam haberent pro impetratione Dispensationis sufficientem, tenerentur necessario de Copula mentionem facere, & dicta causa reparationis honoris Oratricis, & scandalorum evitationis uti; quia, ut diximus, optionem habent, quam maluerint causam exprimendi, & cum nullibi reperiatur id prohibitum esse, censetur permissum, ut docent Doctores, quos supra retulimus.

Nec denique obstant assertæ declarationes Sacræ Congregationis, quæ à nonnullis Doctoribus pro contraria opinione referuntur; omissa etenim nunc quæstione, an declarationes istæ sint decisivæ, vel doctrinales, de qua re sunt opiniones, ut videre est penes Sanchez *lib.* 8. *disp.* 2. *num.* 10. Bonac. *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *puncto* 8. *num.* 4. Diana *tract.* 10. *resol.* 29. *& part.* 5. *tract.* 2. *resol.* 12. Pontium *de matrim. lib.* 5. *c.* 13. §. 2. *numer.* 7. Barbosa *de jur. Eccl. univ. l.* 1. *c.* 4. *numer.* 83. Carolum Maranta *in controversis I.V. Resp. resp.* 99. *num.* 43. *part.* 45. Joannem Angelum Bossium *de triplici Jubilæi privileg. sect.* 3. *casu* 2. §. 7. *de elect. Confessarii à numer.* 223. Dico primum; Assertas declarationes, non probare, nec de eis curandum esse, cum non constet de illis authentice, nec concurrant requisita necessaria, ad hoc, ut in utroque foro obligent, & tanquam leges servandæ sint; vide Sanchez *d. numer.* 10. *circa finem*; Diana *part.* 5. *tr.* 2. *resol.* 96. Responsa Marantæ *resp.* 80. *numer.* 34. *d. part.* 4. si etenim de iis declarationibus loquamur, quæ ad instantiam partium, in aliquo peculiari casu, emanant, docent Joannes Valerus *in differ. utr. fori verbo Absolutio*, *differ.* 1. *numer.* 20. *vers. Sed observa*, Joan. Baptista Lezana *in Summa tom.* 3. *verbo Congregat. numer.* 8. & Joan. Angelus Bossius *numer.* 225. *l. c.* adhuc non sufficere, ad hoc, ut vere obligent in utroque foro, quamvis vere emanaverint, sintque sigillo Sacræ Congregationis signatæ; sed insuper, ex usu Curiæ, requiri vel quod Papa det Breve, quo jubeat illas servari, vel quod D. Auditor Cameræ Apostolicæ, in earum exequutionem, det Monitorium, seu sub Censura mandet servari; quod idem confirmat Garcia *in Præfatione sui tr. de Benef.* Et propterea stylus Curiæ ita se habet teste dicto Valero *loc. c.* ut partes, si dictas declarationes impetrantes, velint ad illarum observantiam aliquas personas adstringere, præsentent ipsas declarationes originales authenticas, & clausas ipsi D. Auditori, ut illas observari faciat; & tunc d. D. Auditor dat suas Literas, seu Monitorium sub Excommunicationis pœna, inferens in eo præfatas declarationes, & mandat iis, quos supplicans nominat, ut illis, tanquam Literis Apostolicis, omnino obediant; & sic se practicasse, contra Canonicos Ecclesiæ Segobiensis, testatur dictus Joannes Valerus *loc. cit.* Dicto tamen casu docent præcitati Doctores, dictas declarationes eos tantum obligare, quibus authentice modo prædicto notificantur: Unde hujusmodi declarationes, quamvis authenticæ, non faciunt generale Jus, sed solum deserviunt pro illis casibus in quibus dantur; Rota coram Durano *dec.* 137. *numer.* 6. *part.* 1. Rota *in novissimis dec.* 154. *num.* 5. coram Durano; Thomas Hurtado *tr. varii part.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *resol.* 45. *n.* 355. Franciscus Merolla

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

tom. 2. disp. 4. c. 4. dub. 12. num. 174. quia, ut be-
358 ne dictus Merolla ait, si Pontifex vellet eas esse universales, & infallibiles Leges omnino recipiendas, typis mandari, & per universum Orbem publicari juberet, & tanquam communes operandi Regulæ proponerentur, vel in corpore Juris insererentur; & propterea, cum factæ sint in illo particulari casu,
359 non faciunt Jus universale, ut diximus: Imo nec ipsemet Princeps, dans responsum in aliqua particulari causa, fungitur munere Principis toti Reipublicæ Jusdicentis in causa particulari, in qua potest judicare secundum propriam opinionem; ergo nec statim Legem generalem constituit, ut animadvertit idem Merolla *l. c.*

360 Quod si agamus de aliis declarationibus, quæ non fiunt ad instantiam Partis, adhuc necesse est, ut de illis constet authentice, ut videri possit, an concurrant requisita, quæ ad hoc, ut in utroque foro generali obligent, necessaria sunt, ex Bullis Sixti V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. Summorum Pontificum, quæ requisita referunt Diana *part. 5. tr. 2. d. resol. 96.* & Thomas Hurtado *d. resol. 45. num. 355. & seqq.* Barbosa *de jure Eccl. univ. l. 1. c. 4. num. 82.* nempe:

Primò; Quod declarationes ipsæ factæ sint, consulto Pontifice.

Secundò; Quod Eminentiss. DD. Cardinales solum declarent, & interpretentur, non autem disponant, seu dispensent, vel restringant, aut amplient ultra vim verborum, aut regulas Juris.

Tertiò; Quod ipsæ declarationes exhibeantur in authentica forma, sintque munitæ solito Sigillo, & Subscriptione Eminentiss. D. Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Sacræ Congregationis.

Quartò; ut debeat de illis constare saltem notitia publica, qualis est illa, vel quam Episcopus in suo Episcopatu præbere potest, declarando, & publicando illas forma authentica, & juridica; vel quæ oriri potest ex fama publica, certa, & ex authentico principio derivata; quam eandem Doctrinam docent etiam Turreblanca, & alii, teste dicto Diana *loc. cit.*

361 Quia hæ declarationes cum sint, tanquam novæ Leges, ad hoc ut obligent, nova egent publicatione (quicquid in contrarium sentiant Garcia *de benef. in præfatione Tractatus*) ita expresse docent Bonacina *de Leg. disp. 1. quæst. 1. punct. 8. numer. 4. vers. Secunda pars*; Thomas Hurtado *d. resol. 45. n. 365.* Sanchez *lib. 8. disp. 2. num. 10. prope finem*; Lezana *l. c. num. 11.* Diana *part. 1. tract. 10. resol. 29.* Pontius *de matrim. l. 5. c. 13. §. 2. numer. 7.* Trullenck *tom. 3. l. 7. cap. 10. dub. 5. num. 9.* Layman. *l. 1. tr. 4. cap. 7. §. 7. numer. 26.* Pater Leo *in praxi Sacræ Pœnit. part. 2. formula 1. ex actu fornicario, verbo Matrimonium clandestinum, pag. mihi 204.* & faciunt dicta per Paris. *de resig. l. 11. quæst. 9. num. 4.* quia nec credi debet dictam Sacram Congregationem velle eas obligare, nisi legitime publicentur, nec sufficit quod de Decreto, seu Declaratione facta adsit fama, ad hoc ut obligent; quia sic non constat authentice, cum fama semper sit incerta, ut bene animadvertit Verricellius *de Missionib. Apostolicis quæst. 224. num. 6.*

362 Ex dictis infertur, quoad hujusmodi declarationes, nec posse, nec debere præstari fidem Doctoribus, qui illas in suis Tractatibus citant, ut passim faciunt Garcia, Franciscus Leo *in Thes.* Hermonsilla, Bellarminus, Barbosa, Possevinus, & alii; quia nisi authenticæ, ut supra exhibeantur, non probant, nec sunt attendendæ; Ita maxime disponente eadem Sacra Congregatione, per sua peculiaria Decreta de mandato expresso, & jussu tum Gregorii XV. sub die 6. Junii 1621. teste Carolo Maranta *in Controversiis U. jur. Respons. resp. 99. numer. 44. part. 4.* tum Urbani VIII. teste Pyrrho Corrado *in praxi dispensat. apost. libr. 8. cap. 7. numer. 17.* sub die 2. Augusti 1633. quo tempore, cum multæ Declarationes per Tribunalia circumferrentur, & à Sacra Congregatione factæ assererentur, ex quibus multæ mendosæ, mutilatæ, & alteratæ essent, mandavit dicta Sacra Congregatio, de expresso ordine dicti Sanctiss. D. Urbani, ac expresse præcepit hujusmodi declarationibus impressis, & imprimendis, seu manuscriptis nullam fidem in Judicio, & 363
extra à quoquam esse adhibendam, sed tantum illis, quæ in Authentica forma, & cum solito Sigillo, & Subscriptione Eminentiss. D. Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Sacræ Congregationis exhiberentur; Quod idem Anno præcedenti 1632. sub die 11. Augusti decreverat, ac censuerat Sacra Congregatio super Ritibus Ecclesiasticis, quoad Declarationes ab ea factas, seu faciendas, ut ex ipsius Decreto videre est, de quo, inter alios, meminit Lezana *l. c. n. 5.* illudque ad verbum refert idem Pyrrhus Corrad. *l. c.* & est infrascripti tenoris.

Cum ad notitiam Sacræ Congregationis Sacrorum Rituum pervenerit, quamplures Declarationes, Decreta, seu Decisiones, sub nomine ejusdem Sacræ Congregationis, absque illius auctoritate impressas in libris, seu aliis operibus circumferri, & allegari, multasque ex Declarationibus, Decretis, seu Decisionibus, juxta contingentiam Casuum, illorumque qualitates, & circumstantias à se diversis temporibus factas, secundum ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan alias mentito nomine Sacræ Congregationis confectas, nulloque propterea authentico Sigillo munitas, illasque per Tribunalia tam in Urbe, quam per Orbem circumferri, & allegari; Considerans eadem Sacra Rituum Congregatio, quantum detrimentum recipi possit, si aliqua fides adhibeatur, ex speciali Sanctiss. Dom. Nostri Urbani Divina Providentia Papæ VIII. jussu, mandat, & præcipit, hujusmodi Declarationibus, Decretis, seu Decisionibus, tam impressis, quam imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in Judicio, vel extra esse adhibendam, sed tantum illis, quæ in Authentica forma, solito Sigillo, & Subscriptione Eminentiss. Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint; In quorum fidem hæc propria manu subscripsimus, & Sigilli proprii Sacræ Rituum Congregationis impressione communiri, ac typis mandari jussimus.

Datum Romæ die 11. Augusti 1632.

C. Episcop. Portuens. Card. Pius.
Locus † Sigilli.
Julius Rospigliosus Secretarius.

Constat igitur, indubiumque est, hujusmodi De- 364
clarationes perinde, ac novas Leges, ad hoc ut obligent, & sint servandæ, debere authenticas exhiberi, novaque egere publicatione; Prout diversis temporibus, juxta causarum contingentiam, in Civitate, & Diœcesi Lucana nonnullas publicatas fuisse scimus, mediante notitia generaliter data ab Episcopo Lucano de Ordine S. Congregationis; Ita in specie de Anno 1637. dum huic Ecclesiæ præesset ille, clarissimum mundi Lumen, in Sacrum Collegium Apostolicum adscriptus, omnibusque christianæ Pietatis Virtutibus excultus, Eminentiss. D. Marcus Antonius Tit. S. Mariæ de Pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbyt. Cardinalis Franciottus, publicata fuit Instructio à Sac. Congregatione universaliter transmissa, pro examinandis Testibus; super verificatione status liberi personarum, quæ in alienis Diœcesibus Matrimonia sunt contracturi; Ita insuper de Anno 1623. publicatum fuerat in eadem Civitate, & Diœcesi Decretum super celebrandis Missis, & erogatione eleemosynæ pro illis à Sacr. Congregatione emanatum; Et sic cum his casibus de hujusmodi Declarationibus, Rescriptis, seu Decisionibus, forma juridica, & authentica ac certa, publicaque notitia constet, & concurrant requisita ad illarum legitimitatem necessaria, dictæ Declarationes obligant, & servandæ sunt perinde, ac ab ipsomet Pontifice factæ fuissent, ut Sacra Congregatio Concilii respondit. Garcia *in Præfatione sui Tractatus de Benef.*

Animadvertas tamen cum Joanne Ægidio Tullenck *opere moral. tom. 3. lib. 7. cap. 10. dub. 5. numer. 9.*

Dia-

Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 135. *& part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 81. Declarationes Sacræ Congregationis Concilii procedere ſolum pro foro externo, cum nunquam ſe ingerat in occultis, ut notum eſt, & teſtatur Pyrrhus Corrad. *in praxi diſp. Apoſt. lib.* 8. *capit. prim. numer.* 53.

Ex quibus ſic cumulatis ſatis ſuperque conſtat, non eſſe neceſſariam d. Copulæ expreſſionem in Diſpenſatione petenda ſuper Impedimento dirimenti, ſi Oratores aliam cauſam habeant, quæ moveat Pontificem ad Diſpenſationem concedendam; cum ipſius Copulæ taciturnitas Diſpenſationem intrinſece non afficiat, eamque non vitiet, ſitque res omnino ab ea diverſa, nec ullo Jure, Stylo, Conſuetudine, Concilio, Canone, Decreto, Regula, aut Conſtitutione exprimi præcipiatur; nec cum tali conditione concedatur Diſpenſatio, ut hujuſmodi Copulæ expreſſio neceſſaria ſit; Nec obſtant, quæ pro contraria opinione deducuntur, ut probavi, & propterea poterit Delegatus, pro utroque foro, cui in mandato non fuit commiſſa cognitio de Copula inter Oratores præhabita, Diſpenſationem exequi, non ſolum ſi dicta Copula ſit occulta, verum etiam ſi publica ſit, & dicto Delegato conſtet, vel ex depoſitione Teſtium examinatorum, pro verificatione precum Pontifici expoſitarum, vel ex ipſa Diſpenſandorum confeſſione, ſeu aliter, ut docet Cævallos *d. quæſt.* 737. *numer.* 24. quia cum non habeant in mandato de dicta Copula cognoſcere, nec aliqua Clauſula contineatur in Literis, quæ ad ejus cognitionem obliget, non debet Reſcripti fines egredi, ſed tenetur tantum præciſe exequi quantum in ipſo mandato habet expreſſum. Et ita, ſalva declaratione Sedis Apoſtolicæ, in hac quæſtione concludendum exiſtimo.

CAPUT V.

De his, quibus, de ſtylo Curiæ, Matrimoniales Diſpenſationes dirigi ſolent.

SUMMARIUM.

1 *Commiſſiones Diſpenſationum, ſi extra Curiam fiant, locorum Ordinariis demandantur.*
2 *Nomine Ordinarii venit, non ſolum Epiſcopus, ſed etiam Vicarius Generalis.*
3 *Vicariis Prælatorum inferiorum, Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentium, non committitur.*
4 *Dicti Vicarii vere non ſunt in Dignitate Eccleſiaſtica, nec eorum Officium æquiparatur Dignitati.*
5 *Excipitur Vicarius Abbatis Montis Caſſinenſis.*
6 *Ad illos Inferiores Prælatos ſunt dirigendæ, qui Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent, & nullius ſunt Diœceſis.*
7 *Eo ipſo, quod quis habet Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, videtur habere Jus congregandi Synodum.*
8 *Intellige tamen, niſi aliud ſit in contrarium.*
9 *Canonici Cathedralis æquiparantur Dignitatibus.*
10 *Improprie dicuntur Dignitates, & faciunt unum corpus cum Epiſcopo, & dicuntur Clerici primi Gradus.*
11 *Dum Capitulariter ſunt congregati, præcedunt etiam Abbatibus, habentibus uſum Mitræ, & Baculi.*
12 *Poſſunt eſſe Conſervatores Mendicantium.*
13 *Dicuntur Fratres Epiſcopi, itaut ipſi ſoli recipiant Epiſcopum ad oſculum.*
14 *Brevia directa conſtitutis in Dignitate poſſunt expediri per Canonicos Cathedralis.*
15 *Matrimoniales Diſpenſationes Canonicis Cathedralis non committuntur.*
16 *Sede Epiſcopali vacante, non committuntur Vicario Capituli.*
17 *Vicarius Capituli, Sede Epiſcopali vacante, vere eſt Ordinarius, eaque Juriſdictione gaudet, quæ Vicarius Epiſcopi.*
18 *Vicarius Capituli poteſt executioni demandare literas directas Epiſcopo per Sacram Congregationem, & ab illo non exequutas.*
19 *Vicarius Capituli poteſt exequi omne id, quod Epiſcopo mortuo, per Bullam, ſeu Breve, in cauſis Juriſdictionem importantibus, fuerit conceſſum.*
20 *Vicarius Capituli poteſt perinde, ac Vicarius Epiſcopi, eſſe Exequutor Gratiarum, & Literarum Apoſtolicarum, tanquam in Dignitate conſtitutus.*
21 *Vicarius Generalis, quoad Matrimoniales Diſpenſationes exequendas, non dicitur Ordinarius.*
22 *Sede Epiſcopali vacante, Diſpenſationes committuntur Ordinario viciniori.*
23 *Quid ſi in vita Epiſcopi commiſſæ fuiſſent Diſpenſationes Vicario Epiſcopi, & ipſe exequi cæpiſſet, ſed non potuiſſet ante obitum Epiſcopi perficere.*
24 *Quid ſi idem Vicarius Capituli, fuiſſet etiam Vicarius Epiſcopi mortui.*
25 *Statim mortuo Epiſcopo expirat omnis auctoritas ſui Vicarii, & Capitulum ſuccedit in ordinaria Juriſdictione.*
26 *Vicarius Capitularis non dicitur proprie Vicarius Epiſcopi, ſed Juriſdictionis Epiſcopalis, & ordinariæ, quam habet à Capitulo.*
27 *Vicarius Capitularis non ſuccedit in Juriſdictione delegata, quæ non eſt in Epiſcopo, & eo minus in ejus Vicario.*
28 *Sede Epiſcopali Lucana vacante, omnes Diſpenſationes Matrimoniales fuerunt commiſſæ ordinario Piſano, uti viciniori.*
29 *Illuſtriſſim. D. Joan. Baptiſta Raynoldi Epiſcopus Lucanus laudatur.*
30 *Si vivente Epiſcopo, ſint ejus Vicario commiſſæ aliquæ Diſpenſationes exequendæ, quid agendum.*
31 *Vicario ſucceſſori non erit opus iterum præſentare Literas, quæ ejus anteceſſori jam præſentatæ fuerunt.*
32 *Dignitas per mutationem perſonæ non alteratur, nec mutatur.*
33 *Epiſcopus noviter electus, quamvis non fuiſſet adhuc conſecratus, ſi confirmatus ſit, poterit Vicarium eligere.*
34 *Quid ſi Diſpenſandi nolint expectare electionem novi Vicarii.*
35 *Formula Supplicationis porrigendæ pro mutatione Judicis.*
36 *Dicta mutatio Judicis ſit, tam ſi Vicarius Epiſcopi præmortui cæpiſſet cauſam cognoſcere, quam ſi res eſſet adhuc integra.*
37 *Quid ſi facta fuiſſet mutatio Judicis, & electus eſſet novus Epiſcopus, à quo vellent Oratores diſpenſari.*
38 *Quid ſi proprius Ordinarius Oratorum longe diſtaret, nec Vicarium conſtituiſſet, vel eſſet ſuſpenſus, & eſſet deputatus in ea Eccleſia Vicarius Apoſtolicus.*
39 *Mortuo Epiſcopo ſtatim expirat Juriſdictio Vicarii.*
40 *Si mors Epiſcopi ignoretur, valent geſta per Vicarium.*
41 *Ob publicam utilitatem, ſi ex parte officialis interveniat Titulus putativus, & ex parte Populi communis error, acta ſuſtinentur; Jura ſupplent Juriſdictionem; & communis error facit Legem.*
42 *Quid ſi Vicarius ſit ab Epiſcopo abſente revocatus, & talis revocatio ignoretur.*
43 *Quid ſi ab ipſo ſolo Vicario talis revocatio ſciatur.*
44 *Quid ſi Delegatus eſſet intruſus, nec haberet titulum, ſaltem putativum, à Superiore conceſſum.*
45 *Quid ſi peteretur committi Diſpenſationem alicui ex Prælatis Inferioribus, qui non ſit in poſſeſſione, ut illi hæ Commiſſiones dirigantur.*
46 *Qui ſint Prælati Epiſcopo inferiores, quibus de ſtylo hæ Commiſſiones diriguntur.*

47 *Aliquando conceditur facultas dispensandi nonnullis Ministris Religionum.*
48 *Quid si Dispensatio expediri debeat in ipsa Alma Urbe.*
49 *Quid si Oratores sint nullius Diœcesis, Episcopalis Sedes vicinior vacet.*
50 *Quomodo computetur vicinitas.*
51 *Quid si inter Ordinarios lis pendeat indecisa super Jurisdictione loci.*
52 *Quid si proprius Ordinarius, cui Literæ directæ fuerunt, dispensare recuset.*
53 *Quid si proprius Ordinarius, ut suspectus, recusetur.*
54 *Nunquam de stylo Curiæ dispensationes committuntur Episcopo, sive ejus Vicario, sed vel ipsi Episcopo, vel ipsi Vicario.*
55 *Si Vicarius sit delegatus non potest Episcopus se in ea causa ingerere, etiam ipso Vicario mortuo, vel absente, seu ab Officio remoto.*
56 *Si Vicarius mortuus sit, vel ab Officio remotus, debebunt Literæ per successorem in Vicariatu exequutioni demandari.*
57 *Quando Papa in Commissione non exprimit nomen Vicarii, respicit Tribunal, & hujusmodi Commissio est realis, quæ transit ad successorem.*
58 *Quid si in Literis fuisset expressum nomen Vicarii, & Tribunal.*
59 *Quando delegatio est personalis, si delegatus amittat Dignitatem, adhuc delegatus remanebit.*
60 *Commissiones factæ Legatis, etiam à latere, sub nomine Dignitatis, non transeunt ad successorem.*
61 *Vicarius Episcopi adhuc non consecrati, sed solum confirmati, poterit Dispensationes exequi.*
62 *Vicarius non potest se ingerere in causa delegatæ Episcopo.*
63 *Mandatum non potest extendi ad causas in futurum delegandas.*
64 *Jurisdictio, quæ nec actu, nec habitu competit, non potest subdelegari.*
65 *Delegatus, sive sit Episcopus, sive Vicarius, non potest subdelegare ipsam Dispensationem, quæ est nudum ministerium.*
66 *Vicarius, cui commissa fuit Dispensatio, si fuisset Electus Episcopus illius Diœcesis, adhuc non poterit Dispensationem exequi, sed debebit exequi per successorem in Vicariatu.*
67 *Episcopus, & Vicarius constituunt unum Tribunal.*
68 *Habentur pro unica persona, & unico corpore.*
69 *Inter ipsos non datur medium.*
70 *Si aliquo casu speciali facta fuisset Commissio Episcopo, vel ejus Vicario, tunc facta præsentatione uni ex eis, non potest alter se intromittere.*
71 *Quid si Episcopus plures Vicarios Generales constituisset.*
72 *Episcopus potest plures Vicarios constituere, itaut unus non dependeat ab altero, & quod sint insolidum, vel ut unus sit principalior.*
73 *Non attenditur generalitas loci, sed commissio causarum.*
74 *Nomen Dignitatis absolutè prolatum, stat pro principali.*
75 *Quid si Episcopus constituisset plures Vicarios æque principales, & in rescripto Pontificis nullus sit designatus.*
76 *Facta præsentatione uni ex dictis Vicariis, non possunt alii se ingerere, nisi primus sit impeditus, quamvis etiam primo dictus Vicarius consentiret.*
77 *Non potest ita dividi causa, ut unus Vicarius Dispensationem, & alter Legitimationem exequantur.*
78 *In locis, maxime ultramontanis, Vicarii appellantur Officiales.*
79 *Verba, Vicarius, & Officialis, sunt Synonima.*
80 *Quamvis Episcopus esset aliqua causa excommunicatus, vel suspensus, adhuc poterit ejus Vicarius exequi.*
81 *Immo in d. casu poterit d. Vicarius Matrimoniis assistere.*
82 *Quid agendum, si Exequutor pronunciet Literas non esse exequendas, sed esse subreptitias; vel è contra, credens Dispensationem fore legitimam, dispenset, & postea inveniat se deceptum.*
83 *Non potest Episcopus Vicarium specialem constituere, ut de aliqua particulari delegatione cognoscat.*
84 *Vicarius Generalis substitutus à Vicario Generali potest Dispensationes exequi, si hic facultatem substituendi habeat.*
85 *Quid si Episcopus haberet duas Diœceses, & constitueret Vicarium Generalem in una.*

DIspensationum Commissiones, si extra Curiam 1
fiant, Locorum Ordinariis demandari nulli dubium esse potest. Idque non solum ex Constitutione Pii V. super Reformatione Officii Sacræ Pœnitentiariæ emanata, verum etiam ex dispositione Sacrosancti Tridentini Concilii *sess. 22. de Reformat. capit. 5.* decernitur, & ex quotidiana Praxi confirmatur.

Nomine Ordinarii venit, non solum Episcopus, 2
sed & ejus Vicarius Generalis; Rota coram Merlino *dec. 693. num. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 29. num. 3.* Garcia *de benef. part. 5. cap. 8. n. 21.* Sbrozius *de offic. Vicarii lib. 2. quæst. 55. num. 9.* Paris. *de resignat. l. 3. quæst. 11. num. 22. & 23.* Rubertus Maranta *in Speculo aureo part. 4. dist. 5. num. 12. & 13.* dixi de Vicario Generali, quia Vicarii Foranei non comprehenduntur sub nomine Ordinarii, nec faciunt unum, & idem Tribunal cum Episcopo, ut bene Sanchez *l. 3. disp. 29. num. 20.* Pontius *l. 5. cap. 11. num. 12.* & propterea non potest esse Delegatus Apostolicus, nisi ex certa scientia Papæ delegetur; Garcia *de benef. part. 8. cap. 8. num. 29.* Barbosa *de Jure Eccl. Univ. l. 1. cap. 15. num. 28.* Sbrozius *de offic. Vicarii l. 2. qu. 13. n. 9. 10.*

Difficultas est, an aliis Prælatis Inferioribus, vel 3
saltem iis, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, eorumque Vicariis Generalibus demandentur. Et quidem, quoad Vicarios istorum Prælatorum Inferiorum, Jurisdictionem quasi Episcopalem habentium, respondetur negative, quicquid concedat Sanchez *l. 8. disp. 27. n. 34.* cum hi Vicarii in Dignitate Ecclesiastica non sint, nec eorum officium æquipare- 4
tur; Garcia *de benef. part. 9. c. 2. §. 1. num. 147.* Barbosa *de Jure Eccl. univ. d. cap. 15. num. 29.* Sbrozius *d. qu. 23. num. 8.* & sic servare stylum Curiæ, testatur Pyrrhus Corrad. *in praxi disp. Apost. l. 7. c. 4. nu. 57.* ubi etiam asserit sic fuisse à Congregatione decisum; excipit tamen dictus Pyrrhus *nu. 62.* Vicarium Abba- 5
tis Montis Cassinens. quem asserit esse in possessione, ut sibi hæ Commissiones dirigantur, ex Indulto speciali Sixti V.

Unde ad illos solos Inferiores Prælatos esse diri- 6
gendas, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, & nullius Diœcesis sunt; docent Seraphinus *dec. 1052. num. 1.* Cocc. *dec. 346. nu. 7.* Rota *in Novissimis dec. 45. num. 4. coram Merlino*, & sic fuisse à Sacra Congregatione decisum de Anno 1593. in una Prioratus de Velez Ordinis S. Jacobi, testatur idem Garcia *num. 142. l. c.* ubi refert verba dictæ Decisionis, nempe, *Sacra Congregatio censuit, Dispensationes Matrimoniales, & alias quascumque quæ subditis Inferiorum Episcopis à Sede Apostolica conceduntur, si eas extra Romanam Curiam committi contigerit, & illi Inferiores nullius Diœcesis existant, & Jurisdictionem quasi Episcopalem habeant, eisdem Inferioribus, non autem vicinioribus Episcopis, esse committendas. Hieronymus Cardinalis Matthæus.*

Addunt nonnulli, ultra prædictas, aliam qualita- 7
tem requiri, nempe Jus congregandi Synodum, ad hoc, ut Inferior Prælatus sit hujusmodi Commissionum capax; sed hoc parum refert, quia eo ipso, quod quis habeat Jurisdictionem quasi Episcopalem, habere videtur Jus congregandi Synodum, cum id sit Jus Episcopale, ut colligitur *cap. Conquerente 16. de officio Ordinarii*, & docet d. Garcia *l. c. num. 139.* Intellige tamen, nisi aliud sit in contrarium, ut idem Garcia 8
bene animadvertit.

Cæte-

9 Cæterum quamvis Canonici Cathedralis, quoad Delegationes eis factas, æquiparentur Dignitatibus; *cap. Statutum* 11. *de rescriptis in* 6. Genuens. *in praxi, cap.* 69. *nu.* 10. Lotherius *de re benef. lib.* 3. *qu.* 5. 10 *numer.* 8. imo improprie dicantur Dignitates; idem Lotherius *num.* 9. *loc. cit.* & sint in magno honore, cum faciunt unum Corpus cum Episcopo, *capitulo Cum Clerici* 19. *de verb. signif.* Genuens. & Lotherius *ll. cc.* & dicantur Clerici primi Gradus; Lotherius 11 *num.* 6. & Genuens. *ll. cc.* & in Processionibus, ac Sessionibus, dum sunt congregati, præcedant etiam Abbatibus usum Mitræ, & Baculi habentibus; Genuens. *l. c.* & alii Clerici Diœcesis tenentur præstare obedientiam Episcopo, & Capitulo Cathedralis *d. capit. Cum Clerici de verb. signific.* & possint ipsi Cano- 12 nici esse Mendicantium Conservatores, ut in compendio Privilegiorum Mendicantium, verbo *Conser-* 13 *vatores*, & dicuntur Fratres Episcopi, itaut ipsi soli recipiant Episcopum ad osculum *cap. Dilectus* 25. *de præb.* & dicantur Coadjutores, Consiliarii, Senatus, & Membra Episcopi; Genuens. *l. c.* Piasæcius *in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 4. *numer.* 8. unde dum ab Urbe 14 Brevia committuntur, directa constitutis in Dignitate, possint per hujusmodi Canonicos expediri, *Glossa in l. vel Universorum ff. de pignoratitia actione*; Genuens. *l. c.*

15 Nihilominus (quicquid circa alia dicendum sit) Matrimoniales Dispensationes eis non committuntur, cum hæ solis locorum Ordinariis, & Prælatis, prædictas conditiones, & qualitates habentibus, com- 16 mittantur de stylo, imo nec Sede Episcopali vacante, Vicario Generali ipsius Capituli committuntur hujusmodi Commissiones; Garcia *de Benef. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 44. Sperellius *dec.* 31. *num.* 4. Squillantes *de privileg. Cleric. cap.* 2. *numer.* 200. Bonaccina *de Leg. disp. prim. quæst.* 3. *puncto* 8. §. *prim. num.* 7. Barbosa *de Can. & præb. cap.* 42. *numer.* 58. Quamvis 17 enim Vicarius Generalis Capituli, Sede Vacante, vere sit loci Ordinarius, eademque Jurisdictione gaudeat, qua Vicarius Episcopi, cum præsit Territorio, & à Jure habeat Jurisdictionem, prout habet Vicarius Episcopi; Franciscus Paccinus *de potestate Capituli Sede Vacante* 2. *part. principali quæst.* 10. *num.* 8. *&* 9. Garcia *part.* 5. *cap.* 8. *numer.* 22. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *d. disp.* 29. *num.* 4. Franciscus Leo *in Thes. fori Eccl. part. prim. titul. de Vicariis capit.* 10. 18 *num.* 8. Et licet etiam possit exequutioni demandare Literas per Sacram Congregationem Episcopo directas, & ab illo non exequutas, prout, sic fuisse à Sacra Congregatione declaratum; refert Pirrhus Corrad. *in praxi disp. Apost. lib.* 7. *cap.* 4. *numer.* 11. & 19 possit etiam exequi omne id, quod Episcopo mortuo, per Bullam, seu Breve, in causis Jurisdictionem importantibus, fuisset concessum: Pirrhus Cor- 20 rad. *l. c.* & possit ipse, perinde ac Vicarius Episcopi, esse Exequutor Gratiarum, & Literarum Apostolicarum, tanquam in Dignitate constitutus; Sbrozius *de offic. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 23. *num.* 3. Sperel- 21 lius *dec.* 31. *num.* 5. non tamen, quoad Matrimoniales Dispensationes exequendas, dicitur Ordinarius, nec illa exequi potest; Hieronymus Cævallos *QQ. commun. contra comm. quæst.* 771. *num.* 9. Garcia *de benef. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 44. Paulus Squillantes *de privileg. Cler. cap.* 2. *num.* 200. Augustinus Barbosa *de Jure Eccl. univ. lib. prim. cap.* 32. *num.* 58. ubi allegat Decisiones Sacræ Congregationis, & Alex. Sperell. *dec.* 31. *num.* 2. ubi testatur se noluisse dispensare, cum esset Vicarius Capituli Regien. Ratio est, quia Papa non confidit de Vicario Capituli; unde, 22 Sede Episcopali vacante, illas committit exequendas Ordinario viciniori Oratorum; quo casu Literæ commissionis de stylo concipiuntur sub ista forma: *Discretioni tuæ, &c. Cum, ut dicti Oratores asserunt, Sedes Episcopalis N. ad præsens vacet, & Venerabilis Frater noster Episcopus N. vicinior Ordinarius, qui nunc vivat, existat, per Apostolica scripta* 23 *mandamus, quatenus, &c.* Et si in vita Episcopi Literæ Dispensationis directæ fuissent Vicario Episcopali, quamvis etiam ei jam præsentatæ fuissent, & ipse exequi cæpisset, sed non potuisset ante obitum sui Episcopi expedire, adhuc non poterit Vicarius Capituli se in Dispensatione ingerere, nec dictas Literas exequi, quamvis etiam ipsemet, vivente Episcopo, 24 fuisset ejus Vicarius Generalis, quia statim Episcopo mortuo expirat omnis auctoritas sui Vicarii, tam in 25 spirituali, quam in temporali Jurisdictione; & in Ordinaria Jurisdictione Episcopi succedit Capitulum; Graff. *dec. aur. part. prima lib.* 4. *cap.* 15. *numer.* 77. Franciscus Leo *l. c.* Ita etiam Doctores, quos infra citamus.

Et quidem Vicarius Capitularis proprie non dici- 26 tur Vicarius Episcopi, sed Jurisdictionis Episcopalis, & Ordinariæ, quam habet à Capitulo, nec succedit 27 in Jurisdictione delegata, quæ, cum non sit in ipso Capitulo, eo minus erit in ejus Vicario; Franciscus Leo *l. c. fallentia* 4. Pirrhus Corradus *in d. praxi libro* 7. *cap.* 4. *num.* 14. ubi *num.* 11. refert Paulum V. Summum Pontificem, non obstantibus pluribus, & reiteratis supplicibus precibus, sibi per Dominum Oratorem, Romæ, pro Majestate Catholica residentem, porrectis, denegasse Commissionem cujusdam Matrimonialis Dispensationis fieri cuidam Vicario Capitulari, imo illam Ordinario viciniori committi præcepisse; & ita se habet inconcussus, & notorius Curiæ stylus, de quo testatur idem Pirrhus *loc. cit.* 28 & de hoc nos Lucenses testes esse possumus, dum Ordinario Pisano, tanquam Viciniori, commissas fuisse scimus omnes Matrimoniales Dispensationes, quas in hac Civitate, & Diœcesi expediri contigit, vacante hac Episcopali Sede, per obitum Illustriss. 29 & Reverendiss. D. Joannis Baptistæ Raynoldi, jucundissimæ memoriæ, qui in Episcopatus munere vigilantissimus, nihil non egit, ut verbo, exemplo, ac doctrina, tanquam virtutum Pastoralium cultor egregius, Ecclesiæ sibi commissæ prodesset; & ita se gessit, ut nulla in hac Civitate extiterit Domus, in qua mors ejus, tanquam optimi Pastoris, & amantissimi Patris, non fuerit acriter deplorata.

Eo itaque casu, quo, vivente Episcopo, com- 30 missæ fuerint ejus Vicario Generali aliquæ Dispensationes Matrimoniales exequendæ, si re integra, vel antequam exequutæ sint, Episcopus moriatur, debebunt Dispensandi, vel petere à Pontifice mutationem Judicis (& tunc Ordinario viciniori committentur) vel expectare donec à Vicario Episcopi noviter electi Literæ exequantur. Quo casu non erit opus 31 ipsi Vicario successori iterum præsentare Literas, si jam ejus Antecessori præsentatæ fuerint; Genuens. *in praxi Archiepiscopali cap.* 69. *numer.* 1. *& num.* 2. Alexander Sperell. *dec.* 166. *num.* 3. quia Dignitas per mu- 32 tationem personæ, non alteratur, nec immutatur, *cap. Si gratiose* 5. *de rescript. in* 6. Sperell. *loc. cit.* & quamvis Episcopus noviter electus, non fuisset ad- 33 huc consecratus, dummodo confirmatus sit, poterit Vicarium generalem eligere; Jacobus Sbrozius *de offic. Vicarii libr.* 2. *quæst.* 23. *numer.* 4. Pirrhus Corrad. *in dict. praxi dispensat. libr.* 7. *cap.* 4. *num.* 44. & si Vicarius, qui exequi debuisset Dispensationem, esset excommunicatus, non est excommunicatus ejus successor; Sbrozius *de offic. Vicarii libr.* 3. *quæst.* 19. *numer.* 1.

Quod si illi, qui Dispensatione egent, nolint ex- 34 pectare electionem novi Vicarii Episcopalis, poterunt petere mutationem novi Judicis (ut dixi) narrando Pontifici totum factum, prout se habet; & hujusmodi Supplicationis formula solet esse infrascripti tenoris.

Beatissime Pater; Alias S. V. pro parte Devotorum illius Oratorum N. Laici, & N. Mulieris, Lucanæ Diœcesis, ex loco de Corelia ortorum, exposito, dictam Mulierem in d. loco, ob illius angustiam, virum sibi non Consanguineum, vel Affinem paris conditionis, cui nubere posset, invenire nequire, cupereque Oratores præfatos invicem Matrimonialiter copulari, sed quia Tertio Consanguinitatis Gradu invicem erant, prout sunt conjuncti, desiderium eorum in ea parte adimplere non posse, absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; quare pro eorundem Oratorum parte, eidem S. V. humiliter Supplicato, quatenus eis in præmissis 35

opportune providere de Benignitate Apoſtolicæ dignaretur ; Sanctitas Veſtra , precibus dictorum Oratorum , tunc inclinata , Vicario Epiſcopi in Spiritualibus Generali per ſuas Literas dedit in mandatis , quatenus , ſi preces veritate niti reperiret , cum eiſdem Oratoribus , quod Impedimento tertii Conſanguinitatis gradus hujuſmodi non obſtante Matrimonium inter ſeſe , publice , ſervata forma Concilii Tridentini , contrahere , illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare , & in eo poſtmodum remanere libere , & licite valerent , Apoſtolica auctoritate diſpenſaret , prolemque ſuſcipiendam exinde legitimam nunciaret , prout in dictis literis plenius continetur ; Cum autem P. S. Epiſcopus N. literis præfatis minime exequutioni demandatis , rebus fuerit humanis exemptus , & propterea Sedes Epiſcopalis N. adhuc paſtore careat ; Supplicant propterea humiliter ejuſdem S. V. Oratores præfati , quatenus , ne propter præmiſſa , dictarum literarum exequutio retardetur , ſpecialem ſibi Gratiam faciendo , Ordinario Viciniori , ſeu ejus Vicario in Spiritualibus Generali committere , & mandare , ut ipſe , poſtquam dictæ literæ ſibi , pro dictorum Oratorum parte præſentatæ fuerint , ad illarum exequutionem , ſervata alias earum forma , procedat in omnibus , & per omnia , perinde ac ſi illæ ſibi , & non præfato Vicario Epiſcopi N. à principio directæ fuiſſent , dignemini , de Gratia Speciali ; Non obſtantibus omnibus illis , quæ eadem S. V. in d. literis voluit non obſtare , cæteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis : Et cum abſolutione à cenſuris , &c. ad effectum , &c. & de Commiſſione , Mandato , aliiſque præmiſſis latiſſime extendendum ; & quod præmiſſorum omnium , & ſingulorum , aliorumque neceſſariorum major , & verior ſpecificatio , & expreſſio fieri poſſit , in literis per Officium Contradictarum expediendis . Et committatur Ordinario viciniori viventi , vel ejus Vicario in Spiritualibus Generali .

Et tunc committi ſolet ipſi Vicario viciniori , ut poſtquam dictæ Literæ ſibi pro parte dictorum Oratorum præſentatæ fuerint , ad illarum exequutionem , ſervata alias earum forma , procedat in omnibus , & per omnia , perinde , ac ſi illæ ſibi , & non præfato Vicario Epiſcopi N. à principio directæ fuiſſent : 36 & hic eſt notorius Curiæ ſtylus ; Quod idem ſervatur , tam ſi Vicarius Epiſcopi præmortui cæpiſſet cauſam cognoſcere , quam ſi res adhuc integra eſſet , ut diximus ; & teſtatur Pirrhus Corradus *loc. cit.* 37 *num.* 22. At ſi viceverſa , mortuo Epiſcopo , obtenta fuiſſet mutatio Judicis , & nondum illi præſentatis Literis , eligeretur novus Episcopus Diœceſis Oratorum , unde Oratores libentius à ſuo , quam ab extraneo Ordinario procedi cupiant , cum facilius illis ſit exhibere coram eo Informationes pro verificandis precibus ; poterit eo caſu nova Supplicatio porrigi Pontifici , & cauſa Ordinario Oratorum committi ; & tunc reſcribi ſolet , quod dictus Ordinarius ad priorum Literarum exequutionem procedat perinde , ac ſi eidem , non autem Ordinario viciniori à principio præſentatæ fuiſſent ; & ita de ſtylo ſervari teſtatur dictus Pirrhus Corradus *numer.* 25. *loc. citat.* 38 ubi etiam docet , idem ſervari eo caſu , quo proprius Ordinarius Oratorum , vel longe diſtaret tempore impetrati Reſcripti , & adhuc Vicarium non conſtituiſſet , vel eſſet dictus Ordinarius ſuſpenſus , & ob id , in ejus Eccleſia deputatus fuiſſet Vicarius Apoſtolicus ; quia tunc , vel Ordinario viciniori , vel ipſi Vicario Apoſtolico diſpenſationis exequutio committeretur .

39 Et quamvis , mortuo Epiſcopo , ſtatim expiret Juriſdictio Vicarii ; Sbrozius *de officio Vicarii l.* 3. *qu.* 44. *num. prim.* Paulus Squillante *de privileg. Clericor. cap.* 2. *num.* 85. Fragoſius *Regim. Chriſt. Reip. part. prim. l.* 4. *diſp.* 9. *num.* 76. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 30. *num.* 2. Sperellius *dec.* 30. *num.* 2. Pariſ. *de* 40 *Reſignat. lib.* 7. *quæſt.* 24. *num.* 35. nihilominus , ſi mors Epiſcopi communiter ignoretur , valent geſta per ipſum Vicarium . Unde Diſpenſatio Matrimonialis ipſi Vicario commiſſa , & ab ipſo exequuta , valida erit , ſi , v. g. Epiſcopus in longinquis partibus tempore factæ , & exequutæ Diſpenſationis mortuus eſſet , at ejus mors communiter ignoraretur , quia ob publicam utilitatem , ſi ex parte Officialis interve- 41
nerit Titulus putativus , & ex parte Populi communis error , Acta ſuſtinentur , Jura ſupplent Juriſdictionem , & communis error facit legem , & pro veritate habetur *l. Barbarius Philippus de offic. prætoris* ; Sbrozius *de offic. Vicarii lib.* 3. *qu.* 36. *numer.* 9. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 22. *num.* 59. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar. Gloſſa* 15. §. 1. *numer.* 53. & *Gloſſa* 45. §. 2. *num.* 26. & §. *v. proœm. numer.* 103. Alexander Sperell. *dec.* 30. *numer.* 5. Guttierez *de matrim. cap.* 68. *num.* 18. Merolla *tom.* 3. *diſp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 26. *num.* 244. & *num.* 249. Leſſius *de juſt. lib.* 2. *capit.* 29. *dub.* 8. Flaminius Pariſ. *de reſignat. lib.* 11. *qu.* 1. *numer.* 13. Paulus Squillante *de privil. Cleric. cap.* 2. *numer.* 125. Auguſtinus Barboſa *de Jure Eccl. univ. lib.* 1. *cap.* 15. *numer.* 44. Garcia *de benef.* Fragoſius *l. c. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 309. quod idem pro- 42
cedit etiam quando dictus Vicarius fuiſſet ab Epiſcopo abſente revocatus , & talis revocatio ignoraretur , quia non amittit Juriſdictionem , donec ab ipſo Epiſcopo de revocatione certioretur , Rebuff. *in praxi benef.* ubi de forma Vicariatus *num.* 212. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 30. *num.* 11. Sbrozius *de offic. Vicarii l.* 3. *qu.* 36. *numer.* 6. Pariſ. *de reſign. benef. lib.* 7. *qu.* 24. *à num.* 41. Garcia *de benef. d. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 174. Maſcard. *de probat. concl.* 648. *numer.* 74. imo valebunt geſta per ipſum Vicarium , quamvis re- 43
vocatum , licet ipſe ſolus conſcius ſit revocationis , ſi communis error adſit ; Sanchez *l.* 3. *diſp.* 22. *numer.* 11. Guttierez *loc. cit. nu.* 22. Joannes Valerus *diff. utr. fori , verbo Nullitas diff.* 7. *num.* 8. Fragoſius *l. c. numer.* 77. & faciunt dicta per Zerolam *in praxi Epiſc. verbo diſp.* §. 9. *verſ. Hic eſt dubium* . Aliter autem eſſet dicendum , ſi Delegatus eſſet intruſus , nec haberet 44
titulum , ſaltem putativum , à Superiore conceſſum , quia tunc , quamvis communis error adeſſet , nihilominus geſta per eum non valerent , ut bene docet Joannes Angelus Boſius *de triplici Jubil. ſect.* 3. *caſu* 2. §. 4. *num.* 155.

At ſi peteretur , Diſpenſationem committi alicui 45
ex Prælatis Inferioribus , qui non ſit in quaſi poſſeſſione , ut ei hujuſmodi Commiſſiones dirigantur , debet prius coram D. Datario docere de Requiſitis , & an illa , quæ habet , talia ſint , ut mereantur has Commiſſiones illi dirigi ; & ita ſervandum eſſe , cenſuit Sacra Congregatio ad inſtantiam Cardinalis Toletani teſte Garcia *loc. cit. num.* 143. Et propterea ſi hæ Commiſſiones fieri debeant iſtis Prælatis Inferioribus , petitur in Supplicatione Diſpenſationis , quatenus Sanctitas Sua committere dignetur Abbati N. nullius Diœceſis , Provinciæ N. particulare , & ſeparatum Territorium habenti , ac Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in dicto loco exercenti , etiamſi de illis perſonis non ſit , quibus ſimiles Cauſæ per Sedem Apoſtolicam committi conſueverint , eidemque mandare , ut cum eiſdem Oratoribus diſpenſet , & ſic de ſtylo , & ex pluribus Declarationibus Sacræ Congregationis , ſervari ; teſtatur Pirrh. Corrad. *loc. cit. num.* 60.

Prælati Epiſcopo inferiores , quibus de ſtylo hæ com- 46
miſſiones moderno tempore diriguntur , ſolent eſſe infraſcripti , teſte Pirrho Corrado *in d. praxi l.* 7. *c.* 4. *n.* 61. nempe .

Abbas Monaſterii S. Mariæ , Oppidi Pinaroli , Ordinis S. Benedicti , nullius Diœceſis , Provinciæ Taurinenſis ; ſicut enim in Chriſtiana Republica Epiſcopatus eſt omnium Eccleſiaſticarum Dignitatum culmen ; Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 9. *num.* 68. & alii , quos cap. ſequenti referimus ; ſic Abbatia eſt omnium Regularium Dignitatum caput ; Pirrhus Corrad. *loc. cit. numer.* 59. & propterea Abbates omnibus Prælatis Sæcularibus Epiſcopo Inferioribus præcedunt ; Lotherius *d. lib. prim. qu.* 17. *numer.* 11. cum Abbatum Dignitas ſit poſt Epiſcopalem immediata ; Auguſtin. Barboſa *de Jure Eccl. univerſ. lib. prim. capit.* 17. *num.* 1.

Abbas Monaſterii S. Chriſtophori Terræ Caſtri Durantis , Ordinis S. Benedicti , nullius Diœceſis , Provinciæ Urbinatenſis .

Abbas

Abbas Monaſterii SS. Vincentii, & Anaſtaſii ad Aquas Salvias nuncupatus, Ordinis Ciſtercienſ. prope, ac extra Mœnia Urbis.

Abbas Monaſterii S. Sylveſtri, Terræ Nonantulæ, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœceſis, provinciæ Ravennaten.

Abbas Monaſterii S. Salvatoris Majoris nuncupati, Ordinis S. Benedicti, in diſtrictu Urbis.

Abbas Monaſterii Montis Caſſinenſ. Ordinis S. Benedicti, nullius Diœceſi, Provinciæ Capuanæ.

Abbas Monaſterii Montis Virginis, Ordinis Sancti Benedicti, nullius Diœceſis, Provinciæ Beneventanæ.

Abbas Monaſterii Sanctiſs. Trinitatis Caven. Ordinis S. Benedicti nullius Diœceſis, Provinciæ Capuanæ.

Abbas Sæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri, Oppidi de Lerma, nullius Diœceſis, Provinciæ Burgenſ.

Abbas Monaſterii S. Mariæ Farſen. Ordinis S. Benedicti, nullius Diœceſis, in diſtrictu Urbis.

Præpoſitus Eccleſiæ B. Mariæ, Terræ Aſtini, nullius Diœceſis, Provinciæ Theatin.

Præpoſitus Piſcienſis, nullius Diœceſis, ex declaratione Sacræ Congregationis; teſte Garcia *loc. cit. numer.* 145. facta his verbis: *Præpoſito Piſcienſ. cui mandata eſt Juriſdictio, Viſitatio, Correctio, & Superioritas, etiam quoad Inſtructionem, Præſentationem, & Nominationem, prout illam habebat Epiſcopus Lucanus, ſunt committendæ Literæ in forma Dignum, & Diſpenſationes Matrimoniales.*

Prior Monaſterii S. Laurentii prope Padulam Carruſienſ. Ordinis, Abbas Monaſterii S. Mariæ de Cadozza, nullius Diœceſis, Provinciæ Salernitanæ.

Prior Prioratus S. Jacobi de Spata, nullius Diœceſis, Provinciæ Compoſtellanæ.

Prior Prioratus de Magazula, Militiæ de Alcantara, nullius Diœceſis, Provinciæ Compoſtellanæ, in cujus favorem fuit à Sacra Congregatione declaratum, nempe, habere requiſita, itaut illi committi poſſint Matrimoniales Diſpenſationes, teſte eodem Garcia *l. c. n.* 144.

Prior Prioratus de Velez, nullius Diœceſis, Provinciæ Toletanæ.

Vicarii tandem Apoſtolici, qui mittuntur cum Breve.

47 Conſuevit inſuper Summus Pontifex nonnullis Miniſtris Generalibus Religionum per Literas in forma Brevium, ſub Annulo Piſcatoris, facultatem impertiri, ut per ſe, vel per alios ab eis deputandos, quamvis non Graduatos, poſſint Literas Sacræ Pœnitentiariæ, pro foro conſcientiæ tantum, aperire, illaſque juxta earum formam, & tenorem exequi; de quo ſtylo ſimiliter teſtatur idem Pyrrhus Corrad. *in d. Praxi lib. 7. cap. 4. nu.* 74. ubi ponit formulam dictæ conceſſionis.

48 At ſi Diſpenſationes expediri debeant in ipſa Alma Urbe, tunc committi ſolent Vicario Urbis, aut illius Vices Gerenti, vel uni ex Prælatis Signaturæ Papæ Referendariis, & quandoque etiam alicui ex Sacræ Rotæ Romanæ Auditoribus; & ita de ſtylo ſervari teſtatur Pyrrhus Corradus *in dict. praxi lib. 2. cap. 4. num.* 20. quia hujuſmodi Vicarii omnes prærogativas Epiſcopi conſequuntur; Sbrozius *de offic. Vicarii lib. 2. q.* 135. *n.* 7.

49 Si Oratores ſint nullius Diœceſis, & Epiſcopalis Sedes vicinior vacet, tunc Diſpenſationes Matrimoniales committuntur alteri Ordinario viciniori, computando vicinitatem à finibus illius Diœceſis, cujus Epiſcopus mortuus eſt: facit, *cap. Statutum* 11. §. *cum autem de reſcript. in 6.* & de Juris rigore
50 attendenda eſt menſura, ſecundum viam, per quam conſuetum eſt iri, ut idem Pyrrhus Corradus *lib. 7. d. cap. 4. num.* 20.

51 Quòd ſi inter Ordinarios lis pendeat indeciſa ſuper Juriſdictione Loci, tunc ſi uni ex eis commiſſa fuiſſet literarum exequutio, ad evitanda ſcandala, & præjudicia, datur mutatio Judicis, & commiſſio fit alteri Ordinario viciniori; & ita ſe habet ſtylus Curiæ, de quo conſtat apud eumdem Pyrrhum *l. c. num.* 25.

Verum ſi proprius Ordinarius, cui Literæ directæ 52
fuiſſent, ad exequutionem dictarum Literarum procedere recuſaret, dantur Literæ mutationis Judicis Epiſcopo viciniori directæ, cum facultate diſpenſandi, injuncta conditione, ut poſtquam dictæ Literæ ultimo dicto Epiſcopo præſentatæ fuerint, exequutionem ſuſpendat, donec priorem Ordinarium legitime requiſiverit pro exequutione, eidemque tranſmittat ſecundarum Literarum tenorem, ejuſque Promotorem Fiſcalem audiat. Quod ſi primus Ordinarius ad præfatarum Literarum exequutionem; indebitè, 53
& ſine rationabili cauſa, procedere recuſaret, cauſamque legitimam dictæ recuſationis non adduceret, tunc ad earumdem Literarum exequutionem, ſervata alias earum forma, ſecundo dictus Ordinarius procedet. Unde neceſſaria erit requiſitio facta prioris à ſecundo Judice, modo, quo ſupra. Nec ſufficit ſi Partes referant fidem recuſationis, ſeu denegationis factæ à priori Judice; & ita eſſe ſtylum Curiæ teſtatur idem Pyrrhus Corradus *loc. cit. num.* 29.

Stylus Curiæ ita ſe habet, ut Literæ Diſpenſatio- 54
nis nunquam committantur alternative; nempe Epiſcopo, vel ejus Vicario, ſed vel Epiſcopo, vel Vi- 55
cario. Unde ſi Vicarius ſit Delegatus, non poterit Epiſcopus ſe ingerere in Diſpenſatione, nec illam, modo aliquo exequi, etiam ipſo Vicario mortuo, 56
vel abſente, ſeu ab Officio remoto; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 27. *n.* 30. Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 921. *num.* 67. *tom.* 1. Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *diffic.* 8. *num.* 602. Genuenſ. *in Praxi Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ cap.* 69. *num.* 11. Pontius *l. c.* Gutierez *de Matrimon. cap.* 125. *num.* 11. Sperellius *dec.* 166. *nu.* 7. Pyrrhus Corradus *d. c.* 4. *num.* 38. ubi *num.* 41. refert, quod cum alias cuidam Vicario Epiſcopali commiſſa fuiſſet exequutio Diſpenſationis, in forma *Pauperum*, & inter cætera Oratori impoſitum (prout fieri ſolet eo caſu) ut operam ſuam conferret Fabricæ, aut in aliud ſervitium alicujus Eccleſiæ, vel loci pii, tribus ſaltem menſibus; abſente tunc Vicario, Epiſcopus pietate motus erga Oratores, ne Literarum exequutio nimis in longum protraheretur, juſſit Oratori, ut operam ſuam cuidam Eccleſiæ conferret, quod fuit à dicto Oratore poſtmodum expletum; deinde Oratores coram ipſo Vicario comparuerunt, producendo fidem præſtiti ſervitii, & pœnitentiæ peractæ, inſtando propterea pro exequutione, & Diſpenſatione; quam dictus Vicarius omnino denegavit, ea ratione, quod Epiſcopus nulliter ſe ingeſſiſſet, unde peracta pœnitentia publica, & ſervitium Eccleſiæ præſtitum non ſuffragarentur. Et propterea re delata ad Urbem, fuit reſcriptum, nullam eſſe habenda rationem dictæ pœnitentiæ ab Epiſcopo impoſitæ; & ſic Orator aliis tribus menſibus operam ſuam contulit; & propterea eo caſu, quo Vicarius mortuus, vel ab Officio remotus ſit, debebunt Literæ, non per Epiſcopum, ſed per Succeſſorem in Vicariatu executioni demandari; Franciſcus Leo *in Theſ. fori Eccleſ. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 8. *fallentia* 4. Pariſ. *de reſignat. benef. lib. pr. cap.* 11. *num.* 17. Garcia *de benef. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 34. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 27. *numer.* 31. Sperellius *deciſ.* 166. *num.* 7. Gutierez *de Matr. cap.* 125. *num.* 14 Menochius *conſil.* 320. *n.* 13. *& nu.* 33. *vol.* 4. Zerola *in praxi Epiſc. part.* 2. *verbo Vicarius*. Paulus Squillante *de privil. Cleric. cap.* 2. *nu.* 187. *& nu.* 192. Joannes Baptiſta Ventriglia *in praxi annot.* 38. §. *unico*, *num.* 23. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 18. §. 1. *num.* 14. quia Succeſſor, & Anteceſſor pro una perſona reputantur, *Gloſſa in c. Dilecti filii* 17. *de foro competenti* §. *contra*; Jacobus Sbrozius *de offic. Vicarii lib.* 1. *quæſt.* 15. *num.* 5. & ex quo Papa in Commiſſione Vicario directa, non expreſſo no- 57
mine proprio ipſius Vicarii, reſpicit Tribunal, & non perſonam, non eſt hujuſmodi Delegatio perſonalis, ſed realis, quæ tranſit ad ſucceſſorem; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 2. *& num.* 18. Filiuccius *tract.* 10. *cap.* 10. *part.* 2. *nu.* 343. *tom.* 1. Franciſcus Merolla *diſp.* 4. *cap.* 6. *numer.* 564. *tom.* 2. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 27. *n.* 209. Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 92. *n.* 20.

58 *& cap.* 378. *num.* 11. Fragoſius *Regim. Chriſt. Reip. part.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 10. *numer.* 123. Quod ſi in Literis expreſſum fuiſſet nomen Vicarii, & Tribunal, tunc ſi primo loco appoſitum eſſet nomen proprium, ut ſi diceretur, *Dilecto Filio Flaminio Vicario, &c.* cenſebitur commiſſio perſonalis, & non tranſibit ad ſucceſſorem; ſed quamvis etiam deſineret eſſe Vicarius, adhuc Delegatus remanebit; ſi vero commiſſio facta ſit dignitati, non expreſſo nomine Vicarii, tunc,
59 quia hujuſmodi dignitas eſt perpetua in Eccleſia, tran-
60 ſibit ad ſucceſſorem, ut diximus; quicquid aliter dicendum ſit de Commiſſionibus factis Legatis, etiam de Latere, ſub nomine dignitatis, quæ non tranſeunt in ſucceſſores, ſed cum perſona legati extinguuntur; cum iſta Dignitas non ſit perpetua in Eccleſia; Gutierez *de Matrim. d. cap.* 125. *n.* 4. Sanchez *de Matr. lib.* 8. *diſp.* 27. *num.* 11. Bonaccina *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *puncto* 8. *n.* 15.

351 *Non tamen derogat regulis Cancellariæ.*

352 *Neque constitutionem Conciliarem tollit,*

353 *Nec obstacula personalia.*

354 *Nec Constitutiones, & Ordinationes Apostolicas.*

355 *Nec tollit, sed solum suspendit eas Constitutiones, quæ requirunt specialem mentionem ad suas derogatorias.*

356 *Quia verba generalia clausulas derogatorias non tollunt,*

357 *Nec quæ de Jure objicerentur, removet.*

358 *Nec gratiam auget, aut supplet qualitatum necessario exprimendarum taciturnitatem, sed tantum declarat concedentis intentionem quatenus dubia sit.*

359 *Non operatur ultra narrata.*

360 *Solum restringitur ad casum expressum.*

361 *Nec per eam suppletur alius gradus, seu aliud impedimentum in supplicatione, & Literis non expressum.*

362 *Nullam super non expressis inducit dispensationem.*

363 *Si dispositio sit nulla, dicta clausula etiam nulla erit.*

364 *Sufficit ad tollendum Privilegium non clausum in corpore Juris.*

365 *Non tamen per dictam clausulam censetur derogatum Privilegiis clausis in corpore Juris. Nec censetur sublata surreptio si quæ sequuta sit.*

366 *Matrimonium non dicitur quasi Matris munus.*

367 *Mulier est in conceptu gravida, in partu dolorosa, & in lactando laboriosa.*

368 *Matrimonium fuit primo institutum ab ipso Deo in Paradiso Terrestri.*

369 *Matrimonium secundum determinationem personarum contrahentium fuit institutum in Lege Moysi* Levit. c. 2. *At secundum quod est Sacramentum repræsentans conjunctionem Christi Domini cum Ecclesia, fuit institutum in Lege nova.*

370 Matrimonium *definitur maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens.*

371 *Matrimonium in pari sexu consistere non potest.*

372 *Uno, eodemque tempore unus vir non potest plures uxores, nec una mulier plures maritos habere.*

373 *Matrimonium dicitur conjunctio, id est vinculum maritale, ortum ex mutua corporum traditione ritè, & legitimè facta per voluntarium animorum consensum, verbis, aut signis sufficienter expressum.*

374 *Matrimonium dicitur individuam vitæ consuetudinem, & perseverantem vitæ societatem inducens.*

375 *Matrimonium tunc dicitur publicè contrahi, quando Parochi, & Testium præsentia adest, & sunt denunciationes præmissæ, quamvis etiam in privatis domibus celebretur.*

376 *Matrimonium si coram mille personis contraheretur, ac deficeret præsentia Parochi, Clandestinum, & irritum esset.*

377 *Si qui falsò putantes aliquod Impedimentum dirimens inter se existere, cum dicta dubietate Matrimonium contrahant, intendendo in quantum possunt contrahere, validum erit hujusmodi Matrimonium.*

378 *Si quis fictè contraheret, & errore ductus putaret validum esse Matrimonium, tamen invalidum esset Matrimonium.*

379 *Si non Impediti Matrimonium inter se contrahant per verba de præsenti coram Parocho, & Testibus sub conditione licita, si antequam conditio impleatur copulam inter se habeant maritali affectu, dicta conditio censebitur purificata, & Matrimonium perfectum.*

380 *Hæc tamen Doctrina non probatur Auctori, quamvis auctoritatibus, quibus opinio contraria substinetur, quiescat.*

381 *Matrimonium inter Impeditos contractum sub conditione* si Papa Dispensaverit *est licitum, nec per ejus contractum sponsi incurrunt in excommunicationem* Clementinæ; eos.

382 *Egebit tamen novo consensu Dispensatione sequuta.*

383 *Ad hoc ut actus retrotrahatur, oportet, ut à principio potuerit intercedere.*

384 *Papa dum Dispensationem concedit, facultatem solummodò dat contrahendi, non autem habet ratum, quod inter parentes nulliter, vel illicitè gestum sit.*

385 *Quoties super aliquo publico Impedimento dirimenti fuerit pro utroque foro obtenta Dispensatio, requiritur novus consensus.*

386 *Excipe nisi Pontifex Dispensationem concedens licentiam etiam concederet in dicto Matrimonio permanendi.*

387 *Si Impuberes, vel Pubes cum impubere, majores septennio coram Parocho, & Testibus inter se contrahant nulliter ob defectum malitiæ, quæ ætatem non suppleat; quamvis post pubertatem copula intervenerit, & cohabitaverint, non tamen hujusmodi Matrimonium censebitur ratificatum, nisi denuò coram Parocho, & Testibus consentiant.*

388 *Si contractum fuisset publicè Matrimonium, nulliter tamen ob occultum Impedimentum, quid agere debent Conjuges.*

389 *S. Pœnitentiaria in Dispensationibus, quas committit Confessario super occultis, solet committere, ut de novo inter se secretè, ad evitanda scandala contrahant.*

390 *Simili modo servat eadem S. Pœnitentiaria, si unus ex Oratoribus cùm scientia Impedimenti aliàs occulti contraxisset.*

391 *Licet in commissione Confessario facta, ut pro foro conscientiæ sic super occulto Impedimento dispenset, ut publice, servata forma Concilii Tridentini contrahant, & modo isto dispensatum sit per Confessarium, tamen oratores adhuc poterunt secretè inter se consensum renovare.*

392 *Quamvis Confessarius non possit aliter Dispensare, quàm juxta traditam sibi formam, nihilominus facta*

facta per ipsum dispensatione possunt conjuges secreto consensum renovare, si impedimentum occultum sit.

393 *Quid facere debeant Conjuges, si Matrimonium esset nullum ob aliquod impedimentum, quod non sit dispensabile.*

394 *Quid facere debeant Conjuges, si Matrimonium sit contractum cum impedimento dispensabili.*

395 *Quid si hujusmodi impedimentum occultum sit.*

396 *Quid si impedimentum detectum, licet non sit dispensabile per Ecclesiam, possit à Conjugibus tolli.*

397 *Quamvis nullitas Matrimonii aliunde procedat, quam à defectu consensus occulto, si occultum sit impedimentum, & Matrimonium fuerit publice quoad omnes partes externas in facie Ecclesiæ contractum, adhuc poterunt Conjuges impedimento per Dispensationem sublato, secreto inter se contrahere.*

398 *Necesse non erit conjugi impedimentum ignoranti præcisam causam nullitatis Matrimonii aperire.*

399 *Quomodo se gerere debeat Conjux impedimenti conscius, si opus sit aperire Conjugi ignoranti nullitatem Matrimonii.*

400 *Quid si aperiendo dictam nullitatem scandalum timeatur.*

401 *Quid si dum à longe facta sit manifestatio impedimenti, grave scandalum timeatur ex prosequutione in ipsa manifestatione.*

402 *In casu urgentis necessitatis probabile judicatur, quod alias tale non judicaretur.*

403 *Quando ad removendum impedimentum requiritur dispensatio inter conjuges, non potest ille, qui est certus de impedimento, antequam dispensatio facta sit, petere, nec reddere, quamvis ab Ecclesia excommunicaretur, & vitæ periculum, ac gravissima scandala imminerent.*

404 *Si Matrimonium contractum fuisset cum impedimento, quod licet aliis esset occultum, tamen Parocho, & Testibus fuisset notum, esset repetendus consensus coram Parocho, & Testibus.*

405 *Si tamen Testes contractui Matrimonii adhibiti essent plures, & ex his essent duo saltem, una cum Parocho, qui impedimentum ignorarent, nulla erit opus revalidatione, quamvis cæteri Testes de Impedimento conscii essent.*

406 *Quid si Impedimenta inter Conjuges detecta plura sint, & ex his aliqua publica, & reliqua occulta.*

407 *Si Parochus, vel Ordinarius scirent impedimentum secretum, an scirent sponsos super eo dispensatos fuisse, possunt dissimulare.*

408 *At si impedimentum fuerit Parocho ab aliquo denunciatum, non potest sponsos in Matrimnoium conjungere, quamvis sciret dispensationem secreto factam.*

409 *Ad Parochum non spectat cognoscere de Impedimentis Matrimonii.*

410 *Publicato, vel Denunciato Impedimento, super quo Sponsi Dispensati fuerunt, Dispensatio redditur nulla, unde opus erit novas Literas in forma* perinde valere *Impetrare.*

411 *Quid debeat facere Ordinarius, dum ei Impedimentum occultum denunciatur, si sciat Sponsos fuisse secreto Dispensatos.*

412 *Qualis probatio sufficiat, ut Ordinarius debeat Matrimonium Sponsis interdicere.*

413 *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.*

414 *Vox unius, vox nullius.*

415 *Quæ requirantur ad hoc, ut unicus Testis Impedimentum probet.*

416 *Majorem fidem facit unicus Testis cum Juramento deponens, vel sola fama, quam duo Testes, quorum alter cum Juramento de auditu, & alter de certa scientia absque Juramento deponeret.*

417 *Ad hoc, ut unicus Testis impediat, debet notitia Impedimenti sufficiens esse, ut clarum sit Impedimentum.*

418 *Sola fama de Impedimento sufficiens est ad Impediendum, ne Matrimonium contrahatur.*

419 *Excipe, nisi sit fama privata, hoc est ipsi Judici, uti privato constet.*

420 *Si Impedimentum constaret Judici uti notorium, sufficeret ad Impediendum.*

421 *Non sufficit sola fama ad Impediendum, si de contraria fama adhibeantur clariores probationes.*

422 *Ad probandum contra famam impedimenti admittitur consanguineorum Juramentum.*

423 *Si contrahere volentes jurent se non esse Consanguineos, arbitrarium erit Judici juxta personarum qualitatem hujusmodi Juramentum admittere contra eam famam.*

424 *Simplex rumor non est sufficiens ex se, sed requiritur, ut vere sit fama de impedimento.*

425 *Differunt inter se fama, & rumor.*

426 *Nullibi reperitur Jure cautum, quod rumor ex se impediat Matrimonium contrahendum.*

427 *Si impedimentum, quod proponitur, sit consanguinitatis, vel affinitatis, sufficiunt ad impediendum Matrimonium contrahendum indicia, conjecturæ, & præsumptiones impedimenti: hæc tamen qualia esse debeant remittitur arbitrio Judicis.*

428 *Sufficit unicus Testis, si de consanguinitate, vel affinitate ex certa scientia deponat, vel de auditu à majoribus suis saltem duobus ante litem motam, & referat gradus clara computatione ab utroque latere distinguendo.*

429 *Testis consanguinitatem, vel affinitatem dicens, at deponens de auditu ab uno tantum, non impedit.*

430 *Si Matrimonium fuisset jam rite contractum, requiruntur probationes concludentissimæ.*

431 *Dissolutio Matrimonii est res gravissima.*

432 *Nec duæ, nec plures præsumptiones conjunguntur ad faciendum plenam probationem ad dissolvendum Matrimonium contractum.*

433 *Ad dissolvendum Matrimonium contractum requiruntur saltem duo testes omni exceptione majores.*

434 *Parentes, & Consanguinei admittuntur ad probandam consanguinitatem, vel affinitatem, cum præsumantur melius aliis scire eorum genealogiam.*

435 *Fama non sufficit ad dirimendum Matrimonium contractum.*

436 *An confessio Conjugum de Impedimento sufficiat ad dirimendum.*

437 *Ad probandam consanguinitatem inter conjuges existentem requiruntur duodecim requisita, de quibus in Cap.* licet ex quadem 47. de Testibus.

438 *Si Parochus impedimentum sciat ex sola confessione, non potest dicta scientia uti, itaut si Sponsi instent publice pro Matrimonio contrahendo teneatur illos conjungere.*

439 *Quamvis Parochus, vel Confessarius ex sola confessione noverint impedimentum inter contrahere volentes esse primi gradus Consanguinitatis, in quo nec ab Ecclesia dispensatur, adhuc non potest ea scientia uti, sed se gerere debet, ac si impedimentum non novisset.*

440 *Si Parochus, vel Confessarius ex sola confessione impedimentum novit, an, & quando teneatur Pœnitentem admonere.*

441 *Si Confessarius in causibus, quibus dictum fuit teneri dissimulare, deprehendat ex confessione Pœnitentem, qui invincibiliter impedimentum ignorat, ex alia causa nolle debitum reddere, poterit eidem præcipere ut reddat, & si reddere recuset, non debet eum absolvere.*

442 *Si non admonere Pœnitentem de Impedimento redundaret in damnum commune, tenetur Confessarius omnino monere.*

443 *Si confessarius cognoscat Pœnitentem laborare ignorantia vincibili, & culpabili, tenetur monere.*

444 *Quid si Confessarius ex sola Confessione novisset impedimentum adesse inter contrahere volentes, & pœnitens ignorantia invincibili laboret, & scandala ex certioratione timeantur.*

345 *Quid si Pœnitens dubitans de valore Matrimonii, vel de Jure petendi debitum, & de obligatione illud reddendi, interroget Confessarium, & quomodo se gerere debeat in responso.*

446 *Quid disponat Concilium circa denunciationes faciendas, & formam Matrimonium per verba de præsenti contrahendi.*

447 *Ma-*

447 *Matrimonium celebratum in locis, in quibus Concilium non est receptum, valet non servata forma Concilii.*

448 *Licet Papa committendo Dispensationem præcipiat, ut Matrimonium celebretur servata forma Concilii, si denunciationes de licentia Ordinarii omittantur, adhuc validum, & licitum erit Matrimonium, ipsis cum dicta licentia prætermissis.*

449 *Amplia etiam quando Papa præciperet, ut Matrimonium celebraretur factis proclamationibus.*

450 *Amplia secundo; dum Delegatus dispensasset cum clausula, ut servata forma Concilii Matrimonium contraheretur, quia verba factis proclamationibus cum opponantur eo modo quo Jure inest, non important conditionem.*

451 *Forma, quæ inducta est non ad esse, sed ad bene esse, si omittatur, non vitiat actum.*

452 *Quando censeatur inducta nova forma omnino servanda.*

453 *Si Papa in rescripto diceret, ut delegatus non dispensaret, nisi prius factis denunciationibus, forma esset præscripta, & conditio Delegato imposita.*

454 *Verba* ut dispenset, *quod possint Oratores in Matrimonio remanere, non sunt necessaria, sed apposita censentur potius ad tollendum omne dubium.*

455 *Concessio principali, concessum censetur accessorium.*

456 *Si post Matrimonium bona fide contractum superveniat dubium impedimenti, quomodo se gerere debeant Conjuges.*

457 *Si Conjux sit certus de Impedimento, non potest absque culpa lethali ante dispensationem petere, nec reddere.*

458 *Conjux certus de impedimento dirimenti accedendo ad uxorem, accederet ad non suam.*

459 *Idem esset, si Conjux non omnino esset certus de impedimento, sed parum admodum dubii remaneret.*

460 *Si non sit certus de impedimento, sed probabili, & discreta credulitate Conjux arbitretur adesse, tenetur adhibere diligentiam ad vincendum dubium, & veritatem habendam, & interim tenetur reddere, sed non potest petere.*

461 *Si sit in æquali dubio potest petere, & reddere.*

462 *Amplia, ut possit in dubio petere etiam, & reddere, quamvis probabilius crederet, non valere Matrimonium, dummodo habeat opinionem probabilem ipsius valoris.*

463 *Auctor tamen id non approbat, quoad petitionem debiti ante factam diligentiam ad vincendum dubium.*

464 *Facta diligentia, si non vincatur dubium, potest dici Conjugem esse possessorem bonæ fidei, cui licet rem, de qua dubitat, non solum detinere, sed ea uti.*

465 *In dubio melior est conditio possidentis.*

466 *Quamvis ex levi credulitate conjux de Impedimento dubitet, non tamen potest licite petere, nec reddere, nisi scrupulum deponat.*

467 *An Conjux dubitans teneatur, ac possit intra primum Bimestre ante consummatum Matrimonium reddere.*

468 *Quid si post Matrimonium bona fide contractum, utrique Conjugi superveniat dubium.*

469 *Ut Conjux, qui de valore Matrimonii dubitat, possit alterum, qui non dubitat, suo Jure spoliare, oportet ut ille certus sit rem non esse conjugis in bona fide existentis.*

470 *Si post adhibitam sufficientem diligentiam Conjuges non possint vincere dubium, & Impedimentum detegere, poterit uterque deposito dubio petere, & reddere*

471 *Quæ dicta sunt circa dubium, quod post contractum bona fide Matrimonium Conjugibus supervenit, adaptantur, & locum habent eo etiam casu, quo Conjuges mala fide idem Matrimonium contraxerint.*

472 *Conjux, qui de valore Matrimonii non dubitat, non tenetur credere alteri Conjugi impedimentum affirmanti, nisi urgentibus conjecturis convincantur ad credendum.*

473 *Si Conjux ab altero Impedimentum affirmante convincatur, & credat, non poterit ante adhibitam diligentiam ad vincendum dubium petere, nec reddere.*

474 *Quæ, ac quales conjecturæ sint urgentes ad convincendum.*

475 *Clausula* libere, & licite, *quomodo sit intelligenda.*

476 *Dictio* libere, *quid significet.*

477 *Dictio* licite, *quomodo debeat intelligi:*

478 *Papa dum concedit Auctoritate Apostolica, dicitur concedere nomine Dignitatis, & non Personæ.*

479 *Verba* Auctoritate nostra, *quando conjunguntur cum verbo* concedimus facultatem *non faciunt Jurisdictionem delegatam.*

480 *Quando verba* Auctoritate nostra *junguntur potestati aliquid faciendi, faciunt delegatum etiam quoad ea, quæ Ordinario ex sua Ordinaria Jurisdictione competunt.*

481 *Dispensatio facta à Delegato Papæ facta censetur ab ipso Papa.*

482 *Impedimenta Matrimonii, iis exceptis, quæ obstant de Jure Divino, vel naturali, ex Canonibus Pontificiis proveniunt.*

483 *Multis modis extinguitur Matrimonialis Dispensatio pro foro externo concessa; nempe, Morte dispensati, Morte Concedentis, quoad exequutorem voluntarium nondum completo effectu; Renunciatione per Dispensatum facta, & per Legislatorem acceptata; Revocatione à Legislatore facta ante effectum consummatum: Defectu intentionis, vel potestatis in concedente: & inhabilitate impetrantis.*

484 *Ad hoc ut hi, qui Literas, ac mandatum de dispensando obtinuerunt, possint Matrimonium contrahere, necesse est Dispensati sint. Aliud enim est mandatum de Dispensando, & aliud est ipsa Dispensatio.*

485 *Dispensatio Matrimonialis fieri potest extra Diœcesim dispensantis.*

486 *Si Delegatus dubitans de validitate literarum pro foro externo obtentarum dispensare recusaret, posset eo mortuo, vel ab officio remoto successor adiri.*

487 *Si Delegatus pronunciet literas esse subreptitias, vel obreptitias, & propterea non exequendas, tunc nec ipse, nec successor poterunt se ulterius ingerere, quamvis postea re melius cognita sic per errorem pronunciasse cognosceretur.*

488 *Si delegatus pronunciaverit se non habere jurisdictionem, non poterit etiam de consensu partium reassumere causam.*

489 *Delegatus differt ab Ordinario, cui permittitur retractatio, eo quia Jure proprio judicat.*

490 *Delegatus differt etiam à Confessario, & Delegato pro solo conscientiæ foro, qui suam sententiam retractare, & revocare potest.*

491 *Quamvis non possit Delegatus pro utroque foro se retractare, ut diximus, si tamen facta dispensatione cognosceret se fuisse deceptum, poterit non ut Delegatus, sed uti loci Ordinarius impedire, ne Matrimonium contrahatur, vel si contractum sit, operari, ut separetur.*

492 *Si in mandato duo diversa contineantur v. gr. dispensandi facultas super impedimento, & prolem legitimandi, si, dum dispensaverit, non legitimavit prolem, poterit quandocumque eam legitimare.*

493 *Amplia, ut legitimare possit etiam ejus in officio successor.*

394 *Delegatus potest iterum sententiam ferre, quando tulisset sententiam nulliter ex defectu formæ per eum non servatæ.*

495 *Non potest Ordinarius se intromittere in cognitione Dispensationis à Delegato factæ, nisi surreptio esset evidens, vel ex confessione partis, vel ex tenore Bullæ præsentatæ, licet ei directa non sit.*

496 *Quando commissio est personalis, quamvis illa persona esset in dignitate Ecclesiastica constituta, si Delegatus moriatur, Delegatio finit, tam si res integra sit, quam non; sed si est realis non expi-*

ravit, ſed mortua perſona, quæ dignitate potitur, vel ab officio remota, tranſit in ſucceſſorem, ſive res ſit integra, ſive non.

497 *Officium Vicarii remanet in ſucceſſore.*

498 *Quando dicatur res eſſe integra, & quando non.*

499 *Delegatio facta uni perſonæ duas Dignitates eodem tempore poſſidenti, ſi poſtea dicta perſona mortua, hæ dignitates duabus perſonis conferantur, tranſibit in utramque.*

500 *Si commiſſio facta fuiſſet duabus dignitatibus, & mortua perſona, quæ alteram ex his Dignitatibus poſſidet, ſuperſtes aliam ex diſpenſatione impetraret, poterit is ſolus commiſſionem exequi.*

501 *Diſpenſatio pure, & ſimpliciter facta non expirat morte concedentis etiam re integra.*

502 *Ampliatur dicta doctrina primo, quamvis diſpenſationis effectus nondum fuerit conſummatus: ſecundo, quamvis etiam tempore mortis Pontificis concedentis diſpenſatio non fuerit ab ipſo diſpenſato acceptata; tertio, quamvis etiam Literæ adhuc confectæ non fuerint.*

503 *Quomodo dignoſcatur, an gratia ſit facta, vel facienda.*

504 *An Gratia facta ad inſtantiam delegati diſpenſaturi, morte concedentis expiret.*

505 *Ceſſat diſpenſandi poteſtas morte Pontificis concedentis, quando exequutor ſit voluntarius.*

506 *Si poteſtas diſpenſandi cum expreſſis perſonis conceſſa ſit cum mandato abſoluto, quo exequutori præcipiatur, ut, ſi preces veritate niti repererit, diſpenſet, & preces veræ ſint, non expirat morte concedentis.*

507 *Quæ ſit ratio differentiæ inter primam, & ſecundam commiſſionem.*

508 *Diſpenſationes, quæ à Legatis Apoſtolicis, vel à Summo Pœnitentiario expediuntur, non expirant morte Papæ etiam re integra, quia neutrum officium morte Papæ expirat.*

509 *Delegatus in exequenda diſpenſatione ſibi commiſſa non poteſt imponere mulctas Diſpenſatis.*

510 *Delegatus diſpenſando non poteſt ex contractu ad pecuniarum mulctam diſpenſatum obligare, alias redoleret ſimoniam.*

511 *Solus Legislator poſſet diſpenſando mulctas imponere eo caſu, quo diſpenſatio debita non eſſet.*

512 *Diſpenſatio Matrimonialis finit unico actu.*

513 *Diſpenſatio facta ſuper Voto Caſtitatis, vel Religionis ad effectum Matrimonii contrahendi, non finitur primo actu, niſi cum limitatione facta ſit.*

514 *Si ab Epiſcopo in aliquo urgenti caſu diſpenſatum ſit ſuper aliquo Voto, alias Papæ reſervato, diſpenſatio ultra illum caſum non extenditur.*

515 *Epiſcopus in tantum poteſt ſuper impedimentis dirimentibus diſpenſare, in quantum neceſſe ſit ad ſubveniendum alicui præciſæ, & urgenti neceſſitati.*

516 *Si adimpleta ſint omnia, quæ verificanda ſunt, nec ſcandala timeantur, & tamen ab ipſo delegato diſpenſatio injuſte denegetur, poterunt Oratores appellari ad Sanctiſſimum, quia eo caſu diſpenſatio debita eſt.*

517 *Diſpenſatio Matrimonialis ſi ab ipſo Legislatore revocetur, antequam ſit adimpletus effectus, ad quem conceſſa fuerat, valida erit revocatio.*

518 *Sicut diſpenſans eximit ſubditum ab obligatione legis diſpenſatione mediante, ita poteſt per diſpenſationis revocationem eidem obligationi illum denuo ſubjicere, quia utitur jure ſuo.*

519 *Si Pontifex abſque juſta cauſa diſpenſationem revocaret, illicite ageret, & teneretur reſtituere pecunias pro diſpenſatione erogatas.*

520 *Si inferior in lege ſuperioris diſpenſet, non poterit diſpenſationem abſque juſta cauſa valide, nec licite revocare.*

521 *Nec major Pœnitentiarius Papæ poterit ad libitum diſpenſationem revocare, quia non diſpenſat auctoritate ordinaria, ſed auctoritate Pontificis.*

522 *Si poſt factam diſpenſationem jam contractum ſit valide Matrimonium, Pontifex non poteſt diſpenſationem revocare, cum res non ſit adhuc integra.*

523 *Quando effectus diſpenſationis eſt diſpenſabilis, ceſſante cauſa, pro qua conceſſa fuit, ceſſabit diſpenſatio.*

524 *Si antequam diſpenſatio fuerit exequutioni demandata, ei à diſpenſato renuncietur, & ea renunciatio ſit à Legiſtatore acceptata, non præjudicat diſpenſato.*

525 *Amplia, ut nec dicta renunciatio vires amittat, quamvis diſpenſatus literas laceraſſet.*

526 *Ad hoc, ut renunciatio habet effectum, requiritur, ut Legislator illam acceptet, quæ ſi acceptetur, invalidabitur Diſpenſatio.*

527 *Intellige, ut diſpenſatio invalidetur ſi ab ipſomet Legislatore renunciatio acceptetur, non autem à delegato, qui nomine Summi Pontificis diſpenſavit.*

528 *Mutatio voluntatis non præſumitur.*

529 *Maxima differentia eſt inter diſpenſationes, quæ fiunt in Lege, & alias, quæ fiunt in Voto, & Juramento.*

530 *Si quis renunciet Diſpenſationi factæ ſuper Voto, vel Juramento nova egebit diſpenſatione.*

531 *Si diſpenſatio non fuiſſet perfecte conceſſa, ut ſi fuiſſet à Pontifice factum mandatum, ſed nondum fuiſſet à delegato exequutum, quamvis pluries dicto mandato renuncietur, nihilominus poterit diſpenſandus mutata voluntate diſpenſationem accipere, eaque uti.*

532 *Diſpenſatio eſt valida, quamvis ob metum facta ſit, dummodo adfuerit intentio diſpenſandi.*

533 *Geſta per metum valida ſunt, exceptis caſibus à Jure expreſſis.*

534 *Quamvis fuerit commiſſa diſpenſatio à Pontifice, poterit nihilominus ei renunciari, & Epiſcopus adiri, ut ſua auctoritate ordinaria diſpenſet in caſibus, in quibus poteſt in aliquo impedimento diſpenſare, ut v. gr. in Voto pœnali caſtitatis.*

535 *Facta in Gratiam alicujus non debent in ejus damnum retorqueri.*

536 *Poteſt Epiſcopus diſpenſare in caſu, de quo ſupra, quamvis vigore commiſſionis Pontificiæ Ordinarius, vel Confeſſor diſpenſaſſet.*

537 *Quamvis Epiſcopus, vel alius diſpenſare potens recuſaſſet, & diſpenſandum ad Pontificem remiſiſſet, qui diſpenſationem commiſiſſet, adhuc poterit Epiſcopus, vel alius diſpenſare potens adiri, ſi dictæ commiſſioni Pontificiæ renuncietur.*

538 *Si mandatum Pontificis non potuiſſet habere effectum, quoad diſpenſationem, propter ſupervenientem mortem alterius ex Oratoribus, vel aliud juſtum impedimentum, poterit nihilominus habere effectum, quoad legitimationem prolis, quamvis Parentes, qui mandatum Pontificis obtinuerunt, mortui ſint etiam in præjudicium venientium ab inteſtato.*

539 *Facultas legitimandi prolem conceditur tantum in favorem Matrimonii, & aliter Papa non ſolet concedere; unde ſi ex culpa Oratorum Matrimonium non fuiſſet contractum, non valebit legitimatio poſt mortem Parentum factæ in præjudicium Tertii.*

540 *Multæ ſpecies illegitimorum in Jure traduntur.*

541 *Qui Illegitimi dicantur.*

542 *Qui Spuriii.*

543 *Spurii, ſeu varii per ſubſequens Matrimonium non legitimantur.*

544 *Qui dicantur vulgo Concepti.*

545 *Qui dicantur Manzeres.*

546 *Qui Inceſtuoſi ſint.*

547 *Qui Nephарii.*

548 *Qui Adulterini.*

549 *Qui Sacrilegi.*

550 *Regulariter ad dignoſcendum qualitatem illegitimitatis, attenditur qualitas Matris, quia ſi ex Clerico, & ſaluta nati ſint, dicuntur Spurii; ſi ex Sacerdote, & Muliere nupta, dicuntur Adulterini: ſi ex Matre Religioſa Profeſſa, & Deo dicata, vocantur Sacrilegi.*

551 *Excipiuntur à dicta generali Regula filii nati ex ſoluta, & Monacho Profeſſo, quia quamvis Mater ſoluta ſit, dicuntur Sacrilegi.*

552 *Qui dicantur Nothi.*
553 *Hibridæ.*
554 *Baſtardi unde dicantur, & qui dicantur Baſtardi.*
555 *Potens ex privilegio legitimare Adulterinum, & Inceſtuoſum, an poſſit legitimare eum, qui utroque vitio laborat.*
556 *Si poteſtas Diſpenſandi, vel legitimandi ſit generaliter conceſſa non expreſſis perſonis quibuſcum Diſpenſatio, ſeu legitimatio faciendæ ſunt, late interpretanda eſt, & conſequenter in favorabilibus mixtum comprehenditur in ſimplici: At ſi fuerunt expreſſa nomina debet ſtrictè intelligi.*
557 *In odioſis mixtum non comprehenditur in ſimplici.*
558 *Clauſula* Volumus autem, *eſt fons, & radix omnium Diſpenſationum.*
559 *Dictio* autem *eſt adverſativa.*
560 *Verba geminata operantur ultra ſolitum, & magis enixam Papæ voluntatem demonſtrant.*
561 *Verba geminata omnem dubietatem tollunt.*
562 *Reſcripta Papæ in ea parte, qua prohibetur Delegato receptio munerum diverſimode concipiuntur, ſi Literæ fiant in forma Pauperum, ab aliis, quæ conceduntur in forma ordinaria.*
563 *Data eſt in omnibus ſcripturis neceſſario apponenda, aliàs carent fide, & probatione.*
564 *A tempore datæ Gratia initium ſumit, & ejus tempus circa validitatem, vel invaliditatem Gratiæ ſemper attenditur.*
565 *Triplex data in reſcriptis Apoſtolicis deſcribitur, quæ tamen idem tempus demonſtrat, & declaratur, ut infra.*
566 *Officialis primæ datæ ſtatim, ac eſt ſignata Supplicatio, ſignat in calce Supplicationis parvam datam, & quare dicatur parva. Per dictam datam actus non ſit perfectus.*
567 *Secunda data apponitur à D. Datario.*
568 *Ad D. Datarium ſpectat Datare omnes Supplicationes tam Gratiæ, quam Juſtitiæ.*
569 *Mortuo Pontifice expirat Officium D. Datarii, qui propterea tenetur omnes Supplicationes tam Gratiæ, quam Juſtitiæ, quæ tempore obitus Pontificis penes ipſum, & ejus Officiales Datariæ reperiuntur, ſtatim conſignare Collegio Cardinalium ſub ſigillo clauſas futuro Pontifici reſervandas.*
570 *Tertia data latius extenditur.*
571 *Roma eſt communis patria, & caput omnium Nationum, & propria Sedes Summorum Pontificum.*
572 *Romæ divinitùs Apoſtolica Sedes ordinata fuit.*
573 *Licet Petrus ſedem primùm conſtituerit Antiochiæ: poſt ſeptennium tamen anno ſecundo Claudii Imperatoris Romam tranſtulit.*
574 *Romanus Epiſcopatus fuit ſemper inſeparabiliter connexus Pontificatui maximo.*
575 *Clemens V. & ſucceſſores in Gallia per annos ſeptuaginta ob perſequutiones habitas fuerunt commorati.*
576 *Juſſu D. N. Jeſu Chriſti Apoſtolica Sedes Romæ fixa fuit.*
577 *Sancta Sedes Apoſtolica non poteſt alio transferri ex quacumque cauſa, præterquam Divinæ revelationis: ut opinantur Doctores citati.*
578 *Populus Romanus, Leonis Iſauri, & Græcorum jugo excuſſo, Civitatem Romano Pontifici ſubjecit.*
579 *Si Papa reſideat in Palatio Vaticano data Literarum inſcribitur apud S. Petrum; ſi in Monte Quirinali (vulgo* Monte Cavallo *dicitur) Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſi in Villa Tuſculana, (vulgo* Fraſcati *dicitur:) Datum Tuſculi; ſi in Arce Gandulphi, dicitur: Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis.*
580 *Ubicumque eſt Papa, eſt Roma.*
581 *Variæ ſupputationes annorum, & temporum, apud varias Mundi nationes recenſentur.*
582 *Eccleſia Catholica ab Incarnatione Dominica potius, quam à creatione Mundi annum incipit, tum ob inſigne noſtræ Redemptionis beneficium, tum quia inde incæpit ſexta ætas Mundi duratura uſque ad finem ſæculi.*
583 *Annus de ſtylo Curiæ Romanæ, incipit currere ab 8. Cal. Aprilis, quæ eſt dies 25. Martii.*
584 *Anno Romano, quo nos modò utimur, uſa eſt Romanorum Reſpublica ab Imperio Julii Cæſaris.*
585 *Romulus ex decem menſibus conſtituerat annum Solarem; Numa conſtituit ex duodecim, ſed adeo confuſe, & imperfecte, ut neceſſe fuerit à dicto Julio Cæſare immutari.*
586 *Anno Solari uſa ſemper eſt Eccleſia Chriſti, & totus fere Orbis.*
587 *Dictiones Numerales de ſtylo Cancellariæ Apoſtolicæ, quomodo ſcribantur in Literis Apoſtolicis, quæ ſub plumbo expediuntur.*
588 *Quomodo de ſtylo deſcribi ſoleat data in Literis, quæ in forma Brevis expediuntur.*
589 *Literæ Apoſtolicæ contra ſtylum confectæ, ſunt de falſo ſuſpectæ.*
590 *Nomen Pontificis, & Annus ejus Pontificatus ſunt de eſſentia Datæ.*
591 *Annus Pontificatus incipit à die Conſecrationis, & Coronationis Pontificis, quia de conſuetudine Papa non ſcribit Pontificatum in Data ante eamdem Conſecrationem, & Coronationem, ſed dicit ſuſcepti à Nobis Apoſtolatus Officii Anno Primo.*
592 *Papa de Jure ex ſola electione legitime facta abſque alia Confirmatione plenam adminiſtrationem conſequitur.*
593 *Quare Annus Pontificatus ſcribatur immediate poſt Annum Dominicæ Incarnationis.*
594 *Literæ Apoſtolicæ abſque Plumbo appenſo non probant.*
595 *Per appoſitionem Plumbi Literæ cenſentur expeditæ.*
596 *Sigillum authenticat Scripturam.*
597 *Quamvis in Numiſmatibus Pontificiis Petrus ſit à dextris, & Paulus à ſiniſtris, tamen in Plumbo Literis appoſito Petrus collocatur à ſiniſtris, & Paulus à dextris; & quæ ſit ratio.*
598 *Si præhabita diligenti Informatione Delegatus bona fide declaret preces eſſe veras, & diſpenſet, ſententia iſta, quamvis forte injuſta eſſet, tamen eſt valida.*
599 *Pre Delegato, quod rite & recte ſuum munus expleverit, eſt præſumptio.*
600 *Per declarationem factam à Delegato, quod preces veras compererit, probatur Literarum juſtificatio.*
601 *Si Reſcriptum à principio fuit ſubreptitium dolo, vel fraude, vel ſi Teſtes pro informatione inducti fuerunt corrupti, Diſpenſatio facta corruit, & eſt invalida hujuſmodi ſubreptione, ſeu corruptione detecta.*
602 *Licet Delegatus, cui commiſſa eſt Diſpenſatio, cognoſcat Gratiam per Oratores à Pontifice obtentam aliquo vitio ſubreptionis, vel obreptionis laborare, non tamen poterit aliquid contra ipſius Gratiæ ſubſtantiam decernere.*
603 *Cognitio validitatis Literarum Apoſtolicarum ſpectat ad ipſum ſolum Pontificem, qui conceſſit.*
604 *Quamvis non poſſit Delegatus cognoſcere de validitate, vel invaliditate Literarum Apoſtolicarum, ſi tamen cognoſcat illas ſubreptionis, vel obreptionis vitio laborare, debebit ab exequutione earundem abſtinere.*
605 *Oratores, qui cum ignorantia Impedimenti, bona fide, Matrimonium inter ſe contraxerunt, quamvis non ſubijciantur pœnis* Clementinæ, Eos, &c. *quæ ignorantes non afficit, ſubijciuntur tamen pœnis intrinſecis, nempe nullitatis Matrimonii.*

DElegatus, cui mandatum de diſpenſando fuit à Pontifice commiſſum, nullam, quoad exercitium, habet Juriſdictionem: priuſquam ipſæ Literæ Apoſtolicæ ſibi præſentatæ ſint: licet enim ipſa die datæ Literarum recipiat Juriſdictionem in habitu, nullo tamen modo ea ſibi competit in actu, & exercitio ante illarum præſentationem, patet *cap. ſuper eo il* 12. 2. *de Appellat. in fine, cap. Paſtoralis* 14. *de reſcriptis*; & docent Bellarm. *dec.* 110. *n.* 12. Achilles de Graſſis *deciſ.* 53. *alias* 2. *de offic. Delegati num.* 1. & 2. Carolus de Graſſis *de eff. Cleric. effectu pr. nu.* 36. Stephanus Gra- 1 2

tianus *discept. forens. capit.* 170. *num.* 20. Tusch. *conclus.* 435. *num.* 1. *lit.* I. Lælius Altograd. *cons. primo num.* 51. *lib.* 1. Crescentius *decis.* 13. *alias* 197. *de conces. Præbendæ*; Garcia *de benef. part.* 6. *capit.* 2. *num.* 8. Augustinus Barbosa *in votis Canonic. libr.* 2. *voto* 47. *n.* 163. Melchior Lotherius *de re Benef. libr.* 1. *quæst.* 37. *num.* 32. Thomas Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 29. *num.* 10. Alexander Sperellius *decis.*
3 85. *n.* 31. Seraphinus *decis.* 1010. *n.* 2. nec sufficit, quod sciat delegationem in se factam fuisse; Lotherius *d. lib. pr. quæst.* 40. *num.* 27. Vis namque ipsius
4 Delegationis non stat in scientia, seu ignorantia Delegationis, sed in illa reali Literarum productione; Lotherius *l. c.* immo nec sufficiet si exempla commissionis exhibeantur, quia requiritur, ut originaliter exhibeantur, cum debeat Delegatus esse certus de sua Jurisdictione; Achilles de Grass. *decis.* 2. *alias* 53.
5 *num.* 3. *de off. Delegati*; Hieronymus Palma *cons.* 57. *num.* 18. Paris. *de resignat. lib.* 9. *quæst.* 8. *numer.* 12. Tuschus *conclus.* 435. *nu.* 9. Fragosius *Regim. Christ. Reip. par.* 1. *lib.* 4. *disp.* 10. *nu.* 142. Coccinus *decis.*
6 322. *numer.* 1. nec refert, quod procedat ut Delegatus, quia cum Jurisdictio sit qualitas, quæ naturaliter homini non insit; Fragosius *l. cit. num.* 143. nisi certus sit de Jurisdictione, nihil agit; Didacus Ludovicus de Lima *in addit. ad Molina de Primog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 68. ita etiam Salgado *de Regia protect. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 22. penes ipsum; quia cum causa efficiens Dispensationis sit ipse Papa, & ipsa gratia non possit aliter quam per rescriptum probari, necesse est, ut hujusmodi rescriptum in medium proferatur, alias impossibile est, ut dicatur constare de commissione Pontificis, ut bene animadvertit Lotherius *dict. lib.* 1. *quæst.* 37. *numer.* 50. & propterea omnia Acta facta per Delegatum post datam Literarum, sed ante illarum præsentationem, esse nulla,
7 & irrita, nec per illarum subsequutam præsentationem convalidari, aperte docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 29. *numer.* 10. & Ventriglia *in praxi annotat.* 38. §.
8 *Unico num.* 1. quamvis etiam nullus defectum Jurisdictionis opponat; Rota *decis.* 9. *num.* 1. *part.* 4. *re-*
9 *cent.* immo nec ipsi Delegato credendum est, si asserat quidem se Delegatum, sed de Delegatione non doceat; Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect. pr. n.* 35. Mascard. *de probat. conclus.* 1405. *n.* 17. Fragosius *l. c. n.* 145. excipe nisi sit Cardinalis, vel Pœnitentia-
10 rius Papæ, seu in excelsa Dignitate constitutus; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 17. *à n.* 17. *usque ad n.* 20. vel nisi
11 agatur in foro conscientiæ, in quo Confessario, & cuicumque timorato viro restanti de Delegatione in se facta, credendum est; Sanchez *l. c. n.* 22. Unde si
12 obtento jam mandato ad dispensandum super impedimento dirimenti, Oratores illo non præsentato, nec legitime exequuto, Matrimonium contrahant, irrite quidem, & nulliter agent, & nova egebunt dispensatione; Pirrhus Corrad. *in praxi dispens. Apost. lib.* 8. *capit.* 1. *numer.* 44. & adest dispositio Concilii Trident. *sess.* 22. *cap.* 5. *post Canones*, ubi decernitur dispensationes Matrimoniales nullum sortiri effectum ante factam ab Ordinario cognitionem; & propterea Oratores sic contrahendo novum Impedimentum contrahunt, quod est necessario explicandum, cum ex dispositione Concilii *sess.* 24. *cap.* 5. debeant carere spe Dispensationis, si scienter intra gradus prohibitos Matrimonium contrahere, & eo magis si consummare præsumpserint, vide quæ diximus cap. 4.

Præsentatis itaque Delegato originalibus Literis Apostolicis, debet Delegatus in primis illas diligenter
13 considerare, ut sibi constet, eas non continere Clausulas insolitas, quia tunc essent suspectæ de falso; Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 36. *num.* 86. Barbosa *in Votis Canonicis*, *voto* 17. *numer.* 151. *libr.* 2. Balthassar de Tomasis *prima Decade*, Rota inter impressas post secundum volumen consil. Farinacii *dec.* 68. *n.* 3. Molfet. *tom.* 2. *in Proœmio quæst.* 18. *num.* 5.
14 at si deprehendat illas esse juxta stylum Romanæ Curiæ confectas, solitoque Plumbo, & Cordulis munitas, tunc dicuntur expeditæ, & censentur authenticæ Literæ Papæ; Riccius *in praxi fori Eccles. resol.* 218. *numer.* 1. Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 37. *num.* 11. Paris. *de Resignat. lib.* 8. *quæst.* 2. *num.* 18. Rota coram Durano *decis.* 324. *num.* 7. Rota *decis.* 68. *num.* 8. *part.* 3. *recent.* & sunt originales; Rubeus *dec.* 103. *numer.* 4. *tom.* 2. & æquiparantur instrumento publico; Gomez *in Regul. de Public. resignat. quæst.* 9. *Littera C.* imo Bulla dicitur ipsum Sigillum, & Plumbum pendens; Riccius *l. c. n.* 2. & 15
absque illo Sigillo non probant, *Cap. licet* 5. *de crim. falsi*; Marcus Paulus Leo *in Praxi Sacræ Pœnitent.* 16
part. 2. post impedimenta dirimentia, *vers. imo Bulla, pag. mihi* 240.

Excipe tamen Literas in forma brevis à Secretaria 17
Apostolica expeditas, quia licet Plumbatæ non sint, tamen proprie, & vere literæ Apostolicæ sunt, prout aliæ, quæ sub Plumbo expediuntur: Gomez *tract. de Brevib. à num.* 5. Lotherius *de re benef. libr.* 3. *quæst.* 11. *num.* 59. Quod si Literæ non sint stylo Romanæ 18
Curiæ conformes, sunt suspectæ de falso; *Cap. quam gravi* 6. *de crimin. falsi*; Mascard. *de probat. conclus.* 1269. *num.* 3. *&* 4. *&* 1341. *num.* 28. Barb. *in Votis canonicis libr.* 2. *voto* 25. *num.* 58. Mandos. *Reg. de Infirm. quæst.* 16. *num.* 8. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Canc. Glossa* 36. *numer.* 86. nisi appareant correctæ 19
auctoritate Domini Regentis Cancellariæ Apostolicæ; qui dum casus evenit, ut Literæ correctione indigeant, post correctionem inscribere solet in superiori Capite Literarum *Corrige in Registro. Prout jacet, N. Regens*, & in inferiori parte, in plica ipsarum Literarum, versus dexteram partem, inscribitur, ut infra; *Correcta per me N. Registri Magistrum*, & ita se habet notorius Curiæ stylus, qui stylus declara- 20
rat mentem Papæ; Mandos. *ad Reg. Cancell. in proœmio quæst.* 2. *num.* 3. Lotherius *lib.* 2. *quæst.* 40. *numer.* 69. & ab ipso stylo rescripta Papæ recipiunt interpre- 21
tationem; Vivianus *de Jure Patronatus lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 28. cum faciat Jus, sitque pro lege servan- 22
dus; Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 23. Barbosa *in praxi exigendi pensionem*, *part.* 1. *quæst.* 5. *nu.* 16. Paris. *de resignat. tom.* 2. *lib.* 10. *quæst.* 2. *n.* 17. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 136. Hieronymus Palma *cons.* 17. *num.* 23
20. unde si Literæ contineant Clausulas insolitas, redduntur suspectæ de falso, ut diximus; idque verum est, quamvis etiam appareant motu proprio concessæ, quia non præsumuntur à Papa emanatæ; Mascard. *l. c. n.* 5.

Si Literæ præsentatæ sint conformes dicto stylo, & 24
careant suspicione, consideret Delegatus illarum tenorem, & formam sibi in eo præscriptam, illamque omnino servet, alias dispensatio per eum facta irrita erit, & nulla, quia cum omnia rescripta Papæ sint de forma; Garc. *de benef. part.* 6. *cap.* 3. *nu.* 40. Barbosa *in votis Canonicis lib.* 1. *vot.* 5. *num.* 16. sintque stricti Juris, & strictissime intelligenda; Rota 25
coram Pœnia *decis.* 415. *nu.* 4. Cæphalus *cons.* 338. *n.* 12. *tom.* 3. Corneus *cons.* 216. *n.* 5. *vol.* 1. *& cons.* 163. *num.* 2. *tom.* 2. Lælius Altograd. *cons.* 71. *nu.* 35. *lib.* 2. Ludovicus Postius *resol.* 71. *num.* 33. *& resol.* 125. *n.* 43. Fragosius *Reg. Christ. Reip. part. prim. lib.* 4. *disp.* 10. *n.* 108. Merlinus *decis. Rotæ Lucanæ decis.* 96. *n.* 97. est eorum forma ad unguem servanda; Barbosa *in votis Canonic. lib.* 1. *voto* 5. *d. nu.* 16. Responsa Marantæ *resp.* 24. *nu.* 15. *tom.* 2. Garcia *l. c.* nec potest hoc casu per æquipollens adimpleri; Ro- 26
ta *dec.* 671. *n.* 2. *part.* 1. *recent.* Rota coram Cavalerio *dec.* 612. *numer.* 18. Rota coram Durano *dec.* 218. *numer.* 2. Franciscus Merlin. *decis. Rotæ Lucanæ dec.* 51. *numer.* 6. Paitell. *expedit. caus. civil. expedit.* 55. *nu.* 18. Hieronymus Palma *cons.* 57. Sanchez 27
lib. 2. *disp.* 11. *num.* 19. Ludovic. Cenc. *de censib. quæst.* 9. *n.* 12. *& quæst.* 48. *n.* 36. itaut Delegatus fines sui mandati egrediendo, committat delictum; Rota coram Merlino *decis.* 17. *n.* 1. Et cum nullam De- 28
legatus habeat Jurisdictionem, nisi in his, quæ habet in mandato præcise expressa *capit. Cura olim el. primo de offic. Delegat.* Farinacc. *consil. crimin. libr.* 1. *cons.* 89. *n.* 1. Tusch. *conclus.* 434. *n.* 4. *lit. I. & nos alibi diximus*, immo in ipso mandato tota ejus Jurisdictio radicetur; Rota coram Pœnia *decis.* 72. *num.* 4. Lelius Altograd. *d. cons.* 71. *num.* 35. d. Merlinus *dec. dicta* 96. *nu.* 6. quicquid præter illa decernit, & exe- 29
quitur,

quitur, eſt nullum defectu Juriſdictionis; Rota coram Pœnia *deciſ.* 339. *num.* 5. Gabriel *conſ.* 149. *num.* 38. *tom.* 2. Franc. Merolla *tom.* 3. *diſp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 27. *n.* 281. Hieronymus Palma *conſ.* 82. *n.* 51. Rodriguez *in ſumma to.* 1. *c.* 235. *n.* 7. Farinacius *lib.* 1. *conſ.* 89. *num.* 8. Merlinus *l. c. n.* 98. P. Leo *in praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 2. Ubi de Oratoribus, qui nondum receptis literis, &c. *verſ. animadvertat, pagin. mihi* 311. Rota in noviſſimis, *deciſ.* 344. *numer.* 13. Paulus Laymanus *Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 4. *capit.* 22. *num.* 11. *in princip.* Ludoviſ. *dec.* 1. *numer.* 1. & *dec.* 518. *n.* 2. Stephanus Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 961. *n.* 10. & *cap.* 965. *n.* 18. Menochius *conſ.* 442. *n.* 65. *vol.* 5. Rota *dec.* 624. *n.* 1. & 2. *par.* 1. *recent.* Caputaquenſ. *dec.* 145. *n.* 9. *part.* 2. Rota *deciſ.* 226. *n.* 1. *part.* 1. *diverſ.* Rota in noviſſ. *dec.* 204. *nu.* 8.
30 coram virili, qui defectus eſt omnino inſanabilis; Paulus Rubeus *dec.* 578. *n.* 3. Caputaquenſ. *dec.* 34. *numer.* 2. *part.* 3. Flammin. Pariſ. *de reſignat. libr.* 9. *quæſt.* 24. *n.* 11. & *de confid. quæſt.* 79. *num.* 24. Rota *dec.* 295. *n.* 7. *part.* 7. *recent.* imo, deficiente forma,
31 deficit actus *cap. Cum dilecta* 22. *de reſer.* Barboſa *in votis canonicis lib.* 1. *voto* 15. *n.* 22. Gonzalez *Gloſſ.* 4. *n.* 137. Reſp. Marantæ *reſp.* 32. *n.* 74. *par.* 3. Rota coram Merlino *dec.* 746. *num.* 2. Rutilius Paitellus *expedit. cauſ. civil. expedit.* 35. *nu.* 18. Farinacc.
32 *conſ. crim. lib.* 1. *conſ.* 81. *n.* 3. ejus enim omiſſio removet conſenſum ab actu; Rota *dec.* 462. *numer.* 4.
33 *part.* 2. *recent.* Sperellius *deciſ.* 106. *num.* 1. quamvis etiam actus favorabilis ſit; Paulus Rubeus *in annot.*
34 *ad deciſ.* 542. *nu.* 59. *tom.* 2. & quamvis etiam agatur de utilitate publica; Sperell. *deciſ.* 12. *num.* 26.
35 & quamvis etiam in modico deficiatur; Rota *deciſ.* 30. *n.* 3. *par.* 1. *recent.* Gratian. *diſcept. forenſ. capit.* 965. *n.* 18. *par.* 5. Merlin. Pignatell. *controv. forenſ. cap.* 73. *numer.* 2. *centuria* 1. Thomas Pelliccion. *qq. Illuſtr. quæſt.* 25. *cap.* 1. *pag. mihi* 214. *col.* 1. Mantica *dec.* 286. *à numer.* 2. Reſponſa Marantæ *reſp.* 32.
36 *num.* 75. *par.* 3. forma namque indiviſibilis eſt; Rota *dec.* 471. *n.* 9. *part.* 1. *diverſ.* Pelliccionius *loc. cit.* Lotherius *lib.* 1. *quæſt.* 24. *nu.* 6. Rota *deciſ.* 463. *n.* 1. *par.* 3. *recent.* Ludovicus Cenc. *de cenſib. quæſt.* 49. *n.* 17. unde vel tota ſervabitur, vel tota corruet; Stephanus Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 465. *num.* 18. *tomo* 5. Barboſa *de axiom. axiom.* 100. *numer.* 14. Re-
37 ſponſa Marantæ *l. cit. n.* 78. *in fine*. Et in his, quæ ſunt de forma, ſervatur rigor; Rota *deciſ.* 175. *n.* 2. *par.* 1. *recent.* Reſponſa Marantæ *l. c. n.* 77. Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 440. *nu.* 12. *tom.* 3.
38 Nec in hoc parcitur ruſticitati, ætati, ſexui, vel alteri cuicumque qualitati, aut conditioni, quantumvis etiam per errorem omiſſa ſit; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 21. *num.* 14. Barboſa *de axiom. axiom.* 100. *numer.* 7.
39 Card. Tuſch. *concluſ.* 593. *n.* 8. *lit. C.* unde nec de partium conſenſu remitti poteſt; Menochius *de arbitr. lib.* 1. *quæſt.* 30. *num.* 6. Merlinus Pignatell. *controv. forenſ. centuria* 2. *cap.* 59. *n.* 10.
40 Ex quibus ſic deductis, certo conſtat Delegatum, forma non ſervata, minus legitime procedere; & procedere; & Proceſſum, ac diſpenſationem, & quicquid per ipſum factum fuerit, ipſa forma ſpreta, nulla, & irrita eſſe, Rota *dec.* 161. *à num.* 4. *par.* 4. *rerent.* Paulus Laymanus *Theol. mor. lib.* 1. *tractat.* 4.
41 *cap.* 22. *n.* 11. Paria namque ſunt mandatum non habere, & illius fines excedere; Reſponſa Marantæ *reſp.* 86. *n.* 32. *part.* 3. *recent.*

Ad hoc autem, ut Delegatus conſiderare poſſit Clauſulas Literarum diſpenſationis Matrimonialis, placuit hic inſerere earum tenorem, qui ut plurimum ſolet eſſe infraſcriptus.

42 *Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei; dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Lucacani in Spiritualibus Generali ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem; Oblatæ nobis nuper pro parte Dilecti filii Antonii nati Jacobi laici, & Dilectæ in Chriſto filiæ Magdalenæ natæ Peregrini, Mulieris Lucanæ Diœceſis ex loco de Corelia ortorum, petitionis ſeries continebat; Quod cum d. Magdalena in d. loco propter illius angustiam virum ſibi non Conſanguineum, vel Affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequeat; Cupiunt Antonius, & Magdalena prædicti, invicem Matrimonialiter Copulari; Sed quia tertio, & quarto à communi ſtipite provenientibus Conſanguinitatis Gradibus invicem ſunt conjuncti, deſiderium eorum hac in parte adimplere non poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ Diſpenſatione. Quare iidem nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Antonium, & Magdalenam, ac eorum quemlibet à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac certam de præmiſſis notitiam non habentes, Diſcretioni tuæ, de qua in his ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica Scripta mandamus quatenus depoſita per te omni ſpe cujuſcumque muneris, aut præmii etiam ſponte oblati, à quo te omino abſtinere debere monemus, de præmiſſis te diligenter informes, & ſi per Informationem eandem preces veritate niti repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, tunc cum eiſdem Antonio, & Magdalena, dummodo ipſa propter hoc rapta non fuerit; Quod Impedimento quarti Conſanguinitatis Gradus hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, Matrimonium inter ſe publice, ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere, libere & licite poſſint, & valeant, auctoritate noſtra Diſpenſes; prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nunciando; Diſtantiam vero tertii Conſanguinitatis Gradus hujuſmodi eis non obſtare declares: Volumus autem, quod ſi ſpreta monitione noſtra hujuſmodi aliquid muneris, aut præmii occaſione præmiſſorum exigere, aut oblatum recipere temere præſumpſeris, Excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno I. D. 1655. Cal. Decembris. Pontificatus Noſtri Anno Primo.*

Porro nil fruſtra in hujuſmodi Literarum Apoſto- 43
licarum confectione apponitur, ut inter alios teſtatur Pyrrhus Corradus *in praxi diſpenſationum Apoſtolicarum lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 7. cum DD. abbreviatores majoris Præſidentiæ ſemper ex illis detrahant omne id, quod ſuperfluum eſt, eo quod nec minimum verbum in Reſcripto Pontificis debet eſſet ſine virtute, idem Pyrrhus Corrad. *l. c. num.* 9. Unde Clauſulæ omnes in ipſis Literis apponi ſolitæ, ſunt optima ratione à ſtylo introductæ, ut mox in earumdem explicatione oſtendemus.

Incipiendo etenim ab exordio ipſarum Literarum.
Alexander, &c. exprimitur Nomen, quo ipſe Sum- 44
mus Pontifex denominatus eſt, in ejus aſſumptione die ſeptima Januarii 1655. Divini Spiritus compulſu, & univerſali gaudio, mutato ſibi nomine, cum antea nominaretur Fabius Ghiſius Senenſis, quem Divinæ Sapientiæ Altitudo ſucceſſibus feliciſſimis ſoſpitet, continuaque protectione cuſtodiat, & precibus communibus annuendo longitudine dierum repleat. Hæc autem Nominis mutatio originem habuit in Ser- 45
gio hujus nominis Papa Secundo, circa Annum 846. Teſte Jac. Philippo de Bergamo in ſupplemento Chronicorum, & fuit Papa 104. qui cum ante Aſſumptionem ad Pontificatum vocaretur Oſporch, ob dicti nominis indecentiam illud immutavit, unde Sergius fuit appellatus, ut referunt Bonacina *de cenſuris libr.* 1. *quæſt.* 1. *puncto* 2. *propoſ.* 1. *numer.* 7. Menochius *de arbitr. libr.* 2. *centuria* 4. *caſu* 348. *num.* 4. & teſtatur Platina in vitis Pontificum *fol. mihi* 62. & Jacobus Philippus de Bergamo *l. c.* Poſt quem Sergium omnes alii Pontifices, uſque ad dictum Alexandrum, mutarunt ſibi nomen, cum maxime ob id denotetur Summa Majeſtas, & excellentia ipſius Pontificis, qui ſtatim ac ad Pontificatus apicem elatus eſt, ex Subdito fit omnis creaturæ Superior, & Dominus; Unde juſtum eſt, ut quando omnibus præeſt, non amplius nomine antiquo appelletur, ſed nomen novum habeat, ſicut de novo om-

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

nium Dominus, & Dei Vicarius effectus est: ut bene ponderat Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 1. *numer.* 44.

46 Id tamen nota: quod in omnibus Literis hujusmodi matrimonialium dispensationum præponitur de stylo nomen Pontificis modo prædicto, quando sive per officium minoris Gratiæ, sive per Cancellariam expediuntur. At dum dispensationes hujusmodi dan-
47 tur in gradibus propinquioribus, nempe in secundo, vel infra secundum, sive ex uno, sive ex pluribus, & multiplicatis stipitibus derivent impedimenta, tunc eo quod Literæ expediuntur in forma Brevis à secretaria Apostolica, ut diximus *Cap.* 3. succinctim, & brevius præponitur titulus sic, dicendo *Alexander Papa Septimus*, & ita de stylo servatur, ut notum est, & docet Mandosius *Reg.* 22. *q.* 11. *num.* 1. Quæ
48 Literæ licet isto modo fiant, sunt tamen vere, & proprie Literæ Apostolicæ, prout aliæ, quæ expediuntur sub Plumbo, ut docent Gomes. *in parvo tract. de Brevib. à n.* 5. Lotherius *de re benef. lib.* 3. *q.* 11. *nu.* 59. & ideo dicuntur Brevia, quia brevi, & con-
49 cisa ratione concipiuntur, & expediri solent per solam Secretariam super imposito Sigillo Annuli Piscatoris, Teste Lotherio *l. c. n.* 62.

50 Dubitant nonnulli, eo quod istæ Matrimoniales Literæ incipiunt à nomine Pontificis, an hujusmodi concessiones censeantur factæ nomine Pontificis, vel Sedis Apostolicæ, & quamvis plerique Doctores existiment fieri nomine ipsius Pontificis, ex quibus plures refert, & sequitur Sanchez *lib.* 8. *disp.* 28. *num.* 46. nihilominus non improbabile existimo fieri nomine Dignitatis; quamvis enim in commissione nomen Pontificis præferatur, id fit, ut intelligatur, qui Pontifex auctor fuerit concessionis, & non quod concessio facta censeatur nomine Pontificis; faciunt dicta per Seraphin. *dec.* 1371. *n.* 4. Et colligitur ex verbis in rescripto contentis, & apponi solitis, nempe *de benignitate Apostolica dignaremur*; & ex verbis *nos*, *& Sedem Apostolicam*, *&c.* & alibi *Auctoritate nostra dispenses*; Quæ verba idem sonant, ac Auctoritate Apostolica *cap. Cum aliquibus* 4. *in fine de rescriptis in* 6. Et quamvis hæc quæstio non videatur consi-
51 ratione digna, quia Papa, & Sedes Apostolica idem sunt, ut animadvertit Quintilianus Mandos. *ad Reg. Cancell. Reg. prim. quæst.* 10. *n.* 13. Unde appellans
52 ad Papam, appellare censeatur ad Sedem Apostolicam; Mandos. *n.* 14. *l. cit.* nihilominus si Delegatio concessa sit nomine dignitatis, quamvis Papa, qui concessit, re integra, moriatur, non expirat ipsa de-
53 legatio; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 28. *n.* 44. Paulus Squill. *de privil. Cler. cap.* 2. *num.* 134. mortuo enim Papa,
54 Ecclesia non dicitur remanere sine Capite, quia ejus Caput est Christus Dominus; Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 46. *nu.* 43. & consequenter per mortem Papæ non moritur, nec extinguitur Jus Principis, sed illud remanet vivum, nempe quoad radicem in Sacro Collegio Cardinalium, & quoad auctoritatem Jurisdictionis in ipso Christo, ut bene idem Lotherius *lib.* 2. *quæst.* 27. *nu.* 23. Bellarminus *de controv. fidei tomo primo lib.* 2. *cap.* 12. *lit. E. col. mihi* 550.

55 EPISCOPUS; Verbum Græcum, ab *Epi*, hoc est super, & *scopos* nempe intendens derivans; significat namque idem, ac superintendens, & speculator; Gonz. *ad Reg.* 8. *cancell. Glossa* 43. *nu.* 18. Bonac. *de cens. disp. pr. quæst.* 1. *puncto* 2. *n.* 2. & significat etiam Præfecturam; Bellarm. *de controv. Christianæ Fidei tom.* 1. *cap.* 23. *lit. B.* unde Cicero *lib.* 7. *epist. ad Atticum de se ipso*, ait se à Pompejo totius Campaniæ
56 Episcopum fuisse constitutum. Vocat autem Summus Pontifex se Episcopum, cum sit universalis Ecclesiæ Episcopus; *cap. Novatianus Episc.* 6. *causa* 7. *q. pr. c. Loquitur Dominus* 18. *causa* 24. *quæst. pr.* Gambarupta *de casibus reservatis cap.* 1. *n.* 78. & hoc nomine non
57 dedignatur, cum nulla sit in Ecclesia dignitas major Episcopali, *cap.* 1. *de privil.* Lotherius *de re beneficiali lib.* 1. *quæst.* 26. *num.* 31. Vivianus *de Jure patronatus*, *lib.* 3. *c.* 1. *n.* 9. Carolus Mar. *in controv. v. gr. Respons. par.* 3. *in tract. Apolog. nu.* 370. Seraphinus *decis.* 606. *num.* 10. Lælius Altograd. *cons.* 91. *num.*
58 2. *lib.* 2. cum Episcopi in locum Apostolorum successerint; Bellarm. *de controv. Christ. Fidei tom.* 1. *lib. pr. cap.* 23. *col.* 579. *lit. E.* Piaserius *in praxi Episc. par.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Lotherius *d. lib.* 1. *quæst.* 9. *n.* 11. & referunt Paccinus *de Visitatione par.* 2. *quæst.* 2. *numer.* 18. & Gamb. *de off. & potestate legati lib.* 2. *nu.* 101. multos Episcopos noluisse ad Cardinalatum pro- 59
moveri ob dubium non descendendi, quia respectu Ordinis major est Episcopus Cardinali; Gratianus 60
discept. forens. cap. 590. *n.* 24. *tom.* 3. Imo usque ad tempus Joannis XXII. & Clementis V. Episcopos 61
non fuisse Cardinales, quia poterant aliqualiter notari de descensu, ait Paccinus *l. cit.* & faciunt dicta per Carolum de Grassis *de effectu Cleric. in prælud. n.* 306. Quicquid tamen fuerit antiquitus, hodie tamen si Episcopi fierent Cardinales, non timerent de descensu,

Porro tanta est hujus Episcopalis Ordinis Digni- 62
tas, ut nomen Episcopi ipsimet Christo Domino conveniat; *Petr. Apost. epist. prim. cap.* 2. *in fine ibi*, *sed conversi estis nunc ad Pastorem*, *& Episcopum animarum vestrarum*; Nec ordo ipsius Summi Pontificis dif- 63
fert ab Ordine aliorum Episcoporum; Fælinus *capit. Cum nobis de præscript. vers. Non differt ordo nu.* 4. *in fine*; & consequenter cum idem sit Ordo, in hoc sunt omnes pares, sive quis sit Episcopus Mediolanen. sive Ferrarien. sive Lucanus, sive Pistorienſis, vel Toletanus, quia divitiarum potentia, vel paupertatis 64
humilitas non faciunt Episcopum sublimiorem, vel inferiorem, sunt enim omnes æque Apostolorum suc- 65
cessores, & sic nullatenensis, sive simplex Titularis Episcopus non ideo minus dicitur Dignitatem obtinere, ut inter alios probant Menoch. *cons.* 52. *num.* 89. Lotherius *de re benef. libr.* 1. *quæst.* 9. *numer.* 65. *& 66.*

Hujus autem Ordinis Episcopalis causa efficiens fuit 66
ipse Dominus Noster Jesus Christus, qui primus Petrum, & omnes Apostolos ordinavit, & consecravit, æque enim in omnes insufflavit, & insufflando omnibus æque dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, *& quorum remiseritis peccata*, *&c. Joannes cap.* 22. *Docete omnes gentes*, *&c. Matth. capit.* 6. Quæ potestas 67
fuit posita in Petro tanquam in capite; in cæteris vero tanquam in membris, & sic ista tanquam subjectiva, est qualificata ex hujusmodi subjectionis circumstantia; Vide Lotherium *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 10. *n.* 4. Franciscum Merolla *tom.* 3. *disp.* 7. *cap.* 5. *dub.* 4. *nu.* 47. Gonzales §. 1. *proœm. nu.* 1. Bellarminum *l. c. cap.* 9. *col. mihi* 534. *lit. D.*

Subdit idem Lother *loc. cit.* quod licet à principio Christus Dominus ordinasset Apostolos in Episcopos universaliter, ita quod unicus videretur Episcopatus per totum Orbem diffusus, cujus Caput esset Petrus, tamen, quia soli Petro dictum fuit, *tu es Petrus*, *&* 68
super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, sola ordinatio Petri fuit perennis, aliorum vero Episcoporum quatenus fuit universalis, remansit temporaria, quod idem confirmat Barbosa *de Jure Eccles. univ. lib.* 1. *cap. pr. n.* 20. & licet illis decedentibus successerint in eorum locum Episcopi; *Canone in nono* 2. *dist.* 21. tamen non successerunt universaliter, sed singulariter, prout singulis singulæ constituebantur Civitates, & Diœceses per ipsum Petrum, quod idem concludunt dicta per Bellarminum *l. c.* Episcopi namque vo- 69
cati fuerunt in partem solicitudinis Pastoralis Officii, non tamen in plenitudinem potestatis, ut bene explicant Gonz. *d. §.* 1. *proœm. num.* 5. Massobr. *de conc. prælud.* 3. *dub.* 1. *à num.* 6. & ideo in suis Diœcesibus 70
dicuntur Vicarii Papæ; Gonz. *l. c. n.* 6.

Est autem iste Episcopalis ordo quadripartitus, 71
nempe in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis, ut patet, & dicunt Gonz. *gloss.* 42. *n.* 19. Barbosa *de Jure Eccles. univer. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. & cum sit idem omnium ordo, in hoc omnes sunt pares, sive sit Episcopus Mediolani, sive Lucæ; vel Pistorii, sive etiam sit simplex Titularis, ut diximus.

SERVUS SERVORUM DEI. Ita Papa propter 72
humilitatem se appellat. *cap. Salvator* 8. *causa* 1. *quæstio* 3. ut quanto major, & excelsior est, tanto humilior omnibus creaturis ostendatur Gonzalez *glossa*

pr. num.

73 *pr. num.* 46. & Gregorius Primus se ita inscripsit, ut tradit Albericus de Gobatis *in verbo Greg.* quem refert Pyrrhus Corrad. *in praxi dispensat. Apost. libr.* 2. *c.* 4. *n.* 12. & hoc ad redarguendam, & reprimendam insolentiam Joannis Patriarchæ Constantinopolitani, qui superbia inflatus, Imperatorisque favore subnixus, se universalem Episcopum appellare instituerat, qui Titulus soli Romano Pontifici competit, & ideo ipse Gregorius Anno salutiferæ Incarnationis 595. ut cunctis mansuetudinis exemplum daret, primus se servum servorum Dei appellare cæpit, ut refert idem
74 Pyrrhus Corrad. *l. c.* Unde introductus fuit stylus apponendi in Bullis ea verba adeo, ut nisi appositа essent, Bulla posset redargui de falso, ut probat Flam. Paris. *de resignat. benef. lib.* 8. *quæst.* 7. *num.* 113.

75 DILECTO FILIO. Sancta Mater Ecclesia omnes Christi fideles suos filios appellat; *cap. Quam gravi* 6. *de crim. falsi*, Navarrus *de reddit. Eccles. quæst.* 1. *numer.* 65. præter Episcopos, quos fratres vocat, ut sic de stylo servari testatur Petrus Rebuff. *in praxi benefic. titulo de forma novæ provisionis circa principium, vers. Et filios vocat.* Leoncillus *de paupertatis opibus part.* 2. *privil.* 233. *num.* 11. quia sicut omnes filii Dei sumus per fidem charitate firmatam, sic omnes filii sumus ejus Vicarii cura, & honore, ex eo quod ipse curam omnium Christianorum habet, ut ponderat idem Pyrrhus Corrad. *in d. praxi dispensat. Apost. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5.

76 Vocat autem Papa omnes filios, sive sint Clerici, sive Laici; At quando vocat mulieres addit dicendo *Dilectæ nobis in Christo filiæ, &c. cap. Dilecta* 14. *de excess. Prælat.*

VICARIO, hoc vocabulum Vicarius est Juri Civili omnino incognitum, & solum à Jure Canonico introductum, ut animadvertit Sbrozius *de off. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 55. *nu.* 29. Disponit Sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 22. *capit.* 5. quod dispensationes Matrimoniales committantur Ordinario loci; Appellatione autem ordinarii venit non solum Episcopus, sed etiam ejus Vicarius Generalis, ut diximus Capitul. præcedenti. Ubi etiam diximus Vicarium non posse se ingerere in causa Episcopo delegata, nisi post præsentationem Literarum, ipse Episcopus dictæ specialis causæ cognitionem subdeleget; diximus nec posse Episcopum se ingerere in causa suo Vicario delegata, & in fine ejusdem Capitis concluximus non posse Episcopum constituere Vicarium specialem, ut de aliqua speciali dispensatione cognoscat, quia Papa hujusmodi commissiones dirigere intendit Vicario Episcopi in spiritualibus Generali, unde non potest Episcopus alteri hujusmodi Jurisdictionem concedere, cum id non sit in ejus potestate.

Licet autem Vicarius in his, quæ Jure Ordinario competunt, accipiat Jurisdictionem ab Episcopo, Sbrozius *de off. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 176. *numer.* 3. & *quæst.* 112. *num.* 5. nihilominus, quoad causam sibi
77 delegatam, est major Episcopo, & quolibet alio ordinario; *cap. Pastoralis* 28. *§. quia vero de officio Delegati*; Responsa Marantæ *par.* 3. *in tract. Apostolic. n.* 110. Stephanus Gratianus *discept. forens. cap.* 111. *n.* 65. *tom.* 1. Petrus Anchar. *cons.* 164. *n.* 2. Sbroz. *lib.* 2. *quæst.* 136. *nu.* 4. Unde circa eandem causam habet eam auctoritatem, quam habet ipse Papa, cu-
78 jus vices tunc gerit *capit. Sane* 11. *de offic. delegati*, Carolus de Grassis *de eff. Cleric. eff.* 1. *n.* 32. Respon-
79 sa Marantæ *l. c.* & ob id poterit informationes, & depositiones Testium committere, & subdelegare etiam suo Episcopo, seu alteri cuicumque, & quantumcumque superiori; Rubertus Maranta *in speculo par.* 4. *distinct.* 5. *numer.* 46.

80 Poterit insuper ipse Vicarius Delegatus ad dispensationem exequendam testibus coram se inductis deferre Juramentum de veritate dicenda, quamvis id in Literis non exprimatur, quia concessa Jurisdictio-
81 ne censentur etiam concessa ea, sine quibus ipsa Jurisdictio exerceri non posset, Cævallos *quæst. comm. contra comm. quæst.* 339. *n.* 65. *& quæst.* 501. *n.* 9. Seraphinus *decis.* 662. *n.* 4. Lotherius *de re benef. libr.* 1. *quæst.* 22. *n.* 66. Fontanell. *de pactis Nuptial. clausula* 4. *glossa* 13. *n.* 70. Rota *decis.* 252. *n.* 2. *par.* 6. *recent.*

imo, & poterit punire testes, qui coram eo falsum de- 82
posuissent, & animadvertere in suum Episcopum, si Jurisdictionem ipsius Vicarii delegati turbare vellet, vel in fraudem amoveret ab officio, ut latius infra dicemus ad §. *Conscientiam tuam oneramus.*

Si Vicarius, cui fuit commissa Dispensatio, moriatur, vel ab officio removeatur, diximus, debere exequi successorem in Vicariatu.

Et si Papa, qui concessit, moriatur antequam Literæ dispensationis fuissent Delegato præsentatæ, vel non exequutæ, dicemus infra non vitiari concessionem, & posse à Delegato exequutioni demandari.

VENERABILIS FRATRIS NOSTRI EPISCOPI; &c.

Quamvis Papa, Reges, & Cardinales vocet filios, 83
tamen vocat Episcopos fratres, quasi sibi æquales *cap. Quam gravi* 6. *de crimine falsi*; Lotherius *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 8. *n.* 72. Vivianus *de Jurepatronatus lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 13. Episcopi enim sunt Petræ, supra quas 84
Ecclesiæ fundatæ sunt, & ob id non potest construi Ecclesia, nisi primo ibi Episcopus Crucem figat, Atrium designet, & primarium lapidem ponat; *capit. nemo Ecclesiam* 9. *de consecr. distinct.* 1. suntque Columnæ Ecclesiæ Romanæ; Sbroz. *de offic. Vicarii in proœm. nu.* 2. Apostolorum successores *Can. in nono* 2. *§. Ipsis quoque decedentibus* 21. *dist. & Can. quorum* 85
vices 6. *dist.* 68. Vivianus *de Jurepatronat.* & alii quos supra citavimus, & dicuntur Sanctissimi, Christi Legati, Angeli; Responsa Marantæ *part.* 3. *tractat. Apolog. nu.* 350. *&* 351. Sbrosius *l. c.* Principes; & Pastores; Bellarminus *lib.* 1. *de Rom. Pontifice cap.* 2. *in fine*; responsa Marantæ *l. c. n.* 347. Prætores etiam, & Magistratus perpetui Civitatis; Gratian. *discept. forens. cap.* 298. *to.* 2. Viri Clarissimi; Alex. Sperell. *decis.* 128. *num.* 65. Illustrissimi; Responsa Marantæ *d. tract. Apolog. n.* 370. Eminentissimi, *ut in Concil. Tolet.* 8. *capit.* 4. *&* 7. Sperell. *l. c. num.* 66. Serenissimi; Qui titulus Regius est, & Imperialis; Lancell. Corrad. *in Templo omnium Judicum lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 6. Sperellius *l. c. n.* 67. Responsa Marantæ *l. c. nu.* 366. Sbrosius *de offic. Vicarii libr.* 2. *quæst.* 62. *numer.* 13. Summi Sacerdotes *capit. Deus ergo* 6. *causa* 3. *quæst.* 1. Vivianus *d. capit.* 1. *numer.* 8. Legati Dei, *capit. Sicut vir* 11. *causa* 7. *quæst.* 1. Antistites. Vivianus *l. c. numer.* 10. Specula, Ora, Throni, & Ministri Dei, Pupillæ, Oculi Christi; Sbroz. *l. c. n.* 3. Sunt- 86
que sæcularibus Principibus, imo, & ipsis Regibus Superiores; Responsa Marantæ *l. c. n.* 364. & propte- 87
rea Episcopalis Dignitas Soli, Regia vero Lunæ æquiparantur, *capit. Solitæ de major. & obed.* §. *Præterea.* Sperell. *decis.* 128. *num.* 59. Et quamvis respectu Ju- 88
risdictionis sint subordinati Papæ, in ordine tamen sunt illi æquales; Sperellius *decis.* 120. *num.* 20. ha- 89
bent merum, & mixtum imperium, *cap. Omnes Basilicæ* 10. *causa* 16. *quæst.* 6. Sperell. *l. c. num.* 55. In 90
suis Ecclesiis ea omnia possunt, quæ Summus Pontifex in toto Orbe, nisi specialiter reservata, vel prohibita sint; Barbosa *de off. & potest. Episc. alleg.* 1. *num.* 6. Sperell. *decis.* 109. *n.* 21. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 61. *num.* 3. Ratione ordinis sunt majores Presbyte- 91
ro Cardinali; Sperell. *decis.* 128. *num.* 41. Menoch. *de arbitr. casu* 70. *num.* 6. & tandem tanta est hujus Episcopalis ordinis Dignitas, ut ipsi Episcopi personam Christi Domini repræsentent, *capitul. Legimus* 24. 93. *distinct.* Immo nec ipsemet Dominus No- 92
ster Jesus Christus hoc Episcopi nomine se vocare fuerit dedignatus, ut diximus, & ponderat Carol. Maranta *in dictis responsa. part.* 3. *dicto tract. Apolog. numer.* 358.

LUCANI. Primus Lucanus Episcopus fuit San- 93
ctus Paulinus Natione Antiochenus, Sancti Petri Apostoli Discipulus, qui Anno 68. circiter nostræ salutiferæ Incarnationis (teste Religiosissimo, & nunquam satis laudato Patre Cæsare Franciotto, Sacerdote Religionis Matris Dei, in Libro de Vitis Sanctorum, in Vita dicti Sancti) ab ipso Divo Petro Episcopus consecratus, & ad Civitatem Lucanam missus, eam in Idolorum tenebris tunc involutam, cum toto suo Dominio ad Veri Dei cultum excitavit, & ad Christianam Fidem convertit, & ex ejus Succes- 94

foribus plures huc usque fuerunt Sanctitate insignes, innumeri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nonnulli ad Summum Pontificatum elati; Et quidem hæc
95 Episcopalis Sedes totius Hetruriæ prima inter principaliores totius Reipublicæ Christianæ semper habita, & connumerata fuit tum antiquitate, tum Nobilitate, Jurisdictione, & Privilegiis, quibus à diversis Summis Pontificibus decorata est. Episcopus à Carolo Quarto Imperatore Comes Palatinus creatus, & à Summo Pontifice Lucio Tertio Lucense usu Archiepiscopalis Pallii, & Crucis singulari Privilegio insignitus est; In hac Episcopali Sede de præsenti residet
96 Illustris. & Reverendis. D. D. Petrus Rota Patricius Ravennaten. Illustris. D. Comitis Joacchini Rota frater Germanus, Prælatus spectatæ Virtutis, qui Ecclesiam sibi creditam summa vigilantia, ardenti Religionis Pietate, Justitiæ cultu, singulari prudentia, & egregio rei Ecclesiasticæ studio administrat, quem Altissimus diutissime sospitet.

IN SPIRITUALIBUS GENERALI

Quamvis Episcopus Vicarium sibi in Spiritualibus, & temporalibus constituere soleat, quia habet spiritualia, & temporalia, nihilominus, quoad has
97 Commissiones, & dispensationes exequendas sufficit, quod is Vicarius sit ad spiritualia tantum constitutus, dummodo in illis Vicarius Generalis sit, & in eo consistat Administratio, & potestas sit Excommunicandi, Suspendendi, Interdicendi, Conferendi, Instituendi, Confirmandi, Eligendi, Præsentandi, Visitandi, Corrigendi, & Puniendi, sitque penes ipsum Sacramentorum collatio, & tota potestas fori Pœnitentialis, dispensatio, & Votorum commutatio, & alia juxta facultatem sibi ab Episcopo tributam, ut bene explicant Petrus Rebuff. *in Pxaxi Benef.* ubi *de forma Vicariatus n.* 18. & Pyrrhus Corrad. *in praxi dispens. Apost. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 22. Vide Barbos. *de off. & potestate Episcopi alleg.* 54. *n.* 56. Garcia *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *à nu.* 122. Et de stylo Romanæ
98 Curiæ, dum in brevibus Pontificiis aliquid committitur Episcopis, seu eorum Vicariis, semper dirigitur ad Vicarios in Spiritualibus Generales, ut notum est, & docent Sanchez *lib.* 3. *disp.* 29. *n.* 11. Garcia *loc. cit. n.* 123. Quia Vicarius Generalis in Spiritualibus constitutus præfertur constituto in temporalibus; Sbrozius *de off. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 62. *n.* 25. Unde infer-
99 tur Laicum non posse esse Vicarium Generalem Episcopi in spiritualibus, idque constat *cap. decernimus* 2. *de Judic.* & docent Paulus Piasec. *in praxi Episc.* 2. *c.* 3. *numer.* 6. Jacobus Sbroz. *de off. Vicarii lib.* 1. *quæst.* 31. *n.* 1. Garc. *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 2.
100 & ob id si Laicus constitueretur Vicarius, censeretur assessor Episcopi, & non Vicarius, ut idem Sbroz. *l. c. num.* 13.

SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Hæc est solita Papæ salutatio, qua salutat illos, vel quibus dirigit commissiones, vel in quorum gratiam dispensationes committit; Et hoc salutandi more primus usus fuit Cletus Summus Pontifex, Teste
101 Stephano Gratiano *discept. forens. c.* 284. *n.* 83. *to.* 2. & post illum alii omnes Pontifices ejus successores eundem morem servarunt, cum producat actus charitatis, pietatis, largitatis, fidelitatis, sedulitatis, tranquillitatis, & jucunditatis, ut animadvertit Pyrrus
102 Corrad. *d. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 28. At quando Papa rescribit Hæreticis, Schismaticis, Apostatis, vel Excommunicatis illos non salutat, nec vocat Dilectos filios, ut testatur Pyrrhus Corrad. *d. cap.* 4. *n.* 29. & 30. ubi etiam *num.* 33. addit, quod si Papa scienter salutaret
103 Excommunicatum, præsumeretur per dictam salutationem illum absolvere.

104 OBLATÆ, &c. Sic de stylo habent exordium Literæ dispensationum Matrimonialium, & in hoc differunt ab aliis Literis Gratiam concernentibus, ut constat ex ipsa praxi, & docet Hieronymus Paulus in suo Provinciali Ecclesiarum, *vers. Nota*. Quod quando aliquid committitur de Jure, non datur exordium, quem refert Pyrrhus Corradus *in d. praxi lib.* 7. *capit.* 5. *n.* Unde rescripta Pontificis referri debent ad supplicata, ut dicimus infra.

NOBIS. Nullus præter Summum Pontificem po- 105
test propria auctoritate in impedimentis Matrimonii dispensare; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *n.* 14. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *prope finem*; Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 302. Rota *decis.* 166. *num.* 6. *part.* 2. *recent.* & plures alii quos *lib.* 2. *cap.* 6. in principio citamus; Quamvis enim in quibusdam urgentibus casibus, & concurrentibus nonnullis conditionibus possint etiam Episcopi, Legati de Latere, & alii in iisdem Impedimentis dispensare, ut probabimus *lib.* 2. *d. capit.* 2. id tamen non possunt sua auctoritate ordinaria, cum hæc in solo Pontifice adsit (ut diximus) sed ex præsumpta ipsius Pontificis voluntate, dum ipsa necessitas ita postulat, nec Papa potest adiri, ut late *d. c.* 2. dicimus.

NUPER; Sic de stylo dicitur ob verisimilem præ- 106
sumptionem, quod Papa sciat, & recordetur petitionis sibi factæ; si etenim jamdiu porrecta fuisset supplicatio, res posset variare, & in proposito statu non permanere, unde tunc nova opus esset supplicatione.

PRO PARTE DILECTI FILII ANTONII

Exprimi debent Nomina, & Cognomina Oratorum, qui dispensari petunt pro foro externo ad evitanda dubia, & æquivocationes, ac rescripti invaliditatem, quia dum petitur dispensatio pro uno, non potest, nec debet pro alio prodesse, nec ad alium non expressum extendi; Non tamen in expressione 107
dicti Nominis, vel Cognominis (secluso dolo, & fraude) error vitiat, quatenus dispensatio in forma ordinaria impetretur, ut docent Sanchez *libr.* 8. *disput.* 21. *numer.* 37. Diana, & alii plures quos *capit.* 4. citavimus; At si dispensatio impetrata fuisset in forma pauperum, & erratum fuisset in nomine, vel pronomine vitiaretur dispensatio, cum eo casu non concedatur, nisi personis pauperibus, & miserabilibus, unde posset mediante hujusmodi errore fieri fraus, & supponi una persona pro altera.

Nec refert ac impetrationem dispensationis valide 108
faciendam, an dispensatio petatur ab ipsis Oratoribus, vel ab aliis eorum nomine, imo nec necessaria est scientia Oratorum de hujusmodi petitione, seu impetratione, quamvis verum sit, quod, antequam eam acceptent, gratia illis non suffragetur; 109
Rebuff. *in Praxi benef. titulo de dispens. nu.* 13. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 26. *num.* 4. & 5. & nos late diximus *cap.* 4.

Sed dubium est, an censeatur fateri impedimentum ille, pro quo impetrata est dispensatio, attenta confessione impedimenti, facta ejus nomine ab alio; In qua re probabilius existimo censeri hujusmodi impedimentum fateri, quamvis non ab ipsomet Oratore, sed ab alio ejus nomine impetrata sit dispensatio, quia præsumitur fuisse de ejus mandato impetrata, 110
attenta impensa, quæ in illius impetratione, & Literarum expeditione requiritur, maxime si notabilis fuerit, cum nemo præsumatur velle jactare suum, 111
& suas pecunias prodigere; Cassadorus *dec.* 3. *nu.* 4. *de procurat.* Ludovis. *decis.* 337. *n.* 8. & cessare videtur difficultas ex verbis, quibus utitur Pontifex, dum exprimit *pro parte Dilecti filii oblata petitio*, *&c.* quia sic dicendo ostendit Gratiam concessisse ad supplicationem Oratorum, ut animadvertit Rota coram Merlino *decis.* 827. *num.* 1. quod maxime procedit, 112
si Orator ipsam dispensationem producat, vel si im- 113
petratio fuisset difficilis impetrationis, Ludovis. *dec.* 385. *num.* 1.

An cujus impensis impetranda sit dispensatio, diximus *cap.* 3.

LUCANÆ DIÆCESIS.

Diœcesis dicitur Parochia Episcopi; *capitul. licet* 5. 114
causa 16. *quæst.* 13. Vivianus *de Juro patronatus lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 7. Paulus Fuschus *de visit. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 12. Thomas Pelliccionius *quæst. Illustr. quæst.* 7. *pag. mihi* 62. *col.* 2. *in princip.* fuerunt autem Diœceses in toto orbe divisæ, & distinctæ à S. Dionysio 115
Papa, Anno 270. *Gloss. in cap. Nec numerus* 6. *verbo autem in electa causa* 10. *quæst.* 3. Barbosa *de Jure Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 20. *nu.* 1. Baronius *Annal. Eccles. to.* 2. *Anno* 270. Platina *in Vitis Pontificum*, *in Vi-*

in Vita dicti Sancti; Vivianus *lib. 1. cap. 1. num. 25.* Coccinus *decis. 454. nu. 3.* Marcus Antonius Cuccus *instit. Can. lib. 1. tit. 3. vers. Episcopi.*

116 Expressio Diœcesis Oratorum necessaria est, alias Dispensatio, non expressa vera Diœcesi, vel Diœ-
117 cesibus Oratorum, si ex diversis Oratores sint, vitiabitur, tanquam concessa contra intentionem Pontificis, qui vult scire Diœceses Oratorum, ad hoc ut Dispensationes committat Ordinario originis Oratricis, & consequenter, ut se conformet dispositioni Concilii; & sic se habere stylum Curiæ testatur Pyrrhus Corrad. *in praxi Dispensat. Apost. lib. 7. cap. 5. n. 24. & 26.*

Est autem adeo necessaria expressio Diœcesum Im-
118 petrantium, ut si Forensis, vel Alienigena impetrasset Beneficium, non facta mentione suæ Diœcesis, impetratio esset subreptitia ob defectum intentionis Papæ concedentis, qui semper in dubio in-
119 tendit unicuique providere in patria sua, si etenim veritatem expressisset, vel Papa Gratiam denegasset, vel non tam facile concessisset, ut bene docent Gomes. *reg. de Idiom. quæst. 1.* Garcia *de benef. part. 7. cap. 9. num. 16.* Vivianus *de Jurepatronatus lib. 6. c.*
120 *11. n. 12.* Et quamvis appellatione Diœcesis, quando profertur à jure, comprehendatur etiam ipsa Civitas, ut docent Doctores mox citandi, tamen in materia stricta Dispensationis hominis secus est, ut probant idem Garcia *part. pr. cap. 9. à nu. 76.* Hieronym. Gonzales *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 51. num. 74.*
121 Imo quamvis in favorabilibus etiam Civitas veniat nomine Diœcesis; Mandosius *reg. 16. quæst. 41. n. 2.* Gratian. *discept. forens. cap. 893. n. 55. tom. 4.* Garcia *de benef. part. 7. cap. 9. num. 28.* Gonz. *l. c.* Par. Leo *in praxi Sacræ Pœnit. part. 3.* ubi *de Interdicto vers. Hic per transennam pag. mihi 341.* & eo casu Civitas, & Diœcesis ponantur pro eodem, Gonz. *l. c. n. 45.*
122 unde si quis diceret se esse Lucensem, posset intelligi tam de Civitate, quam de Diœcesi; Garc. *l. c.*
123 *num. 27.* Barbosa *de Jure Eccles. univ. lib. 1. cap. 20. num. 10.* cum verba debeant naturaliter intelligi, & non accidentaliter, *Glossa in l. sed, & reprobari, §. amplius ff. de excusat. tut.* Gar. *part. 7. d. cap. 9. n. 21.* nihilominus cum materia Dispensationum sit odiosa, ut diximus, existimo vitiari concessionem factam à Pontifice, si error in expressione veræ Diœcesis irrepserit; adeo ut si Literæ non corrigantur, non possit Delegatus ad ipsarum exequutionem devenire; vide quæ diximus cap. 4.

124 Quod si in Diœcesi esset aliquis locus exemptus, adhuc, juxta veriorem opinionem, dicitur de Diœcesi; Massobrius *de conc. prælud. 23. dub. 9. num. 2.* Gonzales *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 43. nu. 188.* Lotherius *de re benef. lib. 1. quæst. 24. n. 123.* unde eo casu si dictum fuisset, Oratores, qui in dicto loco exempto orti sunt, esse de tali Diœcesi, non vitiaretur impetratio.

EX LOCO CORELIÆ.

125 Expressio loci Oratorum in supplicatione Pontificis porrecta pro Dispensatione impetranda nullo alio casu necessaria est, nisi quando Dispensatio petitur ob causam angustiæ ipsius loci; quia tunc cum angustia ipsius loci adducatur in causam finalem Dispensationis, necessario exprimi debet; imo si Oratores ex diversis locis sint, debet uterque explicari, & uniuscujusque angustia coram Delegato verificari, & si non verificaretur, pro ut si error in ex-
126 pressione ipsorum locorum irrepsisset, Gratia subreptitia esset, & nulla: quia cum nulla alia causa allegetur, quam ipsius loci, seu locorum angustia, si in illorum expressione esset error, tunc defectus esset in causa finali, & consequenter Dispensatio, & Gratia vitiarentur per ea, quæ diximus. Amplia prædicta vera esse, quamvis locus qui fuisset per errorem expressus, minus angustus esset alio, qui exprimi debuisset, quia adhuc error est in causa finali, & cum simus in materia Dispensationum, quæ odiosa est, non admittitur paritas, seu majoritas rationis, ut probavimus, nec est in potestate Delegati interpretari mentem Pontificalis aliter, quam verba mandati sonent. At si ob alias quascumque causas peteretur Dispensatio (dicta causa angustiæ loci excepta) non est opus de loco originis Oratorum mentionem facere, sed sufficit, ut eorum Diœceses exprimantur, & sic se habet inconcussus Curiæ stylus, quem omnes practici Curiales sciunt.

ORTORUM.

In hujusmodi impetrationibus Dispensationum re- 127
gulariter attenditur locus Originis Oratorum, & non Domicilii, unde si commissio facta fuisset Or- 128
dinario Oratorum absque expressione, & specificatione, an sit Ordinarius Originis, seu Domicilii semper in dubio facta intelligitur Ordinario originis, ut testatur Pyrrhus Corradus *in praxi Dispensat. Apostol. lib. 7. c. 5. n. 31.* illi etenim proprie esse dicuntur 129
de loco, qui ratione Originis sunt de illo; Garcia *de benef. part. 7. cap. 9. num. 22.* & clare colligitur ex ipsis verbis literarum, ubi dicitur ex loco Coreliæ; quæ verba, ex loco, juncto Genitivo, significat locum Originis, ut bene docent Barbosa *de diction. dictio 15. num. 10.* Lezana *in Summa tom. 3. verbo Dictio num. 21.*

Et licet verbum, *Ortus*, intelligatur proprie de illo, qui in loco natus est, Oriundus vero dicatur 130
ille, qui Originem ab eo loco ducit, unde fuerunt 131
ejus majores, ut distinguunt Mandos. *reg. 16. quæst. 38. & q. 39.* Garcia *de benef. part. 7. d. cap. 9. n. 25. & 26.* Marius Antoninus *var. resol. lib. pr. resol. fin. casu 33.* Cæsar de Grassis *decis. 51. alias 15. num. 4.* Rota *decis. 327. num. 3. part. 1. divers.* nihilominus 132
ex usu introducto confunduntur, itaut Ortus pro Oriundo, & Oriundus pro orto intelligatur, Mandosius, & Garcia *ll. cc.* Vivianus *de Jurepatronatus lib. 6. cap. 12. num. 14.* & consequenter, si in petenda Dispensatione Matrimoniali ob causam angustiæ 133
loci dictum fuisset Oratricem esse ex loco v. g. Camajoris, in quo ejus Pater natus est, quamvis etiam dicta Oratrix nata sit in loco Coreliæ, non vitiabitur Gratia, sed sufficiet eo casu probare angustiam loci Camajoris; sic docent Augustinus Barbosa *de off. & potestate Episcopi alleg. 4. nu. 8. & de appellat. verb. appell. 180. num. 3.* Marius Antoninus *d. lib. 1. resol. ultima d. casu 33.* & faciunt dicta per celebratissimum Doctorem nostrum Lælium de Altogradi *cons. 27. num. 40. lib. 2.* Ratio est quia nativitas propria, vel paterna facit quem civem *l. filios 3. C. de muni-* 134
cipal. & origin. lib. 10. Joannes Angelus Bossius *de triplici Jubilæi privileg. sect. 4. casu 13. nu. 4. & 25.* Mandosius *regula de infirm. quæst. 15. nu. 18.* Vivianus *de Jurepatronatus lib. 6. cap. 11. nu. 16.* Responsa Marantæ *responsa. 4. à num. 2. part. 4.* Lælius Altogradi *l. c.* Lezana *in Summa tom. 3. verbo dictio nu. 13.* Intellige tamen, ut si natus fortuito in illo loco, ut v. gr. si mater inde casu aliquo pertransiret, 135
absque animo ibi habitandi, quia tunc non dicitur Oriundus, nec Civis, nec naturalis illius loci; Cævallos *qq. comm. contra comm. q. 458. nu. 1.* Afflict. *decis. 384. num. 4.* Massobr. *de conc. prælud. 4. dub. 3. n. 3.* Barbosa *d. alleg. 4. nu. 18.* & proinde tunc attenditur origo patris; Augustin. Barbosa *de off. & pot. Episc.* 136
alleg. 4. nu. 18. cujus originem sequitur filius, ut infra *n. 151.* dicemus.

Ad hoc autem, ut quis dici possit Ortus ex aliquo 137
loco, non sufficit, quod in eo per tempus immemorabile, etiam cum sua familia, habitaverit, quia adhuc non dicitur de loco; sola enim habitatio, licet longissima, solum facit quem Incolam, seu do- 138
miciliarium, non tamen ortum, seu oriundum, ut bene animadvertunt Barbosa *d. alleg. 4. nu. 11.* Garc. *part. 7. d. cap. 9. num. 11.* Et verba naturaliter, & proprie sunt intelligenda, non autem civiliter, Paris. 139
cons. 159. n. 17. & 18. vol. 4. Mandosius *Reg. 3. quæst. 20. num. 9.* Garcia *de benef. l. c. nu. 32.* ubi præcise infert ad Dispensationes Matrimoniales, & docet non sufficere, ut Oratores, qui narraverint Pontifici se esse ortos ex tali loco, verificent quod ibi habitaverint, & Domicilium contraxerint, *& n. 34.* subdit, quod nec refert si dicatur, quod Papa adhuc concessisset, si sciviſſet, quia casus omissus non habetur pro expresso, & concessio facta in uno casu, non porrigitur ad alium, ut alibi diximus, nec Papa dispen- 140

sat

sat nisi super expressis ; Fr. Leo *in thes. fori Eccles. part. 2. cap. 8. numer. 41.* & alii quos retulimus, &
141 propterea, ut verificetur Oratores esse ortos in loco, & Dispensationem propterea non esse subreptitiam, requiritur de necessitate, ut vel Oratores, vel eorum patres, in eo loco in quo domicilium contraxerunt parentes, nati sint, nec sufficit habitasse ; Imò quamvis fœmina, quæ nupsit forensi, cum eo longe à Patria sua habitet, nihilominus propriam originem retinebit, ut bene celebratissi-
142 mus Hieronymus Palma *cons. 37. num. 34.* Amplia, ut nec quoad hujusmodi Dispensationes valide Impetrandas sufficiat exprimere se esse ex illo loco, cujus ipse ex Privilegio vere creatus fuisset Civis, quia non potest dici esse ortum ex illo ; quamvis
143 enim appellatione Civis veniat etiam Civis ex Privilegio ; Boerius *decis. 260. num. 23.* Cævallos *quæst. commun. contra comm. quæst. 2. n. 25.* imo non minus quam originarius, hic dicatur vere, & proprie Civis, ut probat Ludovicus Paitellus *in annot. ad Rutilium patrem annot. 97. num. 2.* Franciscus Redenaschus *cons. 1. num. 108.* Philippus Paschalis *de viribus patriæ potest. part. 3. cap. 2. num. 35.* tamen cum hoc casu requiratur Oratores esse vere ortos in loco, non potest hujusmodi Privilegium ad hoc extendi ; faciunt dicta per Paulum Squillante *de privil. Cleric. cap. 4. n. 269.* Augustinum Barbosa *de axiom. axiom.*
144 113. *num. 5.* quia Civis originarius unius loci non
145 potest fieri Civis originarius alterius Civitatis, cum ipsa origo, tanquam quid naturale, mutari non possit *l. Assumptio in princip. ff. de municip. & origin. lib.* 10. Marta *in votis decis. voto 116. num. 2.* Menoch. *de arbitr. Judic. casu 584. lib. 2. centuria 6. n. 6.* Rota coram Merlino *decis. 882. num. 15.* & Civium appellatione, in stricto significatu, veniunt Originarii tantum, ut dictus Paschalis *n. 34. l. c.*

146 Et quamvis pluribus modis acquiratur Civilitas, nempe Manumissione *l. Civis C. de Incolis lib.* 10. ut si Dominus manumitteret servum, hic fieret Civis ejus Civitatis, in qua manumitteretur, Adoptione; *d. l. Cives ;* quæ tamen Civilitas, tam diu durat, quam diu durat adoptio ; Electione, seu Privilegio *d. l. Cives, & l. Assumptio ff. ad municipia*, nihilominus in casu, de quo agimus, solum intelligi debet de Civilitate loci veræ Originis, cum aliter dictum verbum, *Ortus*, intelligi non debeat, ut diximus.

Et quidem maxima est differentia inter domicilium originis, & illud habitationis ; Quia Civili-
147 tas originis, cum sit naturalis, est immutabilis, nisi deseratur ; Afflict. *dec. 384. nu. 8.* Rota coram Buratto *dec. 804. num. 4.* Rota coram Durano *dec. 31. n. 4. p. 1.* Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 4.* Barbos. *num. 20. l. c.* Lælius Altograd. *cons. 28. nu. 43.*
148 *lib. 2.* imo nec illi renunciari potest ; Boerius *decis. 13. n. 9.* Cævallos *qq. comm. contra comm. qu. 458. num. 3.* Lælius Altogr. *d. cons. 28. num. 11. lib. 2.* At domicilium habitationis, sicut propria voluntate,
149 & facto constituitur, ita propria voluntate, & facto mutatur ; Sanchez *l. c.*

150 Quæ supra diximus de origine, intelligas de origine paterna, non autem de materna, quia filius
151 sequitur originem patris, & non matris ; Afflict. *l. c. num. 4.* Gonzales *Glossa 9. §. 1. num. 100.* Gratianus *discept. forens. cap. 75. num. 11. tom. 1.* Cævallos *quæst. 458. n. 5.* Barbosa *d. alleg. 4. num. 11.* Sanchez *lib. 8. disp. 24. n. 12.* Massobr. *de concursu prælud. 4. dub. 4.*
152 *num. 2. & 6.* & dicitur pars patris, & non matris ; Ludovisius *dec. 279. num. 19.* Lottherius *de re benef. lib. 3. quæst. 28. num. 65. & 66.* & reputatur una, &
153 eadem persona cum patre ; Rota *in novissimis decis. 62. num. 42.* coram Durano ; & in eum transit origo, & domicilium patris, idem Ludovis. *decis. 455. nu. 12.* & civilitas paterna ; idem Seraph. *dec. 372. num. 6.* quamvis alibi natus sit ; Rota coram Durano *dec. 31. n. 3.*

154 Unde in casu nostro si Oratores velint commissionem fieri Ordinario domicilii Oratorum, debent id in supplicatione petere, & Papa eo casu solet concedere, si Oratores saltem per annum in loco domicilii habitaverint, ut notum est, & sic de stylo servatur, & quamvis Pyrrhus Corrad. *in praxi disp. apost. l. 7. c. 5. num. 31.* asserat requiri, ut Oratores in eo loco habitaverint per Biennium, nihilominus vidi multas commissiones matrimonialium dispensationum commissas fuisse Ordinario domicilii Oratricis, cum expressione facta, quod per annum in eo loco Oratores habitaverint.

Duos singulares casus reperio in hac materia adnotatos; Primum ab Augustino Barbosa *de offic. & potestat. Episc. allegat. 4. numer. 18.* nempe quod si 155
quis nasceretur in Mari ; adhuc sequeretur Domicilium, & originem patris, quod idem confirmat Squillant. *de Privileg. Cleric. c. 4. numer. 268.* Secundum, à Carolo Maranta *in controv. utr. jur. resp. 8. numer. 9. part. 2.* nempe si quis nasceretur in ipso 156
confinio diversorum Territoriorum contraheret naturale Domicilium in loco illo, in quo caput effusum fuit.

PETITIO CONTINEBAT.

In supplicatione Pontifici porrecta pro dispensatione Impetranda, est de necessitate exprimendum omne id, quod Jura exprimi jubent, vel stylus Curiæ, aut Principis consuetudo exigunt, ne Dispensatio subreptitia sit, ut late diximus. Et in omnibus Gratiis, quæ ad supplicationem conceduntur, supplica- 157
tio attendi debet. Hector Capyc. Latro *dec. S. Concilii Neap. dec. 174. num. 16.* Rota coram Durano *dec. 387. num. 1.* Rota *dec. 306. num. 2. part. 3. rec.* Cæphal. *cons. 284. num. 10. tom. 3.* Rota coram Cavalerio *dec. 285. num. 2.* Rota *dec. 387. numer. 1. in novis.* Caputaquens. *dec. 75. num. 5.* Responsa Marantæ *resp. 13. num. 20. & num. 37. part. prim.* Unde si 158
in Literis mutaretur substantia Gratiæ, Literæ non attenduntur, sed supplicatio ; Rota coram Cavalerio *dicta dec. 285. num. 2.* Hector Capyc. Latro *dec. S. Cons. Neap. dec. 154. num. 12.* in qua Supplicatione tota vis Gratiæ consistit; cum Literæ non dent Jus in re, nec ad rem, sed sola ipsa Gratia, dictus Hector Capyc. *l. c.* Tuschus *concl. 52. num. 1. litera G.* Imo de stylo Romanæ Curiæ Gratias Papæ ex 159
Regestro sumi posse testantur, Mascardus *concl. 1260. num. 9.* Cæphal. *cons. 284. numer. 10. tom. 3.* Tusch. *concl. 71. num. 2. litera G.* Quod Regestrum reputatur Bullarum Protocollum, idem Mascard. *concl. 1260. numer. 1.* Et propterea tenorem Literarum ex 160
tenore Supplicationis esse verificandum, dicit Rota *dec. 387. num. 1.* in novissimis, & docent d. Hector Capyc. *dec. 170. num. 51.* Caputaquens. *dec. 75. numer. 5. part. 1.* Paris. *de resig. lib. 8. quæst. 7. numer. 86. & 106.* cum omnis concessio Principis reguletur 161
à petitione, Rota coram Pœnia *dec. 381. numer. 4.* Corneus *cons. 323. nu. 22. tom. 4.* Rota coram Merlino *dec. 389. num. 32. & dec. 728. num. 11.* & Re- 162
scriptum Pontificis referatur ad supplicata, & ab illis interpretationem admittat; Responsa Marantæ *dict. resp. 13. loc. cit.* Hieronym. Palma *cons. 73. num. 7. & cons. 88. num. 6.* Lælius Altogradi *cons. 71. num. 36. 37. & 38. lib. 2.* Farinac. *lib. 1. consil. crim. cons. 57. numer. 18.* & propterea ex forma dictæ Supplicatio- 163
nis declaretur intellectus Gratiæ concessæ; Robertus
Maranta *in specul. aureo part. 4. dist. 9. num. 5.* quia 164
semper censetur se fundare super expressis; Rota coram Durano *dec. 147. num. 7.* nec unquam dispensare censetur super Impedimentis non expressis ; Franc. 165
Leo *in thes. fori Eccl. part. 2. cap. 8. num. 49.* Rota coram Pœnia *dec. 206. num. 7.* Rota *dec. 350. num. 20. in novis.* Rota *dec. 306. num. 2. part. 3. rec.* Unde ad hoc, ut Papa validet, necesse est, ut sciat de- 166
fectus, & nullitates, alias sanare non censetur; Rota *dec. 158. num. 6. part. 1. rec. & dec. 306. num. 2. part. 3. rec.* Rota coram Cavaler. *dec. 334. num. 1. & dec. 500. num. 1.* quia Gratia non extenditur ad 167
nullitates non expressas, Rota coram Durano *dec. 238. num. 22.* Responsa Marantæ *resp. 13. numer. 34* 168
part. 1. Papam imo nunquam præsumitur voluisse sanare defectus, quos ignoravit *l. mater ff. de inoffic. testam.* Rota coram Pœnia *dec. 208. num. 7.* Flaminius Paris. *de confid. quæst. 40. numer. 6.* Rebuff. *in praxi Benef.* ubi *de disp. numer. 13. in fine* ; Federi-

cus

cus de Simis *conſ.* 198. *num.* 2. Unde ſuper Impedi-
169 mentis tacitis, ex defectu intentionis Pontificis, diſpenſatio non ſuffragatur; Sbroz. *de offic. Vicarii lib.* 2. *quæſt.* 36. *numer.* 2. Rota *dec.* 32. *numer.* 11. *parte* 6. *rec.*

De his autem, quæ exprimi neceſſaria ſint in diſpenſatione petenda late diximus *toto cap.*

QUOD CUM DICTA MAGDALENA IN DICTO LOCO PROPTER ILLIUS ANGUSTIAM, &c.

De hac cauſa anguſtiæ loci fuſiſſime agemus *l.* 3. *tot. cap.* Ubi quomodo, & quando verificetur, & quod correſpective ſit accipienda, & an admittatur in Civitatibus, & an verificetur, ſi fœmina nobilis ſit, & illam ducere velit ignobilis Dives, vel legum Doctor ex vilibus parentibus natus, & an teneantur nubere extra Patriam, & alia in praxi magis practicabilia adnotabimus, quæ omnia cum ibi ſatis ſuperque explicentur, ſuperfluum eſſet hic repetere.

CUPIUNT INVICEM MATRIMONIALITER COPULARI, &c.

Cupiunt, non tamen poſſunt (attento Impedimento dirimenti) Matrimonium contrahere, vel dic *cupiunt*, *&c.* quia abſque libero contrahentium conſenſu Matrimonium conſiſtere nequit, ut probabimus *l.* 2.

SED QUIA TERTIO, ET QUARTO A' COMMUNI STIPITE PROVENIENTIBUS CONSANGUINITATIS GRADIBUS INVICEM SUNT CONJUNCTI, &c.

170 Dicitur à communi ſtipite provenientibus; Ad tollendum omnem dubietatem, & ut cognoſcatur eſſe unicum Impedimentum, alias poſſet dubitari, quod duplex eſſet nempe tertii ex uno, & quarti ex altero; Ac etiam ut certo conſtet Impedimentum ſuper quo diſpenſatio petitur non eſſe in linea recta, in qua Papa diſpenſare non ſolet, imò probabiliſſimum eſt non poſſe in illa diſpenſari per ea, quæ dicimus *lib.* 2.

De Impedimento Conſanguinitatis, & an, & quando, ac quomodo ſuper eo diſpenſari poſſit, fuſe dicemus *lib.* 2. quæ cum ſatis, ſuperque ibi adnotata fuerint, ſuperfluum eſſet hic repetere.

Infraſcripta tamen animadvertenda ſunt:

171 Primò; Quod licet ſuper Impedimento Conſanguinitatis Papa difficilius diſpenſet, quam ſuper affinitate, cum illud fortius ſit vinculum (ut alibi diximus) nihilominus, quoad Taxas, & Impenſas Impetrationis pari modo Diſpenſatio conceditur, nulla habita differentia an ſit ſuper conſanguinitate, vel affinitate, ut notum eſt.

172 Secundò; ſi plura inter contrahere volentes adſint Impedimenta, & ſe contingant, & unum augeat aliud, diximus, ea omnia eſſe in una, eademque Supplicatione Pontifici exprimenda, ſi omnia publica ſint; Quod ſi aliqua ſint publica, & reliqua occ-
173 culta, vide quæ diximus *d. c.* & diſpenſatione ſecreto obtenta ſuper occultis, poſtea Sponſi interrogentur à Delegato, cui commiſſa fuerit Diſpenſatio ſuper publicis, an alia impedimenta adſint, diximus non teneri Impedimenta occulta jam diſpenſata manifeſtare, quia cum fuerint legitime diſpenſati, ſunt
174 tuti in conſcientia; Imo dato etiam, quod Judex, vel Notarius, qui de ipſius Judicis commiſſione fabricaret proceſſum pro verificatione diſpenſationis, pro foro externo, ſuper publicis faciendæ, ſcirent, ex confeſſione Oratorum, talia Impedimenta occulta, at ſcirent etiam Sponſos fuiſſe ſuper eis diſpenſatos, poterunt admonere Sponſos, ut taceant, ne Impedimenta publicentur, vel illa negent, utendo æquivocatione, nempe in animo reticendo, non adeſſe Impedimenta, quæ modo impediant, & poterit Notarius hujuſmodi Impedimentorum confeſſionem à Sponſis perperam, ut ſupra, factam eo caſu non ſcribere, ut prædicta docent Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 25. *num.* 16. Pyrrhus Corradus *in praxi diſp. Apoſt. lib.* 7. *c.* 6. *num.* 37. Trullenck *opere morali l.* 7. *c.* 6. *dub.* 11. *num.* 5. *tom.* 3.

175 Tertiò: Si Impedimentum occultum ſuper quo Conjuges ſecreto diſpenſati fuerunt aliquo caſu temporis curſu publicari contingat, diſpenſatio eſt invalida, & nova opus eſt diſpenſatione pro foro externo. Et ſi Parocho hujuſmodi Impedimentum ab 176
aliquo denunciatum ſit, quamvis etiam ſciret fuiſſe jam ſuper eo Conjuges ſecreto diſpenſatos pro conſcientiæ foro, nihilominus quia Impedimentum ei opponitur, & ad ipſum non pertinet de validitate, vel invaliditate diſpenſationis cognoſcere, tenetur dictum Impedimentum ad Ordinarium deferre, qui
quamvis etiam ſciret Conjuges ſuper denunciato Im- 177
pedimento ſecreto diſpenſatos fuiſſe, attamen ex quo dictum Impedimentum ſibi in foro externo denunciatur, Juſtitiam miniſtrare tenetur; & ſi Impedimentum probari poſſit per duos teſtes, vel unum tantum, adjunctis aliis adminiculis, debebit ipſos Conjuges ſeparare, & Matrimonium prohibere, donec aliam diſpenſationem pro foro externo impetraverint; Navarrus *lib.* 4. *conſilior. titulo de privil. conſ.* 5. *nu.* 7. *in prima edit.* Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 15. *à n.* 9. Baſilius Pontius *de matrim. libr.* 5. *cap.* 36. *numer.* 7. Pyrrhus Corrad. *in d. praxi l.* 7. *d. cap.* 6. *num.* 45. & faciunt dicta per Ludoviſ. *dec.* 57. *n.* 8. & nos etiam alibi diximus.

Si tamen Matrimonium fuerit contractum cum dicta diſpenſatione ſecreto obtenta, ad illud diſſolvendum requiruntur probationes concludentiſſimæ, & ſaltem duo teſtes omni exceptione majores, ut dicimus.

Quintò, Dum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. 178
cap. 5. *de reformat. matrim.* prohibet ne cum Impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis Matrimonium contrahatur, hujuſmodi prohibitio, non ſolum eſt intelligenda reſpectu dictorum Impedimentorum, ſed etiam de alio quocumque Impedimento, quod inter contrahere volentes adeſſet, ut bene Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 42. *num.* 4. Laymanus *Theol. mor. l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. *verſ. Altera pœna*; Averſa *de matrim. quæſt.* 7. *ſect.* 3. *verſ. At vero*; Filiucius *quæſt. moral. tom. prim. tr.* 10. *cap.* 10. *num.* 339. Joan. Angelus Boſſius *de matrim. contr. cap.* 11. *numer.* 165. quia intentio dicti Concilii eſt ne Matrimonium Clandeſtine, & cum Impedimento dirimenti contrahatur, unde non ſatisfieret dictæ intentioni, ſi cum alio Impedimento dirimenti contrahere- 179
tur; & propterea dum eſt eadem ratio, eadem debet eſſe juris diſpoſitio *l. ſi poſtulaverit* §. *ratio ff. de adulter.*

Sextò, Si circa expreſſionem ſpeciei Impedimenti 180
fuiſſet error, ut ſi dictum fuiſſet Impedimentum eſſe conſanguinitatis, & eſſet affinitatis, vel è contra, vitiari Diſpenſationem, & literas egere correctione, antequam poſſint exequutioni demandari, diximus *capit.* 4.

Septimò, Si res eſſet omnino dubia, an egeret di- 181
ſpenſatione, necne, dicendum eſt non egere diſpenſatione, quia in æquali dubio præſumptio eſt pro libertate ad contrahendum; nemo etenim in dubio eſt ſua libertate privandus, ita Sanchez *l.* 8. *diſp.* 6. *numer.* 18. Bonacina *de leg. diſp. prim. quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 18. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 13. *numer.* 1. Leonardus Leſſius *de juſt. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 17. *numer.* 113. Diana *part.* 8. *tr.* 3. *reſol.* 72. Gutierez *de matrim. cap.* 122. *num.* 5. Sperellius *dec.* 119. *num.* 57. Eſcobar *Theol. moral. tr.* 7. *exam.* 9. *cap.* 9. *verſ. Dubitat quis*; Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. *capit.* 3. *coroll.* 10. *num.* 134. Joannes Angelus Boſſius *moral. var. part.* 2. *titulo* 1. §. 39. *numer.* 1284. Soacius *ſuper inſtituta l.* 1. *tit.* 3. *de jure perſonar.* §. *& libertas num.* 2. Thomas Tambur. *in præceptis Decalogi l.* 1. *cap.* 3. §. 7. *nu.* 3. & noviſſime Angelus Maria Verricell. *de miſſionibus Apoſtolicis quæſt.* 197. *ſect.* 7. *num.* 72. ubi optime declarat hanc Doctrinam veram eſſe, quoad Impedimenta, quæ ſunt Juris humani, non tamen pro Impedimentis juris naturalis.

Amplia hanc doctrinam, itaut procedat non ſo- 182
lum quando res eſſet omnino dubia, ſed etiam quando in conflictu opinionum ſcribentium, opinio affirmans Impedimentum eſſet probabilior, dummodo negans probabilis ſit; Sanchez, & Leſſius *ll. cc.* Sperellius

rellius *dec.* 114. *num.* 57. Boſſius *num.* 1287. *l. c.* Diana, & Palaus penes ipſum Boſſium; Ratio eſt, quia ut diximus *cap.* 4. in rebus moralibus ſatis eſt ſequi
183 opinionem probabilem relicta probabiliori. Unde ſi eſſent opiniones, an certum quid afferat Impedimentum ad Matrimonium contrahendum, & opinio negans eſſet probabilis, quamvis affirmans eſſet probabilior, poterit nihilominus iniri Matrimonium abſque Diſpenſatione, ſequendo opinionem probabilem, ut idem Sanchez *l. c.* & Sperell. *dec.* 175. *nu-*
184 *mer.* 89. At è contra ſi dubitetur, an ſuper aliquo Impedimento, quod certo extat, fuerit valide diſpenſatum, tunc quia Impedimentum eſt certum, ſed de validitate diſpenſationis dubitatur, ſtat poſſeſſio pro Impedimento; unde in hujuſmodi dubio opus erit Diſpenſatione, ut concludunt plerique Doctores ſupra relati.

185 Tunc autem dicitur eſſe dubium, quando intellectus pendet in æquilibrio, in neutram partem potius inclinans; Sanchez *de matr. l.* 2. *diſp.* 41. *n.* 2. Sperell. *dec.* 175. *n.* 84.

186 Addunt aliqui in re omnino dubia poſſe Epiſcopum, cauſa vitandi ſcandala, vel diſpenſare, vel declarare nullum adeſſe Impedimentum; Sanchez *l.* 8. *diſp.* 6. *num.* 18. Corrad. *d. c.* 5. *numer.* 65. Id tamen mihi non probatur, quia ſicut diximus, in æquali dubio impedimenti non eſt neceſſaria diſpenſatio, &, ſi impedimentum eſt certum, non poteſt Epiſcopus diſpenſare niſi in quibuſdam caſibus urgentis neceſſitatis, & concurrentibus conditionibus, quas *l.* 2. diximus.

Et licet in dicto æquali dubio neceſſaria non ſit diſpenſatio, ut diximus, multoties tamen Oratores,
187 pro ſuæ conſcientiæ quiete, & ad majorem cautelam, diſpenſationem petunt à Summo Pontifice, exponendo, v. g. quod ex tali cauſa Oratores cupiunt invicem matrimonialiter copulari, & licet nullum eis obſtet canonicum Impedimentum, quominus id facere poſſint, quia tamen à nonnullis, id forſan ægre ferentibus, falſo aſſertum fuit v. gr. Oratricem eſſe Uxoris Oratoris jam defunctæ ſororem ex illicito coitu procreatam, quominus contrahant impediuntur, ſupplicatur propterea, ut Sanctitas Sua committere dignetur, & mandare Ordinario loci, vel ejus Vicario in ſpiritualibus Generali, ut de præmiſſis ſe diligenter informet, & inquiſita per eum diligentius veritate, niſi coram eo legitime probatum fuerit Oratricem prædictam eſſe Uxoris præfati Oratoris jam defunctæ Sororem ex illicito coitu procreatam, ut præfertur, eamdem imputationem Apoſtolica auctoritate rejiciat, eaque non obſtante, Oratores prædictos dummodo nullum Canonicum eis obſtet Impedimentum; Matrimonium inter ſe publice, &c. contrahere, &c. dicta Auctoritate declaret, non obſtantibus, &c. & ſic eo caſu, Papa committit Ordinario, ut ſe informet, & niſi probatum fuerit Impedimentum adeſſe, imputationem rejiciat; & ita caſu occurrente, & ſic eligentibus Oratoribus aliquando ſervari teſtatur Pyrrhus Corradus *in praxi diſpenſat. Apoſtol. libr.* 7. *capit.* 5. *numer.* 67.

188 Si narratum fuiſſet Pontifici plura Impedimenta adeſſe, & à Delegato in Informationibus habitis reperiretur unum ſolum adeſſe, vide quæ diximus.

189 At ſi narratum fuiſſet ſolum Impedimentum, & plura adeſſe poſtea reperirentur, ſubreptitia erit Gratia, nec poterit Delegatus ad exequutionem diſpenſationis procedere; Reginaldus *lib.* 31. *capit.* 27. *numer.* 204.

INVICEM ESSE CONJUNCTOS.

190 Quando exprimitur Impedimentum conſanguinitatis, dicitur Oratores eſſe conjunctos, quia proprie ex ipſa conſanguinitate, & ex eo quod inter ſe ſanguine conjuncti ſint, dicuntur conſanguinei *l. prima* §. *penult. ff. de ſuis*, & *legitim. hæred.* At ſi Impedimentum eſſet affinitatis, tunc non dicitur eſſe conjunctos, ſed ſe attinere; quia affinitas proprie eſt attinentia perſonarum ex copula proveniens, *cap. Quod ſuper his V. de Conſang. & Affin.*

ABSQUE SEDIS APOSTOLICÆ DISPENSATIONE.

Nullus præter Summum Pontificem propria, & 191
ordinaria auctoritate in Matrimonii Impedimentis diſpenſare poteſt, ut diximus, & docent Doctores relati, & latius *libr.* 2. dicemus, quamvis enim in quibuſdam caſibus alii inferiores, ut Nuncii, Legati Apoſtolici, Commiſſarii Cruciatæ, Epiſcopi, & 192
alii, quos dicto Libro adnotabimus, diſpenſare poſſint, id tamen eis nullo modo competit propria eorum auctoritate, ſed vel ſibi à Pontifice ſpecialiter demandata, vel ſaltem ex voluntate ipſius Pontificis præſumpta, ut in quibuſdam urgentiſſimis caſibus, quibus neceſſitas urget, nec patet aditus ad Pontificem, vel alium, qui ab eo Diſpenſandi poteſtatem habet, tunc enim præſumitur Pontificem velle, ut Epiſcopi in tam urgenti neceſſitate pro communi bono, & animarum ſalute Diſpenſare poſſint.

QUARE IIDEM NOBIS HUMILITER SUPPLICARI FECERUNT, &c.

Non eſſe neceſſarium mandatum ad Diſpenſationem impetrandam, nec ſcientiam ejus qui Diſpenſatione indiget, diximus, ſed ſufficere quod ab ipſo, cui impetrata eſt, acceptetur; non enim refert à quo fuerit impetratum Privilegium, ſufficit ſolum, quod à Principe fuerit conceſſum, & à parte acceptatum, vide Sanchez *libr.* 8. *diſpenſat.* 29. *numer.* 4. & alios, quos propterea retulimus *loc. citat.*

QUATENUS EIS IN PRÆMISSIS OPPORTUNE PROVIDERE, &c.

In præmiſſis, &c. quia ut diximus, Papa ſe fundat ſuper expreſſis, & nunquam intendit ſanare defectus, quos ignorat.

Papa Dei Vicarius, & Univerſalis Paſtor debet 193
ſuo Gregi opportune providere, ubi, & quando rei qualitas, & perſonarum indigentia id poſtulant, vide Clem. Paſtoralis *capit.* 2. *libr.* 2. *titul.* 11. ubi Pontifex in principio dicit, *Paſtoralis Cura ſolicitudinis nobis divinitus ſuper cunctas Chriſtiani populi nationes injuncta, nos invigilare remediis ſubjectarum earumdem periculis obviare, & ſcandala removere compellit.*

DE BENIGNITATE APOSTOLICA DIGNAREMUR.

Quia cum Diſpenſatio non ſemper ſit de jure de- 194
bita, Papa, tunc diſpenſando, miſcet miſericordiam cum ipſa Diſpenſatione, & ideo dicitur *miſericorditer in Domino diſpenſare*, ut bene animadvertit P. Leo *in praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 1. *formula* 2. *verſ. Quia iſta Diſpenſatio pag. mihi* 75.

NOS IGITUR EOSDEM, AC EORUM QUEMLIBET, A' QUIBUSVIS EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS, ET INTERDICTI, ALIISQUE ECCLESIASTICIS SENTENTIIS, CENSURIS, ET POENIS, A' JURE, VEL AB HOMINE, QUAVIS OCCASIONE, VEL CAUSA LATIS, SI QUIBUS QUOMODOLIBET INNODATI EXISTUNT, AD EFFECTUM PRÆSENTIUM TANTUM, &c.

Excommunicatio eſt Gladius Eccleſiæ *cap. dilecto* 195
6. de ſent. excomm. & cap. Cum inter 5. *in fine de conſuetud.* & eſt omnium pœnarum maxima, quia nul- 196
la alia in Eccleſia reperitur major, cum afficiat animam, & eam ſpiritualibus auxiliis privet, ac Chriſtianorum contubernio ſpoliet; Divus Auguſtinus *relatus in Can. corripiantur* 17. *cauſa* 24. *quæſt.* 3. Pariſ. *de reſignat. lib.* 5. *quæſt.* 6. *num.* 73. Barboſa *de jur. Eccl. univ. lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 77. Guttierez *Canon. qq. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 27. Salas *de leg. diſp.* 14. *ſect.* 3. *num.* 35. Ricciullius *de Jur. perſonar. libr.* 4. *capit.* 63. *num.* 2. Sperellius *dec.* 129. *numer.* 3. Reſponſa Marantæ *reſp.* 37. *num.* 17. *part.* 2. Eſtque actus mere Eccleſiaſticus à poteſtate Canonum pendens, & 197
propterea Judicibus ſæcularibus omnino incompetens; Marius Antoninus *var. reſol. libr.* 1. *reſol.* 48. *num.* 7. Reſponſa Marantæ *reſp.* 21. *num.* 109. *part.* 2. hæc enim poteſtas excommunicandi deſcendit à Clavibus, quam poteſtatem Jeſus Chriſtus Dominus

No-

Noſter Eccleſiæ ſuæ tradidit, ex illo Matthæi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, Et quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cœlis*; Ægidius de Coninck *de Sacram. diſp.* 13. *dub.* 3. *n.* 24. *concluſ.* 1. Diana *part.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 98.

Per dictam clauſulam, *Abſolventes*, *&c.* Papa Oratores abſolvit, quatenus egeant, à quibuſvis ſententiis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, & ita illos habilitat, ut non obſtante Excommunicatione, Suſpenſione, & Interdicto habiles ſint, & capaces Gratiæ, quam Papa ipſis facit, cum alias
199 Gratia per Excommunicatum obtenta non valeat *cap. primo de reſcr. in* 6. Rebuff. *in praxi Benef.* ubi *de* 3. *parte ſignaturæ in princip.* Pariſ. *de reſignat. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 46. Caputaquenſ. *deciſ.* 72. *num.* 2. *par.* 3. Garcia mox citandus; Squillante *de obligat. Clericor. part.* 3. *n.* 70. Leſſius *de juſt. lib.* 2. *cap.* 34. *nu.* 116. Immo nec valeret, ſi impetraretur per Procuratorem excommunicatum, nomine principalis non Excommunicati; Rota *deciſ.* 286. *in antiquis*, Ricciullus *de jure perſonar. lib.* 4. *cap.* 38. *nu.* 7. Pariſ. *de reſignat.*
200 *lib.* 4. *quæſt.* 1. *num.* 15. nec reviviſceret dicta gratia etiam ſubſequuta abſolutione; Ricciullus *lib.* 4. *capit.* 38. *n.* 17. Pariſ. *l. c.* Alex. Sperell. *dec.* 166. *n.* 13. quia
201 excommunicatus æquiparatur mortuo; Lotherius *de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 41. *num.* 16.

202 Dicitur à QUIBUSVIS EXCOMMUNICATIONIBUS, ut in hujuſmodi Abſolutionem comprehendatur major, & minor, nam ſi diceretur ſimpliciter, quod abſolvat ab Excommunicatione, intelligeretur de majori; *cap. Si quem* 59. *de ſent. excomm.* Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 36. P. Leo *in Praxi Sacræ pœnitent. part.* 2. *poſt. Impedimenta dirimentia, verſ. Nomine Excommunicationis, pagin. mihi* 239. Quia in odioſis verba intelligenda ſunt in potiori ſignificatu; Dici-
203 tur EX QUAVIS CAUSA LATIS, ut omnis excommunicatio comprehendatur, ſive à jure, ſive ab homine, ſive in propria, ſive in aliena Diœceſi lata ſit, ut bene animadvertit Rebuff. *in praxi Benef. part.* 1. *in explicatione Bullæ novæ proviſionis* §. *teque abſolventes*, *&c. n.* 8. ſive etiam comprehenſæ ſint in Bulla Cœnæ, ut ponderat Garcia *de benef. part. ſeptim. c.* 13. *n.* 67. tollitur enim per hanc clauſulam omne impedimentum ex cenſuris proveniens; Pariſ. *de reſignat. lib.* 4. *quæſt.* 3. *n.* 53.

204 Tandem dicitur, *QUOMODOLIBET*, ut comprehendat omnem modum incurſus Cenſurarum, non ſolum de Jure communi, ſed etiam de Jure ſpeciali, & conſuetudine; Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſa* 29. *in princip.* Cævallos *qq. comm. contra comm. quæſt.* 350. *n.* 2. Pater Leo *in d. praxi S. Pœnitentiariæ part.* 3. ubi *de mala promotione ante ætatem, verſ. Hæc dictio, pag. mihi* 418.

205 Sunt tamen aliqui caſus, quibus iſta generalis Abſolutio non prodeſt, ut videre eſt in Regula 66. Cancellariæ Apoſtolicæ, qua expreſſe decernitur, hujuſmodi Abſolutionem non ſuffragari non parentibus rei judicatæ, Incendiariis, Violatoribus Eccleſiarum, Falſificatoribus, & Falſificare procurantibus Literas, & Supplicationes Apoſtolicas, & illis utentibus, receptantibus, & fautoribus eorum, & res vetitas ad Infideles deferentibus, violatoribus Eccleſ. Libertatis, via facti auſu temerario mandatis Apoſtolicis non obtemperantibus, Nuncios, vel Exequutores Apoſtolicæ Sedis, & ejus Officialium eis commiſſa exequentes Impedientibus, nec illis etiam, qui propter præmiſſa, vel aliquod eorum Excommunicati à Jure, vel ab homine, per quatuor menſes ſcienter Excommunicationis ſententiam hujuſmodi ſuſtinuerint; Et generaliter quibuſcumque aliis, qui Cenſuris aliquibus, & alias, quam ut præfertur, quomodolibet ligati, in illis per annum continuum inſorduerint; Quæ regula à Julio III. primitus conſtituta, teſte Rebuffo *loc. citat. num.* 12. & deinde ab aliis Summis Pontificibus, qui poſt ipſum fuerunt, & de præſenti à SS. Domino Noſtro Alexandro VII. confirmata fuit.

206 Addo nec Irregularibus ſuffragari; Pariſ. *de reſignat. libr.* 3. *quæſt.* 3. *numer.* 40. *&* 41. *& lib.* 8. *quæſt.* 7. *à num.* 111. Garcia *de benef. part.* 7. *cap.* 11. *num.* 56. quia Papa nunquam videtur cum Irregularibus diſpenſare, niſi id expreſſe dicat; Navarrus *in Manuali capit.* 27. *nu.* 194. Pariſ. *de reſignat. lib.* 8. *quæſt.* 7. *numer.* 123. quia Irregularitas non eſt Cenſura *cap. Quærenti* 20. *de verbor. ſignificat.* Garcia *part.* 7. *cap.* 11. 207
numer. 56. & ideo non abſolvitur, ſed diſpenſatur; 208
Garcia *l. c.* & conſequenter in facultate abſolvendi à Cenſuris, & pœnis non includitur Irregularitas; Gu- 209
tierez *Can. qq. l. pr. cap.* 3. *d. c.* 3. *num.* 4. Navarr. *d. c.* 27. *num.* 194.

Addo inſuper iſtam Abſolutionem nec Hæreticis 210
prodeſſe; *colligitur c. Excommunicamus* 13. §. *credentes de hæreticis*; Garcia *d. part.* 7. *c.* 13.

Dicitur, AD EFFECTUM PRÆSENTIUM TANTUM CONSEQUENDUM, quia datur à Pontifice ad effectum dumtaxat, ut Oratori valide Gratia conferatur, unde Excommunicatus impetrans Gratiam à Pontifice, & Abſolutus cum dicta clau- 211
ſula, *Ad effectum*, *&c.* non poterit celebrare, ſi Sacerdos ſit, nec Divinis intereſſe, nec Beneficia Eccleſiaſtica ab Ordinario obtinere, ſed remanebit, quoad alia, in eo ſtatu, quo erat ante Abſolutionem; Ricciullus *de jure perſonarum*, *&c. l.* 4. *cap.* 9. *num.* 5. Rebuff. *num.* 67. *l. c. numer.* 15. Barboſa *de clauſ. clauſula* 179. *numer.* 6. Garcia *de Benef. part.* 7. *cap.* 13. *numer.* 65. Paulus Squillante *de oblig. Cleric. part.* 3. *num.* 71. Lezana *in ſumma tomo* 3. *verbo clauſula numer.* 7. nec Beneficii ſibi collati faciet fructus 212
ſuos. Ricciullus *d. l.* 4. *cap.* 9. *numer.* 6. idem Garcia *l. c. num.* 66. & ſi in Divinis ſe ingereret, fieret Irre- 213
gularis *cap. Is cui* 20. *de ſent. excom. in* 6. Rebuff. *l. c.* hujuſmodi enim Abſolutio operatur dumtaxat ſu- 214
ſpenſionem Impedimenti, quouſque Gratia effectum ſortiatur, ut bene dictus Paulus Squillante *l. c.* quia, ut animadvertit Joan. Valerus *diff. utr. fori*, *verbo Abſolutio diff.* 2. *numer.* 5. hujuſmodi Abſolutiones, quæ dantur *Ad effectum*, *&c.* non ſunt reales, ſed 215
verbales, & de ſtylo, cum alias iſtos Impetrantes non pœniteat, & propterea ſtatim abſoluto actu, propter quem abſolvuntur, in eaſdem reincidunt excommunicationes.

Animadvertit, & bene Garcia *l. c. num.* 62. Ora- 216
tores excommunicatos, qui Reſcriptum aliquod in forma Commiſſaria obtinuerunt à Pontifice, debere abſolvi ab excommunicatione ante Reſcripti exequutionem à Delegato factam, alias Gratia nulla erit, quia Abſolutio iſta, *Ad effectum*, *&c.* à Pontifice conceſſa, dum committitur Delegato Gratiæ exequutio, operatur impetrationis validitatem, & prodeſt ſolum ad effectum, ut Literæ validæ ſint, & conſequenter, ut mandatum validum ſit, quod alias invalidum eſſet ex diſpoſitione capituli primi *de reſcript.* quo decernitur à Gregorio Nono, Reſcriptum ab excommunicato impetratum eſſe nullum ipſo Jure; quamvis enim dictus Garcia loquatur de Impetrantibus Beneficia, tamen eadem ratio militat etiam quoad Impetrationes Literarum pro Diſpenſationibus Matrimonialibus; & ubi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe Juris diſpoſitio.

Addit idem Garcia *num.* 64. *l. c.* ut ſi poſt impe- 217
tratas Literas cum dicta clauſula Abſolutionis *Ad effectum*, *&c.* Oratores incurrerent in excommunicationem, & Cenſuras, dicta clauſula, & Abſolutio non prodeſſet; quod idem ex tenore ipſius clauſulæ aperte colligitur, quia dum Papa abſolvit *Ad effectum*, *&c.* dicit, *ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt*, denotando tempus præſens, & non futurum; Idque eſt menti tenendum, quia pauci ſunt, qui id animadvertant.

DISCRETIONI TUÆ, &c.

Diſcretio eſt mater omnium Virtutum; *Clem. Paſtoralis* 2. *de ſent. excomm. & re Judicata*; *Gloſſa in cap. Paſtoralis* 28. *verbo Diſcretione, de officio, & poteſtate Delegati, & derivat à verbo Diſcerno*, quod ſignificat diſtincte aliquid cognoſcere; Debet enim Delegatus, in exequendo ſuum munus diſcernere Dei honorem, rei qualitatem, ac gravitatem, & Oratorum ſpiritualem utilitatem. 218

Hæc clauſula, *Diſcretioni tuæ*, *&c.* non impedit 219
ſub-

subdelegationem, ut probat Gratianus *discept. forens. cap.* 738. *num.* 1. *&* *num.* 5. *tom.* 4. nec inducit elec-
220 tionem industriæ personæ, nec per illam mutatur natura negotii, super quo Literæ conceduntur; Idem
221 Gratianus *loc. citat. numer.* 2. *&* 3. Et apponitur in quibuscumque Literis directis aliis, quam Episcopis, quibus dicitur *Fraternitati tuæ, &c.* Idem Gra-
222 tianus *l. c.* & Rebuffus penes ipsum; & quando hæc clausula apponitur, importat arbitrium boni viri; Fœlinus *cap. prim. de constitutionibus, vers. Et si dicatur discretioni tuæ, &c. num.* 5. Antonius Leoncillus *de paupertatis opibus part.* 2. *privil.* 146. *num.* 2. seu potius arbitrium prudentiale, & regulatum; Menochius *de arbitr. Judic. lib.* 1. *quæst.* 8. *numer.* 24. &
223 perinde sonat, ac si diceretur judicio tuo, &c. Menochius *num.* 25. *l. c.* & propterea antequam Delegatus Dispensationem exequatur, debebit verificari facere causam finalem, & omnia alia in Literis Apostolicis contenta; Gutierez *Can. qq. l.* 2. *capit.* 22. *num.* 19. Henriquez *l.* 11. *de matr. cap.* 5. *numer.* 5. & si cognosceret ex Matrimonio contrahendo posse aliquod malum exoriri, poterit, ac debebit Dispen-
224 sationem denegare; sicut enim causa vitandi scandali est sufficiens ad movendum Pontificem, ut Dispensationem concedat; ita è converso, si scandala ex futura Dispensatione probabiliter timeantur, erit causa Matrimonii prohibendi, ac Dispensationem denegandi, Pyrrh. Corradus *in praxi dispensat. apostol. libr.* 8. *capit.* 2. *numer.* 7. & nos dicimus *cap. sequenti*.

DE QUA IN HIS SPECIALEM IN DOMINO FIDUCIAM OBTINEMUS.

De Episcopo, & ejus Vicario Generali, Papa confidit, non autem de Capitulo, & ejus Vicario, Sede Vacante, & ob id hujusmodi commissiones dicto Capitulo, & ejus Vicario non committit.

Per hanc clausulam intelligat Delegatus, se in dispensatione exequenda debere procedere cum omni rectitudine, prudentia, & diligentia; cum agatur de re, & negotio maximi momenti, considerans se
225 vices Summi Pontificis gerere, qui hanc causam, licet gravem, conscientiæ ipsius Delegati specialiter commisit; sic etiam ex dispositione Sacrosancti Concilii Tridentini *sess.* 22. *cap.* 5. *de reformat.* præcipitur, dum disponitur, ut Dispensationes Matrimoniales committantur Ordinario, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, nec aliter, dispensare possit; & *sess.* 25. *cap.* 18. *de reformat.* disponit, ut si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, & summa maturitate à quibuscumque ad quos Dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta Dispensatio, subreptitia censeatur;
226 Quapropter debebit Delegatus in exequutione Literarum Apostolicarum procedere, ut dicitur, pede plumbeo, & cum omni diligentia, & circumspectione, quia totum negotium ejus conscientiæ committitur.

PER APOSTOLICA SCRIPTA.

Diximus cap. 3. quod licet Gratia à Summo Pontifice facta valida sit, etiam Literis non confectis, nihilominus ad Ipsius Gratiæ probationem, & ut is, qui illam obtinuit, possit valide, & licite ea uti, requiritur de necessitate, ut Literæ conficiantur;
227 Raro autem ipse Pontifex dispensat, sed ut plurimum mandat Ordinario, ut si preces veritate niti repererit, dispenset, ita maxime disponente Concilio Tridentino *sess.* 22. *de reformat. d. cap.* 5. Unde superfluum esset hoc casu disserere, an Literarum expeditio necessaria sit, cum absque illarum præsentatione Delegatus non habeat Jurisdictionem, ut diximus, & consequenter si non præsententur Literæ, non possit à Delegato dignosci forma sui mandati per eum servanda.

228 MANDAMUS; Clausula ista conjuncta cum alia, nempe *Auctoritate nostra*, de qua infra, facit Delegatum; *cap. Pastoralis* 14. §. *Quoniam autem*; *cap. Ad hæc* 10. *&* *cap. Ex parte* 33. *de rescr.* Balthas. de Thomasis *pr. decade tr.* 1. *titulo* 15. *numer.* 186. Pat. Leo *in praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 4. ubi *de Absolutione, & Dispensatione pro Reg. &c. vers. Hoc verbum pag. mihi* 581. Joseph Felin. & Cerezo *in margarita conclusionum part.* 2. *verbo Papa* §. 1. Ipsique Delegato Jurisdictionem tradit statim ac Literæ ei præsentatæ sint.

Verbum istud, *Mandamus*, à Superiore prolatum 229
importat necessitatem, & præceptum; *cap. Mandato* 10. *de præb. in 6. cap. Mandatum* 38. *&* *cap. Eam te* 7. *de rescr.* Unde Delegatus tenetur omnino formam sui mandati adimplere, & juxta ejus tenorem procedere in Dispensatione exequenda: Et cum Papa sit omnibus superior *cap. per Venerabilem* 13. *qui filii sint legitimi*, potest quamlibet personam sibi bene vi-
sam, & quacumque ac qualicumque dignitate præditam delegare, eandemque cogere ad acceptandum; 230 231
inferior vero solas personas sibi subjectas cogere potest ad suas delegationes acceptandum; *l. eum qui juncta Glossa prima, & l. ultima de jurisd. omnium Judicum*; vide Franciscum Merolla *tom.* 3. *disp.* 7. *capit.* 4. *dub.* 15. *num.* 168.

QUATENUS DEPOSITA PER TE OMNI SPE CUJUSCUMQUE MUNERIS, AUT PRÆMII, ETIAM SPONTE OBLATI, A' QUO TE OMNINO ABSTINERE DEBERE MONEMUS.

Papa præcipit Delegato, ne aliquod munus, aut præmium occasione Dispensationis exequendæ recipiat; & licet prædicta verba importare videantur consilium, & simplicem monitionem, nihilominus cum in fine Literarum addita sit alia clausula nempe; *Volumus autem, quod si spreta monitione nostra hujusmodi aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, Excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras*: clare constat non esse simplicem monitionem, 232
sed præceptum, formam tribuens, cum per illud ipsi Delegato prohibeatur omnis receptio muneris, aut præmii, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Et quod sit præceptum, & non monitio simplex, constat ex dicta dictione, *Quatenus*, quæ con- 233
ditionem importat; Gratianus *discept. for. cap.* 854. *num.* 40. *&* *num.* 49. Rota *dec.* 381. *part.* 1. *divers. num.* 2. Pater Leo *in praxi Sacræ pœnit. part.* 1. ubi, An Confessores sint meri exequutores, *vers. Dictio, Quatenus, &c. pag. mihi* 28. unde facultatem limitat Delegato, eidemque modum, & formam inducit, ut idem Pater Leo *l. c. vers. Hæc igitur, &c.* Dicta clausula, & pœna excommunicationis, si Pyr- 234
rho Corrado credamus *lib.* 7. *praxis disp. apost. c.* 7. *num.* 7. non solebat antiquitus apponi in Literis Dispensationum, sed solum ab ipsis Episcopis contra eorum Vicarios Literas Dispensationum exequuturos, ne propter illarum exequutionem aliquid extorquerent. At cursu temporis contra eosdem Vicarios prædicta non observantes cæpit Pontifex excommunicationem apponere, itaut ubi prius hæc excommunicatio Episcopalis erat, tunc esset Papalis, Unde inductus fuit stylus apponendi in mandato, & Literis commissionis, factæ Delegato ad dispensandum istam pœnam excommunicationis, si commissio dirigatur 235
Vicario Episcopali: Quod si committi contingat ipsi Episcopo, tunc ei injungitur, ut si munus, aut præmium qualecumque exegerit, aut oblatum receperit, eo ipso à Jurisdictionis etiam Episcopalium exercitio, fructuum mensæ suæ perceptione, tandiu suspensus existat, donec à Sede Apostolica relaxationem Suspensionis hujusmodi per satisfactionem condignam meruerit obtinere. Et si Dispensationes com- 236
missæ fuissent in forma pauperum, tunc sive Dispensationis exequutio commissa sit Episcopo, sive Vicario, ultra pœnas prædictas, apponitur etiam pœna nullitatis absolutionis, & Dispensationis per clausulam, quæ ibi apponi solet, *Et nihilominus Absolutio, & Dispensatio hujusmodi à te facienda nullius sint roboris, vel momenti*, ut quotidiana praxis testatur; Et isto ultimo casu absolutio à dicta excommunicatione reservatur Pontifici, ut ex verbis in Literis appositis, *Excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras, donec absolutionem à Sede prædicta per satisfactionem condignam merueris obtinere.*

Porro

237 Porro nec prædictæ Dispensationi, & prohibitioni Pontificis obstare potest consuetudo contraria, licet antiquata, qua videatur permissum Delegato hujus-
238 modi munera, aut præmia recipere, cum contradictio Principis omnem consuetudinem interrumpat, *cap. fin. de consuetud.* & mens Pontificis in hoc appareat clara, & præcisa, nec possit in dubium revocari, cum in omnibus Literis Dispensationum Matrimonialium, non solum dicta perceptio munerum, seu præmii expresse prohibeatur per modum monitionis, verum etiam ipsamet prohibitio geminata sit per comminationem Censuræ, ad magis demonstrandum suam certam, & deliberatam voluntatem;
239 unde verba geminata enixam disponentis voluntatem indicant: Cævallos *qq. comm. contra comm. quæst.* 828. *num.* 73. Marius Antonin. *var. resol. l.* 1. *resol.* 3. *numer.* 7. Responsa Marantæ *resp.* 19. *num.* 29. *part.* 1. Gratianus *discept. for. cap.* 621. *nu.* 29. *tom.* 4. Achilles de Grassis *dec.* 13. *alias* 3. *super regula modificatoria Indultorum Cardinalium num.* 4. Et verba gemi-
240 nata semper aliquid ultra operantur, Quintilianus Mandos. *ad Reg. Cancell. regula* 33. *quæst.* 11. *num.* 3. Fontanella *de pactis nupt. clausula* 5. *Gloss.* 8. *part.* 9. *num.* 26. Immo omnem dubietatem excludunt; Hier. Palma *cons.* 86. *n.* 9.

Et quod non possit Delegatus aliquid recipere, occasione harum Dispensationum sibi commissarum, expresse docent Doctores, quos infra citamus, & sic fuit à Sacra Congregatione decisum, teste Garcia *de Benef. part.* 8. *cap.* 1. *num.* 102. & sic fuisse in specie decisum contra Episcopum Gerundensem refert Pyrrhus Corrad. *d. cap.* 6. *numer.* 14. & alias decisiones dictæ Sacræ Congregationis referunt Sbroz, Zerola, & Diana.

Et quidem cum in omnibus Literis Dispensationum Matrimonialium à Pontifice commissarum Papa semper apponat, & repetat dictam prohibitionem, certum, & indubium est, interrumpi, & annullari omnem contrariam consuetudinem, seu abusum munera, aut præmia percipiendi; cum ex illarum tenore de mente Pontificis adeo clare constet,
241 ut aliter interpretari non possit. Nec quoad hoc ullo modo sunt audiendi Sanchez *lib.* 8. *disp.* 35. *à numer.* 10. Filiuccius *qq. mor. tom. prim. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 363. Antoninus Diana *part.* 8. *tr.* 3. *resol.* 111. Joannes Gutierez *de matrim. cap.* 128. *numer.* 2. & alii, qui docent posse Delegatum recipere, occasione Dispensationis, aliqua esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumuntur. Et eo minus est attendenda doctrina Joannis de Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 10. §. 3. *in fine*, nempe posse accipi aliquid muneris gratuiti pro Dispensatione, ubi viget consuetudo, eo quia dicta clausula sit generalis, unde privatæ consuetudini sufficienter præscriptæ non deroget; Hæc tamen nullatenus sunt admittenda, quia nulla consuetudo obstare potest præcepto Papæ, maxime sic in singulis Dispensationum commissionibus repetito; quia cum ipse Pontifex possit ad sui arbitrium delegare quem velit, & Delegatus nullam aliam habeat potestatem dispensandi, nisi quatenus sit ei à Pontifice commissa, certissimum est servare debere præcisam formam sibi à Pontifice traditam; unde cum Pontifex ei Dispensationem committendo expresse, & sub excommunicationis pœna
242 prohibeat aliquid muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, recipere, hæc prohibitio operatur, ut ne minimum munusculum recipere possit, ut bene animadvertit Augustinus Barbosa *de axiom. axiom.* 151. *à num.* 7.

243 Et non solum occasione ipsius dispensationis quicquam accipere non poterit, ut diximus, sed nec accipere poterit sub prætextu laboris in studendo processui, examinandis testibus, & itinere faciendo, pro ipsis informationibus habendis, nec ratione Sigilli, aut Taxæ, & sic fuisse à Sacr. Congregatione decisum testantur Sbrozius *de officio Vicarii libro* 2. *quæst.* 36. *numer.* 7. Thomas Zerola *in praxi Episcop. part. prima verb. disp.* §. *primo*, Diana *part.* 5. *tractat.* 13. *resolut.* 71. Garcia, Pirrhus Corradus *ll. cc.* & quidem cum sufficiant summariæ informationes, & Delegatus possit ipsas Informationes alteri subdelegare, ut dicemus, non est quod excusari possit ab inobservantia dicti præcepti, sub prætextu magni, & diuturni laboris; quamvis nec excusari posset, si vere magnus, & diuturnus esset, quia sic Pontifex illi expresse præcipit, & tenetur omnino Delegatus ei parere; Immo nec contra dictam prohibi- 244
tionem habet locum dispositio *capituli Mulieres* 2. *de Judiciis*, ubi Judici permittitur, ut ex causis ibi expressis possit, expensis partis producentis, accedere ad domus mulierum pro illis examinandis, tum quia potest, ut diximus, supplere per subdelegatum quoad has informationes, tum etiam, quia Papa omnino intendit, ut Delegatus à perceptione cujuscumque muneris, aut præmii in hujusmodi Dispensationum exequutione se abstineat, ne excæcatus, munus suum minus recte exequatur; legitur namque in Deuteronomio cap. 16. *munera excæcant oculos sapientum,* 245
& mutant verba Justorum; & Divus Ambrosius super Epist. ad Corinth. 1. *munera excæcant oculos Judicum, & vim auctoritatis inclinant;* & Plato in 3. de Republica; *Cum Divis flectunt venerandos munera Reges*; optime canit Ovid. *libro* 3. *de Arte Amandi.*

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque,
Placatur donis Jupiter ipse datis.
Quid faciat sapiens? stultus quoque munere gaudet,
Ipse quoque accepto munere mitis erit.

Vide pro nostra opinione Marcum Antonium Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ c.* 25. *num.* 13. Joannem Baptistam Ventriglia *in praxi annot.* 36. *S. unico nu.* 11. Garciam, Zerolam, Sbrozium, & Pirrhum Corrad. *ll. cc.*

Admittunt multi, Delegatum, post exequutam Dispensationem, posse recipere munera gratis oblata; ita inter alios Sanchez *lib.* 8. *disp.* 35. *à num.* 9. Gutierez *d. cap.* 128. *num.* 9. Filiuccius *l. c. numer.* 365. Trullenck *opere mor. tomo* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 11. *num.* 4. eo quia prohibitio hujusmodi videatur respicere tempus ante Dispensationem, ne Ordinarius muneribus corruptus munus suum minus recte exequatur; si tamen ante ipsius Dispensationis exequutionem fuisset facta promissio, vel expresse, vel signis evidentibus, & æquipollentibus data intentio munera dandi post factam Dispensationem, adhuc contraveniretur intentioni Pontificis, cum per dictam promissionem, vel intentionem datam, posset Judex corrumpi, perinde ac ex effectiva munerum largitione.

DE PRÆMISSIS TE DILIGENTER INFORMES.

Ad verificationem hujus clausulæ non sufficit O- 246
ratorum confessio de Impedimento, & de aliis in Supplicatione narratis, sed Delegatus debebit ab aliis se diligenter informare *capitul. Super eo* v. *de eo qui cognovit &c.* Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiscopalis capitul.* 20. *numer.* 12. Pirrhus Corradus *in dict. praxi dispensat. libro* 7. *capitul.* 6. *numer.* 20.

Hujusmodi autem informatio est omnino necessa- 247
ria, quamvis Impedimentum, & alia Pontifici narrata notoria sint, licet enim notorium regulariter probatione non indigeat, Matthæus de Afflictis *dec.* 248
50. *num.* 5. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 17. *num.* 12. Bonaccina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 3. *prop.* 2. *num.* 17. Gratian. *discept. for. cap.* 925. *num.* 13. *tomo* 5. Sperell. *dec.* 109. *num.* 44. Barbosa *in votis Can. voto* 56. *numer.* 30. *lib.* 2. tamen, quia in Literis Papæ, ultra verbum *te informes*, additur aliud, nempe *diligenter*, & sic ista Clausula non apponitur eo modo, 249
quo jure ineat, certum est non importare simplicem monitionem, sed conditionem, & formam, quam Delegatus tenetur omnino servare, & se diligenter informare, quamvis etiam alio modo de veritate precum sibi constaret, ita bene Sanchez *libr.* 8. *disp.* 34. *numer.* 26. *& libr.* 3. *disp.* 33. *numer.* 24. Garcia *de benef. part.* 6. *capit.* 2. *numer.* 265. Gratianus *discept. for. capit.* 596. *numer.* 2. 3. *&* 7. *tom.* 3. Gutierez *can. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 112. & clare colligitur ex verbis in Literis expressis, nempe *& per informa-*

mationem eamdem, preces veritate niti repereris &c.

250 Unde si Delegatus ante captas hujusmodi informationes, & ante verificationem precum dispensaret, hæc Dispensatio nulla esset, & irrita, tanquam facta non servata forma mandati, Menochius *cons.* 442. *numer.* 51. *vol.* 5. Riccius *in praxi juris patronatus resol.* 130. *numer.* 3. Caputaquens. *decis.* 273. *numer.* 1. *part. prim.* Rota coram Durano *decis.* 205. *num.* 6. Rota *decis.* 295. *num.* 6. *in novissimis*, Rota coram Pœnia *decis.* 484. *num.* 2. quamvis etiam preces ve-

251 ræ essent, Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 26. Reginald. *lib.* 31. *capit.* 28. *num.* 215. Filliuccius *tomo pr. tract.* 10. *numer.* 354. quia forma præscripta servata non fuit, unde Dispensatio corruit, ut late dixi-

252 mus. Et sic à simili, si Delegatus ad conferendum Beneficium in forma *Dignum*, certo sciat provisum esse doctissimum, & omnino ad dictum Beneficium esse idoneum, non tamen poterit absque examine illi Beneficium conferre, cum id sit de forma. Ægid. de Bellamera *decis.* 667. *per totum*, Garcia, *de benef. num.* 259. *l. c.* Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancellariæ*, *Glossa* 4. *num.* 89. Paulus Fuscus *de visit. lib.* 2. *cap.*

253 5. *num.* 10. ubi refert ipsum Fœlinum examinatum fuisse, & triginta Argumenta solvisse; licet enim

254 notorium non egeat probatione veritatis facti, tamen de eo debet Delegato, saltem per diligentes informationes constare, Marius Antoninus *var. resol. lib. pr. resol.* 30. *n.* 5.

255 Sunt itaque coram Delegato verificanda omnia Pontifici narrata; ea nempe, quæ principaliter moverunt Pontificem ad concedendum, & super quibus ipsa Gratia principaliter fundata est, Marius Antoninus *dict. lib. pr. resol.* 3. *n.* 15. Garcia *d. cap.* 2. §. 2. *num.* 225. Lælius Altogradi *cons.* 64. *nu.* 24. *lib.* 2. Gonz. *glossa* 9. *in annotat.* 230. Rota *inter impressas post* 2. *volum. consil. Farinacii decis.* 86. *numer.* 2. Tuschus *conclus.* 462. *num.* 2. *lit. D.* Idque aperte constat ex clausula in ipsis Literis apposita, *si preces veritate ni-*

256 *ti repereris*, quæ clausula quamvis etiam non fuisset apposita, tamen subintelligeretur, Lælius Altogradi *l. c. num.* 25. Gonz. *n.* 229. *l. c.* Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *numer.* 25. Laymanus *Theol. mor. libr. prim. tract.* 4. *cap.* 22. *numer.* 22. Narrativa namque ipsa

257 est pars Gratiæ, Mascard. *de probat. conclus.* 729. *numer.* 1. Gonz. *l. c.* Caputaq. *decis.* 271. *num.* 3. *part.*

258 *pr.* Lother. *de re benefic. libr.* 2. *quæst.* 48. *num.* 266. sufficit tamen si substantialia, ex quibus Gratia pendet, & quæ causam finalem concernunt, verificentur, Rota coram Durano *dec.* 306. *num.* 5. Rota *dec.* 218. *n.* 2. *& decis.* 687. *n.* 3. *part.* 2. *recent.*

Quamvis enim clausula, *si preces*, *&c.* referatur ad omnia narrata, & de narratis aliqua sint superflua, & hæc falsa sint, Gratia non dicitur subreptitia, nisi agatur de præjudicio Tertii, Rota *inter impressas post* 2. *vol. consil. Farinacii decis.* 270. *num.* 1. non tamen ea omnia pari modo respicit, quia aliqua respicit uti substantialia, alia verò uti accidentalia, & parum ad causam facientia, & propterea illa sunt necessario verificanda, ista vero secus; Merolla *tomo* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *Coroll.* 5. *n.* 384. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 32. Optime Pater Leo *in praxi Sacræ Pœnitent. par. prim. ubi de transgress. votorum*, *versic. Collige igitur pag. mihi* 634. Quia forma non

259 inducitur ex omnibus verbis legis, seu rescripti, sed tantum ex his, quæ respiciunt substantiam, Ludovicus Cencius *tractat: de censur. quæst.* 66. *numer.* 10. & faciunt dicta per Lælium Altogradi *cons.* 64. *nu-*

260 *mer.* 49. *libr.* 2. & proinde si in prædictis substantialibus error, etiam ex simplicitate, seu Oratorum ignorantia irrepsisset, adhuc nulla esset Gratia, nec posset Delegatus ad Dispensationis exequutionem procedere, per ea, quæ dicimus capitul. 4.

Et non solum verificanda erunt ea, quæ per assertionem affirmativam narrata, & exposita fue-

261 runt, sed sunt etiam verificanda si consistant in negativa, & sint fundamentum Gratiæ, Rota coram Buratto *decis.* 763. *numer.* 3. *& decisio* 948. Puteus *decis.* 390. *num.* 2. *libr.* 2. Rota *decis.* 486. *numer.* 2. *part.* 3. *recent.* Quamvis etiam difficilis probationis sint, Rota coram Buratto *in annotat. ad dec.* 175. *numer.* 22.

Si duæ causæ finales expositæ fuissent, & ex qualibet earum Papa soleat de stylo Dispensationem concedere, vide quæ diximus, ubi concluſimus, sufficere ad validitatem Gratiæ, si una ex eis verificetur.

Circa causæ cessationem, tam si ante factam Dispensationem, quam si postea cessasset, an Dispensatio teneat, vide quæ infra dicemus *libr.* 3. *capit. prim.*

At quo tempore debeant veræ esse preces, dicimus infra.

Pro verificatione precum, scias non requiri de ne- 262
cessitate formalem testium examinationem, nec judicialem cognitionem; sed sufficiet, ut Delegatus se diligenter informet; sic namque præcipit Pontifex per illa verba, *te diligenter informes*, Lælius Altogradi *cons.* 28. *numer.* 7. *libr. prim.* & patet ex dispositione Concilii *sess.* 22. *de reformat. cap.* 5. ibi *summarie tantum*, *& extrajudicialiter &c.* Dummodo tamen informatio ab aliis, quam ab ipsis Sponsis sumatur, ut diximus, & in hoc hujusmodi examinatio differt ab examinatione causæ pro foro conscientiæ, in quo 263
sola partis informatio sufficit, ut animadvertunt Sanchez *lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 16. Trullenck *tom.* 3. *l.* 7. *cap.* 10. *dub.* 11. *num.* 5. Immo non solum necessaria 264
non erit formalis Testium examinatio, nec judicialis cognitio, ut diximus, sed valebit Dispensatio facta post habitam diligentem informationem, quamvis de processu non constet, Garcia *de benef. part.* 6. *capit.* 2. *numer.* 247. Rota penes ipsum, quia in hujus- 265
modi causis Dispensationum, ubi non est adversarius, qui veniat citandus, sufficit sola diligens informatio Judicis, de qua in Decreto Dispensationis fidem faciat; Sanchez *lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 15. Gonzales *glossa* 9. *in annot. num.* 19. *&* *num.* 20. Achilles de Grassis *dec.* 8. *alias* 338. *num.* 9. qui filii sint legitimi, Garcia *l. c. num.* 249. *ubi numer.* 247. testatur sic fuisse à Rota resolutum in una Mediolanensis Matrimonii die 17. Junii 1602. Unde hæc informatio recipi poterit ab ipso Delegato sine ordine, & figura judicii, & testibus non receptis in forma judiciali, nec jurantibus, Sanchez *ll. cc.* & faciunt dicta per Mascardum *de probat. concl.* 1362. *num.* 16. quicquid Gutierez *de matrim. cap.* 126. *num.* 70. dicat in contrarium servari in nonnullis locis. Quod si quis adversarius se opponeret, tunc citari deberet pars, & acta in scriptis redigi, ut bene idem Garcia *l. c. nu.* 247. Videat tamen, & consideret Delegatus an testes, à quibus sumit informationes, sint fide digni, & si de eorum integritate non satis quiescat, suppleat nu- 266
mero, Seraphin. *dec.* 241. *numer.* 2. Rota *dec.* 289. *num.* 2. *part.* 1. *divers.* Rota coram Buratt. *dec.* 143. *num.* 12. *& dec.* 349. *num.* 13. Alex. de Nevo *cons.* 1. *num.* 1. *& n.* 8.

Ad hoc autem, ut in causis hujusmodi Dispensa- 267
tionum, in quibus adversarius regulariter non venit citandus, res desinat esse integra, non sufficit sola præsentatio Literarum, sed requiritur, ut Delegatus saltem mandet informationes sumi, ut bene docent Sanchez *l.* 8. *disp.* 28. *num.* 19. *&* 20. Merolla *tomo* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 490. Paul. Squillante *de privil. Cleric. cap.* 2. *nu.* 106. quia suscipere mandatum non 268
est eo uti, *l. quemadmodum ff. de inoffic. testam.* immo quamvis Delegatus jam subdelegasset, adhuc non desinit res esse integra *capit. penult. de offic. deleg. in* 6. Squillante *n.* 105. *l. c.*

Cæterum quamvis omnia, quæ probanda erant, 269
fuissent coram Delegato per testes verificata, sed tamen contrarium Delegato constaret, non potest ad Dispensationem procedere; quia hæc Dispensatio ipsius judicio, & extrajudiciali informationi relinquitur, & propterea ejus conscientia oneratur; Sanchez *libr.* 8. *disp.* 34. *num.* 21. Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 10. *numer.* 97. Garcia *de Benef. part.* 6. *capit.* 2. *numer.* 251.

Id tamen est singulariter animadvertendum, quod 270
ad probandum Matrimonii Impedimenta admittendi sunt potius Consanguinei, & etiam Pater, &

Ma-

Mater, quam alii; quia scire præsumuntur eorum genealogiam, & quoad jura sanguinis esse magis informati; Hippolytus Riminaldus *int. consilia matr.* Ziletti *cons. 79. n. 6.* Paulus Piasæc. *praxi Episc. part. 2. cap. 4. num. 36.* Mascardus *de probat. concl. 410. numer. 35.* Thomas Zerola *in praxi Episc. verbo* Matrimonium §. 15. Sperellius *dec. 95. numer. 4.* Genua *de Enunciat. libr. 2. quæst. 33. numer. 21.* Redenasch. *cons. 62. numer. 16.* Vivius *dec. 289. numer. 17.* Ludovis. *dec. 471. numer. 4.* Pyrrhus Corrad. *in praxi disp. Apostol. d. capit. 6. numer. 46.* Rota *dec. 359. numer. 23. part. 6. rec.* Rota coram Pœnia *dec. 233. numer. 2.* Rota *dec. 176. numer. 6. part. 1. rec.* cum etenim probatio filiationis, & descendentiæ sit difficilis, Rota coram Buratto *dec. 160. num. 3.* Rota *inter dec. impressas post prim. volum. consilior. Farinacii dec. 140. numer. 8.* Farinacius *cons. crim. 58. numer. 3. libr. prim.* Nic. Genua *de Enunciat. qu. 33. numer. 10. lib. 2.* Lælius Altograd. *cons. 7. numer. 4. lib. 2.* Francisc. Redenasch. *cons. 62. numer. 9.* Merlinus Pignatell. *controv. for. cap. 84. num. 2. & num. 4. centuria 2.* Potius admittendi sunt in hujusmodi materia Consanguinei, quibus magis deferendum est; In referendo vero Gradus Consanguinitatis, vel Affinitatis debent testes incipere à Stipite, vel saltem 273 à Germanis, ipsos gradus successive per ordinem distinguendo, & singulas personas propriis, vel æquipollentibus nominibus designando, quas ex illis precise norint, quid, & à quibus didicerint, & an id, quod deponunt, à majoribus suis verum esse audierint, & sic ipsi testes credant, fideliter exponendo: Vide quod propterea disponitur, *cap. Tuæ nos 7. de consang. & affinit.* vide etiam Mascardum *de probat. concl. 410. num. 21.* Peregrinum *de fideic. art. 22. numer. 25.* Ciarlinum *controv. forens. judic. capit. 23. numer. 12.*

Dixi, si à majoribus suis audierint, quia si unicus testis deponeret de auditu ab uno tantum, non probaret Impedimentum, nec Matrimonium contrahendum impediret, nisi alia concurrerent, ut docent Doctores, quos propterea *l. 2.*

274 At si aliquod, quam Consanguinitatis, aut Affinitatis Impedimentum inter Oratores adesset, debent testes illud fideliter, & vere prout se habet, exponere, ne Dispensatio subreptitia sit; & præcipue deponere de causa scientiæ eorum depositionis, & à
275 quibus personis dici audierint; quia si decem, vel plures testes ab una eademque persona didicerint, non plus probant, quam unus; *cap. Cum in tua 44.*
276 *de testam. & attest.* Et si ex falsis probationibus Delegato constanter de veritate narratorum Pontifici, & propterea Dispensaret, talis Dispensatio, tam pro foro interno, quam pro externo, censebitur subreptitia, & nulla, ob narratorum falsitatem, cum ex parte rei non sit ita, Sanchez *lib. 8. disp. 21. numer. 33.* Merolla *tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 15. numer. 368.* Petrus de Ledesma *in summa ubi de matrim. capit. 27. difficult. ult.* Trullenck *tomo 3. l. 7. c. 10. dub. 5. num. 10.* Barbosa *in votis Canonicis l. 2. voto 17. num. 85.*
277 ubi docet posse eo casu probari contrarium; At si preces veræ essent, sed per falsos testes probatæ, Dispensatio valeret, Bonacc. *de legib. disp. prim. quæst. 2. puncto 3. numer. 17.* Sanchez, & Merolla *ll. cc.* quia causa vera est, & talis remanet allegata, & probata.

278 Porro tanta est circa causam sibi commissam Delegati potestas, ut non solum cogere possit Censuris quascumque personas, quæ ejus subdelegationis capaces sint, ut subdelegati munus suscipiant, *cap. Pastoralis 28. de offic. Delegati, junct. cap. quia Pontificali 2. eodem titulo*, sed possit etiam cogere testes ad veritatem testimonio suo manifestandam, Mascard. *de probat. concl. 5. num. 58.* eosque mulctare, & excommunicare, Rota coram Merlino *dec. 610. num. 2.* Fragosius *regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 4. disp. 10. num. 126.* non tamen bannire, quia id esset meri Imperii, Menoch. *de arbitr. Judic. libr. 2. centuria V. casu 438. numer. 23. & numer. 28.* nec uti manu armata pro exequutione suæ sententiæ, Fragosius
279 *loc. cit.* Immo poterit etiam punire testes, si coram

se falsum deposuerint, Marcus Antonius Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ cap. 85. num. 1.* Joannes Baptista Ventriglia *in praxi annot. 38. §. unico, num. 8.* Carolus de Grassis *de effect. Clericatus, effectu prim. num. 1153.* sive dicti testes falsi, 280
fuerint Laici, sive Regulares, *l. nullum C. de testibus*, Afflictus *dec. 219. numer. 3.* Rubertus Maranta *in spec. aur. part. 6. art. 12. numer. 3.* quos refert, & sequitur Zerola *in praxi Episc. part. 1. verbo, Casus, §. 1. vers. Falsum deponentes*; Quamvis enim non possit Delegatus extendere Jurisdictionem ad personas non expressas, in iis tamen, quæ veniunt pro exequutione Jurisdictionis, & sine quibus non valeret Jurisdictio, sed elusoria esset, amplianda est, quia concessa Jurisdictione, censentur etiam concessa ea, sine quibus explicari non posset, ut dicimus infra. Et ideo punit contumaces, cohibet Notarios, & Assessores ab illicitis exactionibus, invocat brachium sæculare, & alia facere potest, de quibus plura apud Tuschum *concl. 438. lit. I. vide* Fragosium *d. part. prim. libr. 4. disp. 10. §. 1. numer. 134. vers. Non poterit*, cum etenim Delegatus in causa delegata gerat vices Pontificis, est omnibus superior, & quod 281
ipse in hujusmodi causa facit, dicitur factum ab ipso Papa, Gratianus *discept. for. capit. 167. numer. 57. tomo primo*, Responsa Marantæ *part. 3. tractat. Apologico numer. 110.* & qui per alium facit, per se 282
ipsum fecisse videtur, *capit. qui per alium 72. de reg. juris in 6.* Et proinde cum à Delegato Papæ excommunicati fuerint, si dictus Delegatus interim moreretur, vel Jurisdictione caruerit, nullus alius, Papa excepto, poterit dictos excommunicatos absolvere, Barbosa *de jure Ecclesiastico univ. l. prim. capit. 2. numer. 83.* Sbrozius *de offic. Vicarii l. 3. quæst. numer. 4.* Nec solum poterit Delegatus dictos testes 283
cogere, & falsos punire, ut diximus, sed poterit etiam contra partes ipsas, & alios quoscumque ejus Jurisdictionem turbantes procedere, quamvis id in mandato suæ delegationis non contineatur, Merlinus Pignatellius *controv. for. capit. 71. num. 22. centuria 2.* Tuschus *concl. 438. numer. 1. litera I.* Augustinus Barbosa *de clausulis, clausul. 33. numer. 9.* Ventriglia *in praxi loc. citat. numer. 8. & constat capit. Quia quæsitum, primo, & cap. Pastoralis 28. de officio Judicis Delegati*, Marcus Antonius Cucchus *institut. can. libr. primo titul. 16. vers. Hinc apparet*; Immo poterit dictus Delegatus contra ipsum suum 284
Episcopum animadvertere, si suam Jurisdictionem turbaret, vel fraudolenter, ne dictus Delegatus Dispensationem exequeretur, ipsum à Vicariatus officio removeret; *constat. d. capit. Quia quæsitum, primo, de offic. Delegati*, & expresse docent Merolla *tomo 2. disp. 4. capit. 6. dub. 33. numer. 617.* Sanchez *l. 8. disp. 27. numer. 42.* Cucchus *loc. cit.* Gratianus *discept. for. capit. 92.* quia concessa Jurisdictione, 285
censentur etiam concessa ea, sine quibus explicari non posset: *capit. Præterea 5. de offic. Jud. Delegati in fine*, Sanchez *l. 3. disp. 19. numer. 4.* Gratianus *discept. for. capit. 738. numer. 30.* Francisc. Merlin. *dec. Rotæ Lucanæ dec. 5. num. 5.* Tuschus *concl. 434. numer. 11. litera I.* Menochius *de arbitr. Judic. l. 1. cap. 74. num. 38. & cons. 478. num. 29. vol. 5.* Verricellius *de missionibus Apostolicis, qu. 182. sect. 5. numer. 62.* Barbosa *de jure Eccl. univ. l. 1. cap. 39. num. 54.* Rota *dec. 295. num. 21. part. 7. rec.* Rota coram Merlino *dec. 610. num. 1. & num. 7.* Et quilibet Judex, cujus Jurisdictio, & officium offenditur, & perturbatur, dicitur Judex competens ad defendendum suam Jurisdictionem, alias Jurisdictio redderetur elusoria, *cap. dilecto 6. de sent. excomm. in 6.* Tuschus *concl. 439. n. 6. lit. I.*

Qua vero, ac quali pœna testes coram delegato falsum deponentes sint puniendi, consule Joannem Baptistam Ventriglia *in praxi annot. 3. §. 3. nu. 48.* ubi concludit puniendos esse pœna triremium, & ita in praxi servatur.

Si preces VERITATE NITI REPERERIS.

Delegatus per hanc clausulam non est Exequutor merus, sed Judex, quia dum Papa ipse non cognoscit de causæ meritis, & existentia, nec Dispensatio-

nem simpliciter, vel in forma gratiosa, sed conditionaliter concedit, *quatenus narrata vera sint*, ideo suam auctoritatem delegando, formam procedendi præscribit, nempe causæ cognitionem, precum veritatem, & proinde Dispensationis exequutionem; unde cum non possit Delegatus absque præcedenti narratorum verificatione, ad Dispensationem procede-
286 re, non est merus Exequutor; Ille etenim dicitur merus Exequutor, qui post negotium jam plene discussum deputatur, itaut nil aliud illi restet, nisi actualis exequutio; *l. exequutorem 8. C. de exequut. rei Judic. & l. sicut proponis 6.* Cæsar de Grassis *de eff. Cleric. eff. pr. num.* 833. Unde antequam Dispensationem exequi possit, debet Delegatus prius verificari
287 facere narrata in Literis, ut supra diximus, cum omnia rescripta Gratiæ habeant hanc clausulam, *si preces &c.* tacite annexam, Menochius *cons.* 103. *num.* 22. Rota *decis.* 245. *num.* 18. *part.* 6. *recent.* Redenasch. *cons.* 81. *num.* 6. Paris. *de resignat. lib.* 10. *qu.* 3. *num.* 4. Rota *Int.* 288. *impressas post sec. volumen, Consil. Farinacii decis.* 288. *num.* 6. Tuschus *conclus.* 70. *num.* 1. *Lit. G.* Merolla *tom. pr. Disp. pr. cap.* 2.
288 *num.* 738. Et quamvis etiam in Literis apposita non fuisset, tamen subintelligeretur; Gutierez *Canon. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *numer.* 52. Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 9. *in annot.* 229. Mascard. *de probat. conclus.* 1123. *num.* 5. *& conclus.* 1210. *num.* 3. Redenasch. *loc. cit.* Capycius Latro *decis. Sacri Regni Neapol. decis.* 174. *num.* 11. Lotherius *de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 48. *num.* 293. Mantica *decis.* 358. *num.* 1. *&* 2. Responsa Marantæ *Resp.* 13. *num.* 26. *part. pr.* Zerola *in praxi Episc. part. pr. verbo Rescriptum* §. 4. Hercules Marescott. *var. resol. lib.* 2. *cap. pr. numer.* 3. & ha-
289 betur loco causæ finalis, Matta *de clausulis part.* 2. *claus.* 71. *num.* 3. Redenasch. *d. cons.* 81. *numer.* 6. & conditionem importat, Rota coram Durano *decis.* 205. *num.* 5. Rota *decis.* 553. *num.* 1. *part.* 3. *recent.* Mascard. *de probat. conclus.* 1412. *numer.* 10. Merolli. *tom.* 3. *Disp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 27. *num.* 283. Redenasch.
290 *loc. cit. num.* 7. ita ut si narrata verificata non fuerint. Gratia subreptitia sit, & nulla, Hector Capyc. Latro *decis. S. Cons. Neapol. decis.* 147. *num.* 38. *lib.* 2. Rota coram Durano *decis.* 147. *num.* 7. *& decis.* 265. *num.* 6. *& decis.* 285. *num.* 28. Rota *dec.* 687. *num.* 3. *part.* 4. *recent.* Redenasch. *num.* 6. *loc. cit.* Et
291 antequam verificata sint nullum jus tribuitur Oratoribus, nec in re, nec ad rem, Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. in dictis annotat. n.* 232. *&* 233. Gratian. *discept. forens. cap.* 508. *nu.* 2. *tom.* 3. Hector Capyc. Latro *decis. S. Cons. Neap. decis.* 174. *num.* 17. *d. lib.* 2. Rota *decis.* 173. *n.* 5. *part.* 3. *recent.* Rota *decis.* 382. *n.* 6. *in novissimis*. Unde cum eo casu concessio à Pon-
292 tifice facta non mereatur nomen Gratiæ, nec ullam
293 jurisdictionem tribuat, Rota *d. decis.* 173. *nu.* 5. nec meretur exequutionem, Rota coram Durano *decis.* 278. *n.* 2. Rota *decis.* 657. *n.* 11. *d. part.* 3. *recent.* Rota coram Merlino *dec.* 563. *num.* 1. est enim hujusmodi concessio dicto casu nulla, & invalida, Rota coram Durano *decis.* 265. *n.* 6. *& decis.* 285. *num.* 128. Rota coram Penia *decis.* 522. *nu.* 3. *& decis.* 159. *n.* 1. cum
294 defectus intentionis Pontificis, annullet gratiam ab initio, Seraphin. *decis.* 341. *num.* 8. Rota *in novissimis decis.* 193. *num.* 8. Rota coram Penia *decis.* 198. *nu.* 11. Sbrosius *de off. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 36. *num.* 2. &
295 quamvis Papa intendat in concessione defectu solemnitatum supplere, non tamen supplet, nec supplere intendit defectum causæ sibi expositæ, Rota *inter decis. impressas per Ludovic. Cencium de censib. decis.* 36. *n.* 8.

Intellige tamen, ut requiratur quod vera sint ea, quæ moverunt Pontificem ad concedendum, ut diximus *nu.* 258. & docet etiam Rota *inter impressas post 2. volum. cons. Farinacii decis.* 288. *n.* 6.

296 At quo tempore narrata Pontifici debeant esse vera, multi multa dicunt; Sunt qui putent sufficere,
297 ut preces verificentur tempore exequutionis Literarum, per Delegatum faciendæ, ita Garcia *de Benefic. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 283. Pyrrhus Corrad. *in praxi Disp. Apost. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 25. & alii, quia ver-
298 ba illa, *Si repereris*, est futuri temporis. Alii terminos confundentes, nec aliquod discrimen ponentes inter jam factam, & perfectam Dispensationem, & mandatum de dispensando, docent sufficere, si narrata verificentur tempore datæ Literarum, & Gratiæ impetrationis. Ita Joannes Gutierez *qq. Can. lib.* 2. *cap.* 15. *numer.* 131. *&* 133. Mascard. *de prob. concl.* 1123. *num.* 22. Caputaquens. *decis.* 52. *num.* 2. *part.* 2. Rota *decis.* 443. *num.* 2. *par.* 2. *recent.* Rota coram Cavalerio *decis.* 196. *nu.* 1. *&* 3. Rota *decis.* 170. *num.* 6. *&* 14. *part.* 1. *divers.* Rota coram Durano *decis.* 265. *num.* 17. Rota *in novissimis decis.* 387. *num.* 16. Rota coram Penia *decis.* 147. *n.* 2. Ratio hujus doctrinæ est, quia Narrativæ Verba deferuntur ad ipsum tempus Narrativæ.

Tu tamen dic, quod respectu harum Dispensatio- 299
num, quæ per ipsum Pontificem absolute non fiunt, sed committuntur Ordinario exequendæ, preces non solum debent veræ esse ipso tempore supplicationis, & impetrationis, sed debent etiam ita subsistere, & veræ esse tempore exequutionis ab Ordinario faciendæ; Ita bene Sanchez *lib.* 8. *disp.* 30. *n.* 2. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *c.* 6. *dub.* 3. *n.* 320. Pontius *de Matr. lib.* 8. *c.* 20. *num.* 3. Bonacina *de leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 10. *propos.* 2. *nu.* 4. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 24. *&* *resol.* 77. Valerius Reginaldus *lib.* 31. *cap.* 27. *num.* 212. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 6. *n.* 4. Gutierez *de Matrim. cap.* 126. *nu.* 2. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 350. Ratio est, quia Pontifex auditis precibus Oratorum, & certam de illis notitiam non habens (ibi, *certam de præmissis notitiam non habentes*) committit Ordinario Dispensationem, eique mandat, ut, *si preces veritate niti repererit*, dispenset. Unde tempus petitæ Dispensationis à Pontifice, & exequutæ ab Ordinario, unicum tempus reputatur; & consequenter ad hoc, ut valida sit Dispensatio, necesse est, ut utroque tempore preces veræ sint, alias non poterit Delegatus ad exequutionem Dispensationis procedere, ut concludunt Doctores supra proxime citati.

Ex dictis infertur nullam, & subrepritiam esse Di- 300
spensationem, eo casu, quo allegaretur Pontifici falsa causa pro Dispensatione obtinenda, quamvis casus eveniret, ut eadem causa tempore exequutionis Ordinarii vera esset; v. g. petitur Dispensatio, allegato pro causa defectu dotis Oratricis; quæ causa tunc non est vera, sed antequam Ordinarius exequatur, fuit diminutum patrimonium adeo, ut defectus ipsius dotis verus sit eo tempore, unde licet hoc tempore vera sit causa, ideat per accidens, non propterea potest validare Gratiam subreptitie extortam, cum per Oratores non steterit, quin fraudolenter, & dolose, & animo Pontificem decipiendi, Dispensationem extorserit, & propterea eorum malitia, &
dolus non debet eis patrocinari, cum, his interve- 301
nientibus, numquam præsumatur, Papam velle Dispensationem, & Gratiam concedere, ne aperiatur via fraudibus, *l. in fundo* 38. *vers. Neque malitiis, ff. de rei vindicat. cap. Ex tenore de Rescriptis*, Nicolaus Garcia *de Benef. p.* 6. *cap.* 2. *n.* 288. Nicolaus Boerius *decis.* 287. *n.* 1. si etenim Papa sciviisset preces sibi porrectas falsas fuisse, certo non concessisset, cum à fraudibus plurimum abhorreat, *l. si cui*, *Ibi per medias vias ff. de servitutibus*.

Aliter tamen dicendum erit, si causa Pontifici nar- 302
rata, vera fuisset tempore Impetrationis, ac Supplicationis porrectæ, & licet medio tempore cessasset, tamen, antequam Ordinarius Dispensationem exequeretur, reviviscceret, sicut diximus de doris defectu, allegato pro causa; quia hoc casu vera est causa allegata Pontifici, & vera etiam est tempore exequutionis Ordinarii, ita docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 30. *num.* 16. Filiuccius *l. c. num.* 250. *in fine*, Bonacina *l. c. num.* 3. Trullenck *l. c.* Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 24. *vers. Confirmatur*, Gutierez *de Matrim. cap.* 126. *num.* 2.

An possit Delegatus dispensare, si causa Dispensationis cesset ante Dispensationem ab ipso factam, *dicemus lib.* 3. *cap.* 1. Et quid faciendum sit, si causa finalis cesset post factam Dispensationem, sed ante Matrimonii contractum, dicemus eodem *cap.* 1. ubi

etiam

etiam dicemus, an sustineatur Dispensatio, si cesset causa finalis.

Quomodo autem se gerere debeat Delegatus, cui commissa fuit Dispensatio pro foro externo, si secreto sciret aliquod Impedimentum inter Oratores adesse, & sciret etiam fuisse super eo à S. Pœnitentiaria secreto obtenta Dispensationem, diximus; Et quod male faceret Delegatus interrogando Sponsos, an copula inter eos intercesserit, si id non habeat in mandato, diximus *cap.* 4.

303 Tandem est adnotandum, quod si Delegatus non reperiret veram esse causam Pontifici allegatam pro impetratione Dispensationis, & adessent aliæ causæ etiam urgentiores, ex quibus si expressæ fuissent, Pontifex æque facile, seu longe facilius Dispensationem concessisset, nihilominus non poterit Dispensationem exequi, licet etiam causæ, quæ tacitæ fuerunt, plene coram Ordinario probatæ sint; quia Delegatus tantum debet exequi, quantum in mandato
304 continetur, cujus fines nullo modo egredi potest, ut diximus; & quando una causa allegatur pro Dispensatione, aliæ, quæ tacentur, quamvis sufficientes fuissent, non habentur in consideratione, & omnino cessant, ut bene Rota coram Durano *dec.* 74. *n.* 56. verba enim Rescripti ad causas non expressas trahi non possunt, Rota *l. c. num.* 57. Pyrrhus Corrad. *in praxi disp. Apost. l.* 7. *c.* 5. *num.* 54. sed ad ea tantum, quæ expressa fuerunt, extendi debent; *cap. Cum dilecta* 22. *de rescript.* Rota *in novissimis dec.* 53. *n.* 55. *& dec.* 224. *n.* 12. Marius Antoninus *var. resol. l.* 1. *resol.* 39. *n.* 11. Pyrrhus Corradus *l.* 7. *c.* 5. *n.* 57. quia Rescripta sunt stricti Juris, & strictissime intelligenda, ut diximus.

SUPER QUO CONSCIENTIAM TUAM ONERAMUS.

305 Conscientia est dictamen practicum rationis, cui debent actiones nostræ conformari; Azorius *institut. mor. tom.* 3. *l.* 1. *c.* 3. *qu. ultima*, seu est quædam applicatio scientiæ ad actum; Divus Thomas 1. *secundæ qu.* 19. *art.* 5. *in corpore vers. Sed contra*. Unde semper dictat quid faciendum, quidve fugiendum sit; Sayrus *in clavi regia l.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. Navarrus *in man. c.* 27. *n.* 280.

306 Hæc autem clausula tacite inest omnibus Commissionibus, eo quod Judices, seu exequutores secundum bonam conscientiam omnia facere debeant; *c.* 1.
307 *de re jud.* Unde cum tacite insit, nil operatur; Sanchez *l.* 1. *disp.* 67. *numer.* 3. Gratianus *discept. for. capit.* 496. *num.* 33. *tom.* 3. Paris. *cons.* 110. *numer.* 47. *tom.* 1. Menoch. *cons.* 95. *num.* 120. *tom.* 1. Rota *dec.* 18. *de concessione Præbendæ in novis.* nisi ut censeatur remissus juris rigor; Seraphinus *dec.* 448. *numer.* 1. Barbosa *de claus.* 24. *num.* 2. *&* 3. & ut per eam Dispensationis negotium censeatur remissum arbitrio boni viri; Lælius Altogradi *cons.* 28. *num.* 8. *l.* 1. Barbosa *loc. citat.* Rota *dec.* 317. *numer.* 5. *part.* 4. *rec.* & proinde operatur, ut si à Sententia Commissarii appelletur, non teneatur hic deferre Appellationi; Lezana *in summa tom.* 3. *verbo Clausulæ n.* 17. ex quo
308 fit, ut Delegatus, cujus conscientia oneratur, pro-
309 cedere non teneatur cum judiciali causæ cognitione, quia dum causa remittitur prudentiæ, vel judicio, vel conscientiæ Judicis, non requiritur, ut is procedat cum judiciali cognitione, sed sufficit extrajudicialiter; Alex. Sperell. *dec.* 109. *num.* 48. & dum Dispen-
310 satio commissa est Delegato, cum ista clausula, *si preces, &c.* vel *si est ita, super quo conscientiam tuam oneramus*, si à Delegato fiat Dispensatio, & in Decreto ipsius Dispensationis declaret, quod diligenti habita Informatione, preces veras fuisse repererit, Dispensatio valida erit, quamvis de processu facto non constet, ut probat Nic. Garcia *de Benef. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 291. & nos diximus supra; quia in hujusmodi causis cum non sit Adversarius, qui veniat citandus, sufficit sola Informatio Judicis, si ejus conscientiæ committitur Dispensatio, Garcia *l. c.* Sanchez *lib.* 3. *disp.* 8. *num.* 4. *& lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 15. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 9. *in annot. num.* 19. Et propterea cum hæc clausula tacite insit, ut diximus, & commissio facta non sit alicui personæ præcisæ, sed officio, nil operatur ultra ea, quæ dixi- 311
mus, & sonat potius in monitionem, & excitationem, quam in conditionem, Barbosa *in votis Canonicis l.* 2. *voto* 39. *n.* 48. Sanchez *l.* 8. *disp.* 27. *n.* 43. Garc. *l. c. num.* 101. Pater Leo *in praxi Sacræ pœnit. part.* 2. *formula de rato, non consummato, vers. Hæc clausula, pag. mihi* 327. Jacobus Graffius *dec. aur. l.* 1. *c.* 13. *num.* 19.

An autem delegatus, cujus conscientia oneratur, subdelegare possit, dic, quod in hujusmodi causis Dispensationum Matrimonialium cum delegatio fiat dignitati, vel Officio, non expresso nomine proprio delegati, potest subdelegari informatio, seu processus 312
pro verificatione precum, non tamen ipsa Dispensatio, quæ est nudum ministerium; Gutierez *de matrim. cap.* 125. *num.* 20. Menochius *cons.* 18. *num.* 12. *volum.* 1. Sanchez *de matrim. l.* 8. *disp.* 27. *numer.* 43. Massobrius *de concur. requisito* 5. *dub.* 17. *num.* 1. Bonaccina *de leg. disp.* 1. *qu.* 3. *puncto* 8. §. 1. *numer.* 18. Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ cap.* 69. *num.* 5. *&* 6. Riccius *in praxi fori Eccl. resol.* 122. *n.* 1. Garcia *de Benef. part.* 6. *c.* 2. *n.* 105. Pyrrhus Corrad. *in praxi disp. Apost. l.* 7. *c.* 6. *n.* 41. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *c.* 6. *dub.* 34. *num.* 619. Sbrozius *de offic. Vicarii l.* 2. *qu.* 68. *n.* 1. Paulus Squillante *de priv. Cler. c.* 2. *n.* 46. Zerola *in praxi Episc. verbo Delegatus* §. 5. *part.* 1. Lezana *in summa tom.* 3. *verbo Clausula, nu.* 38. Rota coram Pænia *dec.* 80. *n.* 11. Ratio est, quia 313
quando nudum ministerium, una cum Jurisdictione committitur, non potest nudum ministerium subdelegari, seu alteri committi, sed solum Jurisdictio, ut bene Sanchez *l.* 8. *disp.* 27. *nu.* 43. Trullenck *tomo* 3. *l.* 7. *cap.* 10. *dub.* 7. *numer.* 7. Pyrrh. Corrad. *l. c. n.* 47. Squillante *l. c.*

Nec placet doctrina Jacobi Sbrozii *de offic. & potestate Vicarii l.* 2. *qu.* 34. *numer.* 34. nempe Episcopum posse subdelegare Vicario Dispensationem, quando cum commissione Dispensationis est annexa causæ cognitio, quia tunc, ut ipse ait, *Episcopus non est nudus minister, sed eo solo casu subdelegare non posse, quando solum nudum ministerium committitur*. Quicquid tamen ipse dicat, non est recedendum à communi Doctrina, quam tradunt Sanchez, & alii supra proxime relati.

At quando commissio intelligatur facta dignitati, 314
vel electa industria Personæ, dic cum Sanchez *l. c.* quod si mandatum Pontificis non sit directum personæ, sed dignitati, licet ibi dicatur *Conscientiæ tuæ, Arbitrio tuo, Prudentiæ tuæ, &c.* tamen non erit electa industria personæ, & sic, modo quo diximus, poterit fieri subdelegatio; quam etiam in suum Episcopum, seu alium quemcumque etiam sibi non subditum, vel longe superiorem, delegatus facere po- 315
terit, quia Subdelegatus cum in causa delegata gerat Vices Pontificis, Cævallos *qq. comm. contra comm. qq. qu.* 1222. *num.* 6. Lotherius *de re Benef. l.* 2. *qu.* 9. *num.* 38. Moneta *de conserv. Judic. c.* 9. *numer.* 85. ipsumque repræsentet, Laymanus *Theol. moral. l.* 1. *tract.* 4. *c.* 7. *numer.* 23. Sperell. *dec.* 126. *numer.* 45. est major Ordinario, licet sit illi inferior, & subdi- 316
tus extra illam, Jacobus Sbrozius *de officio Vicarii l.* 2. *qu.* 62. *numer.* 70. Moneta *de conservat. Jud. capit.* 8. *num.* 162. Barbosa *in votis Canonicis l.* 2. *voto* 53. *num.* 13. Ventriglia *in praxi annotat.* 38. §. *unico numer.* 6. Unde cuicumque Informationes ipsas subdelegare poterit (non tamen cum facultate, ut 317
Subdelegatus alterum possit subdelegare, quia hoc modo res protraheretur in infinitum, Mandos. *ad Reg. Cancell. reg.* 4. *qu.* 3. *numer.* 7. Piasæcius *in praxi part.* 2. *c.* 4. *numer.* 8. Ventriglia *in praxi annot.* 38. *d.* §. *unico numer.* 19. Merolla *tom.* 3. *disp.* 7. *c.* 4. *dub.* 12. *num.* 106.) & eam omnem auctoritatem ha- 318
bebit Subdelegatus ab ipso delegato quoad causam subdelegatam, quam habet ipsemet Summus Pontifex, Mantica *dec.* 352. *num.* 18. quamvis enim Subdelegatus non habeat Jurisdictionem, habet tamen Jurisdictionis usum, ut animadvertit Fragosius *regim. Christ. Reip. part.* 1. *l.* 4. *disp.* 10. *n.* 130. & sicut De- 319
legatus principalis non potest fines sui mandati excedere, ut diximus, ita Subdelegatus ab ipso non po-

terit illos egredi, alias nulliter, & absque Jurisdictione aget, Rota 485. *n.* 6. *part.* 3. *recent.* & facta
320 dicta subdelegatione, censebitur etiam Subdelegato concessa potestas recipiendi testes, eosque jurandi, cogendi, & puniendi, prout ipsum Delegatum posse, supra diximus; quia concessa facultate, intelliguntur concessa ea, sine quibus hujusmodi facultas explicari non posset.

321 Quod si testium receptio extra Diœcesim Officialis Dispensationem exequuturi facienda sit, fiet ab Ordinario Subdelegato ab ipso Delegato, non auctoritate Ordinaria, sed sibi subdelegata, quamvis alias Ordinarius recipiat auctoritate propria, & non Delegantis, commissiones sibi factas ab altero Ordinario, ut bene docent Sanchez *lib.* 8. *disput.* 27. *numer.* 43. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 34. *num.* 619.

Animadvertit, & bene, Sanchez *lib.* 8. *disp.* 28.
322 *n.* 36. *in fine*, quod quando Delegatus absque speciali potestate sibi à Delegante tradita subdelegat, si primus Delegatus moriatur, perit potestas Subdelegati, eo quod jure proprio fuit subdelegatus ab ipso Delegato.

323 Si Delegatus à Pontifice delinquat in causa delegata, à quo possit puniri, dico cum Marc. Ant. Genuens. *in praxi Cameræ Archiepiscopalis cap.* 38. *nu.* 6. Jo: Baptista Ventriglia *in praxi for. Eccl. annot.* 38. §. *unico num.* 7. quod si delinquat in causa non procedendo, non potest nisi ab ipso Pontifice puniri;
324 & si Oratores graventur à Delegato, debent recurrere ad Delegantem, Hector Capyc. Latro *decis. S. Cons. Neap. decis.* 183. *n.* 42. At si delinqueret per se agendo, vel sua Jurisdictione abutendo, seu illam excedendo, vel procedendo antequam de sua Delegatione doceat, posset, finita Delegatione, etiam ab Ordinario puniri, non ut Delegatus, sed ut Criminosus, Genuens. & Ventriglia *ll. cc.* & faciunt dicta per Farinacc. *part.* 2. *fragment. verbo Judex à num.* 973. Riccium *coll.* 1047. *part.* 4. *& coll.* 2585. *part.* 7. Zerola *in praxi Episc. verbo Delegatus* §. 16. *part.* 1. Cappellam Tolosanam penes ipsum Zerola *l. c.* Tuschum *conclus.* 436. *n.* 5. *lit. I.*

Cæterum quamvis stylus Curiæ ita se habeat, ut Dispensationes Matrimoniales non committantur nisi personis in Dignitate constitutis, at diximus cap.
325 5. immo nec possint subdelegari nisi personis in dignitate Ecclesiastica constituris, ut habetur *in cap. Statutum* 11. *de Rescript. in* 6. & in hoc Delegatus
326 Summi Pontificis differat à Delegato inferioris Prælati, qui potest etiam simplices Clericos subdelegare; dicto *cap. Statutum*, *Juncta Clementina*, *Et si Principalis eodem titulo*; Sylvest. *verbo Delegatus q.* 8. *n.* 12. *Dico quinto*; Hostiensis, Speculator, Jo: Andreas, Ægidius, & alii, quos refert, & sequitur Merolla *tom.* 3. *disp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 27. *nu.* 270. Nihilomi-
327 nus, quoad has simplices Informationes habendas, crediderim posse subdelegari quemcumque Sacerdotem, immo etiam simplicem Clericum in Dignitate Ecclesiastica non constitutum; quia hæ Informationes nullam Judicii formam requirunt, sed sufficiunt extrajudiciales, ut diximus; & cum sæpissime casus eveniat, ut testes examinandi sint extra Civitatem in locis valde remotis, ubi nullus extat, qui sit in Dignitate Ecclesiastica, valde durum esset, & nimis difficile in praxi redderetur, si hi testes trahi deberent cum maximo eorum, & partium dispendio, & expensis ad loca ubi Dignitates Ecclesiasticæ adessent; Et praxis plurium Diœcesum se habet (& sic à D. Vicario Generali hujus Lucanæ Civitatis servatur) ut casu occurrente, hæ Informatio-
328 nes Vicariis foraneis, qui tamen non sunt in Dignitate Ecclesiastica, committantur.

Et quod possint hæ Informationes subdelegari simplicibus Sacerdotibus, & Clericis, quamvis in Dignitate Ecclesiastica non sint, docet Nicol. Garcia *de Benef. part.* 6. *c.* 2. §. 1. *n.* 106. *& facit glossa ultima in d. c. Statutum.*

329 Adde, ut non solum prædictis in Dignitate non constitutis committi possint hujusmodi informationes, sed committi etiam possit examen Notario, quamvis laicus sit, nec obstat dispositio Capituli *Decernimus* 2. *de Judic.* quia istæ simplices commissiones non concernunt Delegationem Actus cum exercitio Jurisdictionis, sed solum nudum ministerium, ut explicat Steph. Gratian. *discept. for. c.* 738. *n.* 30. *tom.* 4. Quicquid tamen circa prædicta dici possit, hanc praxim non approbarem, nisi pro solis Notariis Curiæ Episcopalis; quia pro aliis fori Laici, dum adsunt Sacerdotes, & Clerici, indecens videtur, ut hæ commissiones spirituales directe dirigantur personis Laicis, Tribunalia sæcularia exercentibus.

Et quamvis testes, qui examinari deberent, essent 330
extra Diœcesim Delegati, adhuc extra dictam Diœcesim informationes committi poterunt, Sanchez *lib.* 8. *disp.* 27. *nu.* 43. Pyrrhus Corradus *in praxi Dispens. Apost. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 47. & ita quotidiana praxis docet.

Quod diximus posse Delegatum subdelegare informationes capiendas, intellige, ut subdelegare possit, 331
postquam Literæ Dispensationum sibi præsentatæ sint; quia, ut diximus, ante illarum præsentationem nulla sibi Jurisdictio competit, nec actu, nec habitu, & sic cum nondum competat, subdelegari non potest: Idque procedit, non solum respectu illarum Commissionum, quæ à Papa fiunt ipsi Delegato, sed etiam respectu aliarum, quæ à Pontifice in Epi- 332
scopum fierent, & ab ipso subdelegarentur in Vicarium, ante ipsam præsentationem, quia eadem ratio militat; ut bene docent Jacobus Sbrozius *de potestate Vicarii lib.* 2. *q.* 34. *n.* 6. Garcia *de Benef. p.* 6. *c.* 2. *nu.* 23. ubi plures refert Rotæ Decisiones; Unde male faciunt, nulliter procedunt Episcopi, qui in electione sui Vicarii illum subdelegant ad cognoscendas causas sibi à Pontifice in futurum delegandas: Prout etiam Vicarii male faciunt, qui subdelegant Vi- 333
carios Foraneos Diœcesis, ad recipiendum informationes, & fabricandum processus super verificatione Literarum Dispensationum Matrimonialium, quæ ipsi Generali Vicario pro tempore delegabuntur à Pontifice, cum certum sit, nulliter, & invalide in hoc procedere; Vide Pavinum, Rebuffum, Gratianum, Cucchum, & alios penes ipsum, Garciam *l. c.*

TUNC.

Hæc dictio extremitatem temporis denotat; Mas- 33
sobr. *de conc. prælud.* 23. *dub.* 2. *num.* 35. Pyrrhus Corrad. *in praxi Dispens. Apost. lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 67. estque taxativa, & aliorum casuum exclusiva, Baltass. de Thomasis 1. *decade Append.* 705. Rota *decis.* 579. *num.* 10. *part.* 3. *recent.* Unde antequam possit Delegatus ad ipsam Dispensationem procedere, debebit omnia alia adimplere, quæ in ejus mandato conti- 33
nentur, Marcus Antonius Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ cap.* 20. *num.* 9. Pyrrh. Corrad. *l. c.*

CUM EISDEM ANTONIO, ET MAGDALENA.

Cum eisdem; Quia Dispensatio pro uno obtenta non debet ad alios in mandato non comprehensos extendi, ut diximus.

Si unus ex Oratoribus post obtentam Dispensatio- 33
nem super Impedimento dirimenti inter eos existente, mutato animo, contraheret Matrimonium cum alia fœmina, & hæc postea moriatur, poterunt primi Oratores dicta Dispensatione uti, & absque nova Dispensatione Matrimonium invicem contrahere; quamvis enim per aliud Matrimonium, post Dispensationem contractum, videatur facta renunciatio Dispensationi obtentæ, nihilominus longe probabilius est, posse, casu Viduitatis eveniente, Dispensatione uti, & ea mediante Matrimonium invicem contrahere, ut bene docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 32. *num.* 6. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 85. Merolla *disp.* 4. *cap.* 6. *n.* 486. *tom.* 2. Pontius *lib. de Matrim. lib.* 8. *cap.* 18. §. 3. *num.* 20. ubi docet, quod idem procedit, si post obtentam ab Impeditis Dispensationem ad contrahendum, 33
alter ex Dispensatis Votum Castitatis, vel Religionis emisisset, quia adhuc poterat valide, quamvis illicite, Matrimonium contrahere; nec obstat quod per dictam Voti emissionem videatur dictæ Dispensationi renunciasse, quia vere per Dispensatio-

nem

nem fuit Impedimentum dirimens ablatum, & vinculum legis Matrimonium prohibentis relaxatum, & consequenter Oratores fuerunt habiles effecti ad contrahendum; nec pariter obstat, quod per aliud medium Matrimonium, vel subsequentem Voti emissionem, videatur priori Dispensationi tacite renunciatum, quia ad hoc ut Impedimentum reviviscat, necesse est, ut ipsa renunciatio sit ab ipso Legislatore acceptata, alias possunt renunciantes mutato proposito Dispensatione uti, ut alibi diximus. 338

Ampliant Sanchez, Diana, & Merolla *ll. cc.* ut idem procedat etiam eo casu, quo adhuc subsistente causa, ob quam Dispensatio commissa fuisset, Oratores post dicti mandati de Dispensando impetrationem, sed ante factam, & exequutam Dispensationem, mutato proposito, aliud Matrimonium inirent, si postea vidui effecti, vellent Dispensari vigore hujusmodi mandati jam impetrati; hæc tamen Doctrina non caret difficultate, quia cum Oratores nondum fuerint Dispensati, nec adhuc fuerit relaxata lex inter eos, remanet Impedimentum dirimens, unde non censetur validum ipsum mandatum de Dispensando obtentum, cui jam per contractum Matrimonium diversum, videntur illi tacite renunciasse; aliud enim est 339 340 mandatum de Dispensando, per quod non removetur Impedimentum, aliud est ipsa Dispensatio, per quam omnino Impedimentum tollitur, & lex illud constituens relaxatur, ut docent Franciscus Leo *in thes. fori Eccl. part. 2. cap. 8. n. 46.* Sanchez *l. 8. disp. 30. n. 12.* & nos dicemus infra.

DUMMODO DICTA MULIER PROPTER HOC RAPTA NON FUERIT.

Ista dictio *Dummodo* facit Exequutorem mixtum, Rota coram Pænia *dec. 187. num. 2.* & conditionem importat, & modum, Responsa Marantæ *resp. 39. num. 82. part. 4.* Pyrrhus Corrad. *lib. 8. cap. 4. nu. 56.* Paris. *cons. 75. nu. 48. & 49. part. 4.* Merlinus Pignatellus *controv. for. cap. 27. num. 26. centuria 1.* & operatur ut semper implendum sit id, quod sub ea disponitur, alias actus sit nullus, Responsa Marantæ *l. c. num. 89.* Tuschus *concl. 439. num. 7. lit. I.* Barbosa *de dictionib. dictione 95. num. 8.* Marcus Paulus Leo *in praxi Sacræ pœn. part. 1.* ubi *de Votis vers. Si filius, pag. mihi 46.* & maxime quando adjungitur rei, quæ antequam actus perficiatur, adimplenda venit, vel futurum eventum respicit, conditionem infert, Seraphinus *dec. 338. num. 5. & dec. 1017. n. 4.* Responsa Marantæ *resp. 87. num. 19. part. 4.* Pyrrhus Corrad. 341 342 *lib. 9. cap. 9. num. 6. 7.* itaut antequam actus perficiatur, debeat de tali modo, & conditionis adimplemento constare, Gratianus *discept. for. capit. 991. numer. 13. & 14.*

De Impedimento Raptus dicemus infra *lib. 2.* ubi 343 adnotabimus istam clausulam *Dummodo dicta Mulier propter hoc rapta non fuerit*, non intelligi de quocumque raptu sequuto, sed tantum de illo, qui fieret ad effectum Matrimonii contrahendi cum ipsa Rapta, & ad hanc causam addita esse verba, *propter hoc*, quia tunc Raptus directo tendit contra Matrimonii libertatem; Quod si factus fuisset animo explendæ libidinis, & simul Matrimonium contrahendi, tunc haberetur perinde ac si ad solum effectum Matrimonii contrahendi factus fuisset, & comprehende- 344 retur sub Decreto Concilii; Unde si Raptor vellet contrahere cum Rapta, & inter eos adesset Impedimentum dirimens, super quo necessaria esset Dispensatio, deberent eo casu in Dispensatione petenda super Impedimento dirimenti, etiam de dicto Raptu mentionem facere, & sic de stylo Curiæ servari testatur Pyrrhus Corrad. *in praxi disp. Apost. l. c.* ubi *num. 55.* addit, ut dicta clausula *Dummodo dicta Mulier propter* 345 *hoc rapta non fuerit*, quamvis apposita non esset, nihilominus de stylo Curiæ subintelligeretur, eo maxime quia Regula Cancellariæ 49. disponit, quod in quibuscumque Literis Dispensationum Matrimonialium ista clausula apponatur.

Plura alia, & magis practicabilia de hujusmodi Impedimento Raptus, & an, & quando possint super eo Dispensari, dicemus *d. cap.* quæ hic repetere superfluum esset.

QUOD IMPEDIMENTO QUARTI CONSANGUINITATIS GRADUS.

De Impedimento Consanguinitatis fusissime agimus infra *l. 2. c. 4.* quæ, cum ibi videri possint, non est, quod hic repetamus.

Id solum subnectere opportunum videtur, nempe 346 Pontificem in linea inæquali semper super solo remotiori Gradu Dispensare, quia is tantum obstat Matrimonio, & imbibit, ac trahit ad se proximiorem; Sanchez *lib. 8. disp. 24. nu. 24. & 25.* Aversa *de matr. quæst. 16. sect. 1. vers. Secluso*; Barbosa *in votis Canonicis lib. 1. voto 3. num. 5. & 6.* Gutierez *de Matrimonio cap. 124. num. 11.* at super propinquiori concedi Literas declaratorias, quæ an necessariæ sint, diximus *d. cap.* Et an in re mere dubia requiratur Dispensatio, diximus non requiri.

AC CONSTITUTIONIBUS, ET ORDINATIONIBUS APOSTOLICIS, CÆTERISQUE CONTRARIIS NEQUAQUAM OBSTANTIBUS.

Clausula ista *non obstantibus &c.* non potest nisi à 347 Supremo Principe apponi, Fælinus *cap. Nonnulli de rescr. vers. Quartadecima conclusio num. 27.* Barbosa *de claus. clausula 82. numer. 2.* & licet magnum operetur effectum, *ut cap. cum aliquibus 4. de rescr. in 6.* cum reddat valida, & confirmet expressa, Menochius *de* 348 *arbitr. Judic. casu 203. num. 13. l. 2. centur. 3.* Sanchez *l. 8. disp. 24. n. 6.* & illis Decretis Concilii deroget, 349 quibus expressa non requiritur derogatio, Massobr. *de conc. requis. 17. dub. 4. num. 8.* Augustinus Barbosa *in collect. Concilii ad sess. 1. n. 2.* & tollat omnia, quæ 350 Gratiæ possunt obstare, Vivianus *de Jurepatronatus l. 13. cap. 8. num. 155.* Barbosa *d. clausula 82. num. 4.* Rota *dec. 506. num. 5. part. 1. rec.* Rota *dec. 36. nu. 60. in noviss.* Non tamen derogat Regulis Cancella- 351 riæ, nisi id expresse dicatur, Gomes. *ad Reg. 8. Cancell. in procem. quæst. 5. lit. F. & qu. ultima*; Melchior Lotherius *de re benef. l. 2. quæst. 39. num. 19.* Paris. *de resig. l. 8. quæst. 7. numer. 176.* neque Constitutionem Conciliarem tollit, Paris. *de resig. l. 6. quæst. 2. n. 38.* 352 Puteus *dec. 494. l. 2.* Rota coram Durano *dec. 238. num. 31.* nec etiam obstacula personalia, Calderinus 353 *cons. 1. de rescr.* Vivianus *de jurepatr. part. 2. lib. 13. cap. 8. claus. 36. num. 160.* prout nec constitutiones, & ordinationes Apostolicas, sed illas ad solum effec- 354 tum suspendit, ut Gratia facta non extinguatur, *capit. fin. §. fin. de sent. excomm. in 6.* Marcus Paulus Leo *in praxi Sacræ pœnit. part. 4.* ubi de Absolutione, & Dispensatione pro Regulari, qui percussit alium Correligiosum, *vers. Hæc clausula, pag. mihi* 355 585. nec tollit, sed solum suspendit eas constitutiones, quæ requirunt specialem mentionem ad suas derogationes, prout sunt illæ, quæ continent in se clausulas Derogatoriarum Derogatorias, vel in quibus specialiter dicitur, quod illis numquam derogatum intelligitur, nisi specialis de illis mentio fiat, earumque series in derogatione de verbo ad verbum inseratur; Quia verba generalia clausulas derogatorias non 356 tollunt, Decius *cons. 10. num. 8.* Pater Leo *l. c.* nec 357 pariter d. clausula *non obstantibus*, quæ de jure objicerentur, removet, Bellamera *dec. 2. de Reservatione numer. 3.* nec Gratiam auget, aut supplet qualitatum 358 necessario exprimendarum taciturnitatem, sed tantum declarat concedentis intentionem, quatenus dubia sit contra concessa, *Clem. pr. de præb. l. 3.* Vivianus *l. c. num. 157.* Sanchez *l. 8. disp. 24. num. 9.* Lezana *in summa tomo 3. verbo Clausula num. 38.* & sic ultra narrata non operatur, Rebuffus *in praxi Benef.* 359 *tertia part. signaturæ n. 6.* Fælinus *d. c. Nonnulli in rescriptis n. 6. vers. Obstat secundo*, & solum restringitur ad casum expressum *l. si de certa de transact.* Paris. *de* 360 *Resignat. l. 11. qu. 11. num. 43.* itaut per dictam clausulam non suppleatur alius Gradus, seu aliud Impedi- 361 mentum in Supplicatione, & in Literis non expressum, quia nullam super non expressis inducit Dispen- 362 sationem; *c. Non potest 21. de præb. in 6.* Rebuff. *in d. praxi titulo de disp. ratione ætatis nu. 7. & 8.* Gonz. *Glossa 13. num. 98.* Lotherius *de re benef. l. 1. qu. 40. num. 139.* Sanchez *l. 8. disp. 24. n. 6.* Unde si Dispositio, ubi est dicta clausula, sit nulla, dicta clausula 363 etiam nulla erit, & nullius effectus, Marius Antoninus

var. resol. lib. 1. ref. 5. n. 16. Vivianus *de jure patronatus d. claus. 36. nu. 163.* Gonz. *Gloss. 9. §. 1. num. 57.* Rota coram Durano *decis. 285. num. 152.* Lezana *l. c.*

364 Et quamvis d. clausula sufficiens sit ad tollendum privilegium non clausum in corpore Juris Vivianus *l. c. n. 156.* per eam tamen derogatum non censetur Privilegiis clausis in corpore Juris, Antonius Leoncillus *de paupertatis opibus par. 2. privil. 337. n. 3.* nec Statuto particulari, Vivianus *l. c. n. 157.* Marius An-

356 toninus *d. ref. 5. n. 19.* nec sublata subreptio, si sequuta sit, Vivian. *l. c. n. 158.* Responsa Marantæ *resp. 21. n. 53. part. 1.* Lezana *l. c.*

MATRIMONIUM.

366 Quasi matris munus, hoc est officium, quia Mulier nata videtur ad Matris munus præstandum; licet enim Pater sit generationis auctor, Uxorisque pene Dominus *cap. Hæc Imago causa 33. quæst. 5.* nihilominus ad prolem educandam mater est magis apta, cum sit circa illam magis officiosa, pluraque ob id

367 onera subeat ipsa, quam vir, quia est in conceptu gravida, in partu dolorosa, & in lactando laboriosa, *c. Ex literis 2. de convers. Infidel.* Fuit autem Ma-

368 trimonium primo institutum ab ipso Deo in Paradiso Terrestri, *c. Quod votum unico de voto in 6. cap. Gaudemus 8. §. Quia vero de Divortio*, Tuschus *concl. 143. n. 12. lit. M.* & fuit propter sobolem institutum *c. Deus Masculum 31. q. 1. c. 2. §. his ita respondetur; causa 32. q. 2. c. finali de frigid. & malef.* Et ante peccatum; *d. cap. Quod votum*, Tusch. *l. c.* &

369 secundum determinationem personarum contrahentium fuit institutum in lege Moysi; *Levit. cap. 2.* At secundum, quod est Sacramentum repræsentans conjunctionem Christi Domini cum Ecclesia, fuit institutum in Lege nova; *Concilium Trid. sess. 24. Can.*

370 *1. de Sacram. Matrimonii*; Et definitur *Maris, & Fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens; c. illud 11. de præsumpt. §. verum, & in rubr. c. Matrimonium 1. causa 27. q. 2.*

371 Dicitur *Maris, & fœminæ*, quia in pari sexu non potest esse Matrimonium, *Glossa in rubr. capituli pr. §. viri dicta causa 27. quæst. 2.* Ponitur in numero

372 singulari, quia uno, eodemque tempore non potest unus Vir plures Uxores, nec una Mulier plures Maritos habere, *cap. 1. cum sequent. de sponsa duor. cap. Gaudemus 8. de Divortiis; Concilium Trident. sess. 24. can. 2.* & concludunt Doctores à nobis propterea citati *lib. 2.*

373 Dicitur *Conjunctio*, idest vinculum maritale ortum ex mutua corporum traditione rite, & legitime facta per voluntarium animorum consensum, verbis, aut signis sufficienter expressum, *c. Sufficiat 2. cap. Beata 3. causa 27. quæst. 3.*

374 Dicitur *Individuam vitæ consuetudinem retinens*, hoc est indissolubilem, & perseverantem vitæ societatem inducens; *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Matthæus cap. *19.*

375 PUBLICE; Tunc dicitur Matrimonium publice contrahi, quando Parochi, & Testium præsentia adest, & præmissæ sunt Denunciationes, quamvis etiam in privatis domibus celebretur; Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 32. nu. 17. & 18.* Sanchez *lib. 3. disp. 15. n. 20.* Bonacina *de matrim. q. 2. puncto 6. nu. 4.* Reginald. *lib. 31. cap. 33. n. 242.* Hieron. Palma *cons. 87. n. 8.* Rota, & alii Doctores quos *lib. 3.*

376 *cap. ult. citamus.* At è converso, si coram mille personis contraheretur, & deficeret præsentia Parochi, Clandestinum, & irritum esset Matrimonium, ut docent Doctores, *quos lib. 3. c. ult.*

Quis sit proprius Parochus contrahentium, & à quo possit in Denunciationibus dispensari, & alia circa Matrimonii requisita magis practicabilia, ad hoc ut licitum, & validum sit, fusissime agimus *d. lib. 3. cap. ult.*

An Matrimonium ratum, & non consummatum possit ex Dispensatione dissolvi, & an ratum, & consummatum, possit quoad vinculum dissolvi, si rite, & valide contractum sit, dicemus infra.

Hic autem circa Matrimonii validitatem, vel invaliditatem sunt nonnulla breviter adnotanda.

377 Primo, quod si qui falso putantes aliquod Impedimentum dirimens inter se existere, ut si, v. gr. fœmina credat suum conjugem adhuc vivere, cum vere sit mortuus, & cum dicta dubietate Matrimonium contrahant, intendendo, in quantum possunt, contrahere, validum erit hujusmodi Matrimonium, Joannes Gutierez *de matr. cap. 47. n. 1. vers. Contrariam tamen*; Sanchez *lib. 2. disp. 33. n. 2.* Covarruv. *tom. 1. part. 2. cap. 3. §. 7. nu. 2.* Alphons. à Vera Cruce *part. 1. art. 42. concl. 5.* Diana *part. 3. resol. 293.* Filiuccius *tom. prim. tract. 10. part. 1. cap. 3. num. 87.* Steph. à S. Greg. *de vinculis Div. Petr. lib. 3. cap. 94. num. 13.* & faciunt dicta per Ludovis. *decis. 461. n. 9.* quia cum isti intendant, quantum in se est, contrahere, nullus est error circa personas, nec circa conditionem, ad mutuam corporum traditionem necessariam, quia vere nullum extat Impedimentum, & consequenter nulla opus est Ratificatione, nec Dispensatione. At è converso, si quis ficte contraheret, 378
& errorem ductus putaret validum esse Matrimonium, tamen invalidum esset *l. si per errorem ff. de jurisdict. omni Judic.* Sanchez *lib. 2. disp. 34. n. 2.* Gutierez *l. c.* quia ibi non fuit actus, & consensus voluntarius positive, sed tantum in habitu, & animi præparatione, quæ non sufficit ad Matrimonium valide contrahendum, quod requirit actum voluntarium de præsenti, unde hujusmodi Matrimonium Ratificatione egebit.

Nota secundo, quod si non Impediti Matrimonium 379
inter se publice contrahant per verba de præsenti coram Parocho, & Testibus, sub conditione, v. gr. *si Pater consenserit*, sed antequam hujusmodi consensus intercesserit, copulam inter se maritali affectu habeant, intelligitur eo casu, juxta opinionem, & doctrinam Doctorum mox citandorum, dicta conditio purificata, & absque alio consensu, coram Parocho, & Testibus, Matrimonium erit perfectum, & absolutum, cum per dictam subsequutam copulam, videantur Sponsi à dicta condictione recessisse; colligitur *ex cap. De illis 3. & clarius cap. Tuas 6. de condit. appositis*, expresse docent Sylvest. *V. Matrimonium 3. q. 11. vers. 5. num. 11.* Sanch. *lib. 58. n. 25.* August. Barb. *de off. & potest. Episc. alleg. 156.* Gutier. *de matr. cap. 81. nu. 12.* & ita in casu isto fuisse à Sacra Congregatione decisum, testatur idem Barbos. *in collect. Bullarii*, verbo *Matrimonium*, circa medium, cujus Decisionis auctoritati ego quiesco, alias 380
enim hæc Doctrina mihi dura, ac difficilis videbatur, quia si Matrimonium fuit in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus publice contractum sub condictione, unde ipsi Ecclesiæ constabat, nondum fuisse verum, & absolutum Matrimonium, credidissem, novum consensum requiri ad hoc ut Ecclesiæ, cui constituit Matrimonii consensum fuisse sub conditione præstitum, constaret denuo de ipso consensu absolute dato; Prout contingit in Matrimonio inter Consanguineos, vel aliter impeditos contracto sub conditione, *si Papa dispensaverit*, quia licet hujusmodi Matrimonium licitum sit, Pontius *lib. 3. c. 15. n. 11.* Sanchez *lib. 5. disp. 5. n. 14.* Bossius *de Matrimonii contractu c. 10. num. 298.* Ludovis. Baja *respons. cas. consc. part. 2. cas. 32.* Zerola *in praxi Episc. verbo Dispens. part. 1.* Ludovis. Paitellus *in annot. ad Rutilium Prem annot. 10. n. 61.* Tuschus *concl. 126. n. 12. lit. M.* & non incurrat ob id in Excommunicationem, Cle- 381
ment. *eos, &c.* Sanchez *l. c. nn. 18.* nihilominus cum 382
sit invalidum, adeo ut ante Dispensationem obtentam detur locus Pœnitentiæ, Mantica *decis. 202. n. 3.* Dispensatione obtenta, requiritur novus consensus coram Parocho, & Testibus, Puteus *dec. 343. n. 12.* Cævallos *qq. comm. contra comm. quæst. 391.* Seraphinus *dec. 1156. n. 4.* Ludovis. *dec. 395. num. 1. & dec. 410. num. 5.* Responsa Marantæ *resp. 7. n. 13. part. 3.* Mantica *decis. 201. n. 4.* Gratian. *discept. casu 32. cap. 139. n. 46. & 47.* Rota coram Buratto *decis. 263. n. 7.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 291.* Reginald. *lib. 31. c. 38. num. 276.* Ad hoc enim ut actus retrotrahatur, 383
oportet ut à principio potuerit intercedere, ut est Textus *in l. si is qui pro emptore ff. de usucap.* unde cum isti sint interdicti contrahere, tempus habile attendi debet; Ludovis. *decis. 410. nu. 4.* Mantica *d. decis. 201. n. 3.* Coccinus *dec. 374. n. 7.* Et Papa dum 384

dispen-

diſpenſat ſuper propoſito Impedimento, concedit ſolummodo contrahendi facultatem, non autem ratum habet, quod inter partes nulliter, vel illicite geſtum ſit; Reſponſa Marantæ *dict. reſp. 7. num. 14.* Coccinus *dec. 374. num. 6. & 7.* Burattus *dec. 203. num. 7. & 8.* Rota *dec. 616. num. 2. part. 1. diverſ.* Joannes Valerus *diff. utr. fori, verbo Matrimonium, diff. 7.* Alphonſ. à Vera Cruce *in Spec. Conjug. part. 3. art. 12.*
385 *concl. 1. circa finem*; Quod idem fieri debet non ſolum in caſu dicto, verum etiam quoties ſuper aliquo Impedimento dirimenti publico fuerit pro utroque foro obtenta Diſpenſatio; Sayrus *in floribus l. 4. tit. 1. dec. 16.* Joannes Angelus Boſſius *de Matrimonii con-*
386 *tractu c. 2. num. 5.* & nos diximus *l. 1.* niſi Pontifex Diſpenſationem concedendo, licentiam etiam concederet in dicto Matrimonio permanendi, ut nos late diximus *d. l. 1.*

387 Ex dictis infertur, quod ſi impuberes, vel pubes cum impubere, majores ſeptennio coram Parocho, & Teſtibus inter ſe contrahant nulliter, ob defectum malitiæ, quæ ætatem non ſuppleat, quamvis poſt pubertatem copula intervenerit, & cohabitaverint, non tamen hujuſmodi Matrimonium cenſebitur ratificatum, niſi denuo coram Parocho, & Teſtibus conſentiant, Sanchez *l. 3. diſp. 40. num. 9.* Gutierez *de matr. c. 76. n. 30.* ubi refert ſic fuiſſe à S. Congregatione deciſum.

388 Nota tertio, quod ſi Matrimonium, quod fuit publice contractum, nullum eſſet ob aliquod occultum Impedimentum, tunc ſi hujuſmodi Impedimentum Diſpenſatione egeat, eaque ſecreto obtenta fuerit pro foro conſcientiæ, ſufficiet ſi abſque præſentia Parochi, & Teſtium inter ſe ſolos, Conjuges ambo (ſi uterque Impedimenti conſcius ſit) conſenſum renovent, nec opus erit Denunciationes eo caſu præmittere, ſed per hujuſmodi conſenſum revalidabitur Matrimonium; Sanch. *l. 2. diſp. 32. num. 13. & diſp. 37. num. 3.* Barboſa *de offic. Parochi part. 2. c. 21. n. 82. &* 84. Navarrus *in manuali c. 22. num. 70.* Coninck *de Sacramentis diſp. 24. dub. 10. num. 83.* Bonac. *de matrim. quæſt. 2. puncto 9. prop. 1. n. 41.* Franciſc. Leo *in theſ. fori Eccleſiaſtici part. 2. cap. 9. à num. 83.* Sayrus *in floribus libr. 4. tit. 1. dec. 41.* Ludovicus Baja *reſp. caſ. conſc. part. 2. caſu 2. §. Quarto, non eſt neceſſarium*; Raphael Averſa *de matrim. qu. 11. ſect. 5. verſ. Poſſe tamen*; Stephanus à S. Greg. *univ. tract. de vinculis Divinæ piet. l. 3. cap. 94. num. 16.* Filiuccius *qq. mor. tr. 10. part. 1. c. 3. num. 93. tom. 1.* Seraphinus *dec. 900.* Verricellius *de miſſionibus Apoſtolicis quæſt. 118. num. 2.* Pyrrh. Corrad. *in praxi diſp. Apoſt. l. 7. cap. 7. num. 7.* ubi teſtatur, ſic reſpondiſſe Pium Quintum Summum Pontificem Cardinali Alciato Propœnitentiario, qui nomine totius Signaturæ id expoſuerat,
389 & eadem declaratione utitur Sacra Pœnitentiaria, quæ dum eo caſu committit Diſpenſationem Confeſſario per Oratores eligendo, mandat, ut adimpletis cæteris in Literis expreſſis, cum eiſdem (de nullitate tamen prioris conſenſus certioratis) quod, præmiſſis non obſtantibus, Matrimonium inter ſe de novo ſecrete, ad evitanda ſcandala, contrahere, & in eo poſtmodum remanere libere, & licite valeant, miſericorditer in Domino diſpenſet in foro conſcien-
390 tiæ tantum: Et ſimili modo practicatur eo etiam caſu, quo unus ex Oratoribus cum ſcientia Impedimenti alias occulti contraxiſſet, & tunc mandat Sacra Pœnitentiaria ipſi Confeſſario, ut, altero ignorante de nullitate prioris conſenſus certiorato, ſed ita caute, ut delinquens nuſquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter ſe de novo ſecrete ad evitanda ſcandala contrahant, & ita in praxi ſervari teſtantur idem Pyrrhus Corradus *loc. c. num.* 10. Ratio hujus doctrinæ eſt, quia ideo Concilium Tridentinum requirit præſentiam Parochi, & Teſtium, ut excludatur Clandeſtinitas, unde cum pro foro externo adfuerint in eo Matrimonio omnes ſolemnitates requiſitæ, non poteſt dici, quod Matrimonium fuerit Clandeſtine contractum, quia ſecundum externam apparentiam, & quoad præſumptionem Eccleſiæ Impedimentum ignorantis, fuit validum, & propterea cum omnes ſolemnitates à Concilio requiſitæ fuerint in hujuſmodi Matrimonio adhibitæ, Decretis ipſius Concilii fuit ſatisfactum, & conſequenter ſi in foro conſcientiæ ſit Impedimentum occultum, idque fuerit per Diſpenſationem ſecretam ſublatum, nil pro foro externo deſideratur, ſolum pro interno requiritur, ut Conjugum conſenſus ſecreto renovetur.

Prædicta ſunt adeo vera, ut licet in ipſa commiſ- 391
ſione facta Confeſſario, ut pro foro Conſcientiæ ſuper occulto Impedimento diſpenſet, dictum ſit, juxta conſuetam formulam, *ut ſi ſit ita, publice, ſervata forma Concilii Tridentini contrahant*, & Confeſſarius juxta formam ſibi præſcriptam diſpenſaſſet, adhuc tamen poterunt Oratores, non obſtante Diſpenſatione modo prædicto facta, ſecreto inter ſe renovare conſenſum, modo quo ſupra: quamvis enim 392
Confeſſarius non poſſit aliter Diſpenſare, quam juxta traditam ſibi formam, ut alibi diximus, nihilominus ob rationes prædictas poterunt ipſi Conjuges ſecreto ipſum conſenſum renovare, ut bene docent Bonaccina *de matrim. quæſt. 3. puncto 15. prop. 2. numer. 7.* Reginald. *lib. 31. cap. 28. num. 278.* Zerola *in praxi Epiſc. part. prim. verbo Diſpenſatio, verſ. Quintum dubium*; Sanchez *lib. 3. diſp. 37. num. 9.* Filiuccius *tom. 1. tr. 10. part. 1. cap. 3. num. 95.* & nos dicemus *l. 2. c. 2.*

At ſi Matrimonium eſſet nullum ob aliquod Impe- 393
dimentum, quod eſſet indiſpenſabile, nec poſſit per Conjuges removeri, v. g. ob Impotentiam perpetuam coeundi, vide quæ diximus *libr. 2.* ubi præcipua in praxi practicabilia adnotavimus. Si vero Impedimen- 394
tum ſit diſpenſabile, ut ſuper Conſanguinitate, & Affinitate, excepto primo Gradu, tam in linea recta, quam in tranſverſali, vel ſuper Cognatione ſpirituali, vel legali, vel alio dirimenti, tunc ſi Impedimentum hujuſmodi publicum ſit, oportebit denuo publice Denunciationibus repetitis, & ſervatis ſolemnitatibus Eccleſiæ contrahere; quia cum publicum ſit illud Matrimonium fuiſſe nullum, neceſſe eſt ut Eccleſiæ conſtet de ejus revalidatione. At ſi fuerit hujuſmodi Impedimentum occultum, tunc ſi opus 395
ſit Diſpenſatione, poterit ſecreto obtineri, & modo, quo diximus, conſenſus renovari. Si vero non 396
ſit diſpenſabile per Eccleſiam, ſed poſſit à Conjugibus tolli, ut in defectu conſenſus Conjugum, vel alterius ex eis in Matrimonium, ſufficiet eo caſu, ut ille, qui non conſenſit, ſecreto ſuum conſenſum præſtet, antequam alter Conjux hujuſmodi defectum norit, vel ſi de eo conſcius fuerit, ſufficit quod in ſuo conſenſu perſeveret; Ita docent Toletus *lib. 7. c. 12. nu. 2. verſ. Secundo eſt*; Navarrus *in Manuali capit. 22. num. 73. & num. 80.* Sanchez *l. 2. diſp. 32. num. 9. & l. 4. diſp. 15. num. 2.* Coninck *de Sacram. diſp. 24. dub. 10. num. 83.* Laymanus *l. 5. tr. 10. part. 1. c. 6. num. 1. & part. 4. cap. 14. num. 5.* Bonaccina *de matr. quæſt. 2. puncto 5. num. 1.* Diana *part. 3. tr. 4. reſol. 292.* Filiuccius *d. tr. 10. part. 1. cap. 4. num. 111.* Averſa *de matrim. quæſt. 4. ſect. 6. verſ. Deinde*; Ratio eſt eadem, quam ſupra diximus, nempe quia omnes ſolemnitates requiſitæ pro foro externo interfuerunt, & ſolum ad Matrimonii validitatem pro foro conſcientiæ deſideratur conſenſus, qui ſi præſtetur, & alius perſeveret in ſuo, Matrimonium validum erit, etiam ſi alter, qui diſſenſum ignorat, de hujuſmodi defectu expreſſe non certioretur. Quod idem rite pro- 397
cedit, quamvis nullitas Matrimonii aliunde procedat, quam à defectu conſenſus occulto, ut quia eſſet, v. g. Impedimentum ſervitutis ab altero ignoratæ, defectu ætatis, non exiſtente adhuc malitia, & coeundi potentia, vel quodcumque aliud Impedimentum dirimens; quia ſi occultum ſit, & Matrimonium fuerit publice quoad omnes partes externas in facie Eccleſiæ contractum, poterunt Conjuges ſublato Impedimento ſervitutis, vel ab altero Conjugum ſcienter remiſſo, vel ſuperveniente legitima ætate, ſecreto inter ſe conſenſum renovare, ſi ambo Conjuges ſint conſcii de Impedimento; quod ſi alter ignoret, probabilius eſt de neceſſitate requiri, ut ille, qui Impedimentum ignorat, de hujuſmodi Matrimonii invaliditate certior fiat; & ſi poſtea conſentiat in

Matrimonium, & Impedimentum remaneat occultum, adhuc Matrimonium valebit: at si Impedimentum sit publicatum, debebunt publice in facie Ecclesiæ denuo servatis Ecclesiæ solemnitatibus contrahere. Si tamen Denunciationes Matrimonii fuissent paulo ante factæ, non esse in ratificatione Matrimonii repetendas docet Gutierez *de matrim. c.* 128. *num.* 12.

Quomodo autem Conjux, qui Impedimentum ignoravit, sit de eo certiorandus, dissident Doctores;
398 sed omissis Disputationibus, probabilius est necesse non esse præcisam causam Impedimenti, & Matrimonii nullitatis aperire, sed sufficere, & aliquo modo aperiatur: itaut alter Conjux, quamvis etiam sciret Matrimonium fuisse ex aliqua causa nullum, adhuc consensum pro illius validitate exhibeat.

Sed quia hæc certioratio redditur in praxi difficilis, & multoties ex ea oriri solent dissensiones, & scandala gravissima, & aliquando etiam Matrimoniorum dissolutiones, & imminentia pericula mortis,
399 ideo admittunt magis communiter Doctores, necesse non esse præcisam causam nullitatis Matrimonii aperire, ut diximus, sed sufficere si Conjux dicat, v. gr. quod ipse valde dubitat, an vere consenserit in Matrimonium, & propterea ad omne dubium removendum pro suæ conscientiæ quiete cupit, ut uterque suum consensum in ipsum Matrimonium renovet, & si alter renovet, ille quoque subjungat, &
400 ego pariter consentio: Quod si scandalum timeatur modo quo supra Impedimentum detegendo, adhuc docent Doctores sufficere eo casu, ut Conjux Impedimenti conscius, impetrata prius secreto Dispensatione, si ea opus fuerit, dicat alteri, dum eum erga se benevolum cognoscit, hæc, seu similia verba, me ne ita amas, ut nisi inter nos Matrimonium esset, adhuc mecum contraheres? & si Conjux respondeat affirmativè, subjunget alter, & ego pariter contraho; ut prædictum bene docent Sanchez *lib. 2. disp. 36. num. 5. & n. 6.* Filiuccius *tomo pr. tract. 10. part. pr. cap. 3. num. 91.* Trullenck *oper. mor. tom. 3. lib. 7. cap. 5. dub. 4.* Navarr. *in manuali cap. 22. num. 70.* Marcus Antonius Genuensis *in praxi Curiæ Archiepiscopalis cap. 20. num. 7.* Reginaldus *lib. 31. cap. 38. nu. 277.* Aversa *de matrim. quæst. 11. sect. 5. vers. Pro resolutione*, Verricellius *de missionibus Apostolicis quæst. 116. num. 7.*

401 Quid vero faciendum, si ex hujusmodi manifestatione facta adhuc grave scandalum timeatur, ut quia vir hilaris non est, & cuperet occasionem dissolvendi Matrimonium, & propterea non respondet Conjugi, dum sic à longe de consensu requiritur, & ex alia parte debitum ab ea petit, & ipsa sine gravi scandalo subterfugere nequit, & reddendo peccaret, cum nondum sit Matrimonium, Respondent Sanchez *lib. 2. disp. 36. num. 9.* & Reginaldus *d. cap. 38. l. c.* hoc urgenti casu posse fœminam, sublato jam per secretam Dispensationem Impedimento (si Dispensatione opus sit) in copulam affectu maritali ex sua parte consentire: quia jam ex parte alterius, cum putet Matrimonium esse validum, constat ipsam copulam eo affectu haberi, nec facit, quod alter ignoret Matrimonium fuisse invalidum, quia ex parte alterius jam fuit vere præstitus consensus, & ex parte ipsius Impedimentum scientis, præstatur de præsenti, quando ipsum Impedimen-
402 tum per Dispensationem factam cessavit, unde in d. urgenti casu, necessitas, in qua dicta fœmina est constituta, facit ut probabile judicetur, quod alias tale non judicaretur, ut bene concludunt dicti Doctores, *ll. cc.* & faciunt dicta per dictum Verricellum *quæst. 117. n. 6.* Riccium *in praxi fori Eccles. resol. 410. n. 1.* & melius per Parisium *cons. 68. n. 118. part. 4.*

Hanc Doctrinam intellige, sicut diximus, ut procedat in illis casibus, in quibus vel removeri potest Impedimentum, absque Dispensatione, v. gr. in defectu consensus, vel (si non possit, absque illa re-
403 moveri) ipsa Dispensatio præcesserit, quia si desideretur Dispensatio, donec facta non fuerit, non potest is, qui est certus de Impedimento, debitum petere, nec reddere, quamvis ab Ecclesia excommunicaretur, & vitæ periculum, ac gravissima scandala imminent, *cap. Inquisitionis 44. de sent. excomm. can. Literas 13. de restitut. spoliat.* Sanchez *lib. 2. disp. 39. num. 8.* Reginald. *d. cap. 38. nom. 279.* & nos dicemus infra.

Quando autem Impedimentum dicatur esse occultum, *dicemus lib. 2. c. 2.* & tu videre poteris penes Sanchez *lib. 2. disp. 40. n. 11.*

Animadvertas tamen, quod si Matrimonium fuis- 404
set contractum cum Impedimento dirimenti, quod licet aliis fuisset occultum, ipsis tamen Parocho, & Testibus, vel saltem uni ex dictis Testibus, & Parocho fuisset notum, tunc erit necessario repetendus consensus coram Parocho, & Testibus, Sanchez *lib. 2. disp. 37. num. 10.* Filiuccius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 3. num. 94.* Trullenck *tom. 3. lib. 7. cap. 5. dub. 4. num. 15.* Reginaldus *d. cap. 38. num. 278.* quia Parochus, & Testes conscii de Impedimento non possunt testari de validitate hujusmodi Matrimonii, cum ipsi de Impedimento illud annullante, & irritante sint conscii. Si tamen Testes contractui Matrimonii 405
adhibiti plures essent, & ex his duo saltem, una cum Parocho, Impedimentum ignorarent, tunc nulla opus erit revalidatione, quamvis cæteri Testes de impedimento conscii essent. Ratio est, quia remanent alii Testes, qui cum Impedimentum ignorarint, possunt de validitate Matrimonii testari, cum sint tot, quot Concilium requirit, ut bene docet Merolla mox citandus.

At si Parochus, seu Testes scirent Impedimentum in Confessione, vide quæ dicimus infra, ubi concludimus, posse valide assistere hujusmodi Matrimonio, quia tunc Impedimentum sciunt ut Deus, & extra mundum, sic docent Doctores ibi citati, quibus addo Merola *tomo 1. disp. 1. c. 2. n. 284.*

Si plura Impedimenta concurrant, ex quibus ali- 406
qua sint publica, & cætera sint occulta, alibi diximus pro occultis posse haberi recursum ad S. Pœnitentiariam, & pro aliis Dispensationem impetrari à Pontifice, & adnotavimus in Prætorio dictæ Sacræ Pœnitentiariæ exprimi debere tam occulta, quam publica Impedimenta, ut Papa, vel major Pœnitentiarius sic sciat, quot, & quæ sint Impedimenta, super quibus Oratores egent Dispensatione, ut memini scripsisse *Cap. 4.*

Tandem nota, quod si Parochus, vel Ordinarius 4
scirent Impedimentum secretum, quod extaret inter contrahere volentes, at scirent fuisse super eo secreto dispensatos, poterunt dissimulare, nec eos debebunt impedire, quin ob illud contrahant, cum coram Deo veri Conjuges effecti sint; At si idem 4
Impedimentum fuerit ipsi Parocho ab aliquo denunciatum, tunc Parochus quamvis alias sciat ipsos pro foro interno fuisse legitime dispensatos, tamen ex quo dictum Impedimentum sibi pro foro externo denunciatur, non potest illos in Matrimonium conjungere, & quatenus fuisset Matrimonium contractum, debet separare, & rem deferre ad Ordinarium, ut ipse cognoscat de Impedimento, & sepa- 4
ret, cum ad Parochum non spectet cognoscere de Impedimento Matrimonii, sed solum separare, donec cognoscatur, & propterea rem ad Ordinarium deferre. Quod adeo, verum est, ut quamvis res dubia esset, & ipse Parochus inclinaret in partem negativam Impedimenti, tamen non possit ipse cognoscere, sed teneatur adire Ordinarium: unde si, v. gr. contrahere volentes confessi fuissent Impedimentum aliquod inter se existere, & postea negarent, non potest Parochus Matrimonio assistere, sed debet rem Ordinario remittere, quia ipse stare debet primæ confessioni de Impedimento factæ, Sanchez *lib. 3. disp. 15. num. 6.* Gutierez *de Matrim. cap. 60.* Pontius *de Matrim. lib. 5. cap. 36. nu. 3.* Bossius *de Matrim. cap. 7. num. 198.* sic pariter si opponeretur, contrahere volentes, vel alterum ex eis Votum Castitatis emisisse, & hi confiterentur quidem se emisisse Votum, sed ficte, & proinde non teneri, tamen non debet Parochus illa audire, sed de Impedimento certiorem facere Ordinarium, San-

chez

chez *numer.* 8. *&* 9. Pontius *num.* 5. Boſſius *num.* 201. *ll. cc.* & inclinat Averſa *de Matrimon. quæſt.* 7. *ſect.* 5. *verſ. Si rurſus*, quia non ſolùm pro Impedimentis dirimentibus, ſed etiam pro merè impedientibus debet Matrimonium denegare, Alphonſus à vera Cruce *in append. ad ſpec. ubi agit de eo, in quo eſt Impedimentum Voti ſimplicis, verſ. Ad primum ſic pariter*: Siquis poſt ſponſalia cum una contracta vellet cum alia contrahere, non poteſt Parochus Matrimonio aſſiſtere, quamvis Sponſus ea ſponſalia nulla fuiſſe aſſerat, ſed adhuc tenetur hujuſmodi Impedimentum ad Ordinarium deferre, ut bene Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 15. *num.* 11. Gutierez *de Matr. cap.* 6. *num.* 2. Boſſius *d. cap.* 7. *num.* 197.

Ordinarius autem ſi poſt contractum bona fide Matrimonium, & conſummatum, cognoſcat Conjuges perſeverare in bona fide, & habeant probabilem ignorantiam, quod Diſpenſatio ſubreptitia fuerit, poteſt diſſimulare, & relinquere in bona fide Conjuges, ſi judicet imminere pericula ſeparationis Matrimonii, & ſcandalorum; ita conſtat ex *cap. Quia circa de Conſ. & Affin.* & docet Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. §. 6. *num.* 40.

410 Unde cum literæ pro foro conſcientiæ impetratæ reddantur eo caſu nullæ, & invalida ſit Diſpenſatio obtenta, oportebit novas literas pro utroque foro impetrare: vide Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 15. *nu.* 15. Pyrrhum Corradum *in praxi Diſpenſ. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 35. Bonacinam *de Matri. quæſt.* 3. *punct. ult. propoſitione* 3. *num.* 13. *& n.* 15.

411 Ordinarium autem, ſtatim ac Impedimentum ſibi denunciatum fuerit, licet alias ſciret de Diſpenſatione antea legitime pro foro interno facta, & in eo foro Conjuges, ſeu Sponſos eſſe tutos, nihilominus, quia ſibi, uti Ordinario, & Judici impedimentum denunciatur, tenetur partes Judicis aſſumere, & Matrimonium prohibere; & ſi contractum ſit, Conjuges ſeparare, donec pro foro externo Conjuges aliam obtinuerint Diſpenſationem, Sanchez *l. c.* Navarrus *lib.* 5. *conſilior. titulo de privileg. conſ.* 5. *præſertim num.* 7.

412 At qualis probatio ſufficit, ut Ordinarius Sponſis interdicere debeat Matrimonium? Dic quod ſi Matrimonium ſit adhuc contrahendum, ſufficit ad illud impediendum unicus Teſtis; quamvis enim regula-
413 riter in aliis probationibus duo ſaltem Teſtes requirantur, juxta illud: *in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, cap. Cum eſſet* 10. *& cap. relatum* 11. *de teſtam.* Bellam. *deciſ.* 645. *de conſuetud. num.* 3. Pa-
414 riſ. *de conſid. quæſt.* 77. *num.* 30. *& vox unius, vox nullius, l. Juris jurandi C. de teſt.* Nicolaus Boerius *conſ.* 40. *num.* 13. Angel de Cambiglionibus *inter conſilia Matrim.* Zilett. *vol. prim. conſ.* 13. *num.* 89. tamen quia in caſu prædicto agitur de peccato vitando, & ne impediti contra Eccleſiæ prohibitionem contrahendo peccent, ſufficit ad impediendum unicus Teſtis, Sanchez *lib. pr. diſp.* 71. *num.* 1. Paulus Piaſcius *in praxi Epiſc. par.* 2. *ca.* 4. *n.* 36. *verſ. Ultra ſi agatur*, Maſc. *de probat. concluſ.* 1359. *nu.* 17. Averſa *de Matr. quæſt.* 7. *ſect.* 5. *verſ. Attamen*;
415 Ad hoc tamen, ut ſufficiat ad impediendum Matrimonium unicus Teſtis plura requiſita deſiderantur. Primo, ut Teſtis deponat, nec ſimpliciter denunciet: Secundo, ut cum juramento deponat: Tertio, ut aſſerat ſe certo ſcire Impedimentum; ſi etenim deponeret de auditu (excipe ſi Impedimentum eſſet Conſanguinitatis, vel Affinitatis, de quibus *num.* 427. ſpecialiter agemus) non impediret, quamvis etiam alter Teſtis, una cum eo de certa ſcientia,
416 abſque juramento deponeret, majorem etenim fidem facit fama, vel unicus Teſtis cum juramento deponens, quam duo Teſtes, quorum alter cum juramento de auditu, & alter abſque juramento de cer-
417 ta ſcientia deponerent. Unde ad hoc ut unicus Teſtis impediat, debet notitia Impedimenti eſſe ſufficiens, ut clarum ſit Impedimentum, & proinde non ſufficit, ſi Teſtis dicat audiviſſe impedimentum, quod tamen probare non poſſit. Quarto, ne ſit perſona vilis, niſi impedimentum aliter probari non poſſet, quam per perſonam vilem; Immo ſola fama de Impedimento eſt ſufficiens ad impediendum, ne Matrimo- 418
nium contrahatur *cap. ſuper eo de conſ.* Sanchez *l.c. n.* 13. Averſa *d. ſect.* 5. *verſ. Cenſetur etiam*, dummodo non ſit fama privata, hoc eſt ipſi Judici, uti pri- 419
vato conſtet, quia ea fama ſolum tribueret Judici fa- 420
cultatem ad inquirendum, ſi verò conſtaret Judici uti notorium, ſufficeret ad impediendum, ut bene Sanchez *l. c. n.* 15. ubi *n.* 16. ſubdit nec ſufficere ſolam famam ad impediendum, ſi de contraria fama 421
adhibeantur clariores probationes, *& n.* 17. ait quod 422
ad probandum contra famam Impedimenti admittatur Conſanguineorum juramentum. Immo ſi contra- 423
here volentes jurent ſe non eſſe Conſanguineos, arbitrarium erit Judici, juxta perſonarum qualitatem, hujuſmodi juramentum admittere contra eam famam. 424
Nec impedit ex ſe ſimplex rumor, ſed requiritur, ut verè ſit fama de Impedimento. Differunt inter ſe 425
rumor, & fama, quia hæc propriè eſt, quando tota vicinia, vel major pars Impedimentum acclamat; ille verò eſt, quando ſolùm aliqua, ut tertia, vel quarta pars viciniæ Impedimentum dicit: unde rumor minus probat, quam fama, *cap. ſuper eo* 5. *de eo qui cognovit &c.* & cum nullibi reperiatur Jure cautum, quòd rumor impediat Matrimonium contrahi, non 426
erit ex ſe ſufficiens ad impediendum, vide Sanchez *d. diſp.* 71. *num.* 18. Averſa *l. c.* Boſſium *de Matrimonii contractu cap.* 7. *num.* 132.

Verum, ſi Impedimentum, quod denunciatur, eſ- 427
ſet Conſanguinitatis, vel Affinitatis, docet Sanchez *l. c. num.* 11. *circa finem*, ſufficere ad impediendum indicia, conjecturas, & præſumptiones Impedimenti. Qualia autem, & quæ ex his ſufficiant, cùm non ſit à Jure definitum, remittitur arbitrio Judicis, Pariſ. *de reſignat. Benef. lib.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 145. Barboſa *de axiomat. axiom.* 32. *num.* 1. Sufficit etiam 428
unicus Teſtis de Impedimento deponens, ſi de certa ſcientia deponat, vel de auditu à majoribus ſuis, ſaltem duobus, ante litem motam, & referat gradus clara computatione ab utroque latere diſtinguendo; Sanchez *d. diſp.* 71. *nu.* 11. *verſ. Excipiendum* Averſa *d. ſect.* 5. *verſ. Debet ergo*; Quòd ſi deponat de 429
auditu ab uno tantum, non impedit, quia cum ſit Teſtis de auditu non probat Conſanguinitatem, niſi à pluribus majoribus audiviſſet, Sanchez *l. c.* Maſcardus *de probat. concluſ.* 410. *num.* 3. Covarr. *tomo pr. part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *n.* 21. Averſa *l. c.*

At ſi Matrimonium jam fuiſſet rite, & cum bo- 430
na fide à Conjugibus contractum, & Impedimen- 431
tum denuncietur, tunc quia agitur de Matrimonii diſſolutione, quæ eſt res graviſſima, Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 2. *num.* 12. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 1. *num.* 4. requiruntur probationes concludentiſſimæ, Rota coram Merlin. *deciſ.* 194. *nu.* 8. Rota coram Penia *deciſ.* 165. *num.* 14. nec duæ, plu- 432
reſque præſumptiones conjunguntur ad faciendam plenam probationem, ut bene Rota coram d. Penia *l. c. num.* 17. ſed requiruntur ſaltem duo Teſtes omni ex- 433
ceptione majores, *cap. pr. de Conſ. & Affinit.* Barboſa *in votis canonic. lib.* 2. *voto* 17. *num.* 116. Ludoviſius *deciſ.* 351. *num.* 2. & plures alii à nobis infra citati, ubi etiam dicimus, qui Teſtes dicantur omni exceptione majores.

Adverte tamen, quod ad probandam Conſanguinitatem, vel Affinitatem admittuntur etiam Paren- 434
tes, & Conſanguinei, cum præſumantur melius aliis ſcire eorum Genealogiam, *cap. ſuper eo* 22. *de teſtibus, & cap. videtur nobis* 3. *qui Matrim. accuſare poſſunt*, vide Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 45. *num.* 31. ubi *num.* 435
32. ait, non ſufficere ad Matrimonium dirimendum ſolam famam, *& à num.* 33. docet, an, & quan- 436
do confeſſio Conjugum ſufficiat ad dirimendum Matrimonium legitime contractum. Adverte inſuper, 437
quod ad probandam Conſanguinitatem inter Conjuges exiſtentem duodecim requiſita deſiderantur, quæ in *cap. Licet ex quadam* 47. *de Teſtib. & Atteſt.* adnotantur.

Dixi, ſi impedimentum Parocho ab aliquo denun- 438
cietur, quia ſi id ſciat ſolum in Confeſſione, non poteſt dicta ſcientia uti, ſcit enim ut Deus, & extra mundum, adeo ut ſi Sponſi publice inſtent pro Ma-
trimo-

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

trimonio inter se contrahendo, teneatur illos conjungere, Sanchez *lib.* 3. *disp.* 16. *n.* 14. Coninck *disp.* 27. *dub.* 7. *num.* 70. Pontius *lib.* 5. *cap.* 35. *numer.* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 14. *n.* 22. Bonaccina *de Matr. quæst.* 3. *puncto ultimo proposit.* 3. *num.* 13. *vers. Dixi in propositione*, Aversa *de Matr. quæst.* 7. *sect.* 6. *vers. Quod si Parochus*, Steph. à S. Greg. *de vinculis Div. Piet. libr.* 3. *capit.* 52. *num.* 9. Ratio est, tum quia non potest uti scientia ex sola Confessione habita, ut diximus, tum quia Sponsi habent jus petendi Sacramenta ab eorum Parocho; & hæc doctri-
439 na est ita vera, ut si Parochus, vel Confessor ex sola Confessione noverint contrahere volentes esse in primo gradu Consanguinitatis, in quo nec ab Ecclesia dispensari potest, adhuc non possit dicta scientia uti, sed se gerere debeat perinde, ac si non novisset impedimentum, ut bene docet Hurtado *tract. varii part. prim. tractat.* 4. *capit.* 8. *resolut.* 27. *numer.* 56.

440 Quomodo autem se gerere debeat Parochus, vel Confessarius, qui novit ex sola Confessione impedimentum dirimens inter Conjuges adesse, docent communiter Doctores, quod si sperent monitionem profuturam Pœnitenti, nec timeant scandala inde oritura, debent illum admonere, quamvis cognoscant laborare ignorantia invincibili; Ita Aversa *quæst.* 21. *sect.* 3. *vers. Sed aliis*; Bonaccina *de Matrim. dict. punct. ult. numer.* 4. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 38. *num.* 5. quia status ille ignorantiæ est quoddam notabile malum Animæ, & transire potest in statum culpabilem; si vero deprehendant Pœnitentem laborare ignorantia invincibili, & arbitrentur ex admonitione non sequuturum fructum, sed potius animi inquietudinem, rixas, & scandala, ut quia, v. gr. si detegatur impedimentum, Conjuges non facile poterunt Dispensationem impetrare, quia pauperes sunt; vel Matrimonium dissolvetur, eo quia unus Conjugum nollet denuo consentire, unde scandala orirentur, cum filiorum damno, & parentum infamia, vel periculum sit incontinentiæ, quia adhuc vir accedet ad Conjugem, licet non sit sua; his casibus non debent monere, sed tenentur dissimulare, & Pœnitentem in sua bona fide relinquere, nisi id redundaret in damnum commune; Colligitur *ex capit. Quia circa de Consang. & Affin.* ibi -- *Dissimulare poteris, ut remaneant in Copula sic contracta, cum ex separatione videas grave scandalum imminere*; Ita expresse docent Bonaccina *de matr. dict. punct. ult. propos.* 2. *num.* 4. *& num.* 8. Sanchez *d. disp.* 38. *n.* 6. Verricell. *de missionib. Apostolicis quæst.* 98. *dub.* 17. *n.* 186. Coninck *disp.* 8. *numer.* 137. Bossius *de Matrimonii contractu cap.* 2. *num.* 92. *& alii communiter*; Quia finis admonitionis, & correctionis est bonum correcti, ergo, eo cessante, omitti debet, juxta doctrinam Divi Augustini relatam *in capit. Si quis autem* 4. *causa* 33. *quæst.* 33. *distinct.* 7. *Si scirem tibi non prodesse te tibi darem*, item *si scirem tibi prodesse non te admonerem, non te terrerem.*

441 Et non solum debebit eo casu dissimulare Confessarius, sed poterit suadere, & præcipere Pœnitenti sic invincibiliter Impedimentum ignoranti, ut Conjugi petenti debitum reddat, si ob aliam causam reddere recuset; & si reddere recuset, non debebit eum absolvere; Aversa *l. c. vers. Neque vero*, Sanchez *d. disp.* 38. *n.* 8. Coninck *d. disp.* 9. *dub.* 9. *n.* 139. Laym. *d. cap.* 13. *n.* 6. quia cum Pœnitens relinquendus sit in ea ignorantia, peccat ea supposita, non reddendo; ergo Confessarius tenetur non absolvere, nisi proponat sed redditurum.

442 Dixi, nisi id redundaret in damnum commune, quia si esset rumor in Populo de Impedimento, & acciperet scandalum, tenetur omnino monere, quamvis cognosceret laborare Pœnitentem ignorantia invincibili, & scandala inde sequutura; Sanchez *dict. disp.* 38. *n.* 15. Bonaccina *n.* 4. *l. c.* quia bonum commune præferendum est bono privato.

443 Quod si Confessarius cognoscat Pœnitentem laborare ignorantia vincibili, & culpabili, monere tenetur, quia ille est in malo statu constitutus, & majus remedium sperare potest per manifestationem, quam per dissimulationem; Aversa *l. c.* Gutierez *de Matrim. cap.* 48. *num.* 3. Layman. *lib.* 5. *tractat.* 6. *cap.* 13. *num.* 5.

Ampliant plerique Doctores, ut Confessarius; qui 444
ex sola Confessione novit impedimentum dirimens subesse, possit dissimulare, & relinquere Pœnitentem, dicta ignorantia invincibili laborantem, in bona fide etiam ante Matrimonium contractum, si credat admonitionem non profuturam, sed fore ut monitus non quiescat, & adhuc contrahere velit, nec monitioni fidem adhibeat, & maxima cum difficultate, nec sine gravi scandalo, possit à Matrimonii contractu desistere, ita Bonaccina *d. punct. ultim. numer.* 9. Sanchez *d. disp.* 38. *n.* 6. *&* 7. ubi expresse docet teneri Confessarium eo casu tacere, & dissimulare, ne dicta inconvenientia sequantur, & præbeantur peccandi causæ.

Cæterum si ipse Pœnitens dubitans de valore Ma- 445
trimonii, vel de jure petendi debitum, & de obligatione illud reddendi, interroget Confessarium, tenetur omnino veritatem dicere, nec ullo modo potest dissimulare; Filiuccius *qq. mor. tom.* 1. *tract.* 10. *par.* 1. *cap.* 3. *à num.* 96. Coninck *num.* 140. *l. c.* Aversa *quæst.* 21. *dicta sect.* 3. *vers. Sed aliis*; Sanch. *d. disp.* 38. *n.* 14. quia tunc Pœnitens, cum sit in dubia fide, est in statu, quo indiget remedio. Advertat tamen Confessarius non plura respondere, quam interrogetur; videlicet, si interrogetur de valore Matrimonii, eo quia fuerit contractum ab habente Votum simplex Castitatis, & an ipse ob id teneatur reddere debitum Conjugi, Confessarius respondeat valere Matrimonium, & ipsum Pœnitentem teneri debitum reddere; at taceat obligationem, qua idem astringitur de non petendo, quia de hoc non dubitat Pœnitens, nec ipse Confessor interrogatur, ita bene docet Laymanus *d. cap.* 13. *n.* 6. *vers. Cæterum.*

SERVATA FORMA CONCILII TRIDENTINI CONTRAHERE.

Disponit Sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* 24. 446
cap. 1. *de Reformat.* ut, ante quam Matrimonium contrahatur, ter à proprio Contrahentium Parocho, tribus continuis festivis diebus in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publice denuncietur inter quos sit Matrimonium contrahendum; Quibus Denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur Impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus, Viro, & Muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat, *Ego vos conjungo in Matrimonium in Nomine Patris, &c.* Ibique expresse prohibet, ne Matrimonium contrahatur, nisi præsentibus Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus; & aliter celebrata Matrimonia nulla, & irrita decernit. Hoc autem Concilii Decretum inter Fideles ubicumque validum est, ubi receptum; At in locis, in quibus Tridentinum Concilium non est receptum, valet Matrimonium, omissa dicta forma, celebratum, ut declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, teste Pyrro Corrado *l. c. n.* 14.

Quis sit proprius Parochus, & qui possint assiste- 447
re Matrimonio, prout quando possint omitti Denunciationes, & à quibus, & ex quibus causis super illis dispensari possit, dicemus *lib.* 3.

Quamvis in Literis Dispensationum, quæ commit- 448
tuntur Delegato, præcipiat Papa, ut Matrimonium, *servata forma Concilii Tridentini*, contrahatur, unde videatur imponere conditionem, ut necessarium omnino sit Denunciationes præmitti, nec posse per Ordinarium remitti, nihilominus poterit ipse Delegatus Dispensationem exequi, licet Denunciationes ab Ordinario remissæ sint, cum id à Concilio relinquatur prudentiæ, & arbitrio Ordinarii. Idque verum est, 449
& rite procedit, non solum quando in ipsis Literis Dispensationis dicitur, ut Matrimonium; *servata forma Concilii Tridentini*, contrahatur, nulla Denunciationum facta mentione, verum etiam quando in ipsis Literis specialis de illis mentio facta fuisset, ut fieri solet dum Oratores Dispensationem petentes in aliena Diœcesi commorantur, quo casu de

stylo

ſtylo Romanæ Curiæ Literæ Diſpenſationes dirigi ſolent Ordinario loci domicilii, cum clauſula *factis Proclamationibus in Parochialibus Eccleſiis originis Oratorum*; Ita bene docent Gutierez *de Matrim. cap.* 128. *n.* 11. Sanchez *de Matrim. libr.* 8. *diſp.* 35. *nu.* 19. Corrad. *in praxi Diſpenſ. Apoſt. libr.* 7. *capit.* 7.
450 *n.* 17. imo dato etiam, quod Delegatus diſpenſaſſet cum clauſula, *ut ſervata forma Concilii Tridentini Matrimonium contrahatur*, ſi Oratores, non præmiſſis Denunciationibus contraherent, eſſet Matrimonium, illicitum, ſed tamen validum, dum in reliquis ſervata fuiſſet forma Tridentini Concilii, ut bene idem Sanchez *l. c.* licet enim ea verba, *factis Proclamationibus*, poſita in Ablativo abſoluto, videantur importare conditionem, ut dicemus *cap. ſequenti*, verius tamen dicendum eſt, iſto caſu non importare formam, ſeu conditionem, cum exprimatur forma Juris communis eo modo, quo jure ineſt; unde colligitur intentionem Pontificis Diſpenſationem concedentis non eſſe formam, & conditionem inducere, ſed potius quodammodo admonere, ut ſervetur forma Juris communis, & conſequenter, ea prætermiſſa, actus non irritatur, qui alias validus eſſet, niſi ea forma in Commiſſione exprimeretur, ita Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 33. *num.* 4. *& lib.* 8. *diſp.* 35. *d. numer.* 19. Boſſius *de triplici Jubilæi Privileg. ſect.* 2. *caſu* 21. *§.* 6. *num.* 75. *& numer.* 80. Merolla *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 19. *n.* 271. Corrad. *l. c.* Quando etenim exprimitur id, quod tacite ineſt, nil operatur; Andreas Molfes *comm. ad conſuetudin. Neap. tom.* 1. *par.* 4. ubi *de Renunciatione quæſt.* 17. *nu.* 40.
451 & regulariter ea forma, quæ eſt inducta non ad eſſe, ſed ad bene eſſe, ſi omittatur, non vitiat actum; Lotherius *de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 31. *n.* 15.

452 Tunc quidem nova forma inducitur omnino ſervanda, vel quando conſtitutio mandat aliquid fieri aliter, quam prius eſſet de jure communi diſpoſitum; Sanchez, & Corradus *ll. cc.* Lotherius *dict. libr.* 2. *quæſt.* 19. *num.* 30. *& lib.* 3. *quæſt.* 16. *num.* 8. Gutierez mox citandus, Rota inter deciſ. impreſſas per Cencium *tract. de cenſib. deciſ.* 464. *n.* 17. in impreſſione moderna: vel quando non ſolum diſponit ſuper aliquo actu faciendo, ſed etiam ultra procedit, nempe adjiciendo nullitatem actus adverſus non obſervantiam ſuæ Diſpenſationis; Cencius *de cenſib. quæſt.* 49. *num.* 13. *eadem impreſſione*, Seraphinus *deciſ.* 580. *num.* 1. Gutier. *de Matrim. cap.* 61. *num.* 56. Pyrrhus Corradus *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 37. Unde ſi Pa-
453 pa in Reſcripto diceret, quod Delegatus non diſpenſaret, niſi prius factis Denunciationibus, tunc dicta diſpoſitio facta eſſet in forma non ordinaria, & conſequenter formam præſcriberet, & conditionem Delegato imponeret; qua non ſervata, diſpenſatio nulla eſſet, & invalida; vide Pyrrhum Corrad. *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 19.

ET IN EO POSTMODUM REMANERE.

454 Hæc verba videntur potius appoſita ad tollendum omne Dubium, quod Juris ignaris occurrere poſſit, quam quod neceſſaria ſint: quia contracto Matrimonio rite, & legitime, conſequitur neceſſario, ut poſſint, ac debeant Conjuges in eo remanere, cum indiſſolubile ſit, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, *Matth.* 19. & diſpenſatus ad Matrimonium contrahendum, quod principale eſt, intelligitur etiam diſpenſatus, ut in eo remanere poſſit; conceſſo enim
455 principali, conceſſum cenſetur acceſſorium *l.* 2. *ff. de juriſd. omn. judic.* & nos diximus *c.* 2. Immo quamvis regulariter res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvatur *§. fin. inſtit. quibus modis oblig. tollit.* tamen, quicquid ſit de aliis Contractibus, qui Contrahentium conſenſu diſſolvi poſſunt, certum eſt Matrimonium rite, & legitime contractum, & conſummatum nulla cauſa, nec etiam mutuo Conjugum conſenſu diſſolvi poſſe, ut Fragoſius *regim. Chriſtian. Reip. part.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 4. *§.* 2. *num.* 300.

456 Quid autem facere debent Conjuges, ſi, poſt contractum bona fide Matrimonium, ſuperveniat dubium Impedimenti? Dico quòd ſi alter ex Conjugibus ſit in bona fide, & alteri ſuperveniat dubium, tunc ſi Impedimentum ſit occultum, & talis qualitatis, ut poſſit abſque Diſpenſatione ab ipſo Conjuge tolli, faciunt ea, quæ dixi ſupra; ſi verò non poſſit ab ipſis Conjugibus amoveri, ſed neceſſaria ſit Diſpenſatio, tunc ſi Conjux certo ſciat aliquod 457
Impedimentum adeſſe, quamvis etiam probari non poſſit pro foro externo, non poteſt abſque culpa lethali, ante Diſpenſationem, petere, & reddere debitum, *cap. Inquiſitioni* 44. *de ſent. excommun.* Covarruv. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 7. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 39. *num.* 8. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 48. Sperell. *deciſ.* 119. *num.* 67. Averſa *de Matrim. quæſt.* 21. *ſect.* 3. *verſ. Sed certum*; quia cum ſit cer- 458
tus de Impedimento, accederet ad non ſuam; Unde quamvis eo caſu ab Eccleſia excommunicaretur, & vitæ periculum immineret, ac gravia ſcandala ſequerentur, nec petere debitum, nec reddere poterit; vide Covarruv. *l. c.* Sanch. *d. diſp.* 39. *nu.* 8. Idem eſſet, ſi de Impedimento non eſſet omnino certus, 459
ſed parum admodum dubii remaneret; Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 44. *num.* 3. *d. cap. Inquiſitioni*, Reginald. *lib.* 31. *cap.* 39. *num.* 300. Quod ſi non ſit quidem cer- 460
tus, ſed probabili, & diſcreta credulitate arbitretur adeſſe Impedimentum, tenetur adhibere diligentiam ad vincendum dubium, & veritatem habendam, & interim tenetur reddere, ſed non poteſt petere; *cap. Dominus* 2. *de ſec. Nuptiis d. cap. Inquiſitioni* 44. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 41. *num.* 46. & 47. At ſi ſit in 461
æquali dubio, habet enim probabilem opinionem, v. gr. vitæ prioris Conjugis, & ſimiliter probabilem aſſenſum mortis, & ita valere Matrimonium; poteſt petere, & reddere, quia poteſt amplecti opinionem probabilem mortis ſui viri, & valoris Matrimonii, Sanch. *diſp.* 42. *num.* 9. *lib.* 2. *& d. diſp.* 44. *num.* 4. Covarruv. *l. c.* Averſa *de matr. quæſt.* 21. *ſect.* 2. *circa finem*, Reginald. *d. cap.* 39. *circa fin.* Ampliat Sanchez *d. diſp.* 44. *l. c.* hanc doctri- 462
nam, itaut poſſit petere, & reddere Conjux dubitans, quamvis probabilius crederet non valere Matrimonium, dummodo tamen habeat opinionem probabilem, ut diximus *cap.* 4. Id tamen, quoad de- 463
biti petitionem, non admitterem ante factam diligentiam ad vincendum dubium, & veritatem habendam; ſi tamen poſt adhibitam diligentiam ſufficientem, non potuerit veritatem aſſequi, & Impedimentum detegere, tunc poterit petere, & reddere, depoſito dubio, ad conſilium Paſtoris, ſeu alterius vi- 464
ri Docti, quia poteſt eo caſu dici poſſeſſor bonæ fidei, cui licet rem, de qua dubitat, non ſolum detinere, ſed ea uti; Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 41. *num.* 12. Boſſ. *mor. varia part.* 2. *tit.* 1. *num.* 1985. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 9. *nu.* 343. Coninck *de Sacram. diſp.* 34. *dub.* 10. *num.* 105. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 39. *num.* 299. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 295. De Lug. *de juſt. diſp.* 17. *num.* 88. Sperell. *l. c.* quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, 465
Regul. in part. 65. *de reg. Juris in* 6. Et eò magis petere, & reddere poterit, ſi levi credulitate Impedimentum credat, depoſito tamen ſcrupulo, ad conſilium Paſtoris, ſeu alterius viri Docti; *d. cap. Inquiſitioni* 44. Sanchez *d. diſp.* 41. *num.* 42. Sperell. *l. c.* Filiuccius *loc. c. num.* 344. Coninck *diſp.* 34. *num.* 105. limitant nonnulli, ut Conjux dubitans 466
non teneatur, nec poſſit intra primum bimeſtre ante conſummatum Matrimonium reddere, eo quia intra dictum primum bimeſtre de Jure non teneatur, unde dum dubitat de validitate Matrimonii, non poteſt tunc petere, nec reddere, quia alter adhuc non eſt in poſſeſſione exigendi, & propterea eidem denegando, non imminet Injuſtitiæ periculum, ex quo abſque ulla culpa poteſt denegare debitum, ſed 467
verius dicendum eſt, adhibita diligentia ſufficienti, adhuc licere etiam in dicto primo bimeſtri petere, & reddere, quia dicta diligentia adhibita, adhuc licet re poſſeſſa uti.

Quod ſi poſt Matrimonium bona fide contractum 468
utrique Conjugi ſuperveniat dubium, neuter petere, & reddere poterit, ante quam adhibuerint ſufficientem diligentiam ad vincendum dubium; ratio eſt, quia, ſi alter ſolus dubius ſit de Impedimento, ſe exponeret periculo injuſtitiæ, non reddendo Conjugi,

469 jugi, qui non dubitat; ad hoc enim ut dubitans possit alterum jure suo licite spoliare, oportet, ut ille certus sit rem non esse Conjugis in bona fide existentis, ut bene docet idem Bossius *l. c.* At si uterque dubitet, nullum periculum injustitiæ est, ex quo neuter Jus exigendi habet; Reginald. *lib.* 470 31. *d. cap.* 39. *n.* 300. si tamen post adhibitam sufficientem diligentiam, adhuc non possit vinci dubium, & Impedimentum detegi, poterit uterque deposito dubio petere, & reddere; quia nimis durum esset, duos Conjuges culpa carentes perpetuo privari usu Conjugii; ut bene concludunt Sanchez *d. disp.* 41. *nu.* 55. Filiucc. *tom.* 1. *tract. part.* 1. *cap.* 9. *n.* 344. Coninck *de Sacram. d. disp.* 34. *dub.* 10. *n.* 105.

Quæ dicta sunt circa dubium, quod post Matrimonium bona fide contractum Conjugibus supervenit, adaptari possunt, & locum habere eo etiam 471 casu, quo Conjuges cum mala fide idem Matrimonium contraxerint: quia si sunt certi de Impedimento, neuter potest petere, & reddere, quamvis, ut diximus, ab Ecclesia excommunicarentur, & vitæ periculum, ac gravissima scandala imminerent, si sunt dubii ante adhibitam diligentiam, neuter potest reddere, & petere; Si levi credulitate dubitent, possunt deposito dubio ad consilium Pastoris, vel alterius viri docti & petere, & reddere, Si unus tantum mala fide contraxit certus de Impedimento, nullo modo potest petere, & reddere, si in dubio contraxit, non potest petere ante adhibitam diligentiam sufficientem, sed reddere tenetur. Quod si uterque dubitaverit, neuter ante adhibitam, ut supra, diligentiam potest petere, & reddere.

472 Advertas tamen, quod Conjux, qui de valore Matrimonii non dubitat, non tenetur credere alteri Conjugi Impedimentum affirmanti, nisi urgentibus conjecturis convincatur ad credendum, Sanchez *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 52. *vers. Quarto dico*; Filiucc. *d.* 473 *cap.* 9. *n.* 343. Si tamen convincatur, & credat Impedimentum, non poterit ante adhibitam diligentiam ad vincendum dubium petere, & reddere, Sanchez *l. c. n.* 12.

474 Quæ autem, ac quales sint hujusmodi urgentes conjecturæ, satis bene explicant Sanchez *lib.* 2. *tota disp.* 45. & præcipue *à nu.* 6. & Boss. *de Matrimonii contract. cap.* 2. *à n.* 63.

Quæ, & qualis differentia sit inter scientiam, credulitatem, opinionem, suspicionem, dubium, ac scrupulum, dicemus *lib.* 2.

LIBERE, ET LICITE.

475 Hæc clausula intelligi debet, ut non obstantibus Impedimentis Pontifici expressis, & super quibus fuerint legitime dispensati, possint Oratores Matrimonium contrahere, licet enim hanc clausulam vigintiquinque modis explicet; Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 53. *à nu.* 2. *usque ad nu.* 25. hoc tamen casu interpretari debet à materia, de qua agitur, & eo respectu, quo profertur, ut idem Gonzales docet *l. c. n.* 24.

476 Dicitur *libere*, quia est Canon latæ sententiæ, & denotat non requiri aliam sententiam, seu licentiam ad contrahendum, ut bene explicant Sanchez *lib.* 1. *disp.* 54. *num.* 6. 10. 12. *&* 31. Cornelius *cons.* 54. *n.* 7. *vol.* 4. Gratianus *disceptat. forens. cap.* 47. *nu.* 21. *tom.* 1. *& cap.* 492. *nu.* 14. *tom.* 3. Barbos. *de diction. dictio* 190. *num.* 9. Rota coram Merlino *decis.* 503. *num.* 1.

477 Dicitur *licite*; hoc est, ut possint contrahere non obstantibus Impedimentis Papæ narratis, & per Delegatum dispensatis.

AUCTORITATE NOSTRA.

478 Quando Papa concedit Auctoritate Apostolica, dicitur concedere nomine dignitatis, & non personæ; Seraphin. *decis.* 1371. *n.* 4.

479 Dicta verba *Auctoritate nostra*, quando conjunguntur cum verbo *Concedimus facultatem*, non faciunt Jurisdictionem delegatam. At dum junguntur potestati aliquid faciendi, ut in hujusmodi mandatis de dispensando, faciunt Delegatum: sic bene explicant Francisc. Paccinus *de visit. part.* 2. *quæst.* 10. *num.* 3. Garcia *de benef. par.* 5. *cap.* 7. *num.* 50. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 2. *num.* 10. etiam quoad ea, quæ 480 Ordinario ex sua ordinaria jurisdictione competunt; Menochius *de presumpt. præsump.* 16. *nu.* 28. *lib.* 2. Moneta *de commut. ult. vol. cap.* 7. *n.* 140. *cons.* 141. Sanchez *l. c.* Barbos. *de clauss. claus.* 12. *n.* 3. Lezana *in summa tom.* 3. *verbo Clausula*, *n.* 12. Quando vero Dispensatio fit à Delegato Papæ, censetur facta 481 ab ipso Papa, cui soli competit potestas dispensandi in Matrimonii Impedimentis, ut alibi diximus, cum hæc (seclusis Impedimentis, quæ Jure divi- 482 no, vel naturali procedunt) ex Canonibus Pontificiis proveniant, in quibus nullus inferior potestatem habet dispensandi, ubi quatenus ab ipso Papa concedatur vel expresse, vel saltem præsumptive, ut in quibusdam urgentissimis casibus præsumi dicimus *lib.* 2.

Et cum Delegatus Papæ quoad causam delegatam gerat vices Pontificis, poterit Testes cogere, & animadvertere in turbantes suam jurisdictionem.

DISPENSES.

Quid sit Dispensatio, unde dicta, & ejus effectus diximus *cap.* 1.

Verificatis igitur omnibus, quæ ex forma mandati verificari debent, Delegatus ad Dispensationem ipsam procedet, cujus formulam infra adnotabimus.

Hic autem plura scitu digna, circa hujusmodi Dispensationum materiam sunt adnotanda.

Animadvertendum primo, pluribus modis finire 483 Matrimonialem Dispensationem pro foro externo concessam; nempe morte Dispensati; morte Concedentis, quoad exequutorem voluntarium, nondum adimpleto effectu; Renunciatione per Dispensatum facta, & per Legislatorem acceptata; revocatione à Legislatore facta ante effectum consummatum Dispensationis; defectu intentionis, vel defectu potestatis in Concedente; & demum inhabilitate impetrantis, ut explicant Sanch. *libr.* 8. *disputat.* 27. 28. 29. *&* 30. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. 18. 19. *&* 20. Bonacc. *de legib. disputat.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 10. Escobar *Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 3. *in princ.* Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 19. *in principio*; de quibus omnibus infra succinctim agemus.

Adnotandum secundo; quod licet Oratores obti- 484 nuerint à Pontifice Mandatum de dispensando, & licet etiam Delegatus preces Pontifici porrectas veras esse compererit, & nil obstet pro exequutione Dispensationis, non tamen poterunt Matrimonium valide, & licite contrahere, donec Dispensatio cum effectu facta fuerit. Aliud enim est Dispensatio, & aliud est Mandatum de dispensando, quo Superior non dispensat, nec Impedimentum removet, sed dispensari mandat, cognita precum veritate, unde hoc vim Dispensationis non habet, ut bene docent Franciscus Leo *in thes. fori Eccles. par.* 2. *cap.* 8. *nu.* 97. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 30. *n.* 12. Puteus *dec.* 256. *nu.* 1. *lib.* 1. Trullenck *oper. mor. lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 10. *n.* 24. *tom.* 3. Pyrrhus Corrad. *in praxi Dispens. Apost. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 55. Marcus Paulus Leo *in praxi Sacræ Pœnitentiariæ par.* 1. ubi *an Confessores delegati sint meri Exequutores*, *vers. Secundo collige*, *pagin. mihi* 27. Rota *dec.* 721. *numer.* 1. *part.* 3. *recent.* & proinde filii ex hujusmodi Matrimonio nullo procreati erunt illegitimi, Sbrozius *de offic. Vicarii lib.* 2. *quæst.* 34. *in fine*; Ita Navarrus penes prædictum.

Adnotandum tertio; Posse hujusmodi matrimonia- 485 lem Dispensationem fieri extra Diœcesim Dispensantis, quia est actus Jurisdictionis voluntariæ, & non contentiosæ, & ob id exerceri potest etiam extra Territorium; Joannes Valerus *diff. var. fori*, *verbo Absolutio*, *diff.* 9. *numer.* 13. Gamb. *de offic. & potestat. legati lib.* 10. *numer.* 358. Sanchez *lib.* 3. *disput.* 8. *num.* 7. Pelliccionius *quæst. illustr. quæst.* 6. *cap.* 7. *pag. mihi* 55. *col. prim. in fine*; Rota *dec.* 69. *num.* 1. *part.* 4. *recent.* Squillant. *de oblig. Clericor. part.* 2. *num.* 123. *& de privileg. Clericor. cap.* 2. *nu.* 8. Vericellius *de missionib. Apostol. quæst.* 155. *num.* 2. non tamen poterunt extra Diœcesim examinari Testes, nec processus instrui, quia id est actus jurisdictionis contentiosæ; ut bene distinguit Sanchez *lib.* 3. *disp.* 8. *num.* 5.

486 Ad-

486 Adnotandum Quarto, Quod si Delegatus dubitans de validitate Literarum pro foro externo obtentarum dispensare recusaret, eo Delegato mortuo, vel ab officio remoto, poterit ejus successor adiri, ut di-
487 spenset: verum si pronunciasset Literas esse subreptitias, & propterea non exequendas, tunc nec ipse, nec successor poterunt se ulterius ingerere, quamvis postea, re melius cognita, sic per errorem pronunciasse cognosceret, quia sic pronunciando functus esset officio suo, & per ipsam pronunciam totam ejus commissionem consumpsit; unde si Oratores eo casu dispensari velint, debebunt de novo recurrere ad Summum Pontificem; Ita docent Sanch. *lib.* 8. *disp.* 27. *num.* 39. Squillante *de privilegiis Clericorum c.* 2. *privil.* 2. *dub.* 11. *à num.* 207. Ludovisius *decis.* 486. *num.* 8. Rota coram Cavalerio *decis.* 347. *numer.* 2. Coccinus *decis.* 336. *n.* 2. *&* *decis.* 323. *n.* 1. 2. Rota *decis.* 631. *num.* 8. *part.* 2. *recent.* *&* *decis.* 303. *n.* 4. *part.* 3. *recent.* Rota coram Durano *decis.* 8. *numer.* 2. Rota coram Merlino *decis.* 131. *nu.* 2. *&* *decis.* 489. *num.* 3. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 609. Massobr. *de conc. requis.* 5. *dub.* 12. *num.* 1. qui ampliat,
488 ut nec possit Delegatus reassumere causam, etiam de consensu partium, si pronunciavit se non habere jurisdictionem: Quod idem clare colligitur *ex capit. Significantibus* 38. *de offic. delegati*, & faciunt dicta per Tuschum *concl.* 434. *num.* 6. *lit. I.* Et in hoc dif-
489 fert Delegatus pro utroque foro ab Ordinario, cui permittitur retractatio, eo quia jure proprio judicat, ut bene distinguunt Sanchez *d. n.* 29. Squillante *num.* 207. & Merolla *n.* 609. *ll. cc.* Immo, & in hoc differt
490 etiam à Confessario, & Delegato pro solo conscientiæ foro, qui suam sententiam revocare, & se retractare potest, ut infra *cap.* 8.

Quamvis tamen non possit Delegatus se retractare, ut supra, nec se ulterius in Dispensatione ingere-
491 re; nihilominus si dispensasset, & postea cognosceret se fuisse deceptum, poterit non uti Delegatus, sed tanquam loci Ordinarius, ad quem cognitio de Impedimentis spectat, cognoscens Impedimentum subesse, impedire ne Matrimonium contrahatur, vel si contractum sit, operari, ut separetur, vel dissolvatur, donec per novam Pontificis Dispensationem dictum Impedimentum tollatur *cap. Porro* 3. *de divort.* Maranta *in speculo aureo part.* 6. *quæst.* 9. *num.* 136. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 27. *dict. num.* 39. Merolla *loc. cit. num.* 610. Squillante *l. c. num.* 209.

Adnotandum Quinto; quod licet Delegatus non possit post sententiam se ulterius ingerere, ut dixi-
492 mus; si tamen aliud diversum in Mandato contineatur, v. gr. facultas legitimandi prolem, poterit eam quandocumque legitimare, dum per oblivionem, vel incuriam id non fuisset exequutus, quia in parte illa non fuit functus officio suo, nec jurisdictionem sibi hac parte commissam consumpsit. Immo si
493 Delegatus mortuus, vel absens esset, vel ab officio remotus, poterit prædicta exequi ejus successor; Coccin. *d. dec.* 323. *n.* 2. *&* 3. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 7. *nu.* 17. & nos diximus *capit.* 4. dum etenim Mandatum continet plura, & diversa capita, si sententia lata sit super uno, expirat quoad alia, ut bene Coccin. *dict. decis.* 323. *n.* 12.

494 Excipiunt aliqui satis probabiliter, itaut possit Delegatus ad unam causam iterum sententiare, quando tulisset sententiam, seu Decretum Dispensationis nulliter, ex defectu formæ sui Mandati per eum non servatæ, ita bene Sanch. *d. disp.* 27. *n.* 39. Ventriglia *in praxi annotat.* 38. §. *unico*, *numer.* 8. Merolla *d. capit.* 6. *numer.* 610. Squillante *de priv. Cleric. cap.* 2. *n.* 208. Fragosius *Regim. Christ. Reip. part. prim. lib.* 4. *disp.* 10. §. 1. *numer.* 134. Tusch. *conclus.* 432. *numer.* 23. *lit. I.* quia tunc dicitur feciſſe ut privatus, ut bene Tusch. *l. c. n.* 48. secus autem erit, si pronunciet servata forma Mandati, quia tunc non poterit.

495 Adnotandum Sexto, quod, facta per Delegatum Dispensatione, præmissa informatione juxta formam sibi in Mandato præscriptam, non poterit Ordinarius se intromittere in cognitione Dispensationis, quam Delegatus nomine Summi Pontificis fecit, ni-
si subreptio esset evidens, vel ex confessione partis, vel ex tenore Bullæ, si hæc sibi præsentetur, licet ea directa non sit; Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiscopalis cap.* 20. *nu.* 15. Pyrrh. Corrad. *in praxi Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 75. Tusch. *conclus.* 142. *num.* 8. *lit. M.* maxime si principaliter cognosceret de fœdere Matrimonii, & incidenter de Dispensatione, quæ esset notorie subreptitia, ut bene Tusch. *loc. citat.*

Adnotandum Septimo, quod si Delegatio, & com- 496
missio Pontificis fuit personalis, nempe alicui particulari personæ facta, tunc, quamvis illa persona esset in Dignitate Ecclesiastica constituta, si dictus Delegatus moriatur, Commissio finit, tam si res integra sit, quam non; si vero Commissio fiat Dignitati, vel Officio, ut in casu nostro, tunc morte Personæ Dignitatem habentis, vel Officialis, vel amotione ab Officio, non expirat Commissio, sed Successor in Officio, seu Dignitate poterit illam exequi, sive res sit integra, sive non, quia officium Vicarii 497
remanet in Successore; Paris. *de resignat. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 17. Tancred. *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 27. *nu.* 2. & alii à nobis relati *cap.* 5.

Tunc dicitur rem non esse integram, quoad has 498
Matrimoniales Dispensationes, in quibus nullus venit citandus, quando post factam præsentationem Commissionis, Delegatus mandat Informationes sumi, ut diximus, & docent Maranta *in speculo aureo*, *par.* 4. *disp.* 9. *n.* 20. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 28. *nu.* 28. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 31. *num.* 490. qui ultimus *l. c. n.* 596. docet, Delegationem, & Commis- 499
sionem, quæ fierent uni personæ, duas Dignitates eodem tempore possidenti, v. g. Præposituram, & Archidiaconatum; si postea, dicta Persona mortua, dictæ Dignitates conferrentur duabus Personis, transire ad utramque Dignitatem; *&* *num.* 597. docet, 500
ut si Commissio duabus Dignitatibus facta fuisset, mortua altera ex Personis, quæ unam ex dictis Dignitatibus possidebat, si superstes eandem sit vacantem ex Dispensatione impetraret, poterit is solus dictam Commissionem exequi, & in ea procedere.

Adnotandum Octavo ex communi, & recepta Do- 501
ctorum sententia, quod Dispensatio pure, & simpliciter facta, non expirat morte Concedentis, etiam re integra; Sanch. *lib.* 8. *disp.* 28. *nu.* 91. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 27. *nu.* 220. Meroll. *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 31. *diffic.* 1. *n.* 488. quia cum Dispensatio jam fuerit legitime facta, non retractatur ex facto supervenienti.

Quæ Doctrina ampliatur, Primo, quamvis Di- 502
spensationis effectus nondum fuerit consummatus, ut bene concludunt præcitati Doctores *ll. cc.* Secundo, quamvis etiam tempore mortis Pontificis concedentis Dispensatio non fuerit ab ipso Dispensato acceptata; Sanch. *d. disp.* 28. *num.* 43. Merolla *d. cap.* 6. *n.* 490. Tertio; quamvis etiam Literæ adhuc confectæ non fuerint; Meroll. *d. cap.* 6. *dub.* 32. *num.* 552. secus tamen dicendum erit de Dispensatione, & Gratia facienda.

Ad dignoscendum autem quæ Gratia, seu Dispen- 503
satio sit facta, & quæ facienda, hæc regula à Doctoribus assignatur. Quoties alicui committitur potestas dispensandi cum aliquibus certis personis, & in Mandato expressis, & dubium est an ea potestas concessa fuerit in gratiam Delegati dispensaturi, vel Personarum quibuscum dispensandum est, censeri debet concessa in favorem Personarum dispensandarum; unde cum hujusmodi potestas stricte interpretanda sit, ut diximus *cap.* 2. mortuo Papa, qui potestatem concessit, si res adhuc integra sit, expirabit ipsa potestas, nec ulterius eo casu poterit à Delegato procedi; Quod 504
si potestas dispensandi concessa fuerit in Gratiam Delegati dispensaturi, durabit, quamvis Concedens re integra moriatur, cum hæc potestas sit late interpretanda, ut diximus *d. cap.* 2. & concludunt plerique Doctores mox citandi.

Prædicta tamen ita intelligas, ut cesset dispensandi
potestas morte Pontificis, qui eam concessit, quando
Delegatus est voluntarius, itaut, si velit, dispenset; 505
quia tunc, cum gratia ab Exequutoris voluntate pendeat,

deat, & hic pro ſuo libito poſſit Diſpenſationem concedere, ſeu denegare, non dicitur Gratia per Pontificem facta, ſed facienda, & proinde morte Pontificis concedentis, hujuſmodi poteſtas, & gratia ceſſabit; quia per hujuſmodi conceſſionem nulli fuit Jus
506 acquiſitum. At ſi poteſtas diſpenſandi cum dictis expreſſis Perſonis conceſſa ſit cum mandato abſoluto, quo Exequutori præcipiatur ſicut in caſu noſtro) ut captis diligenter Informationibus, ſi preces veritate niti repererit, diſpenſet, tunc ex quo dictus Exequutor non eſt voluntarius, ſed neceſſarius, ita ut ſi preces narrata Pontifici veras repegerit, diſpenſare teneatur, eſt gratia facta; ac proinde, licet re integra moriatur Pontifex, ſi Exequutor poſt habitam diligentem informationem, preces veras eſſe repererit, tenetur omnino diſpenſare, ut diximus *cap.* 1. quo caſu Diſpenſatio cenſetur ab ipſomet Pontifice facta; eſt enim gratia ſingularis, certa, & determinata, cujus ſola exequutio, & Diſpenſationis in eſſe deductio ipſi Ordinario committitur: Ita bene docent Mandoſ. *ad Reg. Canc. reg.* 10. *de Annali poſſeſſore quæſt.* 2. *num.* 4. Sanchez *libr.* 8. *diſp.* 28. *numer.* 87. Vivian. *de jurepatronatus lib.* 14. *cap.* 6. *nu.* 9. Majol. *de irreg. lib.* 5. *cap.* 50. *num.* 6. Garc. *de benef. part.* 6. *cap.* 2. *n.* 311. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 27. *n.* 220. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 98. *verſ. Sed ego*; Gutier. *de matr. c.* 125. *n.* 210. *& can. qq. l.* 2. *c.* 17. *n.* 5. Trullenck *opere mor. tom.* 3. *l.* 7. *c.* 10. *dub.* 8. *n.* 1. Filiucc. *qq. mor. tom.* 1. *tr.* 10. *part.* 2. *c.* 10. *n.* 347. Laym. *Theolog. mor. l.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 18. Reſponſa Marantæ *part.* 4. *reſp.* 100. *num.* 11. Boſſ. *de Matr. contract. cap.* 4. *num.* 151. Steph. à S. Greg. *univ. tract. de vinculis Div. Piet. libr.* 3. *capit.* 113. *numer.* 16. Salas *de legib. diſput.* 20. *ſect.* 17. *in fine*; Tuſch. *concluſ.* 68. *num.* 5. *lit. G.* Fragoſ. *reg. Chriſt. reip. part. pr. lib.* 4. *diſp.* 9. *num.* 76. Meroll. *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 31. *coroll.* 7. *num.* 512. Ita Rebuff. Suar. Henriq. Sa, Ledeſm. & alii penes ipſum
507 Meroll. *l. c.* Ratio differentiæ inter primam, & ſecundam Commiſſionem eſt, quia primo caſu nemini eſt Jus quæſitum per illas Literas; Non Delegato exequuturo, eo quod in ipſius favorem conceſſæ non ſunt: Non Diſpenſandis, cum conceſſio ipſius Gratiæ pendeat à mero arbitrio Diſpenſaturi, qui cum eo caſu non adſtringatur ad diſpenſandum, poteſt non diſpenſare; At ſecundo caſu Jus ad rem ipſis diſpenſandis acquiritur, quia, ſi preces narratæ veræ ſint, nil aliud deſideratur, quam ſola exequutio, & tunc Diſpenſatio neceſſario per Delegatum facienda eſt, quia debita eo caſu eſt, ut colligitur *cap. Si cui nulla* 36. *de præbend. in* 6. Et juxta hanc Doctrinam plures matrimoniales Diſpenſationes fuerunt per Vicarium Generalem Lucanum meo tempore exequutæ, Sede Papali Vacante, per obitum, tum Urbani VIII. tum Innocenti X. Summorum Pontificum, quæ illis viventibus fuerant ipſi Vicario commiſſæ. Dum etenim per Pontificem exprimuntur in mandato nomina Perſonarum, quibus cum diſpenſatur, & Delegato committitur abſolute, ut ſi preces veras repererit, diſpenſet, & proinde Delegatus Diſpenſationem exequatur, hujuſmodi Diſpenſatio videtur à Pontifice in individuo facta, ut bene animadvertit Gamb. *dicto lib.* 10. *n.* 297.

508 Animadvertendum Nono; Diſpenſationes, quæ à Legatis Apoſtolicis, vel à Summo Pœnitentiario expediuntur, non expirare morte Papæ, etiam re integra, quia neutrum officium morte Papæ expirat; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 28. *n.* 92. & alii, quos propterea citamus *cap.* 8.

509 Animadvertendum Decimo; Delegatum non poſſe, in exequenda Diſpenſatione matrimoniali ſibi commiſſa, imponere mulctas Diſpenſatis, quia ad illud onus, & pecuniariam mulctam obligare non poteſt
510 ex contractu; alias induceretur Simonia, ſi ob Diſpenſationem conceſſam in lege, imponeretur obligatio pretio æſtimabilis; ita bene docent Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 10. *num.* 9. Bonacc. *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *nu.* 23. Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 22. cum nullam Delegatus habeat poteſtatem extendendi præinſertam ad aliam materiam, neque de novo Legem, aut Præceptum imponere, cum id non fuerit ſibi conceſſum, ſed tantum conceſſa poteſtas diſpenſandi, ſi preces veræ ſint, & ſic agit tanquam ſimplex Mandatarius, qui formam in mandato præſcriptam ſervare debet, ut ſupra diximus; & eo magis id certum eſt, attenta diſpoſitione Concilii *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 4. quo decernitur, ut Diſpenſationes gratis 511
concedantur; Ipſe ſolum Legislator poſſet id facere, ſi Diſpenſatio non eſſet debita, ſed mera Gratia, quia cum eo caſu diſpenſare non teneatur, poteſt legis obligationem in aliam materiam ſubrogare, ut animadvertit Sanch. *in ſelect. diſput.* 54. *numer.* 40. relatus à Diana *l. c.*

Animadvertendum Undecimo, Diſpenſationem 512
matrimonialem finire unico actu; unde uno ex Conjugibus mortuo, ſi cum alia Conſanguinea ſuperſtes contrahere velit, nova opus erit Diſpenſatione, quia prima Diſpenſatio obtenta fuit pro Matrimonio cum expreſſis Perſonis contrahendo, & non cum qualibet alia Conſanguinea, vel Affine, Sanchez *libr.* 8. *diſp.* 31. *num.* 13. Salas *de legib. diſp.* 20. *d. ſect.* 19. 513
in princip. At ſi Diſpenſatio facta ſit in Voto Caſtitatis, vel Religionis ad effectum Matrimonii contrahendi, non finitur primo actu, durante cauſa, ob quam conceſſa fuit, niſi Superior alias exprimeret, nam tunc eſt abſolute conceſſa ad ineundum Matrimonium; & regulariter Diſpenſatio abſolute, & ſine limitatione conceſſa, non finitur primo actu; Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 31. *num.* 11. Bonacc. *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 10. §. 30. *propoſ.* unica *num.* 1. Salas *l. cit.* At ſi ab Epiſcopo in aliquo urgenti neceſſitatis 514
caſu diſpenſatum fuiſſet ſuper Voto aliquo, alias Papæ reſervato, tunc Diſpenſatio ultra illum caſum non extenditur; Sanch. *d. diſp.* 31. *num.* 10. Steph. à S. Greg. *univ. tract. de Div. Piet. lib.* 3. *cap.* 113. *n.* 17. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt, ultra illum præciſum caſum, abſolute diſpenſare, ſed poteſt, qua- 515
tenus neceſſe eſt, ad ſubveniendum alicui urgenti, & præciſæ neceſſitati.

Adnotandum Duodecimo, quod ſi Oratores, qui 516
Mandatum de diſpenſando à Pontifice impetrarunt; petant à Delegato ut diſpenſet, eo quod omnia, quæ verificanda erant, verificata ſint, nec ullum obſtet Impedimentum, quin diſpenſari poſſint, nec ſcandala ulla ex Diſpenſatione facienda timeantur, & tamen ab ipſo Delegato injuſte diſpenſatio denegetur, poterunt Oratores à dicta denegatione appellare, & ad Sanctiſſimum recurrere; quia eo caſu Diſpenſatio debita eſt, & Delegatus velit, nolit, diſpenſare tenetur, per ea, quæ ſupra diximus.

An autem, & quando hujuſmodi appellatio ſit abſolute admittenda, & quando ad effectum devolutivum tantum, diximus ſupra.

Adnotandum Decimotertio, quod ſi Diſpenſatio 517
matrimonialis ab ipſo Legislatore conceſſa revocetur, priuſquam ejus effectus, ad quem conceſſa fuerat, adimpletus ſit, valida erit revocatio; Sanch. *libr.* 8. *diſp.* 33. *num.* 13. Bonaccin. *de legib. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 10. §. 2. *propoſ.* 2. *num.* 2. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 8. *num.* 4. Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 89. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 18. *in princip.* Reginald. *lib.* 31. *cap.* 27. *num.* 208. Ratio eſt, quia Diſpenſatio, donec non fuerit exequutioni demandata, pendet à voluntate Diſpenſantis; & ſicut Diſpen- 518
ſans eximit Subditum ab obligatione Legis, Diſpenſatione mediante, ita poteſt per Diſpenſationis revocationem eidem obligationi illum denuo ſubjicere, quia utitur jure ſuo. Si tamen, abſque juſta cauſa 519
Pontifex id faceret, illicite quidem ageret, & reſtituere tenetur pecunias pro Diſpenſatione erogatas, ut docent Sanch. *n.* 13. & Reginald. *n.* 213. *ll. cc.* Tuſch. *concluſ.* 67. *num.* 1. *littera S.* Merolla *tom.* 3. *diſput.* 6. *c.* 7. *dub.* 7. *n.* 205. quia cum Diſpenſatio ob cauſam juſtam conceſſa fuerit, ſine qua cauſa, nec ſolet, nec licitè poteſt diſpenſari, ut dicemus *lib.* 3. *cap.* 1. & hæc Diſpenſatio conceſſa fuerit per modum contractus, nempe ex cauſa juſta, & cum ſolutione Compoſitionis, non poteſt Pontifex ad ejus arbitrium Diſpenſationem revocare; ad hoc enim ut revocatio licite fiat, requiritur, ut juſta cauſa revocandi adſit,

& re-

& restitutio Compositionis per Oratores propterea solutæ fiat, ut bene animadvertunt præfati Sanchez
520 Salas, & Meroll. *ll. cc.* Inferior tamen si in Lege Superioris dispenset, non poterit Dispensationem absque justa causa valide, nec licite revocare; Reginald. *l. c.* Bonacc. *de legib. dict. propos.* 1. *numer.* 12. Sanch. *d. disp.* 33. *num.* 12. Trullenck, & Salas *ll. cc.* Meroll. ubi supra *num.* 206. Pelliccion. *qq. Illustr. quæst.* 21. *cap.* 3. *pag. mihi* 161. *col.* 2. *in fine*; Et propterea nec ipse major Pœnitentiarius Papæ poterit
521 ad libitum Dispensationem revocare, quia ipse quoque non dispensat auctoritate ordinaria, sed auctoritate Pontificis, ut docent plerique Doctores supra proxime citati. Ratio est, quia Inferior, si jam dispensavit, Dispensatum ab obligatione Legis exemit auctoritate Superioris, & non propria; unde non potest ipsam Dispensationem revocare, quod est quasi de novo Legem imponere.

Dixi, Pontificem posse Dispensationem revocare, si non fuit plene effectum sortita, quia si, post fa-
522 ctam Dispensationem Oratores jam contraxissent Matrimonium, revocare non poterit, cum non sit adhuc res integra; Sanchez *libr.* 8. *disp.* 33. *numer.* 2. Bonacc. *dict. prop.* 2. *numer.* 2. *vers. Dixi in propositione.*

Dixi pariter, si Dispensatio fuisset plene sortita effectum, quia si hic esset divisibilis, & nondum in
523 totum consummatus, aliter esset; ut si quis ob infirmitatem dispensatus fuisset, ut tempore Quadragesimæ carnes comederet, & transactis nonnullis diebus, cesset infirmitas, quæ causa fuit Dispensationis; quia tunc, pro tempore subsequenti, cessabit Dispensatio, Bonacc. *d. punct.* 10. *prop.* 4. *numer.* 11. & alii communiter.

524 Adnotandum Decimoquarto, non obstare validitati Dispensationis matrimonialis pro foro externo obtentæ, si antequam fuerit exequutioni demandata, ei à Dispensatis renuntietur, dum ea renuntiatio non sit à Legislatore acceptata, cum ob simplicem renuntiationem, Dispensatio non amittat vires suas, ut bene Sanch. *l.* 8. *disp.* 32. *num.* 2. Reginald. *l.* 31. *cap.* 27. *num.* 213. Meroll. *tom.* 2. *disp.* 4. *c.* 6. *dub.* 30. *numer.* 476. Bonacc. Escob. & Trullenck *mox citandi*;
525 quamvis etiam dispensati, sic renuntiando, Literas laceraſſent; Sanch. *num.* 5. Merolla *num.* 485. *ll. cc.*
526 quia ad hoc, ut renuntiatio effectum habeat, requiritur, ut Legislator eam acceptet; quod si acceptetur, invalidabitur Dispensatio, quia per hujusmodi renuntiationem, & acceptationem Legislatoris subsequutam, Subditus iterum subjicitur Legi, à qua fuerat per Dispensationem exemptus; Pontius *de matr. l.* 8. *cap.* 18. *§.* 2. *num.* 18. Bonac. *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 10. *§.* 2. *prop.* 3. *num.* 3. *& numer.* 5. Escobar *Theol. mor. d. c.* 3. *vers. Quidnam efficit*, Trullenck *n.* 5. Salas *n.* 118. *ll. cc.* Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 69. *circa finem*.

527 Disputat Sanchez *l. c. num.* 4. an si hujusmodi renuntiatio acceptetur non ab ipso Pontifice Legislatore, sed ab ejus delegato, qui nomine Summi Pontificis dispensavit, an per hujusmodi acceptationem invalidetur Dispensatio facta; & tandem concludit requiri, ut dicta renuntiatio ab ipsomet Pontifice acceptetur, ad hoc, ut Dispensatio facta invalidetur per hujusmodi renuntiationem, nec sufficere si à delegato acceptetur, quia Papa dum Dispensationem delegato committit, præsumitur in dicta voluntate per-
528 manere, cum mutatio voluntatis non præsumatur, *cap. Licet* 3. *de Baptismo*, *circa finem*; Genuens. *in pract. fori Ecclesiastici*, *quæst.* 333. *num.* 2. Nen. *cons.* 4. *numer.* 9. Ricciullius *de jure personar. l.* 3. *cap.* 8. *num.* 7. Mantic. *de conject. l.* 5. *titulo* 15. *numer.* 6. & cum totus Dispensationis valor ab ipsomet Legislatore pendeat, non potest delegatus novam Legem imponere, subjiciendo Legi eum, cum quo dispensavit; cum ipse nil possit in Lege Superioris nisi id tantum, quod sibi in Mandato conceditur; Quod idem confirmant Reginald. *l.* 31. *c.* 27. *num.* 213. & Meroll. *l. c.*

529 Scias tamen maximum esse discrimen inter Dispensationes, quæ fiunt in Lege, & alias quæ fiunt in Voto & Juramento, quia Legum obligatio ab alio pendet; istorum vero, ab ipsomet Vovente, vel Jurante procedit; Unde primo casu si renuntietur Dispensationi, & dicta renuntiatio non acceptetur à Legislatore, Dispensatio adhuc valida erit; ex quo enim Dispensatus jam fuit potestate dispensantis, ab obligatione Legis liberatus, requiritur ad illum denuo obligandum, ipsius Legislatoris consensus, ut diximus. At Dispensationes, quæ super Votis, seu Juramentis fiunt, si semel perfecte concessæ sunt per simplicem renuntiationem, etiam internam, suam vim amittunt; & consequenter, hi, qui ei renuntiave- 530
runt, nova egebunt Dispensatione, si ab illis eximi velint; Salas *de legib. l. c. n.* 118.

Quod si non fuissent hæ Dispensationes perfecte concessæ, ut si fuisset à Pontifice concessum Mandatum ad Dispensandum, sed nondum fuisset à delegato exequutum; tunc quamvis dicto mandato pluries renun- 531
tietur, poterit nihilominus dispensandus, mutata voluntate, Dispensationem accipere, eaque uti; quia cum Dispensatio nondum facta fuerit, non fuit adhuc ab obligatione Voti, vel Juramenti exemptus; Sanchez *numer.* 3. Bonacc. *numer.* 6. & Merolla *numer.* 481. *ll. cc.*

Adnotandum Decimoquinto, validam esse Dispen- 532
sationem ex justa causa à dispensare Potente factam ob metum, ad finem etiam ipsam Dispensationem extorquendi, incussum, dummodo fuerit intentio Dispensandi; quia nullo Jure hujusmodi Dispensatio annullatur, & regula generalis est, ut gesta per me- 533
tum valida sint, excepris casibus à Jure expressis; Vide Diaz *part.* 8. *tr.* 3. *resol.* 76. Escobar *Theol. moral. tr.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *vers. Metum*; Bonaccina *de leg. disp. prim. quæst.* 2. *puncto* 6. *n.* 1. Merolla *tom.* 1. *disp.* 1. *c.* 3. *dub.* 19. *n.* 313.

Tandem adnotandum, quod quando Episcopus po- 534
test auctoritate sua ordinaria in aliquo Impedimento, v. gr. in Voto pœnali Castitatis, vel non nubendi, dispensare, quamvis fuerit à Pontifice impetrata facultas super eo dispensandi, & commissa fuerit Dispensatio Ordinario, seu Confessario, poterit ille, in cujus favorem Commissio facta fuit, ei renuntiare, & Episcopum adire, ut sua auctoritate ordinaria dispenset; Sanchez *l.* 8. *disp.* 14. *num.* 3. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 13. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 56. *dub.* 14. *num.* 222. Ratio est, quia cum dicta commissio 535
facta fuerit in ipsius dispensandi gratiam, non debet in ejus damnum retorqueri, *l. Quod favore*, *C. de leg. reg. quod ob Gratiam* 61. *de reg. juris in* 6.

Ampliat Sanchez *l. c.* id rite procedere, quamvis 536
virtute Commissionis Pontificiæ, Ordinarius, vel Confessor, in eo Voto dispensasset, partem commutando; Nec prius adjisse Superiorem ullum præventionis effectum operatur, ut bene idem Sanchez *numer.* 7. *l. c.* Immo quamvis Episcopus, vel alius di- 537
spensare Potens, recusasset, & dispensandum ad Pontificem remisisset, & hic Commissionem de dispensando concessisset, posse nihilominus Episcopum, vel alium dispensare potentem adiri pro Dispensatione, si Oratores Commissioni Pontificiæ renuntient, aperte docent idem Sanchez *d. disp.* 14. *num.* 8. & Salas *de legib. num.* 106. *l. c.* Ratio est, quia non agitur de Dispensatione contentiosa, nec ea comprehenditur *in cap. Licet* 5. *de offic. Delegati*.

Si causa finalis Dispensationis cesset, an & quando vitiet, dicemus *l.* 3. *c.* 1.

PROLEM SUSCIPIENDAM EXINDE LEGITIMAM NUNCIANDO.

Duo diversa in Mandato Pontificis conceduntur, nempe Potestas dispensandi cum Oratoribus super Impedimento, & Prolem suscipiendam ex hujusmodi Matrimonio legitimandi; unde si Mandatum, quo- ad Dispensationem, non potuisset habere effectum, 538
propter supervenientem mortem alterius ex Oratoribus, vel aliud justum Impedimentum, poterit nihilominus habere effectum, quoad legitimationem Prolis, quamvis Parentes, qui Mandatum à Pontifice obtinuerunt, mortui sint, idque etiam in præjudicium venientium ab intestato, Sanchez *libro* 8. *disp.* 7. *numer.* 6. Gratianus *disceptat. forens. cap.* 138.

cap. 138. *nu.* 48. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſa* 5. §. 9. *num.* 57. ubi duas Deciſiones Rotæ propterea refert Seraphinus *deciſ.* 1121. *per totam*; Quaranta *in ſumma Bullarii*, *verbo* Matrimoniales Diſpenſat. *in fine*, Peregr. *de fideicomm. art.* 24. *num.* 83. Fuſar. *de ſubſtit. quæſt.* 409. *num.* 119. Merlin. *de legitima lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 21. Rota *deciſ.* 107. *num.* 2. *part.* 1. *diverſ.* Tuſch. *concluſ.* 142. *num.* 18. *lit. M.*, & alii plures, quos cap. ſequenti referimus; quia, ut diximus, hæ Poteſtates ſuper diverſis ſunt: Aliud enim eſt diſpenſare ſuper Impedimento, & aliud eſt legitimare Prolem.

Animadvertunt, & bene, Sanchez *d. diſp.* 7. *nu.* 150. & Squillante *de priv. Cleric. cap.* 4. *num.* 43.
539 quod hæc facultas Prolem legitimandi conceditur tantum in favorem Matrimonii, & aliter Papa non ſolet concedere; unde cauſa finalis hujuſmodi conceſſionis ſit Matrimonii contractus; iſto non ſequuto ex culpa Oratorum, v. gr. quia pœnitentia ducti noluiſſent Matrimonium contrahere, probabilius eſt non valere Legitimationem poſt mortem Parentum factam, maxime in præjudicium Tertii.

540 Porro multæ ſpecies Illegitimorum in Jure traduntur; Alii dicuntur Illegitimi, alii Spurii, alii vulgo concepti, Manzeres, Inceſtuoſi, Nepharii, Adulterini, Sacrilegi, Nothi, Hibridæ, Baſtardi; & hi omnes, late ſumpto vocabulo, Illegitimi dicuntur, Rota *inter impreſſ. poſt pr. volum. conſil. Farinacii*
541 *deciſ. 6. part.* 1. *num.* 2. Proprie tamen illi dicuntur Illegitimi, qui ex concubitu Viri, & Mulieris, à Lege non admiſſo, procreati ſunt.

542 Spurii dicuntur generaliter illi omnes, qui non juſte nati ſunt, nec differunt ab Illegitimis; Unde ſi natus ex Inceſtu Diſpenſationem petat, ſeu Legitimationem, & exprimat ſe Spurium, valide impetrabit, quamvis non fecerit mentionem, quod ex Inceſtu natus ſit, quia nomen Spurii comprehendit omnes Illegitimitatum ſpecies; Proprie tamen Spurii dicuntur, qui ex publica Meretrice, cui omnibus patet aditus, nati ſunt; & dicuntur Spurii quaſi ſparſim concepti. Vide Ventriglia *in praxi annot.* 15. §. 2. *num.* 3. & dicuntur etiam Varii, eo quia ex vario ſemine in lucem emiſſi ſunt, Ventriglia *l. c.*
543 *num.* 5., & hi Spurii, ſeu Varii per ſubſequens Matrimonium non legitimantur, Vivian. *de jure patronat. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 24. Garcia *de Benef. par.* 7. *cap.* 2. *nu.* 33. nec dicuntur conjuncti, Felin. *cap. Nonnulli* §. *Sunt & alii*, *de reſcriptis num.* 56. Garcia *l. c. num.* 40. Maranta *in ſpeculo aureo part.* 6. *cap. Quod incipit* Secundus actus, *verſ. Septimo limita num.* 20.

544 Vulgo concepti dicuntur, qui Patrem oſtendere non poſſunt, quia certum Patrem non habent, vel eum habent, quem habere non licet, de quibus *in lege*, *Vulg. de ſtatu hominum*, Ventrigl. *num.* 4. *l. c.* Rota *deciſ.* 661. *num.* 3. *part. recent.*

545 Manzeres Hæbreum nomen eſt, & illi proprie ſic dicuntur, qui de ſcorto nati ſunt, *cap. Niſi cum*, §. *perſonæ*, *de renunciat.* Ventriglia *num.* 6. *l. c.* Nicaſius *ſuper inſtit. lib.* 1. *tit.* 11. *de adopt.* §. *Non ſolum nu.* 5.

546 Inceſtuoſi ſunt, qui ex Concubitu cum Conſanguinea, vel Affine, ex linea tranſverſali nati ſunt, *Gloſſ. in rubr. C. de Inceſt. Nuptiis*, Ventriglia *num.* 7. *l. c.*

547 Nepharii, hi proprie ſunt, qui ex linea Aſcendentium, & Deſcendentium nati ſunt; quamvis Nepharii, & Inceſtuoſi promiſcue ſumantur omnes, qui infra Gradus prohibitos concepti ſunt, *ut l. fin. ff. de ritu nupt. & in* §. *ergo inſtit. de Nupt.* Ventriglia *num.* 8. *l. c.*

548 Adulterini proprie dicuntur, qui ex Adulterio nati ſunt, *ut l. inter* §. *de Adult.* Quamvis etiam poſſint dici Adulterini, filii ex ſtupro nati, quia lex Julia *in l. ſtuprum ff. de verb. ſignif.* indifferenter utitur verbis Adulterii, & Stupri, ut animadvertit idem Ventriglia *l. c. num.* 9.

549 Sacrilegi dicuntur, qui ex Patre, vel Matre ad ſacra dicatis concepti ſunt; Regulariter autem atten-
550 ditur ad qualitatem Matris; Quod ſi ex Clerico, & Muliere ſoluta nati ſint, dicuntur Spurii; ſi ex Sacerdote, & Nupta, dicuntur Adulterini. Nati ex Matre Religioſa Profeſſa, & Deo dicata, vocantur Sacrilegi; excipiuntur tamen ab hac regula filii nati ex ſoluta, & Monacho profeſſo, quia quamvis Mater ſoluta ſit, dicuntur Sacrilegi, vide dictum Ventriglia *l. c. n.* 10. 551

Nothi Græco ſermone vocantur illi, qui apud nos 552
dicuntur Naturales, Ventriglia *n.* 11. *l. c.* & hi proprie ſunt, qui ex Matre non uſque adeo cuſtodia, ut loco Uxoris haberetur, nati ſunt, Rota *deciſ.* 1168. *nu.* 1. *lib.* 3. *par.* 3. *diverſ.*

Hibridæ ſunt, qui ex imparibus Parentibus nati 553
ſunt, Ventriglia *l. c. n.* 12.

Baſtardi dicuntur à verbo Germanico Boeſſart, 554
hoc eſt, Degeneris ingenii; Lotherius *de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 48. *nu.* 164. & hi ſunt qui ſimiliter ex imparibus Parentibus nati ſunt, Ventriglia *l. c.*

Diſputant Doctores, an potens ex Privilegio le- 555
gitimare Adulterinum, & Inceſtuoſum, poſſit quoad eum, qui utroque vitio laborat; & plerique concludunt, quod ſi hujuſmodi poteſtas conceſſa ſit in favorem Perſonæ, cui fuit conceſſum Privilegium, poſſit eo caſu legitimare eum, in quo utrumque vitium concurrit, quia hæc poteſtas eſt large interpretanda, ut diximus *d. cap.* 2. & docent Sanchez, Layman. Filiuccius, & alii, quos ibi citamus; & propterea hæc generalis Regula à Doctoribus aſſignatur, ſi Poteſtas diſpenſandi, vel legitimandi ſit ge- 556
neraliter conceſſa non expreſſis Perſonis, quibus cum Diſpenſatio, ſeu Legitimatio ſunt faciendæ, latè interpretari debet, & conſequenter in favorabilibus mixtum comprehenditur in ſimplici. Si fuerunt expreſſa nomina Perſonarum, quæ legitimari debent, ſtrictè intelligi debet, & conſequenter non poterit quoad utrumque vitium legitimari, quia cùm ſimus 557
in odioſis, mixtum non comprehenditur ſub ſimplici, ut diximus *Cap.* 2.

Ad hoc autem, ut quis cenſeatur Illegitimus, an debeat attendi tempus conceptionis, vel nativitatis, dicemus *Cap. ſequenti*, ubi adnotabimus, quæ, ac qualis differentia ſit inter Legitimationem Prolis ex Coitu fornicario ſuſceptæ, & Legitimationem factam à Papa in radice Matrimonii, & alia etiam magis practicabilia circa hujuſmodi materiam Legitimationis.

VOLUMUS AUTEM, QUOD SI SPRETA MONITIONE NOSTRA.

Iſta Clauſula *Volumus autem*, *&c.* eſt fons, & 558
radix omnium Diſpenſationum, Menoch. *de arbitr. caſu* 496. *num.* 1. *lib.* 2. & Jus novum inducit, Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 28. *num.* 27. Merolla *tom.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 11. *num.* 174. & non eſt comminatoria tantum, Garcia *de benef. par.* 6. *cap.* 3. *num.* 153. Barboſa *de clauſ.* 186. *num.* 1. & eſt idem ac ſi diceretur *alias Gratia ſit nulla*, Garcia *num.* 154. *l. c.* Unde conditionem importat, maxime atten- 559
ta dictione *Autem*, quæ eſt adverſativa, Cornel. *conſ.* 44. *num.* 7. *vol.* 3. Hieron. Palma *conſ.* 8. *numer.* 16. Reſponſa Marantæ *reſp.* 55. *numer.* 56. 560
part. 4. & cum hujuſmodi Prohibitio ſit geminata, operatur ultra ſolitum, & magis enixam Papæ voluntatem demonſtrat, Mandoſ. *regul. de inf. quæſt.* 16. *numer.* 9. Seraphin. *deciſ.* 326. *num.* 13. & omnem dubietatem tollit, Gutierez *practic. qq. lib.* 3. 561
& 4. *quæſt.* 17. *num.* 129. Et quamvis eadem Prohibitio accipiendi munera, aut præmia æque apponatur in Literis Diſpenſationum, quæ committuntur in forma ordinaria, ac in aliis, quæ conce- 562
duntur in Forma Pauperum; eſt tamen differentia in Reſcripto Papæ, quia primo caſu, ſi Delegatus contraveniat Præcepto Papæ, incurret quidem excommunicationem latæ Sententiæ, ſed Abſolutio non erit reſervata Pontifici; At ſecundo Caſu non ſolum incurret eandem Excommunicationem, ſed hujus Abſolutio erit Papæ reſervata, ut ex tenore ipſarum Literarum videre eſt, ibi, *quatamdiu innodatus exiſtat*, *donec per ſatisfactionem condignam &c.* quæ clauſula *donec* eſt temporis reſtrictiva, habetque naturam ſuſpenſivam, ut Lezana *in ſumma to.* 3. *verbo dictio n.* 15.

DA-

DATUM.

563 Data est omnibus Scripturis necessario apponenda, alias hæ carent fide, & probatione, *l. pr. C. de Apochis publicis l.* 10. Rebuff. *in praxi Benef. ubi de forma Literarum Tonsuræ num.* 6. Pater Leo *in praxi Sacr. pœnit. part.* 2. post declarationem Impedimentorum Dirimentium *vers. Data, &c. pag. mihi* 241.

564 Et à tempore Datæ Gratia initium sumit, & ejus tempus circa validitatem, vel invaliditatem Gratiæ semper attenditur, Seraph. *dec.* 13. *numer.* 21. *& dec.* 341. *numer.* 9. Rota coram Merlino *decis.* 281. *numer.* 6. Lother. *de re benef. libr.* 2. *quæst.* 37. *num.* 10.

565 Triplex Data in Rescriptis Apostolicis describitur, quæ tamen idem tempus demonstrant, quia statim ac est signata Supplicatio, defertur ad Officialem primæ Datæ nuncupatum, qui in calce Supplicationis notat parvam Datam, quæ ob id parva appellatur, quia parvis verbis inscribitur, v. g. *Quarto Cal. Junii apud S. Petrum Anno secundo*, nec inservit ad alium effectum, nisi ut faciat fidem apud D. Datarium, & memoriam Gratiæ concessæ, seu concedendæ, ut ad Datam illius temporis retrotrahantur, ut testantur, Mandos.* *ad Reg. Canc. Reg.* 15. *de diction. num. qu.* 2. *num.* 5. Lother. *de re Benef. libr.* 2. *quæst.* 23. *numer.* 19. & hæc statim apponitur, ut sciri possit quo die Gratia concessa sit; & idem servatur, tam si Gratia fiat ab ipso Papa, quam si

566 fiat ab alio ejus nomine, & per hanc Datam actus non sit perfectus, Gratian. *discept. for. cap.* 191. *numer.* 8. *tomo primo*. Secunda Data apponitur à D.

567 Datario post revisam Supplicationem à Revisoribus ad id Deputatis, & fit breviter, nempe *Datum Romæ apud S. Petrum quarto Cal. Junii Anno Secun-*

568 *do*, & ad ipsum D. Datarium spectat Datare omnes Supplicationes, tam Gratiæ, quam Justitiæ; & mor-

569 tuo Pontifice, cum ejus officium expiret, tenetur juxta Constitutionem 61 Pii Papæ IV. super reformatione Conclavis, omnes Supplicationes, tam Gratiæ, quam Justitiæ, quæ tempore obitus Pontificis penes ipsum, & ejus Officiales Datariæ reperiuntur, statim consignare Collegio Cardinalium sub Sigillo clausas, futuro Pontifici reservandas.

570 Tertia Data latius, & plenius extenditur in Literis super Supplicatione expeditis, videlicet, *Datum Romæ apud S. Petrum Anno Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Cal. Julii Pontificatus Nostri Anno Secundo*.

ROMÆ.

Roma Legum, & Armorum Parens, Virtutum

571 omnium domicilium, Fidei, ac Pietatis, & veræ Religionis sedes, teste Leotard. *de usur. qu.* 79. *numer.* 46. estque communis Patria, Paris. *de consid.*

572 *qu.* 21. *num.* 7. Gratian. *discept. for. cap.* 596. *num.* 14. *& numer.* 15. *tom.* 3. estque Caput omnium Nationum, & propria Sedes Summorum Pontificum, *capit. Fundamenta* 17. *de elect. in* 6. & in ea Divinitus Apostolica Sedes ordinata fuit; *cap. per venerabilem* 13. §. *qui autem superbierit, qui filii sint legitimi*; *cap.*

573 *Rogamus vos* 15. *causa* 24. *qu.* 1. Licet enim Petrus Sedem primitus constituerit in Antiochia, post septennium tamen, Anno secundo Claudii Imperatoris Romam se transtulit, causa abigendi Simonem Magum, ibidemque susceptus hospitio à Pudente Senatore, Baronius *Annal. Anno* 44. *num.* 51. Sedem, quam Antiochiæ posuerat, huc sequenti Anno transportavit; Baron. *loc. citat. num.* 61. Unde Romanus

574 Episcopatus fuit semper inseparabiliter connexus Pontificatui Maximo, Lother. *de re beneficiaria libr.* 1. *c.* 46. *num.* 22.

575 Et quamvis postea in Gallia per annos septuaginta Clemens V. & alii Successores, & aliis etiam in locis, diversis temporibus, ob persequutiones habitas, fuerint commorati, S. Bernardus *Epistola* 242. *ad Populum Romanum*, *& Epistola* 243. *ad Imperatorem Corradum*, nunquam tamen Apostolica Sedes translata fuit, ut late probat Cardinalis Jacobatius *de Con-*

576 *cilio lib.* 8. *art.* 6. sed jussu Domini Nostri Jesu Christi Romæ fixa fuit, S. Marcellus Papa, & Mart. *in Episcopali ad Antiochenos*, & S. Ambrosius in Oratione *de tradendis Basilicis*: Bellarminus *l.* 1. *de Romano Pontifice cap.* 23. *lit.* E *l.* 4. *de Romano Pontifice capit.* 4. nec Sanctam Sedem Apostolicam posse alio 577 transferri, ex quacumque causa, præterquam divinæ Revelationis, probant Barbos. *de jure Eccl. univ. l.* 1. *cap.* 3. *numer.* 189. Jacobatius *loc. citat.* Turrecremata *in Can. Rogamus* 14. *q.* 1. *numer.* 2. *&* 3. & probabilissimum esse affirmat Bellarminus *loc. citat. vers. Accedit*.

Hanc autem nobilissimam Civitatem cum illius Di- 578 strictu, Anno 726. Populus Romanus impiissimi Leonis Isauri, & Græcorum jugo excusso, Pontifici subjecit, Baron. *Annal Eccl. d. anno* 726. *num.* 34. *& num.* 40. *& anno* 731. *nu.* 2. Sigonius *de Regno Italiæ l.* 3. *sub anno* 727.

APUD SANCTUM PETRUM.

In Literis Apostolicis apponitur de stylo locus specialis, ubi Pontifex residere solet; si etenim resideat 579 in Palatio Vaticano, Data erit *apud S. Petrum*; si resideat in Monte Quirinali, vulgo *Monte Cavallo* (ut solet tempore æstivo, tunc prius dicebatur) *Datum Romæ in Monte Quirinali*; & sic ante Pontificatum Pauli V. dictum fuit; sed ipse Paulus, quando ibi commorabatur ob eximiam devotionem, quam erga Sanctissimam Genitricem, illiusque Ecclesiam gerebat, voluit, quod deinceps diceretur. *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem*. Aliquando etiam Papa commoratur extra Urbem in Villa Tusculana, vulgo *Frascati*, & tunc dicitur, *Datum Tusculi*; Quod si Papa sit in Arce Gandulphi, ubi Urbanus Octavus sæpe reperiebatur, dicitur *Datum in Arce Gandulphi, Albanen. Diœcesis*; Et quidem, ubicumque Papa sit, 580 potest dici, *Datum Romæ*, quia ubi est Papa, ibi est Roma, ut dixit Baldus *super Rubr. ff. de rerum Divisione num.* 24.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ, &c.

Quamvis variæ sint apud varias Mundi Nationes annorum, & temporum supputationes; Alii namque 581 Lunationum habent, ut Sinenses, Japonenses, & Æthiopæ, ut ex eorum Historiis patet. Alii à constructione Urbium insignium, ut à Roma condita, Troja eversa, & similibus; Alii à Ludis Olympiacis singulorum Quinquenniorum, ut Plutarchus *in l. de Homero à princ.* At Ecclesia Catholica ab Incarnatio- 582 ne Dominica, potius quam à Creatione Mundi, tum ob insigne nostræ Redemptionis Beneficium, tum quia inde incæpit sexta ætas Mundi, duratura usque ad finem sæculi; & sic Annus de stylo Curiæ Romanæ, 583 incipit currere ab Octavo Cal. Aprilis, quæ est dies 25. Martii, ut notum est; Isto etiam Anno Roma- 584 no, quo nos modo utimur, usa est Romanorum Respublica ab Imperio Julii Cæsaris, qui Ægyptios imitatus ad certum dierum numerum Solis redegit Annum, Intercalario Antiquo mense sublato, ut unus dies quarto quoque Anno intercalaretur, qui etiam hodie intercalatur, propter uniuscujusque Anni quadrantem, qui ad perfectum Solis cursum post 365. 585 dies deerat; Prius enim Romulus ex decem mensibus constituerat Annum Solarem, Numa vero ex duodecim, sed adeo confuse, & imperfecte, ut necesse fuerit à dicto Cæsare immutari; & hoc Anno 586 Solari usa semper est Ecclesia Christi, & totus fere Orbis; Constat autem ex diebus 365. & incipit in Kalendis Januarii. Vide Plinium *l.* 18. *c.* 25. & Macrob. quos refert Covarruv. *tom.* 2. *var. resol. c.* 18. *numer.* 2.

QUARTO KALENDAS JUNII.

Ex Regulis Cancellariæ Apostolicæ præcipitur, ut 587 Dictiones Numerales in Literis Apostolicis, quæ sub Plumbo expediuntur, ante Kalendas, Nonas, & Idus, per Literas, & Syllabas extense scribantur; & si aliter scriptæ fuerint ad Bullariam mittantur, & hoc ad tollendas fraudes, v. gr. si ipsæ Dictiones scriberentur abbreviate *VI. Kalend.* posset addi *I.* & diceret Septimo, & sic de aliis, ut expresse cavetur *Regula* 15. *Cancellar.* Ipsæ tamen Kalendæ, Nonæ, & Idus, sufficit de stylo, ut abbreviate scribantur, ut testatur Mandosius *Regul.* 15. *de diction. numerali quæst.* 3. *&* 4. In Literis au- 588

tem , quæ in forma Brevis expediuntur , aliter ſe habet ſtylus , ut omnibus notum eſt , quia dicitur ſuccinctim . *Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die* 25. *Januarii* 1656. *Pontificatus Noſtri Anno Secundo* , & ſi aliter Literæ expedirentur , eſſent de falſo ſuſpectæ , tanquam contra ſtylum Romanæ Curiæ *per Textum in cap. Quam gravi* 6. *de Crimine falſi*.

589

PONTIFICATUS NOSTRI ANNO SECUNDO.

590 Nomen Pontificis , & Annus ejus Pontificatus ſunt de eſſentia Datæ , ut probat Paul. Leo *in praxi Sacræ Pœnitentiariæ p.* 2. *poſt Impedimenta Dirimentia*, *verſ. Quod nomen* , *pag. mihi* 243.

591 Annus Pontificatus incipit à die Conſecrationis , & Coronationis Pontificis , quia de conſuetudine ipſe Papa non ſcribit Pontificatum in Dataria ante eandem Conſecrationem , & Coronationem , ſed dicit , *Suſcepti à Nobis Apoſtolatus Officii* , *Anno Primo* ; Zerola *in praxi Epiſc. part.* 1. *verbo Papa in prin-*
592 *cipio* , quamvis de Jure ex ſola electione legitime facta , abſque alia Confirmatione , plenam adminiſtrationem conſequatur ; Franc. *ſuper Data ſexti Decretal. n.* 7. *verſ. Et adverte* ; Scribitur autem Annus
593 Pontificatus immediate poſt Annum Dominicæ Incarnationis , ad denotandum , quod poſt Chriſtum Dominum , non ſit in Terris Poteſtas major illa , quam Deus tribuit Summo Pontifici ſuo Vicario .

594 Apponitur tandem Plumbum appenſum , ut Literæ authenticæ ſint , alias non probant , *cap. licet* 5. *de crim. falſi* ; Pater Leo *in dict. praxi part.* 2. ubi *de Impedim. dirimentibus* , *verſ. Immo Bulla* , *pag. mihi*
595 240. & per appoſitionem Plumbi , Literæ cenſentur
596 expeditæ ; Ludoviſ. *deciſ.* 440. *num.* 5. Sigillum namque authenticat Scripturam *cap. Scripta* 2. *& cap. Inter Dilectos* 6. *de fide Inſtrumentorum* ; Idem Pater Leo *in d. praxi part.* 3. ubi *de Abſolutione ab hæreſi* , *verſ.* Nullum *pag. mihi* 531. Garcia *de Benef. part.* 4. *cap.* 2. *n.* 56. Gomeſ. *ad Reg. Cancell. regula* , Demum judicando ad formam ſupplicationis , *quæſt.* 1. *lit. F. verſ.* Et tamen ulterius.

Sunt in dicto Plumbo ſculpta , ab una parte , verba , nomen Pontificis Concedentis exprimentia , & in alia adſunt Effigies S. Petri à ſiniſtris , & S. Pauli à dextris ; quamvis in Numiſmatibus Pontificiis Petrus ſit à dextris , & Paulus à ſiniſtris ; Ratio
597 autem , cur Paulus ponatur à dextris , & Petrus à ſiniſtris , cum alia major ſit Dignitate , diverſimode affertur , ut videri poteſt penes Bellarmin. *lib.* 1. *de Roman. Pontif. cap.* 27. Corrad. *in praxi Diſpenſ. Apoſt. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſa* 1. *n.* 35. Gratian. *diſcept. forenſ. c.* 106. *n.* 46. *tom.* 1. *& alios* ; Verior tamen ratio eſt , quia Paulus videtur magis Eccleſiæ profuiſſe , quam Petrus ; Plures etenim Gentes ad Chriſti fidem adduxit , plures Provincias ſummo labore peragravit , pluraque utilia ſcripta nobis reliquit unde ad hoc , ut cognoſcatur quanto honore Paulus dignus ſit , Eccleſia ponit in Diplomatibus Paulum à dextris , quamvis in Numiſmatibus eundem collocet à ſiniſtris , cum Petrus major ſit poteſtate , Paulus vero ſapientia.

Præſentatis itaque Literis Diſpenſationis Delegato , & ab eo diligenter recognitis , & fide dignis repertis , & verificatis omnibus , quæ ex earum tenore debebunt verificari , ſervataque omnino dictarum Literarum forma , ad Decretum Diſpenſationis , & Legitimationis Prolis Delegatus deveniet .

598 Hic obiter nota , primo ; Quod ſi præhabita diligenti Informatione Delegatus bona fide declaravit preces veras fuiſſe , & eſſe , & propterea diſpenſet , ſententia iſta , quamvis forte injuſta eſſet , tamen eſt valida , & vim rei judicatæ habet ; Colligitur ex *cap. Cum inter* 13. *de ſent. & rejudic.* & legitime lata præſumitur ; Maſcard. *de probat. concl.* 1162. *n.* 20. *& concluſ.* 1296. *n.* 35. Reſponſa Marantæ *reſp.* 94. *nu.* 15. Barboſa *de axiom. axiom.* 200. *n.* 2. *& in Votis Canonic. vot.* 17. *n.* 85. *lib.* 2. Pontius *de matr. lib.* 8. *c.* 17. *ſ. ult. n.* 42. Rota *deciſ.* 684. *num.* 1. *part.* 2. *recent. & deciſ.* 103. *num.* 6. *& deciſ.* 287. *num.* 5. *part.* 1. *recent.*
599 Rota coram Durano *deciſ.* 7. *n.* 19. Quia pro Delegato , quod rite , & recte ſuum munus expleverit , eſt præſumptio , *l.* 2. *ff. de off. Judicis* , Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtici* , *reſol.* 425. *num.* 1. Seraph. *deciſ.* 338. *num.* 1. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 155. *num.* 3. Rota coram Merlino *deciſ.* 687. *num.* 13. & per dictam declarationem factam , quod veras compererit preces, 600
probatur Literarum juſtificatio ; Rota coram Buratto *deciſ.* 622. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 765. *nu.* 45. *&* 66. Barboſa *de axiom. axiom.* 131. *nu.* 4. Menoch. *conſ.* 100. *n.* 6. *vol.* 1. ſi tamen inveniat ſe deceptum, vide quæ diximus *cap. præced.*

Nota ſecundo ; quod ſi Reſcriptum à principio 601
fuit ſubreptitium , dolo , vel fraude ; Vel ſi Teſtes pro Informatione inducti fuerunt corrupti , Diſpenſatio facta corruit , & invalida eſt , hujuſmodi ſubreptione , ſeu corruptione detecta ; Pontius *d. c.* 17. *ſ. ult. num.* 42. Barboſa *in votis Canonicis lib.* 2. *voto* 17. *n.* 2. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 21. *n.* 3. & conſequenter Matrimonium , illius Diſpenſationis vigore contractum , erit nullum ; Colligitur ex *c. Conſtitutus* 19. *de Reſcriptis* , & docet Barboſa *l. c.*

Nota Tertio ; Quod licet Delegatus , cui commiſ- 602
ſa fuit Diſpenſatio , cognoſceret , Gratiam per Oratores à Pontifice obtentam aliquo vitio ſubreptionis, vel obreptionis laborare , non tamen poterit aliquid contra ipſius Gratiæ ſubſtantiam decernere , quia id eſſet facere ſe Superiorem , vel ſaltem æqualem Pontifici , & conſtituere Sedem ad Aquilonem , ut ait Lotherius *de re Benef. lib.* 2. *qu.* 41. *num.* 9. cum
ſta cognitio validitatis Literarum Apoſtolicarum ad 603
ipſum , uti Inferiorem , non ſpectet , ſed ad ipſum ſolum Summum Pontificem , qui conceſſit , ut idem Lother. *l. c. num.* 16. Poterit tamen , immo debebit 604
ab exequutione Literarum eo caſu abſtinere , ut idem Lotherius *l. c.* quod idem confirmat Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 27. *n.* 39. *circa finem*.

Si bona fide contracto Matrimonio , ſuperveniat notitia Impedimenti dirimentis , eſſe de novo repetendas ſolemnitates Eccleſiæ , ſi hujuſmodi Impedimentum publicum ſit , diximus ſupra. Quod verum eſt , quamvis in Supplicatione Pontificis porrecta pro Diſpenſatione obtinenda . expreſſum fuiſſet Matrimonium , publice , ſervata forma Concilii Tridentini , 605
contractum fuiſſe . Quamvis enim Oratores contrahendo bona fide , Impedimentum ignorantes , non ſubjiciantur pœnis *Clementinæ* , *Eos* , quæ ignorantes non afficit , quoad pœnas extrinſecas , ſcilicet Excommunicationis , &c. ſubjiciuntur tamen pœnis intrinſecis , nempe nullitatis Matrimonii ; Navarrus *in Manuali cap.* 23. *n.* 44. Gutierez *de Matrim. cap.* 6. *num.* 10. *&* 11. Pyrrhus Corradus *l. c. n.* 64. *&* 65.

CAPUT VII.

De Diſpenſationibus in forma *Pauperum* magis uſitatis.

SUMMARIUM.

1 *Diſpenſatio Matrimonialis non conceditur in forma* Pauperum , *niſi ad ſuccurrendum honori Oratricis* , *& gravia ſcandala evitandum* .
2 *Requiritur tamen ad impetrationem Diſpenſationis in iſta forma* , *ut ambo Oratores ſint pauperes* , *& miſerabiles* , *& eorum labore* , *& induſtria tantum vivant* .
3 *Praxis hujuſmodi Diſpenſationis eſt diverſa ab alia* , *quæ circa Diſpenſationes in forma ordinaria ſervatur* .
4 *Formula Literarum Apoſtolicarum pro hujuſmodi Diſpenſatione* .
5 *Praxis hujuſmodi Diſpenſationum declaratur* .
6 *Quando teneatur Orator accedere ad Urbem* .
7 *Quid ſervetur in Romana Curia in conceſſione hujuſmodi Diſpenſationis* , *dum Orator eſt præſens in Urbe* .
8 *Quid ſervetur* , *ſi Orator abſens ſit ab ipſa Urbe* .

9 *Quid*

9 *Quid facere debeat Delegatus, dum Literæ Apostolicæ, & præsentantur ab Oratoribus, qui in forma* Pauperum *impetrarunt.*

10 *Oratores, qui commiserunt Incestum, si eo tempore non habebant notitiam Impedimenti, non commiserunt proprie Incestum.*

11 *Doctrina Pyrrhi Corradi, asserentis exprimi debere utrumque Oratorem scivisse Impedimentum, quamvis unus tantum illud scivisset, proponitur, & rejicitur.*

12 *Dispensatio in forma* Pauperum *potest impetrari, non solum propter Impedimentum Consanguinitatis, vel Affinitatis, sed etiam propter quodcumque aliud Impedimentum dirimens, si alia requisita concurrant.*

13 *Ubi est eadem ratio, eadem debet esse Juris dispositio.*

14 *Si Impedimentum sit infra secundum Gradum, debet exprimi an sint in linea æquali.*

15 *Tam Primus Gradus, quam Secundus, constituunt de per se Impedimentum; unde non sufficit dispensare in linea inæquali super Secundo, & declarare, distantiam Primi Gradus non obstare.*

16 *Si Dispensatio petatur super Primo, vel Primo, & Secundo, ex actu fornicario, necesse etiam erit exprimere Impedimenti provenientiam.*

17 *Eadem Taxa servatur, si Dispensatio impetretur super Consanguinitate, ac super Affinitate.*

18 *Clausula*, Non quidem peccandi data opera, *quid importet.*

19 *Si Oratores habuissent inter se copulam, animo Dispensationem facilitandi, Papa, vel non dispensat, vel difficillime, & cum multis modificationibus.*

20 *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

21 *Qui Crimen non punit, dicitur illud ratificare.*

22 *Dignus non est Ecclesiæ benignitatem experiri, qui ejus salubria præcepta temere contempsit.*

23 *Delinquens sub spe veniæ, gravius peccat.*

24 *Si sub spe veniæ, Oratores deliquerint, Papa mandat duplicari Pœnitentias, & Multas, & apponit clausulam, quod,* Oratorum alter, alteri supervivens, perpetuo absque spe Conjugii remaneat.

25 *Quid, si ambo Oratores cum dicta spe deliquerint.*

26 *Quid, si unus tantum cum dicta spe deliquerit.*

27 *Quid, si post concessam Dispensationem, cum d. clausula,* Quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe Conjugii remaneat, *velit alter, soluto Matrimonio, novum Matrimonium inire.*

28 *In Dispensationibus in forma* Pauperum *concessis semper de necessitate exprimi debet dictus finis.*

29 *Cum ex dispositione Concilii prohibitum sit dispensare cum his, qui dolose, & malitiose cum scientia Impedimenti contrahunt, si Papa dispensaret, absque justa causa, mortale peccatum committeret.*

30 *Ad Concilium spectat, ea, quæ ad fidem, & mores pertinent, definire.*

31 *Regularis, qui Dispensationem impetravit de intrando aliam Religionem, si ad finem facilitandi Dispensationem, dimisit habitum suæ Religionis, debet in Supplicatione exprimere dictum finem, alias Dispensatio erit subreptitia.*

32 *Si unus Oratorum habuit dictum finem, debet id exprimi Pontifici, reprobata sententia Sanchez, & aliorum contrarium docentium.*

33 *Quid, si dictus finis esset occulte in mente retentus.*

34 *Clausula*, Non quidem peccandi data opera, *de mandato Urbani Octavi Summi Pontificis fuit apposita in Dispensationibus, ob solam conversationem suspectam obtentis, quamvis Copula non intercesserit.*

35 *Quamvis dicta clausula in Literis apposita non fuisset, nihilominus subintelligeretur.*

36 *Quid, si Oratores, vel alter ex eis, malitiose, De Justis de Dispens. Matrim.*

coram Delegato, negent cum Juramento dictam spem, & finem habuisse.

37 *Ecclesia Romana cur Apostolica dicatur.*

38 *Ecclesia Romana est omnium aliarum Ecclesiarum Mater, & Magistra.*

39 *Aliquando Sedes Apostolica, juxta communem usum loquendi, accipitur largo modo etiam pro Tribunalibus ipsius Pontificis, & etiam pro ipsa Curia, & pro Congregationibus Cardinalium.*

40 *Quid, si Oratores, post obtentas Literas Delegato directas, sed nondum exequutas, copulam repetant.*

41 *Rejicitur doctrina Pyrrhi Corradi in ea parte, qua docet, tunc tantum esse necessariam repetitionis Copulæ mentionem, si Oratores obtinuerint dispensari in forma* Pauperum, *non autem si obtinuerint dispensari in forma ordinaria.*

42 *Proponitur sententia Auctoris.*

43 *Qui post emissum Votum, obtinuit Mandatum de dispensando super illo, si ante exequutionem à Delegato, seu Confessario factam, Votum repeteret, posset adhuc vigore ejusdem Mandati dispensari.*

44 *Simili modo, si post obtentum Mandatum de dispensando super Affinitate, proveniente ex Copula habita cum Consanguinea Fœminæ, quam quis ducere intendit, ante exequutionem dicti Mandati iterum copulentur, poterunt adhuc dispensari virtute dicti Mandati.*

45 *Aliter tamen esset, si Copula iteraretur cum eadem Consanguinea post factam Dispensationem.*

46 *Formula Supplicationis, si Oratores conversati sint, carnali tamen Copula minime subsequuta.*

47 *Quæ sit causa, qua Pontifex movetur ad dispensandum, dum Copula præhabita, seu conversatio suspecta Oratorum allegetur.*

48 *Jura Matrimonium decernunt ad restaurandum honorem Mulieri violatæ.*

49 *Sola infamia Mulieris est causa Dispensationis.*

50 *Quamvis tractu temporis evenire possit, ut quis Oratricem diffamatam ducat, tamen sat est ad Dispensationem impetrandum, & exequendum, ut tempore petitæ, & exequutæ Dispensationis timor sit, ut innupta remaneat.*

51 *Quæ possunt esse, & non esse, non habentur in consideratione.*

52 *Quæ raro contingunt, non sunt in consideratione.*

53 *Si Oratores petant Dispensationem, narrando pro causa Copulam, & periculum scandalorum, quæ inde timentur, & quod propterea Mulier innupta, & diffamata remaneret, nisi Matrimonium contrahatur, valida erit Dispensatio, quamvis Copula sequuta non fuerit, si verum sit, quod ex conversatione habita, adhuc Oratrix diffamata remaneret, & gravia scandala possent verisimiliter exoriri.*

54 *Copula habita non potest, recta Justitia, movere ex se Pontificem ad dispensandum, quia est Crimen, & Peccatum gravissimum.*

55 *Valida est Dispensatio impetrata ex falsa relatione jam initi, & consummati Matrimonii, si solum initum, non tamen consummatum fuerit.*

56 *Limita, quando sola Copula fuisset falso allegata pro causa finali, nulla facta mentione de diffamatione Mulieris, & periculo scandalorum; quia tunc causa finalis falsa esset, & Dispensatio subreptitia.*

57 *Quamvis post Commissionem à Pontifice factam, & nondum exequutam sequeretur Copula, tamen non revalidaretur Dispensatio impetrata ob dictam falsam causam.*

58 *Si Dispensatio petatur super Gradibus remotioribus, sat est si Oratrix remansura sit diffamata; At in Gradibus propinquioribus requiritur, ut Oratrix graviter diffamata remaneat, gravia scandala timeantur, & periculum vitæ utrique Oratori immineat, nisi Matrimonium contrahatur.*

59 *Quæ verificari debeant coram Delegato, pro hujusmodi Dispensationibus in forma* Pauperum.

60 *Simplex Osculum ab Oratore illatum Oratrici, an censeatur causa sufficiens Dispensationis.*
61 *Oscula, & Munuscula sunt quædam præcedentia ad Venerem.*
62 *Paupertas, & miserabilitas, ad hoc ut Oratores obtinere possint Dispensationem in forma* Pauperum, *requiritur, ut adfuerit tempore petitæ Dispensationis, & subsistat etiam tempore, quo Delegatus Dispensationem exequitur.*
63 *Pauper olim, non præsumitur pauper de præsenti.*
64 *Ad dignoscendum, an Oratores sint pauperes, inspiciuntur fructus, & non valor bonorum.*
65 *Si pro his, quæ narrata fuerunt Pontifici, aliqua causa quoquomodo in Judicium deducta fuisset, non potest Delegatus Dispensationem exequi, nisi post Sententiam, & postquam Oratores Judicato paruerint.*
66 *Quomodo intelligenda sit clausula,* Parito Judicato, *& an sufficiat cautionem idoneam præstari.*
67 *Si Oratrix pro Matrimonio cum Oratore contrahendo rapta fuisset, non potest Delegatus Dispensationem exequi.*
68 *Nec dispensare poterit Delegatus, quamvis omnia probata sint, si cognoscat scandala ex Dispensatione esse oritura.*
69 *Qui dicatur esse pauper.*
70 *Quæ à Jure definita non sunt, & sub certa regula comprehendi non possunt, relinquuntur arbitrio Judicis.*
71 *Nobilis est pauper in eo, in quo Rusticus dives est.*
72 *Quicquid circa alios effectus dici possit, oportet ad impetrandam Dispensationem in hujusmodi forma, Oratores esse pauperes, & miserabiles, & ex eorum cujusque labore, & industria tantum vivere.*
73 *Largo modo, qui dicantur miserabiles.*
74 *Regina Vidua dicitur miserabilis.*
75 *Eo ipso, quod quis pauper est, dicitur miserabilis.*
76 *In casu, de quo agimus, requiritur, ut Oratores sint pauperes, & miserabiles, & ex eorum labore, & industria tantum vivant, itaut natura nos moveat ad miserandum.*
77 *Qui dicatur pauper, relinquitur arbitrio Judicis.*
78 *Arbitrium prædictum regulari debet ex qualitate Personarum.*
79 *Arbitrio Judicis relinquitur, quæ Personæ sint miserabiles.*
80 *Divitiæ non præsumuntur.*
81 *Quilibet nudus, & pauper nascitur.*
82 *Quando ipsa paupertas, & miserabilitas sunt fundamentum intentionis in Concedente, debent verificari.*
83 *Clausula* Dummodo, *quid importet.*
84 *Dictio* Tantum, *cum sit taxativa, omnem alium vivendi modum excludit.*
85 *Non sufficit Oratores esse pauperes, & ex eorum labore, & industria tantum vivere, si ex locupleti industria vivant.*
86 *Non reputatur pauper, qui ex sua industria vivere potest.*
87 *Habere artem, & habere bona, æquiparantur.*
88 *Quando agitur de paupertate ad certum effectum, non attenditur industria, nec opera.*
89 *Nec sufficit verificari sola paupertas, sed debet etiam justificari miserabilitas Oratorum.*
90 *Dictio* Et, *est conjunctiva, & copulativa.*
91 *Dictio* Et, *de sui natura aliquid addit.*
92 *An possit dici pauper Filiusfamilias, qui nil in vita Parentum possidet, sed habet Parentes divites, & an possit obtinere Dispensationem in hujusmodi forma.*
93 *De Jure naturæ Parentes tenentur præstare alimenta Filiis.*
94 *Dum adsunt alii, ad quos spectet onus alendi, quis non potest dici pauper.*
95 *Mater si dives sit, an Filius dicatur pauper.*
96 *Mater tenetur in subsidium alere Filios, quando Pater, & alii Ascendentes ex linea paterna deficerint, vel sint egentes.*
97 *Valet consequentia, si Pater dives est, Filius etiam dives.*
98 *Filius reputatur eadem persona cum Patre.*
99 *Aextimum Patris extimum filii.*
100 *Filii, in vita Parentum, sunt quodammodo domini rerum paternarum, propter usum promiscuum.*
101 *Hæreditas Patris est quasi debita Filiis.*
102 *Hæreditas Patris dicitur continuare in Filium, non de novo acquiri.*
103 *Filii, post mortem Parentum, non videntur hæreditatem percipere, sed magis liberam bonorum administrationem consequi.*
104 *Habetur pro divite, qui actionem habet ad acquirendas divitias.*
105 *Dives reputatur, qui potest facere, ut dives sit.*
106 *Potest dari casus, ut Filiusfamilias impetrare possit Dispensationem in forma* Pauperum, *quamvis Parentes divites sint, ut exemplificatur.*
107 *Si ex aliqua causa, à Jure prolata, permittatur exhæredatio, denegantur etiam alimenta.*
108 *Ad hoc, ut quis dicatur pauper, habetur respectus ad id quod possidet, & non ad id quod sperat, vel judicialiter petit, quamvis Hæreditates etiam pingues à Judice petat.*
109 *Paria sunt, quem esse divitem, vel pauperem, si suis divitiis non possint uti.*
110 *Filio in vita Parentum nullum Jus competit in Legitima.*
111 *Viventis nulli sunt Hæredes.*
112 *Filius satis probat se esse pauperem, asserendo nulla bona possidere.*
113 *Filius præsumitur pauper in vita Parentum, ex præsumptione Juris.*
114 *Dispensatio non est subreptitia, si Oratrix narravit se esse pauperem, si vere talis erat, licet spem magni Patrimonii haberet.*
115 *Si quis possideat bona exigui redditus, non tenetur ea vendere, ut Dispensationem in forma ordinaria impetret.*
116 *Ad dignoscendum, an quis pauper sit, non attenditur ad valorem bonorum, nec ad pretium, quod ex venditione retraheretur, sed ad fructus, quos ex illis percipit.*
117 *Si Oratores essent quidem pauperes, sed aliqua bona modici valoris possiderent, an, & quomodo possint Dispensationem in forma* Pauperum *impetrare.*
118 *Si coram Ordinario non probaretur paupertas, & miserabilitas Oratorum, non potest Delegatus Dispensationem exequi, sed tenentur Oratores, si dispensari velint, novas Literas, in forma,* perinde valere, *impetrare.*
119 *Formula dictarum Literarum, in forma* Perinde valere.
120 *Quamvis Oratores, qui petunt Dispensationem in forma* Pauperum, *haberent multa bona, at deducto ære alieno, & oneribus, parum supersit, adhuc dicuntur pauperes.*
121 *Non dicuntur bona, nisi deducto ære alieno.*
122 *Et nisi deductis expensis.*
123 *Si Oratores in aliena Diœcesi domicilium contraxissent, & saltem per annum ibi habitassent, sufficiet, si fides eorum paupertatis fiat ab Ordinario domicilii.*
124 *Pro Oratoribus absentibus nihil recipitur à Dominis Scriptoribus Apostolicis, at per Officium Minoris Gratiæ ita taxantur, ac si pauperes non essent.*
125 *Si Oratores sint nobiles, & pauperes, diversimode conceditur Dispensatio.*
126 *Ante Dispensationem præcedere debent Pœnitentia publica, & Servitium Ecclesiæ, & interim Oratores manere debent separati.*
127 *Qui amat periculum peribit in illo.*

128 *Formula Decreti Separationis Oratorum.*
129 *Quid si Oratores Separationem non servaverint.*
130 *Dictio* Deinde, *ordinem significat, & est præcedentium continuativa.*
131 *Dictio* Deinde, *conditionem importat.*
132 *Post factam Separationem, si Oratores velint dispensari debent veniam à Delegato petere.*
133 *Qui veniam petit, Pœnitens esse debet.*
134 *Venia nonnisi se corrigentibus datur.*
135 *Nec conceditur non Pœnitenti.*
136 *Diversimode conceduntur Dispensationes in forma* Pauperum *pro Gallicis, dum concipitur Clausula:* Deinde veniam si à te petierint, &c.
137 *Ob publicum peccatum imponenda est publica pœnitentia.*
138 *In publicis delictis per publicam solum vindictam Reipublicæ satisfit.*
139 *Pœnitentia, quæ pro foro conscientiæ à Confessario imponitur, tendit ad finem, ut Pœnitens satisfaciat Deo; At Pœnitentia, quæ pro foro externo subiri debet, spectat ad publicam Reipublicæ satisfactionem.*
140 *Pœnitentia publica Oratoribus imponenda, relinquitur arbitrio Delegati, qualis esse debeat, dummodo publica sit, & talis, ut alios deterreat, &c.*
141 *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*
142 *Dicta Pœnitentia publica non debet esse solemnis.*
143 *Quid propterea servetur circa dictam Pœnitentiam Lucæ, & in aliis multis locis.*
144 *Si Pœnitentia prædicta non fiat ad formam præscriptam, Dispensatio inde sequuta non prodest.*
145 *Paria sunt non facere, & inutiliter facere.*
146 *Pœnitentia, qua tenetur Orator operam suam conferre Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci Pii, quot mensium esse soleat.*
147 *Dicta Pœnitentia servitii Ecclesiæ non est necesse, ut fiat tempore continuato, sed sufficit, si interpolate expleatur.*
148 *Dictio* Per, *tempori adjuncta, totius Temporis continuationem importat.*
149 *In impetrationibus Dispensationum Matrimonialium, tam si in forma* Pauperum, *quam si in forma ordinariæ fiant, nullum discrimen constituitur in taxando expensas, & pœnitentias infligendo, si impedimentum sit Consaguinitatis, vel Affinitatis.*
150 *Dispensationes Matrimoniales in forma* Pauperum *in gradibus remotioribus, nempe ultra Tertium, transeunt per Officium Minoris Gratiæ, & si Oratores sint absentes, ex integro taxantur perinde, ac pauperes non essent.*
151 *In Gradibus propinquis, nempe in Tertio, & aliis propinquioribus, transeunt per Cancellariam, ubi nulla Taxa solvitur.*
152 *Si Oratores sint præsentes in Urbe recipitur Juramentum, quod ipsimet sint eædem Personæ, de quibus in Literis Testimonialibus.*
153 *Major impensa pro impetratione Dispensationum in forma* Pauperum *sustinetur pro Gradibus remotioribus, quam pro propinquioribus.*
254 *Servitium Ecclesiæ non potest à Delegato minui.*
155 *Dictio* Saltem, *est ampliativa, & non limitativa.*
156 *Nec excludit majora.*
157 *Tempus assignatum pro servitio Ecclesiæ, cum omnino requiritur ad perfectionem, & complementum ipsius servitii, existimatur de forma.*
158 *Delegatus non poterit servitium nedum unius diei remittere Oratori.*
159 *Minima non habentur in consideratione, & lex de minimis non curat.*
160 *Parum, & nihil æquiparantur.*
161 *Modicum tempus pro non tempore reputatur.*
162 *Delegatus tenetur formam sibi præscriptam servare.*
163 *Forma ita transgreditur in minimo defectu, sicut in magno.*
164 *Etiam in uno nummo transgreditur.*
165 *Delegatus poterit longius tempus servitii Oratori assignare, quam in Mandato contineatur.*
166 *Si expediat Matrimonium celebrari antequam expletum integre sit servitium Ecclesiæ, recurri debet ad D. Datarium Papæ.*
167 *Dominus Datarius Papæ habet plenam auctoritatem Pœnitentias Oratoribus commutandi, vel abbreviandi.*
168 *Cautio de præstando operam suam Fabricæ, quomodo præstari debeat, & an sufficiat cautio Juratoria.*
169 *Reprobatur Doctrina Genuensis in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ cap. 20. num. 2. ubi dicit posse Delegatum commutare servitium Ecclesiæ, si Orator sit Persona nobilis, & delicata.*
170 *Episcopus potest ex causa commutare Pœnitentiam injunctam à Papa, & Parochus potest commutare Pœnitentiam ab Episcopo impositam, & secundus Confessarius injunctam à primo.*
171 *Delegatus non potest ultra formam præscriptam se extendere.*
172 *Responsio in quodam casu data ab Urbe, quod non possit Episcopus dictam Pœnitentiam commutare.*
Illustrissimus D. Alexander Guidiccionius Episcopus Lucanus laudatur.
173 *Poterit Delegatus loco servitii Ecclesiæ, destinare Oratorem servitio alicujus Hospitalis, non tamen commutare servitium ipsum in opus diversum.*
174 *Quomodo, ac quale servitium exigi debeat ab Oratore.*
175 *Curia Romana est omnium aliarum Curiarum Mater, & Magistra.*
176 *Inferiores à Superioribus regulantur.*
177 *Servitium præstandum Ecclesiæ dicitur continuum, si pro majori parte diei fiat.*
178 *Non tenetur Delegatus Oratorem destinare servitio Fabricæ alicujus præcisæ Ecclesiæ, sed potest aliud servitium personale Ecclesiæ imponere.*
179 *Dictio* Vel, *stat alternative.*
180 *In alternativis sufficit unum adimpleri.*
181 *Orator debet operam suam præstare in servitium Ecclesiæ, vel loci Pii, non tamen in particularibus indigentiis Rectoris.*
182 *Nomine loci Pii comprehenduntur etiam Hospitalia ad Pia opera publice extructa.*
183 *Hospitalia non veniunt sub nomine Beneficii Ecclesiastici.*
184 *Hospitalia auctoritate Episcopi fundata, loca Religiosa sunt, & de foro Ecclesiæ.*
185 *Et gaudent Privilegiis Ecclesiæ.*
186 *Sub nomine Hospitalis comprehenduntur Eleemosinariæ, Seprosariæ, Xenodochia, & Operariæ.*
187 *Loca Pia, habentia necessaria requisita, fundata auctoritate Episcopi, similiter gaudent Privilegiis Ecclesiæ.*
188 *Delegatus potest destinare servitium Ecclesiæ extra propriam Diœcesim.*
189 *Una tantum Ecclesia fuit à Christo Domino per totum Orbem constituta.*
190 *Post incæptum in uno loco servitium, Delegatus potest, pro residuo temporis, Oratorem destinare servitio alterius loci.*
191 *Orator tenetur operam per se ipsum conferre, nec potest per alium supplere.*
192 *Qui per alios facit, per se ipsum facere videtur.*
293 *Pœnitentia in pœnam excessuum Oratori imposita, non potest per alium adimpleri.*
194 *Sicut non potest quis per alium vovere, sic nec Pœnitentiam accipere.*
195 *Qui non habet in ære, luat in corpore.*
196 *Verba apposita in Mandato, nempe,* Operam suam conferat, *important personalitatem.*
197 *Clausula posita in Ablativo absoluto, conditionem important.*
198 *Delegatus non potest ad Absolutionem Oratorum deve-*

devenire, donec Pœnitentiam publicam egerint, & de ea Delegato constiterit.

199 *Jurisdictio, dum sub conditione Delegato tribuitur, remanet in suspenso, donec ipsa conditio purificata non sit.*

200 *Quæ consistunt in animo, nonnisi per Juramentum probari possunt.*

201 *Oratores qui petunt Dispensationem, si sint in Secundo Gradu, & Copulam habuerint, egent Absolutione ab Excommunicatione imposita per Gregorium XIII.*

202 *In aliis gradibus remotioribus, solum absolvi debent ab Incestus reatu, & excessibus Pontifici narratis.*

203 *Clausula* In utroque foro, *intelligitur de foro fori, & foro conscientiæ.*

204 *Duplex est Forus, nempe Judicialis, hoc est Contentiosus, seu Forus fori, qui spectat ad Judices habentes causarum cognitionem, & Civilem, seu Criminalem jurisdictionem: Alter dicitur Forus Dei, & Conscientiæ, & hic spectat ad Confessarium, & quemlibet Christianum.*

205 *Absolutiones, & Dispensationes pro utroque foro, quæ non habent annexum peccatum mortale, satis est si fiant, & impetrentur in Foro Fori, ut sunt Absolutiones ad cautelam, seu à Censuris nulliter prolatis; Dispensationes super defectu Natalium, super Origamia, super defectu Oculi sinistri, super Homicidio, de quo quis fuit jam confessus, & absolutus, & similia.*

206 *Absolutio, quæ fit pro solo Conscientiæ Foro, non prodest ad effugiendas pœnas temporales.*

207 *Quæ in foro Conscientiæ explicantur, ad forum Contentiosum non juvant, sed tantum coram Deo.*

208 *Absolutio, quæ à Pontifice pro utroque foro committitur, potest extra Confessionem impendi.*

209 *Verba* imposita pœnitentia salutari *in casu, de quo in hoc Mandato, non important conditionem, quia à Jure inest, ut data Absolutione, Pœnitentia injungatur.*

210 *Facultas absolvendi pro utroque foro, dum fuit absolute concessa, potest extra Confessionem hujusmodi Absolutio impendi.*

211 *Forus Conscientiæ dividitur in Sacramentalem, & non Sacramentalem.*

212 *Forus Conscientiæ Sacramentalis, quis sit.*

213 *Forus Conscientiæ non Sacramentalis, quis sit.*

214 *Confessor in solo Sacramento est Judex in Pœnitentiæ foro.*

215 *Episcopus, nomine Delegationis Concilii in occultis absolvit extra Confessionem.*

216 *Delegatus Papæ habet in causa sibi Delegata eandem Auctoritatem, quam habet ipse Papa.*

217 *Delegatus, quoad causam sibi Delegatam, est major quocumque Ordinario.*

218 *Licet Oratores, ob Absolutionem à Delegato factam, in Foro fori absolvantur, debent tamen pro Foro interno deinde absolvi.*

219 *Absolutus in Foro Conscientiæ est ex æquitate tolerandus in Foro fori.*

220 *Officium Judicis nobile circa publicam Reipublicæ utilitatem versatur.*

221 *Verius tamen est absolutus in Foro Animæ, posse in Foro externo pro eodem Crimine accusari, & puniri.*

222 *Facultas delegata ad absolvendum non potest subdelegari.*

223 *Excommunicatio imposita per Gregorium XIV. Cal. Maij* 1590. *contra eos, qui Primo, & Secundo conjuncti, carnaliter commiscentur, non est reservata; At quia Papa Absolutionem committendo, assumit negotium, & manus in eo apponit, ligantur manus Inferiorum.*

224 *Obtinens Beneficium à Summo Pontifice, si aliqua Dispensatione egeat, non potest Episcopus dispensare, quamvis alias dispensare potuisset.*

225 *Si Papa ipse conferat alicui Minores Ordines, poterit sic Ordinatus ab alio ad Majorem promoveri.*

226 *Ubi est Auctoritas Papæ, cessat Inferioris.*

227 *Clausula*, Parito Judicato, *quomodo intelligenda.*

228 *Attenta dicta Clausula*, Parito Judicato, *Jurisdictio remanet in suspenso, donec Oratores paruerint; unde quicquid interim factum sit, nullum est defectu Jurisdictionis.*

229 *Nec sufficit præstare cautionem de parendo judicato.*

230 *Clausula*, Parito Judicato, *si non fuisset apposita, tamen subintelligeretur.*

231 *Dictio*, Demum, *est taxativa, & restrictiva.*

232 *Nec poterit Delegatus ad Dispensationem procedere, nisi postquam Oratores omnia adimpleverint.*

233 *Ordo inductus per prius, ac posterius, conditionem importat.*

234 *Delegatus, priusquam ad Dispensationem procedat, considerare debebit, an expediat dispensare.*

235 *Dum Papa dispensari mandat, non absolute præcipit Dispensationem, sed si, & quatenus Delegato expedire videatur, nec scandalum sit ex ipsa Dispensatione oriturum.*

236 *Clausula*, Si tibi videbitur, *importat arbitrium boni, & prudentis viri.*

237 *Quamvis coram Delegato omnia probata sint, non poterit dispensari, si ex Dispensatione scandala timeantur.*

238 *Sicut evitatio scandalorum probat justam causam dispensandi in omni casu alias prohibito; ita è converso, si ex Dispensatione scandala timeantur, nullo modo est dispensandum.*

239 *Episcopus debet ex officio Matrimonia contrahenda impedire, quamvis nullum adsit Impedimentum, si scandalum inde timeatur.*

240 *Clausula*, Nec scandalum sit oriturum, *quamvis in Literis non fuisset apposita, nihilominus subintelligeretur.*

241 *In casibus, in quibus Episcopo conceditur dispensatio, non poterit dispensare, si scandalum ex Dispensatione timeatur.*

242 *Quamvis ultra Quartum Gradum Consanguinei, & Affines non impediantur contrahere, tamen, quando agitur de scandalo vitando, valida est consuetudo, quia inducitur Impedimentum ad contrahendum in Quinto Gradu.*

243 *Dictio*, Postquam, *significat Actum perfectum, & conditionem importat.*

244 *Delegatus non potest ad Dispensationem procedere, nisi postquam ea omnia adimpleta sint, quæ habuit in Mandato.*

245 *Clausula*, Arbitrio tuo, *relaxat aliquantulum Juris rigorem, facultatemque Judici tribuit amplectendi æquitatem.*

246 *Clausula*, Arbitrio tuo, *debet intelligi de Arbitrio boni viri, & non secundum propriam, & liberam voluntatem.*

247 *Et idem est; ac si diceretur*, Conscientiæ tuæ.

248 *Oratores, quamvis obtinuerint Mandatum de dispensando, & omnia narrata Pontifici verificaverint, tamen contrahere non poterunt, donec nec cum effectu non fuerit facta Dispensatio.*

249 *Aliud est Mandatum de dispensando, & aliud est ipsa Dispensatio.*

250 *Refertur casus à Bonacina nullitatis Matrimonii, quia nondum fuerat facta Dispensatio.*

251 *Aliud est Mandatum de legitimando, & aliud ipsa Legitimatio.*

252 *Mandatum Pontificis duo diversa continet, nempe facultatem Dispensandi, & potestatem legitimandi Prolem susceptam, & suscipiendam.*

253 *Mandatum Pontificis, si fuisset in una parte, nempe quoad Dispensationem exequutum, sed non quoad Legitimationem, poterit nihilominus legitimari Proles, etiam post mortem Parentum, & etiam in præjudicium Succedentium ab intestato.*

254 *Si post mandatum à Pontifice impetratum Oratores, pœnitentia ducti, noluissent dispensari vel post factam Dispensationem, noluissent Matrimonium coatrahere probabilius est, non posse legitimari Prolem post mortem Conjugum, maxime in præjudicium Tertii.*

255 *Le-*

255 *Legitimatio Prolis conceditur in favorem Matrimonii contrahendi.*

256 *Si Conjuges tempore contracti Matrimonii, habuissent Impedimentum dirimens ab eis ignoratum, & præmissæ fuerint Denunciationes, Proles inde suscepta est legitima, quamvis postea detectum sit Impedimentum.*

257 *At si spretæ fuissent Denunciationes, & contractum fuisset Matrimonium, quamvis in reliquis adfuisset ignorantia Impedimenti, Proles erit illegitima.*

258 *Ignorantia non potest dici probabilis, quando omittuntur requisita ab Ecclesia.*

259 *Affertur quæstio inter DD. an attendi debeat tempus Conceptionis, vel Nativitatis in Prolis Legitimatione, quoad omnia.*

260 *Pro judicanda Legitimitate Prolis, Leges solum attendunt ad Copulam, quæ si habita sit inter Personas impeditas, nolunt eam Matrimonio subsequenti purgari.*

261 *Opinio proponitur, quoad Legitimationem Prolis attendi debeat tempus Nativitatis.*

262 *Proponitur sententia Auctoris.*

263 *Ampliatur.*

264 *In conflictu opinionum, ea opinio tenenda est, quæ Prolis Legitimitati favet, quamvis etiam, altera opinio præponderare videretur.*

265 *Opinio singularis Doctoris pro Legitimitate asserentis, prævalet communi contrariæ.*

266 *Ex cohabitatione maris, & fœminæ, licet quoad fœdus Matrimonii præsumatur Fornicatio, at quoad Legitimitatem Filiorum præsumitur Matrimonium.*

267 *Proles nata post factam Dispensationem super Impedimento, quod inter Parentes aderat, est legitima.*

268 *Et per subsequens Matrimonium fit legitima.*

269 *Quid de Prole suscepta ante Dispensationem super Impedimento Parentum factam.*

270 *Quando inter Parentes nulla adfuit Matrimonii Radix, poterit Papa legitimare quoad omnia, Personas suæ temporalis Jurisdictionis, non tamen alias sibi temporaliter non subjectas, nisi quoad spiritualia.*

271 *Quando Matrimonium fuit clandestine, & nulliter contractum, cum tamen adfuerit Matrimonii radix, si Papa dispenset, & Prolem legitimet, ea Proles erit legitima quoad omnia.*

272 *Opinio Rotæ Romanæ circa Legitimitatem Prolis natæ absque figura Matrimonii.*

273 *Contrarium tenet Auctor.*

274 *Pontifex tunc proprie dicitur in Matrimonii Radice dispensare, quando jam fuit contractum Matrimonium, sed de facto, & nulliter, & Papa illud convalidat usque à principio.*

275 *Effectus Dispensationis Pontificis in radice.*

276 *Impedimenta Matrimonii, super quibus dispensari potest à solo Jure, seu Lege Canonica proveniunt.*

277 *Papa potest tollere Constitutionem, etiam quoad effectus præteritos.*

278 *Distinctio loquens de filiis natis ex legitimo Matrimonio, comprehendit filios natos ex Matrimonio cum Dispensatione contracto.*

279 *Papa, sicut potest facere, ut Filii sint illegitimi, prohibendo Matrimonium in certis Gradibus, sic potest efficere legitimos, removendo Impedimentum Canonis.*

280 *Papæ potestas circa Matrimonia est maxima.*

281 *A' solo Pontifice fieri potest Dispensatio in Radice*

282 *Sublato per Pontificem Impedimento, præjudicium Tertii non attenditur.*

283 *Papa dispensando in Radice, Intendit removere Impedimentum Canonicum; at si ex hoc aperiatur via Successionibus, consequitur ex ministerio Juris.*

284 *Quando Papa Matrimonium declarat legitimum, vel illud approbat, vel dispensat, ut Oratores possint in eo remanere, dicitur dispensare in Radice.*

285 *Papa dispensando in Radice, censetur retrotrahere Dispensationem ad initium, & Radicem.*

286 *Si Matrimonium nullum esset ob aliquod Impedimentum Jure naturali dirimens, non potest dispensare in Radice.*

287 *Nec poterit dispensari in Radice, si Matrimonium sit nullum defectu consensus, vel impotentiæ perpetuæ coeundi.*

288 *In casibus, in quibus Papa non potest dispensare in Radice, dispensare potest per Rescriptum.*

289 *Nullus Princeps Sæcularis, nec ipse Imperator, potest legitimare ad Ordines Ecclesiasticos.*

290 *Si Papa in Dispensatione mentionem facit de Prole, non censetur dispensare in Radice.*

291 *Si legitimet Prolem, nec de Matrimonio mentionem faciat, censetur legitimare solum quoad spiritualia.*

292 *Quod idem intelligitur etiam quoad Personas suæ temporalis Jurisdictionis.*

293 *Papa non præsumitur velle Juri Tertii præjudicare, nisi apertissime exprimat.*

294 *Si Papa dispenset, ut possint Oratores de novo Matrimonium contrahere, & declaret filios ante natos esse legitimos, censetur dispensare in Radice.*

295 *Dum Papa dispensat, ut Oratores possint remanere in Matrimonio nulliter contracto, non requiritur novus consensus Conjugum.*

296 *Etiam post mortem Conjugum Papa dispensare potest in Radice.*

297 *Si post Dispensationem à Confessario super occulto Impedimento factam, Impedimentum detegatur, Proles reputatur illegitima.*

298 *Narrata Pontifici, & quod Matrimonium fuerit nulliter contractum, & Proles suscepta, verificari debent.*

299 *Formula Dispensationis Matrimonialis factæ per Delegatum.*

DIspensatio Matrimonialis, de stylo Romanæ Curiæ, ob nullam aliam causam conceditur in forma *Pauperum*, nisi ad succurrendum Mulieri, illiusque honorem reparandum, graviaque scandala evitandum, quæ vel ex carnali Copula, inter Sponsos præhabita, vel ex frequenti conversatione, ex qua nata sit suspicio dictæ Copulæ, verisimiliter timeantur. Nec tamen Dispensatio in hac forma Pauperum conceditur, quamvis dicta Causa vera sit, nisi ambo Oratores sint pauperes, & miserabiles, ex eorum labore, & industria tantum vivant. Et quidem hac in re multi, alias doctissimi, decipiuntur; putant enim, quod eo ipso, quod Oratores pauperes sint, & solvere non possint integras expensas pro impetratione Dispensationis in forma ordinaria necessarias, Dispensatio in hac forma, ob dictam solam paupertatem, concedatur; quod omnino falsum est, quia de stylo Curiæ, ex aliis causis, quam ex supra dictis non conceditur, ut notum est, & omnes practici Curiales sciunt. 2

Porro harum Dispensationum Praxis diversimode se habet ab alia, quæ circa Dispensationes in forma ordinaria concessas servatur; & propterea antequam ad ulteriora dilabamur, opportunum erit hujusmodi Dispensationum formulam subnectere, & postmodum ad singularum Clausularum expositionem, & intelligentiam devenire, unde tota harum Dispensationum Praxis facillime explicabitur. 3

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei; Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Nostri Episcopi Lucani in spiritualibus Generali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Oblatæ nobis nuper pro parte Dilecti filii Laurentii, nati Francisci Laici, & Dilectæ in Christo filiæ Magdalenæ, natæ Jacobi, Mulieris Lucanæ Diœcesis, petitio continebant; Quod, ipsis alias scientibus se Quarto Consanguinitatis Gradu invicem esse conjunctos, Laurentius prædictus, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso hæc causa foret Nos, & Sedem Apostolicam ad misericordiam, & Gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus dictam Oratricem cognovit; Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, nisi Matri- 4

monium inter eos contrahatur, dicta Mulier Innupta, & diffamata remaneret, graviaque exinde scandala possent vero similiter exoriri; Cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari, sed stante Impedimento hujusmodi, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; Quare iidem Laurentius, & Magdalena nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in præmissis de Absolutionis beneficio, & opportunæ Dispensationis Gratia providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Laurentium, & Magdalenam, ac eorum quemlibet à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & Pœnis à Jure, vel ab Homine, quamvis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi Supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus; Quatenus deposita per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omnino abstinere debere monemus, de præmissis te diligenter informes; & si per Informationem eandem Preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc eosdem Laurentium, & Magdalenam, qui pauperes, & miserabiles existunt, & ex suis labore, & industria tantum vivunt, in primis ab invicem separes, deinde, si veniam à te petierint humiliter, eam illis pœnitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat à similibus committendis, atque idem Laurentius operam suam conferat Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel Loci pii, tribus saltem mensibus, aliaque injungas, quæ de Jure fuerint injungenda; Qua Pœnitentia publica peracta, ipsos ab Incestus reatu, & excessibus hujusmodi, imposita etiam prius ei propter Incestum hujusmodi, arbitrio tuo, Pœnitentia salutari, & recepto ab eis Juramento, quod sub spe facilius habendæ Dispensationis hujusmodi, Incestum hunc non commiserint, in utroque foro, Auctoritate nostra, hac vice dumtaxat, absolvas in forma Ecclesiæ consueta; & quatenus contra ipsos causa, quoquomodo, in Judicium deducta fuerit, parito Judicato. Demum si tibi expediens videbitur, quod Dispensatio hujusmodi sit ei concedenda, neque scandalum sit ex ea oriturum, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum eisdem Laurentio, & Magdalena, dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, ipsique pauperes, & miserabiles existant, ac ex suis labore, & industria tantum vivant, & postquam in separatione prædicta arbitrio tuo perseveraverint, quod Impedimento Quarti Consanguinitatis Gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Matrimonium inter se se, publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in faciem Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, Auctoritate nostra dispenses; prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam, legitimam nunciando. Volumus autem, quod si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii, occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, Excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras, qua tamdiu innodatus existas, donec Absolutionem à Sede prædicta per satisfactionem condignam ab ipsa Excommunicationis Sententia merueris obtinere; & nihilominus Absolutio, & Dispensatio per te faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno I. D. 1656. Idibus Junii.

Pontificatus Nostri Anno primo.

Quarum Literarum præcipuas Clausulas mox declarabimus, exceptis iis, quas præcedenti Capite adnotavimus.

5 Et Primo, sciendum est, Praxim harum Dispensationum ita se habere, ut si Orator non distet ab
6 Urbe ultra centum milliaria, teneatur accedere ad ipsam Urbem; At si Impedimentum, super quo petitur Dispensatio, sit in gradibus remotis, nempe ultra Secundum, eique dictus accessus reddatur, saltem moraliter, difficilis, debet ipsius Ordinarius, in fide Paupertatis Oratorum, de dicta difficultate testari, & sic ut plurimum ab hujusmodi accessu excusantur. Si vero Dispensatio petatur in Gradibus propinquioribus, nempe intra Secundum, tam Consanguinitatis, quam Affinitatis, ut in Primo & Secundo, vel Primo & Tertio, seu etiam in Secundo tantum, tam duplicatis, & multiplicatis, quam simplicibus, prout etiam quando Impedimentum esset Paternitatis spiritualis, tunc sive Dispensatio petatur, quia sit sequuta Copula, vel quia ob conversationem habitam ipsius Copulæ suspicio orta sit; sive Orator distet ab Urbe infra, sive ultra centum milliaria, quamvis esset cœcus, claudus, delicatus, sive debilis, aut alias corpore vitiatus, vel impeditus, & quantumcumque pauperrimus, & miserabilis existat, dummodo iter arripere possit, tenetur omnino accedere ad Urbem, si velit in ista forma Dispensationem impetrare; quia quo propinquior est Gradus, & majus est Impedimentum, eo difficilior Pontifex redditur ad dispen- 7
sandum; Et tenetur eo casu Orator deferre secum suas Literas testimoniales de amborum contrahere volentium paupertate, & miserabilitate, & postea in Alma Urbe, coram D. Præfecto Datariæ, si ibi adsint Personæ, quæ Oratorem cognoscant, examinantur duo saltem Testes, qui eum cognoscere deponant; & hoc ad evitandas fraudes, & ne una Persona pro alia supponatur; & facta dicta attestatione, & constito de identitate Personæ, fit recognitio dictarum Literarum testimonialium per duos Testes, & deinde Oratori imponitur Pœnitentia, scilicet, ut operam suam conferat Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci Pii, per aliquod tempus, majus, vel minus, prout D. Datario, & ejus Ministris videbitur expediens, habito respectu ad qualitatem Graduum, in quibus dispensandum est; licet utplurimum, ex benignitate D. Datarii hujusmodi servitii tempus minuatur; ex quo enim Oratores sunt pauperes, & miserabiles, nec habent unde vivant, nisi ex eorum labore, & industria, ideo benigne hoc servitium exigitur, & non solum minuitur, ut dictum est, verum etiam aliqua summa, v. g. Julii unius pro quolibet die, erogari solet, si integra die servitium expleant; si vero per solas quatuor, vel quinque horas cujusque diei laborent, residuum temporis ei indulgetur, ad hoc, ut victum aliquo modo sibi procurare possint, ne fame pereant; & sic eo quod substinuerunt incommoda itineris, benigne ab eis hujusmodi servitium exigitur, minuendo etiam horas laboris cujusque diei, immo, & dies festivi computantur in termino, & sic postquam per aliquot dies laboraverint, residuum temporis solet à D. Datario indulgeri, & commutari in aliquibus Pœnitentiis, ut in visitatione septem, vel aliarum Ecclesiarum per aliquot vices; de quarum Pœnitentiarum adimplemento tenentur habere fidem à Sacristis dictarum Ecclesiarum, vel aliis ad id Deputatis, eamque D. Præfecto Datariæ exhibere; & tunc D. Præfectus, solutis nonnullis pauci per Oratorem transmittit Supplicationem Dispensationis ad Registrum, unde transmittitur ad Cancellariam, ibique Literæ Gratis expediuntur, quatenus per ipsam Cancellariam expediri debeant, prout diximus; alias ibi solum recipitur Juramentum ab Oratore, quod ille sit ipsemet Orator in Literis Dispensationis nominatus, & postmodum per Officium Minoris Gratiæ, vel per Secretariam Brevium, in suo casu, ut pariter diximus, expediuntur hujusmodi Dispensationum Literæ, in quibus etiam adnotantur Pœnitentiæ, quæ, ut diximus, imponuntur Oratori, quæ solent esse infrascriptæ videlicet, quod sex, ut pluribus sextis feriis in pane, & aqua jejunet, & eisdem diebus Rosarium Beatissimæ Virginis devote recitet, & additur clausula, *quod si in his deficiat, Literæ nullatenus ei in foro conscientiæ suffragentur*; quod

quod est maxime notandum, & cavendum ab inobservantia; cum ob hujusmodi defectum plures nullitates, & peccata subsequi possint.

Hæc tamen, quæ hucusque dicta sunt, procedunt, si Orator in Urbe præsens sit; at quando est absens, 8 tunc si Dispensatio impetranda sit in forma *Pauperum*, examinantur aliqui Testes summarie ab Ordinario Oratorum super Paupertate, & miserabilitate amborum Oratorum; quæ si probatæ fuerint, Ordinarius Fidem facit, quæ continere debet ex depositionibus Testium summarie examinatorum, sibi constitisse, & constare dictos Oratores esse Pauperes, & miserabiles, & ex eorum respective labore, & industria tantum vivere, quæ Fides transmittitur in authentica forma ad Almam Urbem, & per Testes aliquos recognoscitur, & postea porrigitur Supplicatio ad Pontificem, narrando Impedimenta, & alia quæ narrari debent, ut diximus; & deinde obtento Mandato de dispensando, absolvendo, & Prolem legitimando, directo Delegato, conficiuntur Literæ, & ad partes transmittuntur, & ipsi Delegato præsentan- 9 tur; qui in primis verificari mandat narrata Pontifici, & post diligentes habitas informationes, si preces veras esse compererit, & Oratricem raptam non fuisse, in primis, si & postquam Oratores veniam humiliter petierint, ipsos separabit, itaut seorsum habitent, nec inter se conversent, ac Pœnitentiam publicam imponet; injuncto insuper Oratori, ut operam suam conferat Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci Pii, quam, seu quem Delegatus præcise destinabit, & tandem dicta Pœnitentia publice facta, dictoque Ecclesiæ, seu loci Pii servitio expleto, & de eis per Fidem Parochi, seu alterius ad quem spectaret, legitime certioratus, Delegatus recipiet Juramentum ab Oratoribus, quod sub spe facilius habendæ Dispensationis à Pontifice, conversati non fuerint, vel Copulam non habuerint, & excessus narratos non commiserint, eosque postmodum ab Incestu, vel ab excessibus, prout casus se habebit, absolver in utroque foro, in forma Ecclesiæ consueta; & si Oratores sint infra Secundum Gradum conjuncti Consanguinitate, vel intra eundem se attineant Affinitate, & Incestum inter se habuerint, debebunt insuper absolvi ab Excommunicatione apposita per Gregorium Decimum Tertium Summum Pontificem, ut dicemus *lib.* 3. *cap. ultim.* Tandem dicta Absolutione data, & imposita propterea Pœnitentia salutari arbitrio Delegati, si scandala ex Dispensatione facienda non timeantur, nec pro rebus Pontifici narratis causa in Judicium quoquomodo deducta fuerit, & quatenus deducta sit, parito Judicato; & postquam Oratores in separatione, arbitrio Delegati, perseveraverint, Delegatus dispensabit, Prolemque susceptam, siqua sit, & suscipiendam legitimabit, ad formam Literarum Apostolicarum; cujus Dispensationis formulam infra inseremus; Interea ad explicationem singularum Clausularum deveniemus, earum nempe, quæ præcedenti Capite explicatæ non fuerunt.

QUOD IPSIS ALIAS SCIENTIBUS.

10 Si Oratores, qui habuerunt Copulam, non habebant notitiam Impedimenti Consanguinitatis vel Affinitatis, quæ inter eos aderat, non commiserunt proprie Incestum, per ea, quæ diximus *cap.* 4. Ubi etiam plures Doctores citavimus, qui docent requiri scientiam utriusque, ad hoc, ut vere dici possit commissum fuisse Incestum.

11 E' contra Corrad. *in praxi disp. Apost. l.* 8. *cap.* 1. *numer.* 8. ait, stylum Curiæ ita se habere, ut si unus tantum Oratorum, tempore habitæ Copulæ, sciviſſet Impedimentum, & alter ignorasset, nihilominus, ob præsumptam alterius scientiam, Supplicatio porrigatur pro utroque sciente, nec pro uno tantum sciente admittatur, sed ob dictam præsumptionem, & inverisimlitudinem, ad majorem cautelam, explicetur, utrumque Oratorem Impedimentum sciviſſe: Id tamen mihi non placet, quia sic fieret, ut Innocens ob alterius culpam plecteretur, quod fieri non debet, *l. Sancimus C. de pœnis*, nec potest dici dolus, ubi non fuit scientia; Seraph. *dec.* 20. *num.* 4. Unde debebit factum ita exponi, prout vere se habet; & sic ille solus, qui cum scientia Impedimenti deliquit majori mulcta, & gravioribus pœnitentiis punietur.

SE QUARTO CONSANGUINITATIS GRADU INVICEM ESSE CONJUNCTOS.

Quod dicitur de Consanguinitate, idem dicen- 12
dum est, non solum de Affinitate, sed de quocumque alio Impedimento dirimenti; quia quandocum- 13
que, & qualecumque adsit Impedimentum dirimens, potest impetrari Dispensatio in forma *Pauperum*, si concurrant requisita, quæ diximus supra; ubi enim 14
est eadem ratio, eadem esse debet Juris dispositio, *l. illud, vers. Sed magis visum est; ff. ad l. Aquil.*

Quando Oratores, qui petunt dispensari in forma *Pauperum*, sunt in secundo Gradu, vel infra, Consanguinitatis, vel Affinitatis, debent de necessitate exprimere, an sint in linea æquali, ut testatur Corrad. 15
in d. praxi lib. 7. *cap.* 3. *numer.* 22. Si etenim essent in linea inæquali, cum tam Primus, quam Secundus Gradus constituant Impedimentum de per se, super unoquoque ex eis necessaria esset Dispensatio; nec sufficeret dispensare super Secundo, & declarare distantiam Primi non obstare, ut fit in aliis Gradibus remotioribus, & nos dicemus infra *lib.* 2. Quod si Dispensatio petatur super Primo, vel Primo & Se- 16
cundo ex actu fornicario, necesse etiam erit, ut Impedimenti provenientia exprimatur, v. gr. quod, ipsis alias scientibus se primo Affinitatis Gradu invicem attinere, ex eo proveniente, quod alias dictus Orator Oratricis Matrem adhuc superstitem (si sit in humanis) carnaliter cognovit; ipse Orator, non quidem peccandi data opera, &c. & sic se habet stylus Curiæ.

Et licet difficilius Papa dispenset super Consanguinitate, quam super Affinitate, ut diximus, & probant Layman *Theol. moral. libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *num.* 10. *& alii, quos citavimus*, cum major sit Conjunctio inter Consanguineos, quam Affines, 17
nihilominus quoad Impensas impetrationis Dispensationis, tam pro expeditione Literarum, quam in Compositionum solutione, ac pœnitentiarum impositione, nulla sit differentia inter Consanguineos, & Affines, & ita se habet notorius Curiæ stylus, de quo testatur Corrad. *l.* 8. *d. c.* 6. *n.* 3.

NON QUIDEM PECCANDI DATA OPERA, &c.

Hæc verba idem important, ac si diceretur, O- 18
ratores non studiose, vel ex studio, seu non dolose, & fraudolenter feciſſe, ut explicat Gratian. *discept. for. capit.* 92. *numer.* 28. *tom. prim.* Unde si Oratores habuiſſent inter se Copulam, seu conversati 19
fuiſſent sub spe obtinendi facilius Dispensationem, Papa, vel non dispensaret, vel difficillime, & cum multis modificationibus Dispensationem concederet quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, 20
Cap. Est injusta 33. *Causa* 23. *qu.* 4. *& capit. Finali S. Cum in eo, de Immunit. Eccl.* Sperell. *dec.* 116. *num.* 31. *& dec.* 189. *num.* 14. Carol. de Graff. *de effect. Cleric. effect.* 4. *num.* 212. immo dicitur crimen 21
ratificare, qui illud non punit, idem Sperell. *dec.* 183. *numer.* 15. non enim dignus est Ecclesiæ benignitatem facile experiri, qui ejus salubria præcepta temere contempsit Concilium Trident. *sess.* 24. *de reformatione Matrimonii cap.* 5. sicut contemnens Legem non juvatur beneficio Legis; & frustra legis auxilium implorat, qui in lege deliquit, *l. Sancimus C. de Judic.* & nemo delinquere debet sub spe veniæ, Pavin. *de Visit. part. prim. qu.* 7. *num.* 36. Ideo quia 23
sic, sub spe veniæ delinquendo, gravius peccat, mandat Pontifex in concessione Dispensationis duplicari pœnitentias, & mulctas; itaut si Oratores, in 24
aliis casibus, pro publica pœnitentia, manere debuiſſent una vice genuflexi ante fores Ecclesiæ Matricis, cum Candela accensa præ manibus (ut infra dicemus) hoc casu illis injungetur, ut id faciant per duas, aut tres vices. Et si Orator alias debuiſſet conferre operam suam Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci Pii tribus mensibus, debebit

BIBLIOTECA GRANADA

debit isto casu eam conferre sex mensibus; Duplicem etiam, ut plurimum solvent, Compositionem; Apponetur insuper Clausula, quod *Oratorum alter alteris supervivens, perpetuo absque spe Conjugii remaneat.*

25 Si ambo Oratores cum dicta spe deliquerint, debet exponi, quod, *ipsi, alias scientes, se Quarto consanguinitatis Gradu invicem esse conjunctos, sub spe facilius habendæ à Sede Apostolica Dispensationis, fragilitate carnis devicti, se carnaliter cognoverunt; Cum autem, nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta Mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter, exoriri, cupiunt, &c.*

26 At si unus tantum Oratorum cum dicta spe deliquit, exponi debet, quod *ipsis alias scientibus, se Quarto Consanguinitatis Gradu invicem esse conjunctos, Orator prædictus, sub spe facilius à Sede Apostolica Dispensationem obtinendi, carnis fragilitate devictus, Oratricem, nullam spem, eandem Sanctitatem Vestram, & Sedem Apostolicam ad Misericordiam, & Gratiam erga illam faciliores reddendi habentem, carnaliter cognovit; Cum autem, &c.* Et tunc Pœnitentiæ graviores, soli Delinquenti imponuntur, & quod ipse solus, si Oratrici supervivat, absque spe Conjugii remaneat; Unde si postea, mortua Oratrice, velit novum Matrimonium inire, debebit ad Pontifi-
27 cem pro Dispensatione recurrere, & supplicare eidem narrando.

Quod ipse alias obtinuit à Sede Apostolica Literas Dispensationis, seu Mandatum de dispensando super Impedimento Quarti Consanguinitatis Gradus, quo ipse, & ejus Uxor nunc defuncta, invicem conjuncti erant; cum clausula, quod si Oratrici superviveret, perpetuo absque spe Conjugii remaneret, prout in Literis prædictis continetur; & quia deinde Uxor Oratoris prædicta, sicut Domino placuit, ab humanis recessit, relicto post se Oratore, qui continenter vivere posse diffidit, cupit propterea Orator prædictus ad secunda vota transire; Supplicat igitur humiliter eandem Sanctitatem Vestram Orator prædictus, quatenus sibi specialem Gratiam faciendo, cum eodem, ut, clausula in prædictis Literis apposita non obstante, Matrimonium cum alia Muliere, nullo alio sibi Jure prohibita, publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeat, dispensare dignemini, &c. Non obstantibus, &c.

28 Hæc autem qualitas, seu circumstantia hujusmodi finis semper est necessario exprimenda in hujusmodi Dispensationibus in forma *Pauperum* concessis, alias Dispensatio nulla, & invalida erit, quia, cum Copula, vel suspecta conversatio habita conducant ad causam finalem Dispensationis necesse est Papam illas scire, ut dignoscere possit an causa, quæ allegatur, sit justa, & sufficiens ad concedendum; cum
29 etenim ex dispositione Concilii *sess.* 24. *d. capit.* 5. prohibitum sit cum his dispensare, si Papa absque
30 justa causa dispensaret; quamvis alias valida esset Dispensatio, tamen ipse mortaliter peccaret, juxta Doctrinam Sanchez *l.* 3. *disp.* 45. *num.* 3. quia cum ad Concilium spectet res ad Fidem, & mores pertinentes definire, & decreverit in dicto casu Oratores carere debere spe Dispensationis, non potest Pontifex licite dispensare, nisi causa justa sit, ut bene animadvertit idem Sanchez *l. c.* unde cum isto casu dicta Copula sit inductiva ad causam finalem Dispensationis, debent exprimi omnes qualitates, & circumstantiæ, quæ dictam causam finalem afficiunt intrinsece, ut diximus *cap.* 4. Et sic à simili, si Re-
31 gularis Dispensationem impetrasset de intrando aliam Religionem, eo quod, habitu suæ Religionis dimisso, Apostata factus incedebat, si in hunc finem habitum dimisit, ut Papa facilius moveretur ad dispensandum, hujusmodi Dispensatio, tacito dicto fine, nulla erit, & invalida; ita Sanchez *lib.* 8. *disp.* 25. *numer.* 38. Lopez *part. prim. Institutorii cap.* 296. *col.* 12. *vers. Tertio dicit.* Navarrus *de Rescriptis except.* 5. *num.* 4. *& numer.* 5. non enim est danda via Servis Domini, ut facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti sint deteriores., Divus Augustinus *ad Aurelianum Epist.* 76.

Nec sunt audiendi Sanchez *l.* 8. *disp.* 25. *num.* 31. 32
& alii qui dicunt, ut si unus ex Oratoribus circa hanc spem delinquat, non sit necesse hujusmodi delictum exprimi Pontifici; quia aliter se habet stylus Curiæ, de quo testatur Corrad. *l. c.* debet enim sævius puniri, qui circa hoc deliquit; & propterea totum factum, prout vere se habet, exprimi debebit, ut diximus; & sic de stylo servari testatur idem Corrad. *l. c.* Si tamen finis fuerit interne retentus, & occultus, vide infra, 33
quæ dicimus.

Hæc autem Clausula, *Non quidem peccandi data opera*, de mandato Urbani Octavi Summi Pontificis 34
fuit apposita etiam in Dispensationibus obtentis, absque Copula, sed ob solam suspectam conversationem inter Oratores habitam, quia adhuc potest dari casus, ut sub dicta spe delinquant, vide Corrad. *l. c. numer.* 29.

Et nota, quod, quamvis in Literis, seu Mandato Pontificis ad dispensandum, in ista forma *Pauperum* concessis, apposita non fuisset ista Clausula, *Non quidem peccandi data opera, &c.* nihilominus subintelligeretur, ad tradita per Sanchez *d. disp.* 25. *num.* 38. *in fine*, Avers. *de matr. qu.* 19. *sect.* 16. *vers. Verum si adsint*; idque non solum si narrata sit Copula præhabita, verum etiam quando ob solam suspicionem Copulæ concessa sit Dispensatio, ut dicit Corrad. *l. c. n.* 29.

Accidit aliquando, ut Oratores, seu eorum alter, sub spe facilius obtinendi Dispensationem, Copulam inter se habeant, & Literis Dispensationis impetratis, & cum dicta solita Clausula concessis, nihilominus malitiose coram Delegato jurent dictam spem non habuisse; & tunc ad succurrendum ipsis Oratoribus perjuris, si fuerit occultum, quod dictam spem habuerint, poterit secreto recurri ad Prætorium Sacræ Pœnitentiariæ, ibi exponendo omnia Impedimenta inter Oratores existentia, Copulam habitam, una cum fine, quo habita sit, nempe facilius obtinendi Dispensationem, & quod dictam spem habitam fuisse coram Delegato cum Juramento negarunt; & quia occultum est Oratores spem præfatam habuisse, eamque malitiose coram Delegato denegasse, publicum vero Oratores Dispensationem impetrasse, & nisi hæc ad debitum effectum produceretur, exinde gravia scandala possent verisimiliter exoriri, dictaque Mulier diffamata, & innupta remaneret; & tunc solet Sacra Pœnitentiaria Absolutionem à prædictis Confessario committere, &, dummodo occultum sit dictam Dispensationem esse nullam, ob dictæ spei taciturnitatem, ut postquam cum ipsis Oratoribus super dicto Impedimento, & aliis præmissis, servata forma dictarum Literarum dispensatum fuerit, cum ipsis Oratoribus dispenset, & ita in Praxi dicto casu eveniente, servari testatur Corradus *libr.* 8. *cap.* 2. *numer.* 22.

NOS, ET SEDEM APOSTOLICAM AD MISERICORDIAM, ET GRATIAM ERGA IPSOS FACILIORES REDDENDI.

An hæ Commissiones concessæ intelligantur nomine Pontificis, vel Sedis Apostolicæ, diximus capit. præcedenti, ubi etiam diximus, quod quamvis Papa, qui Dispensationem commisit, re integra, moriatur, si Exequutor est necessarius, itaut, si preces veras esse compererit, dispenset, non expirare dictam Commissionem, sed censeri Gratiam ab ipso Pontifice factam; & proinde, non obstante subsequuta morte ipsius Pontificis, si preces veræ sint, teneri Delegatum ad executionem Literarum devenire, & dispensare.

Ecclesia Romana dicitur Apostolica ob suam magnam Præeminentiam, & Potestatem, quam habet; Massobrius *de conc. prælud.* 1. *numer.* 75. Bellarmin. *de controv. fidei tom.* 1. *libr.* 2. *capit.* 12. *litera A.* cum sit omnium aliarum Ecclesiarum Mater, & Magistra; Responsa Marantæ *respons.* 14. *numer.* 16. *part.* 1.

Ali-

39 Aliquando tamen Sedes Apostolica juxta communem usum loquendi, accipitur largo modo, non solum pro ipso Summo Pontifice, sed etiam pro ipsius Pontificis Tribunalibus, Jurisdictionem, non solum Spiritualem, sed etiam Temporalem, concernentibus, ut animadvertit Bonaccina *de cens. disp. 2. qu. 3. punct. 31. proposit. 1. num. 4.* ubi *num. 5.* dicit, nomine Sedis Apostolicæ etiam Curiam ipsius Pontificis intelligi; Ampliat Lezana *QQ. Reg. tom. 3. verbo Bulla Cœnæ, num. 28.* Marant. *in controv. J. U. resp. resp. 33. num. 20. 21. 37. 45. 47. & 52.* ut etiam hoc nomine intelligantur Congregationes Cardinalium, & qui inserviunt in illis.

ORATRICEM COGNOVIT.

Copulam inter Oratores præhabitam non esse necessario in Supplicatione Dispensationis manifestandam, si ob aliam causam petatur Dispensatio, late diximus *cap. 4.* usque ad finem. At si adducatur in causam finalem, vel potius, ut verius dicam, inductivam ad finalem, diximus exprimendam esse cum omnibus circumstantiis illam aggravantibus.

40 Dubitari potest, an Oratores, allegata pro causa ipsa Copula, & consequentiis scandalorum, quæ inde timentur, & obtento Mandato de dispensando Delegato directo, sed nondum exequuto, si iteretur Copula inter eosdem, teneantur de dicta repetitione mentionem Pontifici facere, itaut ea omissa, Dispensatio subsequuta nulla sit, & invalida; & quidem plerique Doctores, qui adhærent opinioni affirmanti necessitatem expressionis Copulæ in Dispensatione petenda, acerrime defendunt, esse hoc etiam casu necessariam dictæ repetitionis Copulæ mentionem, & requiri, ut aliæ Literæ in forma *Perinde valere* impetrentur, ita Corrad. *in praxi disp. Apostol. libr. 7. capit. 1. numer. 37.* Leo *in Thes. fori Eccl. part. 2. cap. 8. num. 48. & 50.* & alii quos citavimus.

41 At Pyrrhus Corradus *num. 52. loc. c.* docet, tunc tantum esse necessariam repetitionis Copulæ mentionem, quando Oratores obtinuerunt dispensari in forma *Pauperum*; non tamen necessariam esse, si Oratores, qui habuerunt Copulam, ea Pontifici expressa, obtinuerint Mandatum in forma ordinaria; quia, ut ipse ait, ex quo hi solverunt debita Jura Officialibus, & Compositionem in Dataria, non tenentur Copulam repetitam exprimere, nec alias Literas impetrare. Hæc tamen ratio mihi non probatur, nec aliquo Jure cautum reperio, ut qui solverunt Jura Officialibus Romanæ Curiæ, si Copulam repetant, non teneantur ad novam ipsius Copulæ expressionem; alii autem, quia hujusmodi jura non solverunt, teneantur Copulæ repetitionem exprimere, & novas Literas

42 impetrare; Verius quidem existimo, neutros teneri ad dictæ Copulæ repetitæ mentionem faciendam, & posse Oratores, dicta Copula non obstante, Dispensatione obtenta, Matrimonium contrahere, quia multiplicatio Copulæ cum eadem Persona, novum Impedimentum non inducit, nec majus Impedimentum insurgit ex Copula pluries repetita, quam ex semel habita, ut bene docent Bonaccina *de leg. disp. 1. qu. 2. punct. 5. num. 4.* Filiucc. *qu. mor. tr. 10. part. 2. cap. 10. num. 337. tom. 1.* Sanchez, & Trullenck à nobis propterea citati; sicut enim ille, qui

43 Votum emisit, cujus Dispensationem à Summo Pontifice petiit, & Mandatum de dispensando Confessario, seu Ordinario directum impetravit, quamvis ante Ordinarii, vel Confessarii Dispensationem pluries ipsum Votum ratificaverit, poterit adhuc, vigore illius Mandati dispensari, ut bene Sanchez *oper. mor. l. 4. c. 47. num. 33.* ita isti Incestuosi, quamvis Copulam repetierint, poterunt ab eodem Delegato, & primæ Commissionis vigore dispensari, nisi aliud eis obstet Impedimentum.

44 Ob consimilem rationem, si Dispensatio petita sit super Affinitate, proveniente ex Copula habita cum Consanguinea, Primo, vel Secundo Gradu conjuncta Fœminæ, quam quis ducere intendit, si cum eadem Consanguinea iteretur Copula post Mandatum de dispensando à Pontifice factum, & nondum à Delegato exequutum, hæc Copula non obstabit validitati Dispensationis subsequutæ; quia; ut diximus, iteratio Copulæ cum eadem non auget Affinitatem.

Dixi, non obstare validitati Dispensationis subse- 45
quutæ; quia, si post exequutam à Delegato Dispensationem, nondum contracto Matrimonio, iteraretur Copula cum eadem Consanguinea, consurgeret novum Impedimentum Affinitatis; unde non posset Matrimonium iniri, & nova opus esset Dispensatione, ut animadvertunt Sanch. *lib. 8. disp. 24. num. 8.* Pontius *de matr. l. 8. cap. 17. §. 5. num. 25. in fine;* Filiucc. *d. c. 10. n. 329. in fine;* Trullenck *tom. 3. l. 7. c. 10. dub. 4. n. 9.*

Quando Copula inter Oratores sequuta non fuisset, sed conversati essent insimul, unde orta esset suspicio dictæ Copulæ, supplicatur Pontifici.

Quod ipsis alias scientibus se Quarto Consanguinitatis Gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut Crimine admisso, hæc causa foret Pontificem, & Sedem Apostolicam ad Misericordiam, & Gratiam erga ipsos faciliores reddendi, insimul conversati sunt, carnali tamen Copula inter eos minime subsequuta, & nihilominus orta est suspicio, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint; Cum autem, nisi Matrimonium inter eos contrahatur, dicta Mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt propterea, &c. Et sic Dispensatio, etiam non sequuta Copula, conceditur, quia causa finalis, quæ movet Pontificem ad concedendum, non est ipsa Copula, vel conversatio habita inter Oratores, sed scandalorum evitatio, & ne Oratrix, cum periculo animæ innupta, & diffamata remaneat, ut mox dicemus. 46

DICTA MULIER DIFFAMATA, ET INNUPTA REMANERET, GRAVIAQUE EXINDE SCANDALA POSSENT VERISIMILITER EXORIRI.

Movetur Pontifex in proposito casu ad dispensan- 47
dum, ut famæ, & honori Oratricis succurratur, & mala, ac scandala, quæ ex Copula, vel conversatione præhabitis verisimiliter timentur, nisi Matrimonium contrahatur, evitentur; quia, nisi Matrimonium contraheretur, Oratrix, cum animæ periculo, diffamata, & innupta remaneret, & majora mala, ac graviora peccata inde insurgerent, quæ Pontifex obviare intendit, ut animadvertit Corradus in *d. praxi l. 8. cap. 1. num. 1.* & propterea dispensatur, cum
ad Mulieris violatæ honorem restaurandum Jura Ma- 48
trimonium decernant, *cap. 1. & cap. 2. de Stupro, & Adult.* & sola infamia Mulieris sit causa Dispensatio- 49
nis, ut animadvertit Pat. Leo *in praxi Sacræ pœnit. part. 2. formula de Compatern. vers. Demum, pag. mihi 274.*

Nec refert, quod tractu temporis evenire possit, 50
ut quis Oratricem ducat; quia ad Dispensationem impetrandum, sufficit, quod tempore petitæ, ac exequutæ Dispensationis timor sit, ut ob præhabitam Copulam, seu suspectam conversationem innupta remaneat, & gravia scandala timeantur, nisi Matrimonium contrahatur; unde, quod cursu temporis possit nubere, non habetur in consideratione, cum id pen- 51
deat à futuro eventu, & consequenter, cum possit esse, & non esse, non habetur in consideratione, *l. Nam ad eaff. de legib.* Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 45. §. 1. n. 44.* Gratianus *discept. for. cap. 944. n. 3.* prout nec 52
habentur in consideratione quæ raro contingunt; Mandos. *reg. 19. de Infirmis, qu. 11. num. 9. & 10.* Fragos. *Reg. Christ. Reipublicæ part. 1. l. 4. disp. 9. num. 76.* Rota in posthum. Farinacii *dec. 322. num. 10. part. 1.*

Ex dictis infertur, quod si quis petat Dispensatio- 53
nem ad contrahendum cum Consanguinea, narrando pro causa Dispensationis Copulam habitam, & periculum scandalorum, quæ inde timentur, & quod propterea Mulier innupta, & diffamata remaneret, nisi Matrimonium contrahatur, valida erit Dispensatio, quamvis vere Copula sequuta non fuerit; si verum sit, quod ex conversatione habita, adhuc Mulier diffamata, & innupta remaneret, & gravia scandala possent verisimiliter exoriri, nisi hujusmodi Ma-

tri-

trimonium contraheretur. Ita docent Sanch. *libr.* 8. *disp.* 22. *num.* 45. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 15. *coroll.* 5. *num.* 385. Bonacc. *de legib. disp.* 1. *qu.* 2. *punct.* 4. *num.* 8. *vers. Si vero conceditur*; Diana *part.* 8. *tr.* 3. *resol.* 65. Ratio est, quia Copula cum Con-
54 sanguinea, vel Affine habita, cum crimen sit, & peccatum, non potest, recta Justitia, ex se movere Pontificem ad dispensandum; *cap. Cum haberet* 5. *de eo, qui duxit in Matrimonium*, & docent præcitati Doctores; nec est ex se causa finalis Dispensationis, sed tantum impulsiva, conducens ad finalem, nempe ad reparationem honoris Oratricis, & scandalorum evitationem, ut bene animadvertit Barbosa *in Votis Canonicis l.* 2. *vot.* 17. *num.* 84. sed causa finalis, quæ Pontificem movet, est, ne Fœmina, cum periculo Animæ, innupta remaneat, nec scandala sequantur. Unde cum hæc vera sint, Dispensatio valida est, & non subreptitia.

Animadvertunt Sanch. *l.* 8. *disp.* 21. *nu.* 45. & Merolla *disp.* 4. *c.* 6. *num.* 386. *tom.* 2. validam fore Di-
55 spensationem impetratam ex falsa relatione jam initi, & consummati Matrimonii, cum solum initum, non tamen consummatum fuerit, quia dum expresserit Matrimonium fuisse consummatum, Papa cum majori difficultate concedere solet.

56 Limita supradictam Doctrinam, itaut non procedat, si sola Copula fuisset falso allegata pro causa finali, facta mentione de diffamatione Mulieris, & periculo scandalorum, quia tunc sola Copula esset adducta in causam finalem, unde cum hæc falsa esset, Dispensatio etiam subreptitia esset, & nulla; Barbosa *d. vot.* 17. *l. c.* Merolla *d. cap.* 6. *dub.* 2. *num.* 327. & 328.

57 Immo quamvis post Commissionem à Pontifice tunc factam, & nondum exequutam, sequeretur Copula, non revalidaretur Dispensatio, quia Pontifici fuit narrata causa falsa, & proinde Dispensatio subreptitia, licet subsequuta copula, erit & nulla.

Et quoniam, quo propinquior est Gradus, eo difficilior redditur Dispensatio, ideo, si Dispensatio peta-
58 tur super Gradibus remotioribus, sat erit explicare in Supplicatione, Mulierem remansuram diffamatam, & innuptam, nisi Matrimonium contrahatur; at si petatur super Gradibus propinquioribus, nempe in Secundo, vel infra Secundum, non sufficiet exprimere, quod, nisi Matrimonium contrahatur, Mulier diffamata remaneret, & gravia scandala possent verisimiliter exoriri; sed requiritur, quod periculum sit, ut Oratrix graviter diffamata remaneat, & gravia scandala verisimiliter timeantur, & utrique Oratrici vitæ periculum immineat; & sic servatur de Curiæ stylo, à tempore Pontificatus Pauli V. introducto, ut sciunt practici Curiales, & testatur Corrad. *in praxi disp. apost. l.* 8. *c.* 2. *n.* 2.

DE PRÆMISSIS TE DILIGENTER INFORMES.

Pro verificatione hujusmodi Literarum infrascripta regulariter justificari debent.

59 Primo, Arbor Consanguinitatis, vel Affinitatis, & alia Impedimenta inter ipsos existentia.

Secundo, Diffamatio de Copula (si hæc sequuta sit) vel de conversatione inter Oratores habita, ex qua diffamatione, seu conversatione suspicio orta sit, quod se carnaliter cognoverint, adeo ut nisi Matrimonium inter ipsos Oratores contraheretur, dicta Mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri; & si Impedimentum sit in Gradibus propinquioribus, ut in Secundo, vel infra Secundum, tam Consanguinitatis, quam Affinitatis, verificari insuper debebit, quod nisi Matrimonium contrahatur, dicta Mulier graviter diffamata remaneret, & vitæ periculum Oratoribus immineret, ut diximus.

Circa quæ debebit Delegatus se informare, an prædicta diffamatio Mulieris, scandalorum pericula, quæ narrata fuerunt Pontifici, non solum vera sint tempore Dispensationis à Delegato factæ, sed vera etiam fuerint tempore petitæ, & à Pontifice factæ Commissionis, per ea, quæ diximus; si etenim utroque tempore vera non fuerint, non poterit Delegatus dispensare, quia Dispensatio vere fuit per subreptionem à Pontifice extorta, ut bene docent Gutierez *de matr. cap.* 126. *num.* 1. Pater Leo *in praxi Sacræ pœnit. part.* 1. ubi *de transgress. Votorum, vers. Dicendum ultimo, pag. mihi* 68. & alii plures, quos *l. c.* referimus; ubi etiam diximus, parum referre, si medio tempore causa cessasset, dummodo tempore Commissionis Pontificis vera fuisset; & vera etiam sit tempore exequutionis.

Animadvertit Corradus *in praxi disp. apost. lib.* 7. 60
cap. 3. *num.* 9. simplex osculum à Consanguineo illatum non videri esse causam sufficientem diffamationis Oratricis, nec ex eo solo probabiliter posse timeri scandala gravia; quia, si datum sit causa puri amoris, & conjunctionis Sanguinis, nullum inde videtur timendum scandalum, cujus causa sit concedenda Dispensatio: Quod si Fœmina invita deosculata fuerit, & per vim, ob singularem affectum, quem potius ad ipsius bona, & opulentem Dotem, habet ejus Consanguineus, ut sæpe contingit, & ob id intendit Fœminam illam, illiusque Parentes inducere, ut sibi detur in Uxorem, tunc cum ipsa ægre ferat, nec aliquo modo consentiat, ejus fama remanet illæsa, & consequenter non potest hoc casu, ob dictam diffamationem, concedi Dispensatio; quia os, quod violento Osculo delibatur, non agnoscit turpitudinem, & præsumitur osculum à Consanguineo, potius causa Consanguinitatis, quam libidinis fuisse illatum, ut docent Filiucc. & Cerezo *in Margar. concl. part.* 2. *verbo Osculum §. prim.* Istis tamen non obstantibus, in hac re non potest assignari certa regula, ob diversitatem casuum, qui contingere possunt, & ex his diversi effectus produci; negari etenim non potest, quin facillime possit dari casus, ut ex ipso Osculo Mulier diffamata, & innupta remaneat, & gravia scandala, rixæ, & inimicitiæ inde possint verisimiliter exoriri.

Regulariter tamen Oscula, & munuscula sint quæ- 61
dam præcedentia ad Venere, & ad illicitum coitum, ut bene animadvertit Mascard. *de probat. concl.* 1031. *num.* 4. immo Osculum est actus carnis, & pro medietate est caro quasi corrupta, ut dicit Capyc. Latro *dec. S. Conc. Neap. dec.* 182. *num.* 25. ubi *num.* 26. ex Riccio, & Afflicto addit, Osculum esse dimidium Adulterii.

Tertio probandum erit, Oratores esse Pauperes, & miserabiles, & ex eorum respective labore, & industria tantum vivere, qua in re debebit Delegatus 62
se informare, an ista Paupertas, & miserabilitas Oratorum fuerit tempore petitæ, & factæ Commissionis à Pontifice, & sit etiam tempore exequutionis à Delegato factæ: nec sufficit, quod dum Oratores Dispensationem in ista forma petierunt, hæ qualitates probatæ fuerint, quia cum potuerint interim mutasse statum, & effectos fuisse divites, vel non esse in eo miserabili statu, adhuc verificari debet, ut Pauperes, & miserabiles existant etiam tempore dictæ exequutæ Dispensationis, quia Pauper olim, non præ- 63
sumitur Pauper de præsenti, Rota *dec.* 170. *num.* 3. *part.* 4. *rec.* & quilibet in dies ditari præsumitur, Redenasch. *cons.* 31. *num.* 6. Leoncill. *de opibus Paupertatis part.* 1. *qu.* 6. *num.* 17. Quando Oratores, qui in ista forma petunt Dispensationem, sunt Nobiles, & Pauperes, sufficit si probentur ea, quæ infra adnotabuntur.

Animadvertit Mascard. *de probat. concl.* 1154. *numer.* 22. non sufficere, si Testes deponentes de paupertate, & miserabilitate Oratorum, dicant istos esse pauperes, nisi addant, nedum esse pauperes, sed manifeste pauperes: quidquid tamen dici possit, certum, in casu, de quo agimus, debere probari, Oratores esse pauperes, & miserabiles, & ex eorum labore, & industria tantum vivere, quia sic est intentio Pontificis Dispensationem concedentis.

Ad dignoscendum autem, an Oratores sint pau- 64
peres, inspiciuntur fructus, & non valor bonorum, Rota *dec.* 48. *numer.* 8. *part.* 2. *divers.* & nos dicimus infra.

Quarto, se informare debebit Delegatus, an pro his

his quæ fuerunt Pontifici narrata, aliqua causa in
65 Judicium quoquo modo deducta fuerit, quia non poterit eo casu dispensare, ante latam sententiam, immo antequam Oratores judicato paruerint; sic enim expresse præcipit Pontifex in Literis, seu Mandato, his verbis, *Et quatenus contra ipsos causa quoquo modo in Judicium deducta fuerit, parito Judicato.*
66 Quomodo autem hæc clausula, *Parito Judicato*, intelligenda sit, & an sufficiat, si cautio idonea de parendo præstetur, DD. explicant suis locis.
67 Tandem se informabit, quod pro Matrimonio contrahendo Oratrix rapta non fuerit, quia si ob id rapta fuisset, Papa nullatenus dispensare intendit, & propterea apponit in Mandato Clausulam, *Dummodo dicta Mulier propter hoc rapta non fuerit*, quæ dictio, *Dummodo*, conditionem importat, ut diximus cap. præcedenti.
68 Cæterum, quamvis coram Delegato omnia probata sint, adhuc non poterit Delegatus licite dispensare, si cognoscat scandala ex Dispensatione esse oritura, quia super hoc ejus conscientia oneratur à Papa, ibi, *Nec scandalum sit ex ea oriturum, super quo Conscientiam tuam oneramus.*

EOSDEM LAURENTIUM, ET MAGDALENAM, QUI PAUPERES, ET MISERABILES EXISTUNT, ET EX SUIS LABORE, ET INDUSTRIA TANTUM VIVUNT.

69 Pauper ille dici potest, qui, licet necessaria ad vitam servandam habeat, non tamen habet unde se decenter, pro sua qualitate, sustentare possit. Navarr. *de Reddit. Eccles. quæst. pr. num.* 65. Mascard. *de probat. conclus.* 1154. *num.* 13. Barbosa *de Jure Eccles. univ. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 23. Graff. *decis. aur. part. pr. cap.* 100. *lib.* 2. *num.* 4. Prout etiam dici potest pauper, qui redditus non habet sufficientes ad alimenta. Rota *decis.* 230. *num.* 4. *part.* 6. *recent.* adeo ut cum industria supplere cogatur, cum id, quod habet, non sufficiat pro sustentatione propria. Rota coram Durano *decis.* 98. *num.* 9. *& num.* 10. Rota coram Pœnia *decis.* 541. *num.* 3. *& decis.* 660. *n.* 9. *& n.* 10. Ille etiam dicitur pauper, qui quamvis aliquid habeat, illius tamen bona non sufficiunt pro effectu, de quo agitur, Rota coram Durano *decis.* 98. *num.* 10. prout etiam regulariter dicitur pauper, qui non habet in bonis quinquaginta aureos. *Gloss. in auth. de hæred. & falcid.* Mascard. *de probat. conclus.* 1154. *num.* 15. Leoncill. *de Opibus Paupertatis par. pr. quæst.* 3. *num.* 1. quamvis verius sit, relinqui arbitrio Judicis, quis sit
70 Pauper, ut infra; ea etenim, quæ à Jure definita non sunt, & certa sub regula comprehendi non possunt, relinquuntur arbitrio Judicis. Barbos. *de axiom. axiom.* 32. *n.* 1. Paris. *de Resignat. lib.* 3. *quæst.* 1. *n.* 145. *& lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 133. Conrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 57. quia No-
71 bilis est pauper in eo, quo Rusticus dives. Decius *cons.* 161. *num.* 7. Leoncill. *d. part. pr. q.* 13. *num.* 58. Merolla *tom. pr. disp. pr. cap.* 2. *coroll.* 8. *n.* 852.

Quicquid tamen circa alios effectus dici possit,
72 certum est, oportere, ut Oratores, qui in forma *Pauperum* matrimonialem Dispensationem petunt, sint pauperes, & miserabiles, & ex eorum cujus-
73 que labore, & industria tantum vivant; Et quamvis alias largo modo dicantur miserabiles, Viduæ, Pupilli, Senes, Decrepiti, diuturno morbo fatigati, Puellæ nobiles, quæ juvenibus sibi nobilitate paribus nubere non possunt, Peregrini etiam, publice Pœnitentes, Infantes expositi, Cœci, Membris mutilati, Leprosi, Debilitati, in carcerem conjecti, omnesque alii, quibus à natura movemur ad miserendum propter fortunæ injuriam, ut concludunt, Barbosa *de appellat. verba. Appellat.* 152. *numer.* 1. Afflict. *decis.* 257. *in princ.* Menoch. *de arbitr. Judic. lib.* 2. *Casu* 66. *Centuria pr.* Tusch. *conclus.* 273. *Lit. M.* late Leoncill. *d. tract. de Paupertatis opi-*
74 *bus par. pr. quæst.* 3. Immo & Regina vidua dicatur miserabilis, Tiraquell. *in l. si unquam vers. Facultatem, C. de revocan. donat.* Clerici etiam in foro sæculari litigantes miserabiles dicantur. Sperell. *decis.*
75 8. *nu.* 16. immo eo ipso, quod quis pauper sit, dicatur miserabilis, *ut est textus in cap. pr. de postulat*, & docent Alex. de Nevo *cons.* 74. *num.* 12. Crescent. *decis.* 16. *alias* 223. *titulo de Privileg.* Nihi- 76
lominus in casu nostro, eo quod Pontifex Dispensationem in hac forma concedit, & apponit Clausulam, *Dummodo Pauperes, & miserabiles existant, & ex suis labore, & industria tantum vivant*, excluditur omnis alius vivendi modus, & ita est dicta Clausula intelligenda, ut Oratores in tali Paupertatis statu sint, ut ob illam natura nos moveat ad miserandum; unde quamvis, ut diximus, qui pauperes dicantur, relinquatur arbitrio Judicis: Mas- 77
card. *de Probat. conclus.* 1154. *n.* 8. Fontanella *de pact. nupt. claus.* 6. *Gloss.* 2. *par.* 4. *n.* 15. *to.* 2. Cæsar de Graff. *decis.* 162. *alias pr. num.* 2. Gratian. *discept. forens. cap.* 120. *n.* 9. *tom. pr.* dictumque 78
arbitrium regulari debeat in judicando Paupertatem ex qualitate personarum. Leoncill. *de opibus Paupertatis part. pr. quæst.* 3. *nu.* 92. & sic pariter Ju- 79
dicis arbitrio relinquatur, quæ Personæ dicantur miserabiles, Leoncillus *l. c. n.* 86. Mascard. *conclus.* 1061. *n.* 1. Sperell. *decis.* 1. Sperell. *decis.* 156. *n.* 80
20. & quamvis etiam divitiæ non præsumantur, ut probat Tusch. *conclus.* 547. *num.* 1. *Lit. D.* Gratian. *discept. forens. c.* 689. *n.* 36. *tom.* 4., cum qualitas Paupertatis habeat præsumptionem, quæ inest à natura, ex quo quilibet nudus, & pauper nasca- 81
tur; Mascard. *conclus.* 1154. *num.* 1. Petrus Benintend. *decis. Rot. Bononien. decis.* 22. *num.* 11. Sperell. 138. *num.* 58. *Nudus* (ait Job) *egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Cap. *Sicut hi* 45. Dist. Et propterea hujusmodi Paupertas, & miserabilitas non videatur probanda; attamen quando ipsa Paupertas, & miserabilitas sunt funda- 82
mentum intentionis in Concedente, ut in casu nostro, ubi Pontifex non intendit Dispensationem in hac forma *Pauperum* concedere, nisi Oratores sint Pauperes, & miserabiles, & ex eorum labore, & industria tantum vivant, idque geminatis verbis explicat, & declarat, certum est tunc tales esse debere, ut ad mentem, & intentionem Pontificis correspectivæ sint. Leoncill. *d. quæst.* 3. *num.* 91. & proinde aliter, quam per Juris præsumptionem probandas esse hujusmodi miserabilitatem, & paupertatem, docent Benintend. *l. c. num.* 13. Afflict. *decis.* 277. *nu.* 4. Cævallos. *Quæst. comm. contra commu. quæst.* 849. *n.* 16. Sperell. *decis.* 156. *n.* 15. Gratian. *discept. forens. cap.* 7. *n.* 9. *tom. pr.* Mascard. *de Probat. conclus.* 1154. *n.* 4. Rota *decis.* 782. *n.* 4. *part.* 3. *rec. & decis.* 617. *n.* 15. *p.* 3. *rec.* unde non potest hoc casu habere locum arbitrium Judicis, cum Papa has qualitates apponat pro forma per dictam clausulam, *Dummodo pauperes, & miserabiles existant*; quæ clausula ea tantum ponit, quæ affirmat, cætera vero 83
explodit. Sperellius *decis.* 140. *num.* 31. Sbrozius *de off. Vicarii. lib.* 2. *quæst.* 120. *nu.* 13. Pat. Leo *in praxi Sacræ Pœnitent. par. pr.* ubi *An Confessarii Delegati sint Executores*; *vers. Quomodo intelligendæ, pag. mihi* 54. & sive conditionem, sive modum importet, ita qualificat Gratiam, ut nil actum censeatur, donec plene justificata sit, Barbos. *In Praxi exigendi Pensionem, par.* 1. *quæst.* 2. *n.* 4. Lother. *de Re Benef. lib. pr. quæst.* 38. *nu.* 40. Seraph. *decis.* 1017. *num.* 4. & dum Papa declarat Oratores debere esse Pauperes, & miserabiles, & ex eorum labore, & industria tantum vivere, illa dictio, 84
Tantum, cum sit taxativa omnem alium vivendi modum excludit. Rota coram Pœnia *decis.* 142. *num.* 7. Rota *decis.* 600. *num.* 7. *par.* 4. *recent.* Rota coram Merlino *decis.* 28. *num.* 6. Seraph. *decis.* 257. *numer.* 2. Marant. *Resp.* 20. *num.* 3. *part.* 3. Barbos. *de Dictionib. dict.* 349. *nu.* 3. *& dict.* 401. *num.* 2. Lælius Altrograd. *cons.* 13. *num.* 2. *lib.* 2. Merlin. *decis. Rotæ Lucens. decis.* 96. *num.* 10. Hier. Palma *cons.* 78. *num.* 2. & Dispensationem ad expressa comprimit, cogit, & quasi in pugillo constringit, itaut ultra illam progredi, aut extendi non patiatur. *l. Si quis ita legaverit* 3. §. *Cum Titio, ff. de adim. legat.* Marant. *Resp.* 48. *numer.* 43. *d. part.* 3. Pignatell. *Controv. forens. cap.* 61. *num.* 77.

cen-

centuria 2. Vivius *Decis. Regni Neap. dec.* 380. *n.* 11.
85 immo cum additum sit verbum, *Et miserabiles*, non
sufficit, si Oratores sint pauperes, & eorum labore &
industria tantum vivant, si ex locupleti industria vi-
86 vant: ille namque non reputatur pauper, qui ex sua
industria vivere potest. Lother. *de Re Benef. lib.* 2.
quæst. 36. *n.* 33. Mascard. *de Probat. conclus.* 1154.
nu. 36. Rot. *decis.* 552. *num.* 4. *part.* 4. *recent.* Leon-
cill. *de Opibus Paupertatis part.* 2. *privil.* 249. *num.* 31.
87 & habere artem, & habere bona æquiparantur.
Leoncill. *de Opibus Paupertatis part. pr. quæst.* 2. *num.*
88 45. immo quamvis regulariter, ubi agitur de Pauper-
tate ad certum, & determinatum effectum, non at-
tendatur industria, nec opera, ob fragilitatem huma-
næ potentiæ, quæ variatur ex tempore, sed conside-
retur, an quis habeat tot in bonis, itaut ex illorum
fructibus vivere possit, Rota *decis.* 628. *num.* 3. *part.*
4. *recent.* veruntamen ex quo in Literis, ultra ver-
bum *Pauperes*, additum est aliud, nempe, *Et mise-*
89 *rabiles*, verificari debet etiam miserabilitas Oratorum,
ut supra diximus; Unde si Oratores ex locupleti in-
dustria vivant, & bona non possideant, verificabitur
quidem Paupertas, non tamen miserabilitas, prout
90 Pontifex per suas Literas requirit, dum addit, *Et*
miserabiles; quæ dictio *Et*, conjunctiva est, & co-
pulativa, Cæs. de Grass. *de Rebus Eccles. non alien.*
decis. pr. num. 5. Lælius Altograd. *cons.* 13. *num.* 8.
lib. pr. Corne. *cons.* 69. *nu.* 3. *vol. pr.* Barbos. *de Di-*
ctionib. dict. 100. *nu.* 3. & ponitur inter diversa Rot.
inter impressas per Pasificum *post tract. de Salviano*
91 *Interdicto*, *decis.* 97. *num.* 3. & semper de sua natu-
ra aliquid addit. Puteus *decis.* 230. *num.* 2. *lib.* 2.
Leoncill. *d. tract. part. pr. quæst. pr. num.* 19.

An autem dici possit pauper Filiusfamilias, qui
92 nil quidem in vita Parentum possideat, sed habeat
ipsos Parentes divites, & propterea obtinere possit
Dispensationem in hujusmodi forma *Pauperum*, vide-
93 tur negative respondendum; cum de jure naturæ te-
neantur Parentes alimenta præstare filiis, *l. pr. cum*
sequen. C. de alend. filiis. Leo *in Praxi Sacr. Pœni-*
tent. par. 1. Formula *Pro eo qui vovit castitatem servare,*
94 *vers. Utriusque Paupertas*, *pag. mihi* 133. & conse-
quenter, dum adsint alii, ad quos spectet onus, alen-
di, non possit quis dici pauper. Gratian. *discept. forens.*
cap. 552. *num.* 18. *tom.* 3. Mascard. *de probat. conclus.*
95 1154. *nu.* 37. idque verum sit, quamvis etiam sola
96 Mater dives sit, cum & ipsa in subsidium alere tenea-
tur, quando Pater, & alii Ascendentes ex linea pa-
terna defierint, vel sint egentes. *l. Si quis*, *quinta*, §.
idem in liberis ff. de lib. agnosc. & alen. & valeat con-
97 sequentia, ut si Pater dives sit, Filius etiam dives sit
Paris. *de Resignat. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 24. Leoncill.
98 *d. par. pr. quæst.* 5. *num.* 17. Decius *cons.* 443. *num.*
6. 7. & 8., cum Filius eadem persona cum Patre
reputetur *l. ultima C. de Impub. & aliis subst.* Paris.
99 *l. c. n.* 27. Unde Æstimum Patris. Æstimum filii,
Paris. *l. c. num.* 26. Mascard. *de Probat. conclus.* 1151.
100 *nu.* 14. Leoncill. *dicta par. pr. qu.* 1. *n.* 18., cum Filii
in vita Parentum sint quodammodo domini rerum
paternarum, propter usum promiscuum: Pignatell.
controv. forens. cap. pr. n. 5. *Centuria pr.* Rota co-
ram Merlino *decis.* 193. *num.* 16. Leoncill. *part.* 2.
privil. 328. *num.* 9. Cævallos *comm. contra comm.*
101 *qu.* 701. *nu.* 61., & hæreditas Patris sit quasi debita
Filiis: Gratian *discept. forens. cap.* 971. *num.* 19., &
102 proinde in Filium dicatur continuare, non de novo
acquiri: Merlinus *de Legitim. lib. pr. tit.* 1. *quæst.*
1. *num.* 2. Rota coram Merlino *l. c.* Soacius *super*
Instit. lib. pr. de hæredit. quæ ab intestato deferunt §.
Qui dicuntur sui hæredes, *num.* 4. Paschal. *de virib.*
Patriæ potestatis part. 4. *cap.* 1. *n.* 9. Redenasch. *cons.*
103 *pr. nu.* 39. unde post mortem Parentum non videa-
tur hæreditatem percipere, sed magis liberam bono-
rum administrationem consequi, quasi olim dominus
esset, qui etiam vivo Patre quodammodo dominus
existimabatur, & eodem pacto; Marant. *Respons.* 30.
104 *num.* 13. *part.* 1. Immo & habeatur pro divite, qui
habet actionem ad acquirendas divitias, & ad exigen-
dum: *l. Qui potuit facere*, *de Regulis Jur.* Gratian.
discept. forens. cap. 120. *num.* 55. *tom. pr.* Rota
decis. 72. *num.* 5. *par.* 4. *recent.* Leoncill. *d. tractato*
part. pr. quæst. 5. *num.* 24. prout & dives reputetur,
qui potest facere, ut dives sit. Rota *dicto n.* 5.

Nihilominus, prædictis non obstantibus, exi-
stimo posse dari casum, ut Filius possit in hac for-
ma Dispensationem impetrare, quamvis Parentes sint
divites, quia, si Filius nulla bona possideat, & à Pa-
rentibus expulsus non recipiat ab eis alimenta, nec
aliud subsidium, nec ei in vita Parentum de Jure,
vel ex dispositione aliquorum certorum Statutorum,
competat aliqua portio loco Legitimæ, seu aliter in
bonis eorumdem, ut maxime contingere potest ex il-
lis 14. causis, ex quibus permittitur exhæredatio,
quæ habentur penes d. Soacium *super Institutis*, *lib.*
2. *titul.* 13. §. *Quæ causæ sint*, *propter quas Filii a*
Parentibus exhæredari possint, *nu.* 4. & 5. & proin
de etiam alimenta denegantur, ut probant Leoncill.
part. 2. *privil.* 161. *nu.* 21. & Surdus ab ipso rela-
tus; Donat. Anton. de Marinis *resol. quotid. lib.* 1.
cap. 143. *nu.* 7. Michalor. *tract. de Fratribus part.*
2. *cap.* 35. *n.* 41., itaut pauper, & miserabilis exi-
stat, & ex suis labore, & industria tantum vivat,
cur casu isto non verificabitur in eo qualitas Pauper-
tatis, & miserabilitatis, requisita ad impetrandam in
hac forma Dispensationem; cum necesse sit de præ-
senti succurrere honori fœminæ, quæ si matrimo-
nium non contrahat cum ipso, periculum est, ut
diffamata, & inupta remaneat, & gravia scandala
verisimiliter exoriantur; & si matrimonium differe-
tur post mortem Parentum, quot peccata, & scan-
dala sequerentur? Unde oportet de præsenti provi-
dere. Nec refert hoc casu, quod Filius sit positus in
conditione, etiam ut post mortem Parentum spera-
re possit hæreditatem; quia ad hoc, ut quis dicatur
pauper, habetur respectus ad id, quod possidet, &
non ad id, quod sperat, vel judicialiter petit, quam-
vis hæreditates etiam pingues à Judice petat, ut ex-
presse docent Innocentius *de off. & potest. Judicis De-*
legati cap. Significantibus n. 4. Merlin Pignatell. *dict.*
controv. forens. cap. 1. *n.* 10. *Centur. I.* Sperell. *decis.*
156. *n.* 16. Alexand. de Nævo *cons.* 74. *n.* 12., qui
adhuc in statu præsenti judicatur pauper, ut bene
concludit dictus Alexander de Nævo *l. c.* ubi adver-
tit, id esse menti tenendum; & maxime facit, quod
Pater potest vendendo, vel aliter titulo oneroso con-
trahendo, privare Filium etiam Legitima, ut bene
animadvertit dictus Donatus Antonius de Marinis
d. cap. 143. *n.* 2. Unde quem esse divitem, vel pau-
perum paria sunt, si suis divitiis uti non possit. Ro-
ta *decis.* 97. *nu.* 3. *par.* 2. *divers.* Simon de Prem
de interpret. ult. volunt. lib. 3. *fol.* 2. *nu.* 36. & *fol.*
5. *n.* 23. & *lib.* 4. *fol.* 1. *n.* 94. Lotherius *de Re*
benef. lib. 2. *quæst.* 8. *num.* 59. si etenim alicui com-
petant actiones, at non possit eas exercere, est tan-
quam organum sine spiritu, ut ponderat idem Lo-
therius *lib.* 1. *quæst.* 39. *num.* 125. & propterea cum
nullum jus Filio competit in vita Parentum, etiam
in Legitima *l.* 1. §. *Si Impub. ff. de collat. bonor.* Bar-
bos. *in Collect. in Codicem l. si emancip.* 3. *num.* 6.
Paris. *de Resign. benef. lib.* 1. *qu.* 6. *num.* 53. Gratia-
nus *discept. forens. cap.* 729. *num.* 25. *tom.* 4. Fari-
nac. *cons. crim.* 52. *num.* 6. *lib.* 1. Antoninus *var.*
resol. lib. 2. *resol.* 54. *num.* 6. Alexand. Trentacinq.
var. resol. lib. 1. *tit. de Legitim. resol.* 3. *num.* 3. §.
In casu. Merlin. Pignatell. *controv. forens. cap.* 2.
num. 8. *Centur. I.* Donatus Antonius de Marinis *re-*
sol. quotid. lib. 1. *cap.* 143. *num.* 1. Fabius de Anna
in addit. ad Patr. sing. 531. & novissimè celebratis-
simus Doctor noster Lælius Altograd. *cons.* 43. *num.*
3. *lib.* 3. cum viventis nulli sint hæredes. Angelus
cons. 306. *num.* 2. Lælius Altograd. *cons.* 53. *nu.* 19.
d. lib. 2. & Filius satis probat se esse pauperem, as-
serendo nulla bona possidere. Rota *decis.* 499. *n.* 4.
part. 1. *divers.* & Covarruv. à dicta Rota ibi cita-
tus; Et proinde præsumitur pauper ex præsumptione
Juris. Rota coram Buratto *decis.* 756. *n.* 7. Leon-
cill. *de Opibus paupertatis part.* 2. *privil.* 162. *n.* 3.
Immo nec subreptitia erit Dispensatio, in qua Ora-
trix narravit se esse pauperem, si vere talis erat,
quamvis spem magni Patrimonii haberet; Sayrus *in*

Flo-

Floribus lib. 1. *dec.* 3. *titul.* 3. quia ad hoc; ut Jus succedendi sit consideratione dignum, debet esse de præsenti valide quæsitum. Pignatell. *controvers. forens. cap.* 23. *num.* 9. Salgad. *Labyr. Credit. part.* 2. *cap.* 22. *nu.* 115. nec Jus in spe consideratur: dictus Merlin. *l. c. num.* 17.

115 Nec crediderim teneri quem vendere Domum, vel alia bona exigui redditus, ut pretium eroget in obtinenda, & impetranda Dispensatione in forma ordinaria, & debitas Taxas, Compositiones, & Jura Officialium Romanæ Curiæ propterea solvat, si alias sit pauper, & miserabilis; quia ad inspiciendum, & dignoscendum, an quis sit pauper, attenditur
116 principaliter ad fructus, quos percipit, & non ad pretium, quod ex hujusmodi venditione haberi posset. Donatus Antonius de Marinis *resol. quotid. lib.* 2. *capit.* 84. *numer.* 2. Leoncill. *eodem tract. part.* 1. *quæst.* 6. *num.* 20. Merlin. *decis. Rot. Lucan. dec.* 70. *num.* 10. Rota *decis.* 48. *numer.* 8. *part.* 2. *divers.* & faciunt dicta per dictum Leoncillum *d. part.* 1. *quæst.* 5. *num.* 31.

Accidit aliquando, ut Oratores sint quidem Pauperes, & miserabiles, sed aliqua bona modici valoris possideant, itaut ex fructibus, qui ex illis annua-
117 tim percipi solent, possent per duos, vel tres menses anni, seu circiter vivere, & tunc examinari solent ab Ordinario Testes super qualitate, & facultatibus Oratorum; & juxta probationes factas, fit Fides ab ipso Ordinario, quod Oratores possident bona talis, & talis annui redditus, & in reliquis sunt pauperes, & miserabiles, & ex eorum labore, & industria tantum vivunt; & dicta Fides transmittitur Romam, & ex ejus tenore Dominus Datarius, ejusque Officiales dignoscere possunt, an Oratores solvere possint aliquam saltem extraordinariam Compositionem; & eo casu solent Oratores, ut plurimum, taxari in solutionem summæ, quæ uno anno percipi solet ex bonis alterius ex Oratoribus; qua Compositione soluta, expediuntur Literæ in dicta forma *Pauperum*, in quibus exprimitur, *Oratores possidere bona talis annui redditus, &c. & in reliquis esse Pauperes, & miserabiles, & ex eorum labore, & industria tantum vivere*; Unde in verificatione precum coram Delegato facienda, verificari debebit annuus redditus bonorum, quæ Oratores habent, & quod in reliquis sunt Pauperes, & miserabiles, &c.

118 Quod si in probatione coram Ordinario facta, non verificaretur Paupertas Oratorum, sed reperiretur non esse ita pauperes, & miserabiles, ut expositum fuerat Pontifici, non poterit Delegatus ad Dispensationem procedere, sed recurrere debebit de novo ad Summum Pontificem, pro impetratione novarum Literarum in forma *Perinde valere*, pro quibus obtinendis, Supplicatio concipi solet infrascripto, vel simili modo.

119 *Beatissime Pater. Alias pro parte N. & N. expositum Sanctitati Vestræ, ipsis Oratoribus scientibus, se Tertio Consanguinitatis Gradu invicem esse conjunctos, Oratorem prædictum, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso, &c. dictam Oratricem cognovisse, &c. & nisi Matrimonium inter eos contraheretur, &c. cupere, &c. sed stante Impedimento hujusmodi, Matrimonium contrahi non posse; quare Vicario Episcopi Lucani, &c. quatenus, si Preces veritate niti reperisset, Oratores præfatos, qui, sicut tunc asserebant, Pauperes, & miserabiles existebant, & ex suis labore, & industria tantum vivebant, in primis ab invicem separaret, deinde, &c. utque dictus Orator operam suam conferret, &c. tribus saltem mensibus, aliaque injungeret, &c. Qua pœnitentia publica peracta, & recepto juramento, &c. & quatenus causa quoquomodo in Judicium deducta fuerit, Parito Judicato, &c. Demum, &c. si expediens videretur, &c. Prolem, &c. prout in dictis Literis continetur; Quibus quidem Literis eidem Vicario præsentatis, idem Vicarius contenta in eis verificari mandavit; & cum ei in verificatione constitisset, eos Pauperes non existere; ad illarum ulteriorem executionem procedere recusavit: Supplicant igitur humiliter eandem S. V. Oratores præfati, quatenus eos amplioris Gratiæ favore prosequendo, eidem committere, & demandare dignetur, ut hujusmodi negotium reassumens, Literasque prædictas valere decernens, ad earumdem Literarum executionem, servata alias earum forma, procedat in omnibus, & per omnia, perinde ac si in illis nulla, quod Oratores Pauperes existant, mentio facta, Oratoribus, Pœnitentia publica prædicta, ipsique Oratori, quod operam suam Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci Pii conferret, injunctum minime fuisset, de Gratia speciali; non obstantibus omnibus illis, quæ in prædictis Literis voluit non obstare, & cum Absolutione à Censuris ad effectum, &c.*

Id tamen est adnotandum, quod ad dignoscendum, an Oratores sint pauperes, non habetur in consideratione, an habeant Bona, si ære alieno gravati sint, quia si deductis oneribus, parum superfit, adhuc non desinunt esse pauperes, quamvis multa Bona ha- 120
beant, cum non dicantur Bona, nisi deducto ære 121
alieno. Molfes. *tom.* 1. *part.* 7. *quæst.* 3. *nu.* 17. Barbos. *de axiom. axiom.* 37. *num.* 1. Hieronym. Palma *cons.* 47. *num.* 72. Leoncill. *de Paupert. opibus part.* 2. *privil.* 75. *num.* 6. nec dicantur fructus, nisi deductis 122
expensis. Cencius *tract. de Censib. quæst.* 35. *num.* 19. Redenasch. *cons.* 77. *num.* 11. Rota inter decis. impressas per eundem Cencium post *d. tract. de Censib. dec.* 387. *n.* 2. Paris. *de Confid. quæst.* 35. *nu.* 32. Rota inter impressas post sec. volum. consil. Farinac. *dec.* 227. *num.* 4.

Secundo adnotandum, quod licet Pontifex committere intendat Dispensationem Oratricis, & in hoc se conformare dispositioni Concilii, ut diximus 123
supra, si tamen Oratores in aliena Diœcesi domicilium contraxissent, & saltem per annum ibi habitassent, Fides eorum Paupertatis sufficiet, si facta esset ab Ordinario Domicilii, quia præsumitur magis informatus de statu, & Paupertate Oratorum; & ita de stylo servari testatur Corrad. *dict. Praxi Dispens. Apost. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 24.

Tertio adnotandum, quod licet pro Oratoribus 124
absentibus nihil recipiatur à Dominis Scriptoribus Apostolicis, quibus sufficit ipsas Literas in forma *Pauperum* videre conscriptas, ad hoc ut illas subscribant, nempe, *Gratis pro Deo*; nihilominus per officium minoris Gratiæ ita taxantur, ac si illi pauperes non essent, sed solum eis prodest Pauperras, ut integram solutionem Compositionis evadant.

Ultimo adnotandum, quod si Oratores sint Nobi- 125
les, & Pauperes, & velint Dispensationem in forma *Pauperum*, sufficit hoc casu exponere, quod sint ex honestis Familiis, & Pauperes, & ex eorum labore, & industria vivant, & quod ob copulam inter eos secutam, vel suspectam conversationem habitam, nisi matrimonium inter eos contraheretur, Oratrix innupta, & diffamata remaneret, & gravia scandala possent verisimiliter exoriri; unde eo casu non dicitur, quod sint miserabiles, & ex eorum labore, & industria tantum vivant, nec injungitur servitium Ecclesiæ, nec Pœnitentia publica, sed cum aliqua modica Compositione conceditur Dispensatio.

IN PRIMIS AB INVICEM SEPARES.

Verificatis itaque omnibus, quæ ex forma, & tenore Literarum verificanda erunt, Delegatus ad Decretum separationis deveniet, quia cum ante Dispensationem præcedere debeat Pœnitentia publica, & expleri servitium Ecclesiæ, interim, ad scandala vi- 126
tanda, & fugiendam occasionem reincidentiæ in peccata, Oratores manere debebunt separati, itaut Orator in una, & Oratrix in alia Domo habitent, ne inter se, cum periculo animæ, & scandalo Populi conversent; qui enim amat periculum, peribit in il- 127
lo. Salomon *Proverb.* 3. *n.* 47. Sperell. *decis.* 175. *n.* 5. quod Decretum separationis infrascripto, vel simili modo fieri poterit.

Die, &c. Perillustris. & Reverendiss. D. Flami- 128
nius Nobili J. U. D. Canonicus Cathedralis Lucanæ, & Nob. Lucens. Illustris. & Reverendiss. D. D. Petri Rota Episcopi Lucani, & Comitis, in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis, in hac parte uti Delegatus Apostolicus, visis, & bene consideratis requisitis, & Clausulis contentis in Literis matrimonialis Di-

lis Dispensationis, à SS. D. N. Alexandro Papa Septimo obtentis per Antonium, & Magdalenam de Camajore hujus Lucanæ Diœcesis, verificatisque coram se contentis in ipsis Literis, Decrevit, quod supradicti Antonius, & Magdalena separentur ab invicem arbitrio dicti D. Vicarii, prout illos præsenti Decreto separari mandavit, itaut dict. Antonius in una, & dict. Magdalena in alia Domo separatim vivant: De qua quidem separatione exhibere teneantur Fidem eorum Parochi, in Actis hujus Curiæ relaxandam; & ita, &c.

Flaminius Nobilis, Vic. Gener. Lucanus, Delegatus Apostolicus.

N. Notarius Publicus Lucen. ac Curiæ Episc. Luc. Canc.

129 Si post factam separationem ab Ordinario, Oratores per aliquod tempus separationem servaverint, sed tamen in ea non continuaverint usque ad Decretum Dispensationis, existimo adhuc posse Delegatum Dispensationem exequi, maxime si scandala ex ulteriori dilatione timeantur, & periculum sit incontinentiæ, & omnia alia, quæ adimpleri debebunt, fuerint adimpleta, quia ipse jam separavit, ut habebat in Mandato; & tempus, quo remanere debent separati, remittitur ipsius arbitrio; faciunt dicta per Garziam *de Benef. part.* 8. *cap.* 3. *n.* 92.

DEINDE SI VENIAM A' TE PETIERINT HUMILITER.

130 Dictio, *Deinde*, ordinem significat, & est præcedentium continuativa, & ab illis integram causam perficit. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 7. *n.* 17. Lezana *in Summa*, *tom.* 3. *verbo Dictio*, *n.* 14. & conditionem im-
131 portat, *l. prim. §. Si quis*, *ff. de verb. oblig.* Gutier. *can. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 113. Sperell. *decis.* 125. *nu.* 39. Cæphal. *cons.* 638. *n.* 8. *tom.* 5. Menoch. *cons.* 15. *num.* 114. *vol.* 1. Unde si post factam separatio-
132 nem velint Oratores dispensari, debebunt à Delegato prius petere veniam humiliter de commissis excessibus, ut sic dent signum pœnitentiæ. *cap. Peccati ve-*
133 *nia* 5. *de Regulis Juris in* 6. qui enim veniam petit, pœnitens esse debet. *cap. Nemo* 14. *de Simonia*, &
134 non nisi se corrigentibus venia datur. *cap. Legitima* 24. *quæst.* 2. Marant. *resp.* 4. *numer.* 21. *part.* 2. nec
135 conceditur non pœnitenti. Resp. Marantæ *l. c. num.* 52. Sperellius *decis.* 111. *num.* 46. absurdum namque esset, absolutionem non petenti dare. Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 1.

136 Hæc autem Clausula diversimode concipitur in Dispensationibus matrimonialibus, quæ in dicta forma *Pauperum* expediuntur pro Gallicis, quia ibi dicitur, *Deinde si veniam à te petierint, imposita eis, pro modo culpæ, Pœnitentia salutari, receptoque ab eis juramento, quod talia deinceps non committent, nec committentibus præstabunt auxilium, consilium, vel favorem, ipsos ab Incestus reatu, & Excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus, tam a Jure, quam ab Homine, contra similia perpetrantes, promulgatis, in utroque foro absolvere*, &c. Vide Corrad. *c.* 6. *n.* 79. Animadvertendum insuper, quod, non petita hujusmodi venia, non potest Delegatus ad executionem Dispensationis devenire, cum Dictio, *Si*, conditionem importet. Genua *de Enunciativis lib.* 3. *quæst.* 5. *n.* 17. Menoch. *cons.* 15. *nu.* 14. *tom.* 1. Mantic. *de Conject. lib.* 10. *titul.* 5. *n.* 4.

EAM ILLIS POENITENTIAM PUBLICAM IMPONAS, QUÆ ALIOS DETERREAT A' SIMILIBUS COMMITENDIS.

137 Ob publicum peccatum, imponenda est publica Pœnitentia, juxta Textum *in cap. Quæstum* 7. *de pœnit. & remiss.* Seraphin. *dec.* 54. *num.* 6. & in publicis
138 delictis per publicam solum vindictam Reipublicæ satisfit, ad exemplum, & terrorem aliorum. *l.* 1. *C.*
139 *ad l. Juliam repet.* Ea enim Pœnitentia, quæ pro foro conscientiæ à Confessario imponitur, tendit ad alium finem, nempe ut per eam Pœnitens satisfaciat Deo, & cum eo reconcilietur: at Pœnitentia, quæ pro foro externo subiri debet propter scandalum, spectat ad vindictam publicam, & Reipublicæ satisfactionem. Rota coram Merlin. *decis.* 15. *numer.* 9. ideo Delegatus, post humiliter petitam ab Oratoribus veniam, debebit utrique Oratori Pœnitentiam publicam, juxta tenorem Literarum suæ Commissionis, imponere. Hæc tamen Pœnitentia à
140 Pontifice non declaratur qualis esse debeat, sed remittitur arbitrio Ordinarii, ita tamen quod publice fiat, & talis sit, ut alios deterreat à similibus committendis, ut si minus virtutis amore, saltem for-
141 midine pœnæ, ad bene, rectèque vivendum inducantur, juxta illud, *Oderunt peccari mali formidine pœnæ*.

Quamvis autem hæc Pœnitentia debeat esse publica, & talis, ut inde alii terreantur, non tamen so-
142 lemnis esse debet; quæ sit quadam ignominiosa forma. In multis autem locis usu receptum est, (& ita
143 ab Ordinariis Lucanis, dum ad has Commissiones exequendas Delegati sunt, servatur) ut Oratores una die festa de mane, dum in Parochiali Ecclesia Oratricis celebratur Missa Populo, maneant ante fores Portæ principalis ejusdem Ecclesiæ, genibus flexis, & detecto Capite, cum una candela accensa præ cujusque Oratoris manibus; Et cum dicta Pœnitentia, ex forma à Pontifice præscripta, debeat esse publica, ut alii à similibus committendis terreantur, non poterit ille, ad quem spectat, dictam Missam celebrare, vel celebrare facere summo mane, antequam populus concurrat ad Ecclesiam, quia mens Summi Pontificis est, ut publica sit, tum ob erubescentiam Oratorum, tum ad exemplum aliorum, ut diximus, & propterea cum id sit de forma à Pontifice præscripta, ea non servata, actus est nullus, ut diximus supra.

Et quidem de nonnullis Parochis audivi, qui; ut Oratoribus rem gratam facerent, Mandata Apostolica parvi facientes, Missam summo mane celebrare, vel intempestivo tempore celebrari curant, adhibitis quinque aut sex personis Consanguineis, vel Amicis Oratorum, studiose vocatis, ne extraneæ personæ id sciant, & sic Oratores, absque rubore Pœnitentiam adimpleant; & deinde Parochus facit Fidem de adimpleta Pœnitentia, suas, & Oratorum conscientias illaqueando, unde Dispensatio inde sequuta, tanquam contra mentem expressam Summi Pontificis extorta, non proderit, quia non facere, &
144 inutiliter, & minus legitime facere paria sunt. *l. non putavit*, *& l. quoties*, *ff. Qui satisdare cog.* Patis. *de Resignat. lib.* 11. *quæst.* 7. *n.* 8.

UTQUE IDEM ANTONIUS OPERAM SUAM CONFERAT FABRICÆ, AUT IN ALIUD SERVITIUM ALICUJUS ECCLESIÆ, VEL LOCI PII TRIBUS SALTEM MENSIBUS.

Ultra dictam publicam Pœnitentiam, quæ utrique Oratori imponitur, ut diximus; alia Pœnitentia soli Oratori injungitur, nempe, *Ut operam suam conferat Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel Loci Pii* per aliquot menses; magis, vel
145 minus, prout rei qualitas, & proximitas graduum, super quibus dispensandum est, requirunt; Regulariter autem si Oratores sint in gradibus propinquiori-
146 bus, tam Consanguinitatis, quam Affinitatis, ut in secundo, vel secundo & tertio, imponi solet Pœnitentia, quinque; si in tertio & quarto, seu simplici quarto, trium mensium; & si gradus sint mixti, & ex multiplicatis Stipitibus procedant, assignantur plures, seu pauciores, arbitrio Summi Pontificis, vel Domini Datarii; Quamvis si Orator accedat ad Urbem, istud tempus minuatur, ut diximus.

Circa prædicta, sunt adnotanda nonnulla magis
147 in Praxi practicabilia; Et Primo, ut necesse non sit hanc Pœnitentiam, & personale servitium fieri tempore continuato, sed sufficere si interpolate expleatur, cum in Literis non præcipiatur, ut Orator operam suam conferat per tres saltem menses, sed dicitur tribus saltem mensibus, in ablativo absoluto: si etenim diceretur, per tres saltem menses, tunc dictio,
148 *Per*, tempori adjuncta, totius temporis continuationem importat. Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 9. *in annotat, n.* 89. Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 8.

libr. 8. *cap.* 6. *num.* 27. Marant. *resp.* 46. *numer.* 14. *part.* 4.

Secundo adnotandum, quod, quamvis vinculum Consanguinitatis fortius sit vinculo, & attinentia Affinitatis, ut jam diximus, tamen in impetrationi- 149
bus Dispensationum matrimonialium, tam in ista, quam in ordinaria forma, nullum discrimen constituitur in taxando expensas, & infligendo Pœnitentias, sed pari modo proceditur, nullo habito respectu, an Oratores Consanguinei sint, vel Affines; & ita se habet stylus Curiæ, ut notum est, & testatur Corrad. *d. cap.* 6. *n.* 3.

150 Adnotandum Tertio, Dispensationes matrimoniales in forma *Pauperum*, in remotioribus gradibus, nempe ultra tertium, transire per officium minoris Gratiæ, & ibi, si Oratores sint absentes ab Urbe, ex integro taxari, perinde ac si ipsi pauperes non es- 151
sent, at in propinquis, nempe in tertio Consanguinitatis, vel Affinitatis, & aliis propinquioribus, quamvis ex duplicatis, vel multiplicatis Stipitibus Impedimenta insurgant, transire per Cancellariam, ubi ipsæ Literæ non taxantur, sed signantur *Gratis pro Deo*; & sic nulla ibi solvitur Taxa, sed solum nonnulli parvi nummi erogantur, pro laboribus ali- 152
quorum Officialium; Si tamen Oratores præsentes sint, recipitur ab eis juramentum, quod ipsimet sint eædem Personæ, de quibus in Literis Testimonialibus præsentatis ab ipsis; unde major est impensa, quæ 153
per Oratores ab Urbe absentes sustinetur pro Dispensationibus in hujusmodi forma *Pauperum* impetrandis, super gradibus remotioribus, quam super propinquioribus, ut tertio, vel duplici, seu triplici tertio; Id quod multi, qui de hujusmodi stylo sunt ignari, capere non possunt.

154 Adnotandum Quarto, servitium Ecclesiæ Oratori injunctum, non posse à Delegato minui, & in aliqua, licet minima parte, relaxari; sed dictum servitium integre debere expleri, antequam ad ipsam Dispensationem deveniatur, quia illa dictio, *saltem*, 155
est ampliativa, & non limitativa; Seraphin. *decis.* 787. *num.* 8. nec excludit majora: Cæsar de Grassis 156
decis. 117. alias 6. *nu.* 15. & cum hujusmodi tempus omnino requiratur ad perfectionem, & complemen- 157
tum ipsius servitii, existimatur de forma, ut bene advertit Maranta *respons.* 46. *à num.* 18. *part.* 4. unde completum esse debet, atque perfectum; idem 158
Marant. *l. c. num.* 25. & consequenter non poterit Delegatus servitium, nedum diei unius, remittere, 159
quamvis enim minima regulariter non habeantur in consideratione, & de minimis Lex non curet, *l. In commodatis* 18. *§. Possunt, in fine*, cum aliis Barbosa *de axiom. axiom.* 150. *num.* 1. & parum, & ni- 160
hil æquiparentur, Marius Antoninus *var. resol. lib.* 161
2. *resol.* 18. *numer.* 6. & modicum tempus pro non tempore reputetur, Mandos. *ad Regul. Cancell. Regul.* 16. *quæst.* 19. *numer.* 3. Nihilominus cum à Pontifice præcipiatur Delegato, ut Pœnitentiam imponat, ac servitium personale, trium saltem mensium, id sub certa forma præscribitur, quam tenetur Dele- 162
gatus omnino servare. Barbosa *in Votis Canonicis lib.* 1. *vot.* 5. *num.* 16. Garcia *de Benef. part.* 6. *cap.* 163
3. *num.* 40. quæ forma ita transgreditur in minimo defectu, sicut in magno. Gomes. *Reg. de Idiom. qu.* 8. *lit. A.* Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 18. *nu.* 164
77. immo etiam in uno nummo transgreditur. Fontanell. *de Pactis Nupt. clausula* 7. *Glossa* 3. *part.* 6. *n.* 14. Barbosa *in dictis Votis lib.* 1. *vot.* 5. *n.* 17. Unde non poterit Delegatus formam præscriptam non servare, & consequenter, nec aliquod, licet modicum tempus poterit Oratori indulgere: Poterit qui- 165
dem tempus Oratori assignare longius eo, quod in Literis sit expressum, quia Pontifex præcipit, ut saltem tres menses assignet; non tamen prohibet, quin possit Delegatus majus tempus assignare, ut bene animadvertit idem Corrad. *in d. Praxi d. capit.* 166
6. *n.* 34. Quod si casus eveniat, ut ob supervenientem infirmitatem, vel imminentia scandala, aut aliam justam causam opus sit commutatione, vel expediat matrimonium cito contrahi, debebit, antequam sit expletum dictum Ecclesiæ servitium, recurri ad Dominum Datarium Papæ, qui plenam in his habet à Pontifice potestatem; à quo D. Datario, si 167
aliqua justa causa allegetur, solet per particularem Epistolam rescribi Delegato, cui executio Dispensationis commissa fuit, *ut si tales causæ, quæ sibi expositæ fuerunt, veræ sint, ipsumque matrimonium non possit, absque scandalo differri, donec tempus servitii expletum sit, factis priùs per Oratores aliis Pœnitentiis impositis, præstitaque per Oratorem cautione idonea de conferendo quam primum, contracto matrimonio, operam suam, ad formam Literarum Apostolicarum, Fabricæ, aut in aliud servitium Ecclesiæ, vel Loci pii sibi assignati, dispenset*: Et tunc Orator debebit dictam cautionem in forma Juris valida præstare, sub pœnis, & mulctis, arbitrio Delegati imponendis, in casu inobservantiæ Oratoris; injuncto insuper onere Oratori, ut sub eisdem pœnis, & mulctis, teneatur referre Fidem Parochi, ad quem spectabit, quod operam suam toto præscripto tempore præstiterit, ut supra.

Quomodo autem, ac qualis præstari debeat ipsa 168
cautio, ex verbis, quibus utitur Dominus Datarius in rescribendo, dignosci poterit; quia, si simpliciter dicat, quod teneatur cautionem præstare, sufficiet eo casu cautio juratoria, ut bene docet Sanchez *de Matrim. lib.* 10. *Disp.* 18. *num.* 34. & faciunt dicta per Porcium *num.* 4. & Minsingerium *num.* 4. *super instit. lib. prim. titulo* 11. *de adoption. ad §. Cum autem impubes*; at si dicat, quod teneatur Orator cautionem idoneam præstare, tunc non sufficiet juratoria, sed debebit per Instrumentum publicum manu publici Notarii, in forma juris valida, promittere, & se obligare ad dictam operam conferendum, cum obligatione etiam suorum hæredum, & bonorum, sub pœnis, & mulctis à Delegato impositis, & ulterius Fidejussorem facultatibus idoneum, & à Delegato approbandum præstare, ut bene animadvertit, & docet idem Sanchez *l. c.*

Nec est audiendus Genuens. *in Praxi Curiæ Ar-* 169
chiepiscopalis Neapolitan. cap. 20. *numer.* 2. ubi ait, posse Delegatum commutare dictum servitium in aliud diversum opus, si Orator sit persona Nobilis, & de- 170
licata; quamvis enim probabile sit, posse Episcopum ex causa commutare Pœnitentiam à Papa injunctam, Glossa *in c. Tempora* 27. *quæst.* 7. & posse Parochum commutare Pœnitentiam ab ipso Episcopo impositam, & secundum Confessarium injunctam à primo, ut docent inter alios Sylvester, V. *Confessi* §. 27. *num.* 31. Id tamen intelligi debet, ut procedat in foro Conscientiæ, & non in foro externo, ut bene distinguunt Joannes Valer. *Differentia* 5. *numer.* 12. & Decius *in cap. At si Clerici num.* 31. relatus a dicto Genuens. *loc. cit.* quia non po- 171
test Delegatus, cui est præscripta certa forma se ultra illam extendere; *Cap. cum dilecta, de rescriptis*; Seraphin. *decis.* 357. *num.* 6. Marantæ *Respons.* 13. *numer.* 33. *part.* 2. & memini me vidisse adnotatum in libro intitulato: *Registrum Literarum Apostolicarum*, qui conservatur in Archivio Episcopali Luca- 172
no, quod in quodam urgenti casu, cum Illustris. D. Alexander Guidiccionius, tunc Episcopus Lucanus (Vir spectatæ probitatis, qui post plures annos, quibus singulari pietate, & optimo vitæ Pastoralis exemplo, Ecclesiæ Lucanæ præfuit, Pauperum, Viduarum, & Pupillorum vere Pater, & Pastor, tandem longævæ ætatis veneranda canicie præfulgens, cumulatus Virtutum meritis in Domino quievit) instantissime requireretur pro commutatione hujusmodi Pœnitentiæ, rem detulit ad Urbem, unde responsum fuit *negative*: Poterit quidem Delegatus, si ei 173
opportunum videatur, destinare Oratorem servitio alicujus Hospitalis, ut Infirmis inserviat, & ministret hora prandii, & cœnæ, ut infra dicimus, etiam in Alma Urbe servari, non tamen commutare potest ipsum servitium in aliud opus omnino diversum, ut in solutionem pecuniarum pro Fabrica, vel in Missarum celebrationem; seu eleemosynarum erogationem, vel similia opera Pia, nec aliter quam modo supra permisso intelligi debet Doctrina dicti Genuensis; vide quæ dicimus infra:

Poterit quidem Delegatus commutare onus injunctum jam Dispensato, v. gr. super Voto Castitatis, quando tale onus non posset exequi, Tuschus *concl.* 439. *num.* 8. *lit. I.*

Quinto adnotandum, quod cum in Supplicatione, pro impetranda Dispensatione in hujusmodi forma Pontifici porrecta, dictum fuerit Oratores esse pauperes, & miserabiles, & ex eorum labore, & 174 industria tantum vivere, voluntas Pontificis præsumitur esse, ut postquam Orator per quinque horas circiter diei operam suam contulerit, possit reliquum temporis ipsius diei indulgeri, ut Orator aliquo modo se, & Familiam alere possit, ne fame pereant; nec præsumi potest exuberantem Pontificis benignitatem, & ipsam Ecclesiam, quæ Mater Pauperum dicitur, velle, ut Orator, qui non habet unde vivat, fame pereat, sibique alimenta, quæ in subsidium vitæ necessaria sunt, sua industria non procuret: Ita 175 pariter se habet stylus Curiæ Romanæ, quæ cum sit omnium aliarum Curiarum Ecclesiasticarum mater, & magistra, *l. prima* §. *Sed & si quæ leges C. de ve-* 176 *teri Jure enucl.* inservire debet aliis in exemplum; cum Inferiores à Superioribus regulentur. *capit. Est ordo* 12. *causa* 43. *quæst.* 5. & his casibus, servitium 177 dicitur continuum, si pro majori parte diei fiat, ut bene Gratian. *Discept. forens. capit.* 440. *numer.* 6. *tom.* 3.

178 Adnotandum Sexto, non adstringi Delegatum destinare Oratorem præcisæ Fabricæ alicujus Ecclesiæ, vel Loci Pii, quia potest etiam ei imponere, ut loco Fabricæ aliud servitium personale Ecclesiæ præstet, ut diximus, idque aperte constat ex ipsis Literis, per ea verba, *Fabricæ, aut in aliud servitium*; & 179 sic cum dictio, *Vel*, stet alternative, Lotherius *de re Benef. libr.* 3. *quæst.* 37. *num.* 37. Rota in noviss. *decis.* 247. *numer.* 19. coram Merlino, Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ, par.* 3. *circa finem*, suf- 180 ficit unum ex alternativis adimpleri. Rota *dec.* 569. *n.* 2. *part. prima recent.* & coram Durano *decis.* 103. *n.* 3. Et sic passim servatur, ut diximus.

181 Intellige tamen, ut operam præstet in servitium Ecclesiæ, vel Loci Pii, non tamen in indigentiis, & servitiis domesticis Parochi, seu Rectoris, prout de nonnullis audivi, qui loco servitii Ecclesiæ præstandi, Oratores in eorum laboreriis occupabant, & sic non Ecclesiæ, vel loco Pio, sed ipsi Rectori inserviebant, nec ob id suo oneri satisfaciebant.

182 Septimo dico, nomine Loci Pii comprehendi et- 183 iam Hospitalia ad pia opera publice extructa, quæ, quamvis sub nomine Beneficii Ecclesiastici non veniant, *Clem. Quia contingit §. Ut autem, de Relig.* 184 *Domib.* Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. Glossa* 5. §. 4. *numer.* 7. si tamen auctoritate Episcopi erecta sint, loca Religiosa sunt, & de foro Ecclesiæ, & sub ejus protectione, ac Episcopi cura. Gratianus *discept. forens. capit.* 34. *numer.* 1. *tomo prim. & cap.* 185 418. *numer.* 9. *tom.* 3. & Ecclesiis comparantur, ac gaudent Ecclesiæ privilegiis, ac immunitate. Rota *decis.* 308. *numer.* 1. *part. prim. recent.* Gutierez *Can. QQ. libr. prim. capit.* 35. *numer.* 29. Marant. *Resp.* 35. *num.* 5. *part.* 3. Merolla *tomo tertio, disp.* 7. *cap.* 5. *dub.* 14. *num.* 247. Immo sub nomine etiam 186 Hospitalis comprehenduntur Xenodochia, ubi Peregrini gratis suscipiuntur. *Glos. in cap. clausula qualibet* 23. *causa* 23. *quæst.* 8. Nosochomia, sive Nosoconia, ubi ægroti curantur, *l. Sancimus*, §. *sed Deo C. de Episc. & Cleric.*

Procotrophia, ubi Mendici debiles pascuntur, qui proprio labore sibi victum quærere non valent, *dicta l. Sancimus, l. Illid.* 19. *C. de Sacros. Eccles.*

Brephotrophia, ubi Infantes pauperum aluntur, *d. l. Illud.*

Orphanotrophia, ubi recipiuntur Pauperes parentibus orbati; *Auth. de Eccles. Tit.* §. *final. Collat.* 9. Galganett. *de Jure publ. lib.* 3. *tit.* 119.

Gerentozomia, ubi Senes pauperes, & infirmi curantur, *d. l. Illud. & d. l. Sancimus*, §. *sed Deo nostro.*

Grotophonia, ubi Fœminæ debilium subtentatrices habitant; Hostiensis *in Summa de Relig. domib.*

Seposariæ, ubi detinentur, qui morbo lepræ percussi sunt, *cap.* 2. *de Eccles. ædific. Clem.* 1. *de Præb. & Clem. Quia contingit, de Relig. domib.*

Eleemosynariæ, quæ sunt loca, & redditus, ad eleemosynas faciendas deputati, *Clem.* 2. *de præb.* ibi *Glos. sa* verbo *Eleemosynariis*; *d. Clem. Quia contingit.* Quæ omnia, licet juxta diversos Regionum usus diversimode nuncupentur, nihilominus Hospitalia dicuntur, & pari passu cum illis ambulant. *Clem. per Literas, de præbend.* ubi de Xenodochiis; Gonzales *d. Glos.* 5. §. 4. *n.* 11. Mandos. *ad Reg. Cancell. Regul.* 1. *quæst.* 9. Idemque dicendum est de quibuscumque Locis Piis, habentibus necessaria requisita, nempe formam Ecclesiæ, seu Altare pro celebratione Missarum, si sint auctoritate Episcopi fundata. Gutierez *Can. QQ. lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 29. Mascardus *de probat. conclus.* 869. præsertim *n.* 13.

Octavo; scias posse Delegatum (si ita res exigat) destinare Oratorem servitio Ecclesiæ, vel Loci Pii, etiam extra propriam Diœcesim; tum quia in Causa delegata gerit vices ipsius Papæ, ut diximus; tum etiam quia una tantum Ecclesia fuit à Christo Domino per totum Orbem constituta, licet in multa membra divisa, sicut in toto Mundo dici potest Episcopatus unus multorum Episcoporum, concordi numerositate diffusus; *cap. Novatianus Episcopus* 7. *quæst.* 1. & ideo poterit Delegatus, post incœptum ab Oratore in aliquo loco servitium, aliqua justa causa suadente, eidem indulgere, ut pro residuo temporis servitium in alio loco finiat, quia, sicut diximus, unica est Ecclesia.

Addo Nono; teneri Oratorem per se ipsum operam suam conferre, nec posse per alium supplere, & satisfacere, alias nulliter ager; quamvis enim Regula generalis, quod *Qui per alium facit, per seipsum facere videatur*, Regula *Qui per alium* 72. *de Reg. Juris in* 6. Marant. *respons.* 44. *nu.* 19. *part.* 4. cum tamen in casu nostro agatur de satisfactione Pœnitentiæ, à Pontifice in pœnam excessuum impositæ, non potest per alium adimpleri; & sicut non potest quis per alium vovere, ita nec Pœnitentiam accipere. *Glos. in cap. Sciendum* 27. *quæst.* 1. Et cum Oratores obtinuerint dispensari in forma *Pauperum*, & consequenter effugerint solutiones Compositionum, æquum est, ut si non habent in ære, luant in corpore. *Glos. sa capit.* 1. *caus.* 15. *quæst.* 6. Et testatur Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 19. in casu simili, eo quia Orator non satisfecerat personaliter, sed per alium, fuisse declaratam à S. Pœnitentiaria Dispensationem nullam, & quamvis jam contractum fuisset matrimonium, nova opus esset Dispensatione. Et quidem nullam Reus pertimescit pœnam, quam scit posse pecunia redimere; *c. pauper, caus.* 11. *quæst.* 3. & cum ipsimet Oratores deliquerint, debent ipsimet Pœnitentiam agere, sic enim expresse præcipit Pontifex per illa verba, *Operam suam conferat*; quæ verba, *Operam suam*, personalitatem important, nec debent in aliud extendi, Seraphin. *decis.* 1337. *n.* 4. Gabriel *de verb. signif. conclus.* 1. *nu.* 81. quia intentio Summi Pontificis Dispensationem in ista forma concedentis est, ut Oratores ipsi, in pœnam excessuum, puniantur, & eorum exemplo alii à similibus committendis terreantur, ut ipse in Literis expresse declarat.

QUA POENITENTIA PUBLICA PERACTA.

Hæc Clausula, sic posita in Ablativo, conditionem importat. Rota *decis.* 628. *num.* 2. *part.* 3. *recent.* Barbos. *in Votis Canonicis lib.* 2. *vot.* 44. *num.* 10. Ludovis. *decis.* 492. *n.* 7. Sperell. *dec.* 131. *n.* 30. Lother. *de Re benef. lib.* 3. *quæst.* 11. *n.* 126. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 9. *in annotat. nu.* 248. Gratian. *discept. forens. cap.* 939. *n.* 21. *cons.* 31. *tom.* 5. Fontanell. *de Pactis Nupt. tom.* 1. *clausul.* 4. *Glos.* 9. *part.* 5. *n.* 215. Unde non poterit Delegatus ad absolutionem Oratorum devenire, donec Oratores dictam Pœnitentiam publicam egerint, & de ea ipsi Delegato legitime constet, alias Dispensatio inde secuta nulla, & irrita erit, & nova Oratores egebunt Dispensatione, ut docet dictus Corrad. *loc. cit. numer.* 53. & 54. quia dum Jurisdictio sub conditione Delegato tribuitur, remanet in suspenso, donec ipsa conditio

puri-

purificata non sit. Paris. *de Resignat. Benef. lib.* 1. *quæst.* 14. *numer.* 9. Antoninus *Var. resol. lib.* 1. *resol.* 56.
199 *numer.* 3. & 4. Marant. *resp.* 24. *numer.* 15. *part.* 2. & proinde gesta per Delegatum, antequam dicta conditio sit adimpleta, nullius roboris, & momenti sunt. Puteus *decis.* 429. *lib.* 1. Caputaquens. *decis.* 125. *part.* 1.

ET RECEPTO AB EIS JURAMENTO, QUOD SUB SPE FACILIUS OBTINENDÆ DISPENSATIONIS HUJUSMODI INCESTUM NUNC NON COMMISERINT.

200 Quæ in animo consistunt, non nisi juramento probari possunt. Barbosa *de Off. & potestate Episc. All.* 32. *n.* 25. Mascard. *de Probat. conclus.* 94. *num.* 5. & ideo cum Oratores Pontifici expresserint, se non commisisse Incestum, vel insimul non fuisse conversatos, eo fine, ut Papa inde faciliùs moveretur ad Misericordiam, & Gratiam, tenentur jurare in manibus Delegati, Pontificem in ea parte repræsentantis, non habuisse dictum finem, alias Delegatus non poterit ulterius procedere, cum dictum Juramentum à Pontifice præscribatur pro forma. Si unus tantum Oratorum habuerit dictum animum, juxta ea, quæ diximus supra; & si impetrata fuisset Dispensatio, negato coram Delegato, etiam cum juramento, dicto fine, qui vere adfuerat, quid sit agendum pariter diximus.

IPSOS AB INCESTUS REATU, ET EXCESSIBUS, IN UTROQUE FORO ABSOLVAS.

201 Si Oratores, qui Incestum commiserunt, sunt in secundo gradu, tam Consanguinitatis; quam Affinitatis, vel infra secundum, tunc eo quia incurrunt Excommunicationem a Gregorio XIII. Summo Pontifice contra hujusmodi Incestuosos impositam, ideo in Supplicatione porrecta Pontifici pro impetratione Dispensationis, petitur etiam absolutio à dicta Excommunicatione, & sic in Rescripto additur,
202 ut Oratores absolvantur, etiam ab Excommunicatione. At si sint in gradibus remotioribus, nempe ultra secundum, erunt absolvendi solum ab Incestu, (si Incestus commissus sit) & ab excessibus Pontifici narratis; quæ Absolutio, tam si fiat ab Excommunicatione, quam ab Incestus reatu, & excessibus, potest per Delegatum, etiam extra actum Confessionis, impendi, ut mox dicimus.

203 *In utroque foro*, nempe in Foro Fori, & in Foro
204 Conscientiæ; duplex enim est Forus; alter Judicialis, & Contentiosus, seu Forus Fori, qui spectat ad Judices habentes Causarum cognitionem, & civilem, seu criminalem Jurisdictionem; ubi ex officio tenentur decernere Causa secundum Leges, & Jura civilia, seu Canonica, & res considerare juxta illud quod ipsæ Leges, & Jura disponunt.

Alter dicitur Forus Dei, & Conscientiæ, & dicitur Forus interior, & hic spectat ad Confessarios, & quemlibet Christianum, quatenus agitur de ejus Conscientia, & salute, nulla habita ratione rigoris Justitiæ, seu Legum, sed tantum æquitatis, considerando rem secundum Deum, & secundum quod Vir bonus, & æquus judicaret.

205 Et nota, quod Absolutiones, & Dispensationes pro utroque Foro, quæ non habent adnexum peccatum mortale, satis est, si fiant, & impetrentur in Foro Fori, hoc est in Foro contentioso, & judiciario, ut sunt Absolutiones ad cautelam, vel à Censuris nulliter prolatis, Dispensationes super defectu natalium, super Bigamia, super defectu oculi sinistri, super Homicidio, de quo quis fuit jam confessus, & absolutus, & similia: & in his eo ipso, quod absolvitur, vel cum eo dispansatur, censetur etiam in Foro conscientiæ absolutus, vel dispensatus; & per hujusmodi publicas Absolutiones, & Dispensationes, quis liberatur a pœnis incursis, restituitur Fidelium consortio; & ex Indulto, ab eo remotum declaratur omne Impedimentum, & macula: & reputatur, ac si numquam Impedimentum contraxisset. Vide P. Leonem *in Praxi Sacræ Pœnitent. part.* 4. fere in principio. Gamb. *de off. & Auctoritate Legati,*
206 *lib.* 10. *num.* 356. Quod si Absolutio pro solo conscientiæ Foro fiat, non prodest ad effugiendas pœnas temporales. Rota coram Merlino *decis.* 15. *numer.* 9. & *decis.* 136. *num.* 11. Carolus de Grassis *de Eff. Cleric.* 207
eff. 9. *num.* 151. quia, quæ in foro Conscientiæ explicantur, ad Forum contentiosum non juvant, sed tantum coram Deo, Gomes. *Regula de non judicando juxta formam Supplicationis, quæst.* 14. Pellicion. *QQ. Illustr. quæst.* 6. *cap.* 9. *pag. mihi* 61.

Hæc insuper Absolutio, quæ pro utroque Foro à 208
Pontifice committitur Delegato, tam si fieri debeat ab Excommunicatione, quam si ab Incestus reatu, & excessibus Pontifici narratis, poterit extra Confessionem Sacramentalem impendi; quamvis enim verba in Literis apposita, *Ipsos in utroque foro Auctoritate nostra absolvas, &c.* videantur importare Confessionem Sacramentalem, tamen hic non ponuntur per modum conditionis, cum non sint posita cum aliqua clausula, seu particula conditionem denotante, v.g. *Dummodo absolvas, &c.* nec per Ablativum, ut, *Data per te absolutione, &c.* & quamvis verba illa, *Imposita Pœnitentia salutari*, videantur conditionem importare, itaut Absolutio prædicta impendenda sit in actu Confessionis, nihilominus hoc casu (quidquid in aliis dici possit) con- 209
ditionem non important, quia jure inest, ut data Absolutione, pœnitentia injungatur: Et si Papa, has Dispensationes committens, voluisset, ut necessario præmitteretur Confessio Sacramentalis, id claris verbis expressisset, dicendo, *Audita Sacramentali Confessione*, ut in aliis casibus exprimit, quando sic servari vult; unde dum facultas, pro utroque Foro absolvendi, fuit absolute concessa, potest hujusmodi Absolutio extra Confessionem impendi, cum sit facultas absolute, & 210
generaliter data, & ob id debeat absolute, & generaliter intelligi; nec est restringenda, dum verba commissionis restrinctionem non inferunt. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 44. *numer.* 29. Bonaccin. *de Pœnis Ecclesiasticis, disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6. *propos.* 2. *numer.* 7. 8. Ricciullius infra *numer.* 217. citandus; Barbosa *de Locis communib. loc.* 50. *n.* 9. Thomas Pelliccionius *Illustr. J. U. QQ. quæst.* 6. *cap.* 9. *pag. mihi* 61. & Navarrus penes ipsum; quia, ut diximus, hæc Absolutio datur pro Foro conscientiæ, & non in foro Pœnitentiali, ut bene distinguit idem Sanchez *l. c.* & nos mox latius explicabimus: vide Lezana *QQ. Reg. tom.* 3 *verbo Absolutio, nu.* 6.

Pro majori præmissorum declaratione, addo, Fo- 211
rum Conscientiæ dividi in Sacramentalem, & non Sacramentalem.

Forus Conscientiæ Sacramentalis est Judicium, & 212
cognitio Causæ facta in actu Sacramentali Confessionis per Confessarium,

Forus Conscientiæ non Sacramentalis est Judicium 213
factum extra Sacramentum Pœnitentiæ, ab Ordinario, vel ab alio Delegato, de Pontificis, vel etiam ipsius Ordinarii mandato; & hic Forus est quid medium inter Forum interiorem, & exteriorem, ut bene distinguunt Rodriguez *QQ. Regul. tom.* 1. *quæst.* 61. *art.* 10. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 29. Leon. *in Praxi Sacræ Pœnitentiar. part.* 1. ubi, *An Confessores Delegati sint meri Executores, vers. Confirmatur, pag. mihi* 32. *& vers. Hic forus, pag. mihi* 48. unde cum in Literis hujusmodi Dispensationum non comittatur, ut absolvantur in Foro Pœnitentiæ, sed in Foro Conscientiæ, non desiderabitur Sacramentalis Confessio: Confessor etenim in solo Sacramento est Judex in Pœnitentiæ Foro: at in Foro 214
Conscientiæ est Judex extra Sacramentum, quoties, vel ratione Bullæ, vel alterius Privilegii absolvit: Et sicut Episcopus, qui est Delegatus à Concilio in occultis ad absolvendum in Foro conscientiæ, extra Confessionem absolvit; ita poterit Delegatus 215
Papæ, qui in negotio, & Causa sibi delagata eandem habet auctoritatem, quam ipse Papa; cum non jure proprio, sed Papæ Delegantis procedat, ejus- 216
que vices in eadem Causa obtineat, *cap. Sane* 11. *de off. Delegat.* Carolus de Grassis *de Effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 32. Marant. *part.* 3. *tractat. Apolog. numer.* 110. unde quoad eam Causam est major quo- 217
cunque Ordinario, *cap. Pastoralis* 27. §. *Quia vero, de off. Delegati.* Marant. *loco citat.* Et quod possit hæc Absolutio extra actum Confessionis impendi,

pendi, expreſſe docent Sanchez *l. c.* Meroll. *tom.* 3. *diſp.* 6. *cap* 2. *num.* 52. Ricciull. *de Jure perſonarum lib.* 4. *cap.* 68. *num.* 3. Intellige, tamen, ut, licet per
218 dictam Abſolutionem, ſic à Delegato factam, Oratores in Foro Fori abſolvantur, debeant tamen deinde in Foro Pœnitentiæ, pro Foro interno, abſolvi, *cap. A' nobis* 28. *de ſent. excomm.* & docet P. Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ par.* 4. ubi *de formulis Abſolut. & Diſpenſ. in utroque foro, verſ. Præmittendum quarto, pagin. mihi* 574. qui ante *in pr. parte*, ubi, *An Confeſſores Delegati ſint meri Executores, verſ. Ex æquitate, pag. mihi* 53. dixerat, quod ab-
219 ſolutus in Foro conſcientiæ eſt ex æquitate tolerandus in Foro Fori, *& pag. mihi* 8. rationem reddide-
220 rat, qua Officium Judicis nobile circa publicam Reipublicæ utilitatem verſatur; at non intereſt Reipublicæ, ut ſic abſoluti inquietentur, cum jam a delicto reſipuerint; Quicquid tamen ille, & alii dicant, cer-
221 tum eſt, abſolutos in Foro animæ, poſſe in Foro exteriori, pro eodem crimine accuſari, & puniri, quia prior criminis examinatio in Foro conſcientiæ fit ad Pœnitentiam, & divinæ offenſæ ſatisfactionem; poſterior vero neceſſaria eſt ad publicam vindictam, & ad Reipublicæ ſatisfactionem, ut bene Covarruvias *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. Ricciullus *dict. cap.* 68. *num.* 12.

At difficultas eſt, an facultas Oratores abſolvendi, de qua ſupra, poſſit per Delegatum alteri ſubdelegari; in qua re, quamvis Pyrrhus Corradus *in Praxi Diſpenſat. Apoſt. lib.* 1. *cap.* 2. *numer.* 19. referat, in
222 aliquibus Diœceſibus hujuſmodi Subdelegationes fieri, immo apponat præciſam formulam hujuſmodi Subdelegationum, non tamen exiſtimo valide, & licite fieri poſſe, cum aperte obſtet diſpoſitio *capit. Is cui, de offic. Delegati in* 6. & quod non poſſit ſubdelegari expreſſe docet Maranta *in Speculo Aureo, part.* 4. *diſt.* 5. *nnm.* 67.

Cæterum quamvis abſolutio ab Excommunicatione impoſita per Gregorium XIV. Summum Pontificem Kal. Martii 1590. per ſuam peculiarem Conſtitutionem, quæ incipit, *Sicut antiquus*, contra eos, qui primo, & ſecundo gradu conjuncti carnaliter com-
223 miſcentur, non ſit reſervata, & conſequenter quilibet Confeſſarius poſſet ab ea abſolvere, tamen quando in Diſpenſatione petenda ſuper Impedimentis dirimentibus exprimitur Inceſtus in illis gradibus, & petitur abſolutio, ut in ſimili caſu de ſtylo petiet, & Papa aſſumendo totum negotium, & manus in eo apponendo, illud Delegato committit; per hujuſmodi Papæ manus appoſitionem, manus Inferiorum ligantur; unde fit quod nullus Inferior, Delegato excepto, poſſit à dicta Excommunicatione abſolvere, ut docent Corrad. *in Praxi Diſpenſat. Apoſt. lib.* 8. *cap.* 1. *numer.* 12. Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 52.
224 *numer.* 22. *&* 23. ubi à ſimili docet, quod ſi Beneficium obtinens à Summo Pontifice egeat aliqua Diſpenſatione, quam alias Epiſcopus concedere potuiſſet, attamen ex quo Papa manus in eo negotio ap-
225 poſuit, non poterit Epiſcopus diſpenſare; ſic pariter ſi Papa alicui conferat minores Ordines, non poterit ſic Ordinatus ab alio, immo nedum à proprio Ordinario, ad Majores promoveri. *capit. In diſtribuendis, de tempor. Ordination.* Gonzal. *l. c. num.* 24. Barboſ. *de Jure Eccleſ. univ. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 82. quia ubi eſt
226 auctoritas Papæ, ceſſat Inferioris. Seraphin. *deciſio* 1027. *num.* 8.

ET QUATENUS CAUSA CONTRA IPSOS SUPER PRÆMISSIS IN JUDICIUM DEDUCTA FUERIT PARITO JUDICATO.

227 Hæc verba ita intelligi debent, ut ſi Oratores jam delati fuiſſent ad aliquem Forum, ut pœnis Inceſtus plecterentur, vel ſi ab Ordinario ob hanc cauſam excommunicati, aut in alias pœnas condemnati fuiſſent, debeant prius quam diſpenſentur, ſententiæ latæ, ſeu ferendæ paruiſſe, nec poterit Delegatus ad Diſpenſationem procedere, donec non fuerit paritum, ut ſupra; & propterea ſe informare debebit, an occaſione narratorum Pontifici, Cauſa contra Oratores fuerit quoquo modo in Judicium deducta; quia ſi diſpenſaret, non præhabita diligenti informatione, & aliqua Cauſa contra Oratores, ex cauſis dictis, vigeret, nec Judicato paruiſſent, Proceſſus propterea factus nullus erit, & Diſpenſatio ſubſecuta corruet, cum ſine Juriſdictione facta ſit; quia eatenus fuit conceſſa facultas diſpenſandi, quatenus, ſi Cauſa contra Oratores in Judicium deducta fuerit, Judicato paruerint; unde donec non fuerit paritum, Juriſdictio remanet ſuſpenſa; & propterea quicquid interim fa- 228
ctum ſit, nullum eſt, & irritum, defectu Juriſdi- 239
ctionis. Rota *deciſ.* 636. *n.* 1. *part.* 2. *recent.* Rota coram Cavalerio *deciſ.* 110. *nu.* 1. Rota *deciſ.* 705. *num.* 4. *& nu.* 8. *part.* 3. *recent.* Leoncill. *De paupertatis opibus part.* 2. *privil.* 22. *num.* 55. Lother. *de Re Benef. lib. pr. quæſt.* 38. *num.* 17. *& lib.* 3. *quæſt.* 11. *num.* 127. Seraphin. *deciſ.* 945. *num.* 5. Coccinus *deciſ.* 155. *num.* 2. Ludoviſ. *dec. pr. num.* 3. *& deciſ.* 378. *n.* 1. Puteus *dec.* 429. *lib. prim.* Barboſ. *de Clauſ. Clauſ.* 97. *num.* 4.

Nec ſufficiet cautionem, quantumcunque idoneam, 229
præſtare, de parendo Judicato; quia non eſt in poteſtate Delegati Literas exequi, non purificata conditione, ſub qua ſibi Juriſdictio data fuit. Genuenſ. *in Praxi Curiæ Archiepiſc. Neapolit. cap.* 20. *num.* 3. & alii, quos alibi citavimus.

Quod ſi in Literis Pontificis non fuiſſet appoſita 230
dicta Clauſula, *Parito Judicato*, Oratores liberi remanerent à pœna temporali, ut bene docet idem Genuenſ. *In practicab. Fori Eccleſ. quæſt.* 703. *numer.* 1. ubi ex Gamma *deciſ.* 180. refert, ſic fuiſſe in Luſitania judicatum; & ſic à ſimili, ſi Papa in Radice Matrimonii diſpenſat, omnia convalidantur, etiam pro præterito, ut dicimus infra.

DEMUM SI TIBI EXPEDIENS VIDEBITUR, QUOD DISPENSATIO HUJUSMODI SIT EIS CONCEDENDA, NEC SCANDALUM SIT EX EA ORITURUM.

Attenta hujuſmodi dictione, *Demum*, quæ eſt ta- 231
xativa, & reſtrictiva, Corrad. *in Praxi Diſpenſat. Apoſt. lib.* 8. *cap.* 6. *numer.* 62. Barboſa *de Dictionib. Dict.* 85. *num.* 1. Gonzales *Gloſſa* 65. *num.* 6. Pater Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiariæ part.* 2. poſt declarationem Impedimentorum dirimentium, *verſ. Dictio Demum, pag. Mihi* 229. non poterit Delegatus 232
ad Diſpenſationem procedere niſi poſtquam Oratores omnia adimpleverint, & Literarum forma adimpleta ſit. Genuenſ. *in Praxi Curiæ Archiepiſcopalis dict. cap.* 20. *num.* 3. Corrad. *in Praxi Diſpenſ. Apoſt. dict. cap.* 8. *n.* 61. quia Ordo inductus per prius, ac po- 233
ſterius, conditionem importat, ut bene Pariſ. *de Reſignat. lib.* 8. *quæſt.* 8. *num.* 103. Altograd. *conſ.* 46. *n.* 3. *lib. pr.* & cenſetur eſſe de forma. Pariſ. *l. c.* Altograd. *l. c. n.* 14.

Debebit inſuper Delegatus, antequam ad Diſpenſa- 234
tionem procedat, diligenter conſiderare, an expediens ſit ipſam Diſpenſationem Oratoribus concedere, quia, ut ait Apoſtolus, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*; tunc autem non expedit id, quod alias licitum eſt, quando uſus ipſius poteſt aliis Impedimen- 235
tum inferre. *Cap. Sic enim* 28. *quæſt. pr.* & quando Papa diſpenſari mandat, non quidem abſolute præcipit, ſed ſi, & quatenus Delegato expedire videatur, nec ſcandalum ſit ex ipſa Diſpenſatione oriturum; dicta namque Clauſula in Literis contenta, *Si* 236
tibi videbitur, importat arbitrium boni Viri, ac prudentis, & non liberam voluntatem. Cæſar de Graſſis *deciſ.* 134. *num.* 16. Menoch. *de Arbitr. Judic. libr. prim. quæſt.* 8. *In princ.* Gonzalez §. 7. *Proœm. numer.* 111. *&* 112. Pater Leo *in dict. Praxi Sacræ pœnit. part. prim. de commutat. Votorum, verſ.* Hæc verba, *pagin. mihi* 85. & propterea, ut bene, rectequе ſuo muneri ſatisfaciat, tenebitur Delegatus diligenter animadvertere, & inquirere, an ex Diſpenſatione facienda poſſint inſurgere ſcandala; quia ſi 237
iſta timeantur, quamvis etiam omnia jam probata ſint, diſpenſare non poterit; *Cap. Nihil* 2. *de præſcript.* Genuenſ. *d. cap.* 20. *num.* 13. ſicuti enim evi- 238
tatio ſcandalorum præbet juſtam cauſam diſpenſandi in omni caſu, alias prohibito, ut docent Corrad. *In dicta Praxi lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 63. & alii quos *lib.* 3. citabimus, ita è converſo, dum ex Diſpenſatione

ipſa

ipsa timeretur scandalum, nullo modo esset dispensandum. Colligitur, *Ex cap. Si forte* 36. *dist.* 63. & docet Fælin. *dict. cap. Nihil cum scandalo, de præscript. numer.* 4. Corrad. *in dict. praxi libr.* 8. *capit.* 2. *num.* 6.

Porro est adeo verum, ut Matrimonia contrahi non debeant si scandala inde immineant, ut Episco-
239 pus, ex officio, matrimonia contrahenda impedire debeat, quamvis nullum inter contrahere volentes adsit Impedimentum, sed timor sit futuri scandali inde orituri. *Cap. Super eo* 3. *de Cognat. Spirit.*
240 Fælin. & Genuens. *ll. cc.* immo quamvis hæc Clausula, *Nec scandalum sit oriturum*, in Literis non fuisset apposita, nihilominus subintelligeretur. Corrad. *dict. cap.* 6. *num.* 64. Addo, quod licet Episcopus in quibusdam urgentibus casibus, ex præsumpta Pontificis licentia, dispensare possit, ut dicimus infra, *libr.* 2.
241 nihilominus etiam in his casibus, in quibus ei permittitur Dispensatio, non poterit dispensare, si scandalum ex Dispensatione timeatur, ut bene Sperell.
242 *dec.* 111. *num.* 78. quinimo, quamvis etiam Consanguinei, & Affines ultra quartum gradum ob Consanguinitatem, & Affinitatem non impediantur matrimonium contrahere; attamen, quando agitur de scandalo vitando, valida est consuetudo, qua inductum sit Impedimentum dirimens matrimonium in quinto gradu. *Glossa singularis in Cap. Super eo de Cognat. Spirituali.* Fælinus *d. cap. Nihil.* Genuens. *l. c. num.* 14.

Vide plura, quæ de scandalo vitando adnotata fuerunt *l.* 2.

POSTQUAM IN SEPARATIONE PRÆDICTA ARBITRIO TUO PERSEVERAVERINT.

243 Dictio illa, *Postquam*, significat actum perfectum. Corrad. *in prax. disp. apost. libr.* 7. *cap.* 6. *num.* 68. & conditionem importat. Rota *dec.* 46. *num.* 2. *part.* 2. *rec.* Rota *dec.* 295. *num.* 7. *in Novissimis.* Maranta *resp.* 32. *num.* 47. *part. prim. & resp.* 96. *num.* 7. & 8. *part.* 4. & operatur, ut effectus nullo alio modo procedere possit, cum tempus anterius rejiciat, & solum posterius respiciat, & admittat. Barbosa *de diction. diction.* 272. *num.* 4. Maranta *resp.* 12. *num.* 11. *part.* 3. Paris. *cons.* 31. *numer.* 38. *volum. prim.* Menochius *cons.* 1103. *numer.* 4. & ideo Delegatus nec
244 potest, nec debet ad Dispensationem procedere, nisi postquam ea omnia adimpleta sint, quæ habuit in mandato.

245 Clausula, *Arbitrio tuo*, in Literis apposita, relaxat aliquantulum Juris rigorem, facultatemque Judici tribuit amplectendi æquitatem. Lotherius *de re Benef. libr. prim. quæst.* 38. *num.* 101. Rota coram Cavalerio *dec.* 11. *num.* 2. Rota *dec.* 460. *num.* 1. *part.* 4. *rec.* Rota coram Durano *dec.* 5. *numer.* 2. Rota *dec.* 392. *num.* 4. *In Novissimis*: Istud tamen arbitrium
246 est intelligendum de arbitrio boni Viri, & non secundum propriam, & liberam voluntatem, ut diximus, & docent Pater Leo *in d. praxi Sacræ pœnit. part* 3. *ubi de Commutat. Recitat. Horar. Can. Vers.* Arbitrio, *pag. Mihi* 568. Rota *dec.* 514. *numer.* 4. *part.* 3. *rec.* Leoncill. *de Opibus paupertatis part.* 1. *quæst.* 3. *num.* 93. cum debeat esse regulatum à Jure. Donatus Antonius de Marinis *Resol. quotid. lib.* 1. *cap.* 81. *num.* 7. Rota *inter dec. impressas post secundum Volumen consil. Farinacii dec.* 181. *num.* 1. Idem Farinac. *dec.* 181. *num.* 1. Idem Farinacius *cons. crim.*
247 59. *numer.* 24. *libr.* 1. quia idem est, ac si diceret, *Conscientiæ tuæ*, ut bene Rota coram Merlino *dec.* 10. *num.* 10.

DISPENSES.

248 Ad effectum, ut possint Oratores licite, & valide matrimonium contrahere, non sufficit, quod fuerit obtentum Mandatum de dispensando, ac verificatæ preces Pontifici porrectæ, sed necesse est, ut à Delegato vere, & cum effectu facta fuerit Dispen-
249 satio. Aliud enim est Mandatum de dispensando, quo Impedimentum non tollitur, & aliud est ipsa Dispensatio, qua cum effectu Impedimentum removetur, & Dispensatus restituitur in integrum, & aptus, ac legitimus redditur ad ea, super quibus fuit dispensatus, sicut erat ante incursum Impedimentum, & habetur perinde ac si esset habilis de Jure communi, cum per Dispensationem removeantur effectus, Juris defectum producentes, diximus *Cap. prim. numer.* 11. vide Bonac. *De matrimon. quæst.* 2. *puncto* 8. *numer.* 9. ubi refert casum cujusdam per- 250
sonæ, quæ obtento Mandato ad dispensandum super Consanguinitate, existente inter ipsum, & quandam suam consanguineam, quam ducere intendebat, & ex ea prolem susceperat, ante factam Dispensationem, gravi morbo præventus, & in articulo mortis constitutus, illam, ante factam à Delegato Dispensationem, desponsavit; quod matrimonium, concludit, & bene, iste Doctor, fuisse nullum, & prolem susceptam illegitimam; quia, ut diximus *cap. præcedenti*, aliud est Mandatum de dispensando, & aliud ipsa Dispensatio; Vide Doctores dicto loco propterea citatos.

PROLEM SUSCEPTAM, SI QUA SIT, ET SUSCIPIENDAM, LEGITIMAM NUNCIANDO.

Quod mox diximus de Mandato dispensandi, & quod non sufficiat illud fuisse obtentum, sed necessario requiri, ut, antequam matrimonium ab impeditis contrahatur, facta sit ipsa Dispensatio, rite procedit, & pari passu ambulat etiam quoad Legitimationem prolis; Quia aliud est Mandatum ad legiti- 251
mandum, & aliud ipsa Legitimatio: vide Bonac. *numer. præcedenti* relatum, vide etiam Balthassarem de Tomasis *Prima Decade tractat. prim. titul.* 9. *numer.* 99.

Circa hanc clausulam, & legitimandi potestatem, 252
sciendum est, Mandatum Pontificis pro Dispensatione, duo diversa continere, nempe facultatem dispensandi super propositis Impedimentis, & potestatem legitimandi prolem susceptam, & suscipiendam; un- 253
de si Mandatum de dispensando ab Oratoribus impetratum fuisset in una parte, nempe quoad dispensationem executum, sed nondum fuisset legitimata proles, vel si ob supervenientem mortem alterius ex contrahere volentibus absque culpa Oratorum, Dispensatio non potuisset habere effectum, valebit nihilominus Mandatum, itaut ejus vigore legitimari poterit proles, etiam post dictam mortem alterius, & hujusmodi Legitimatio valida erit, etiam in præjudicium succedentium ab intestato, in casibus, quibus possit tale præjudicium inferri. Ancharanus *cons.* 409. *num.* 3. *vers.* Sed in oppositum. Sanchez *libr.* 8. *disp.* 7. *num.* 6. Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 5. §. 9. *numer.* 57. Seraphinus *dec.* 1121. *in princip.* Quaranta *in Summa Bullarii* Verbo *Matrimoniales Dispensationes* circa finem. Puteus *dec.* 483. *numer. ultim. libr.* 2. Gratianus *disceptat. forens. capit.* 138. *numer.* 48. *part. prim.* Bossius *De Matrimonii contractu cap.* 10. *num.* 343. Balthassar de Tomasis *in Decade tract. prim. titulo* 9. *numer.* 98. Lotherius *de re Benef. lib.* 2. *quæst.* 48. *numer.* 111. Corrad. *in praxi disp. Apostol. lib.* 8. *cap.* 2. *numer.* 27. Peregrinus *de Fideicomm. art.* 24. *numer.* 83. Fusarius *de Substitut. quæst.* 409. *num.* 119. Rota *dec.* 107. *num.* 2. *part.* 1. *diverf.* Merlinus *de Legitima lib. prim. tit.* 2. *num.* 21. Fragosius *de Regim. Christ. Reipub. part. prim. lib.* 3. *disp.* 6. *n.* 7.

Dixi, absque culpa Oratorum, quia si post Man- 254
datum à Pontifice impetratum, Oratores pœnitentia ducti noluissent dispensari, vel si postquam dispensati fuissent, noluissent matrimonium contrahere, probabilius est non posse post mortem conjugum legitimari, maxime in tertii præjudicium; quia, ut bene docet Sanchez *libr.* 8. *disp.* 7. *numer.* 15. hæc Le- 255
gitimatio conceditur tantum in favorem Matrimonii contrahendi, nec alias Papa concessisset, & propterea cum causa finalis dispensationis fuerit ipsum Matrimonium, si hæc causa, Oratorum culpa, cessaret, cessabit effectus: hanc etiam Doctrinam expresse docent Garcia *de Benef. part.* 7. *cap.* 2. *num.* 40. Corrad. *in praxi disp. Apostol. libr.* 8. *cap.* 2. *numer.* 30. & alii.

Pro intelligentia, & declaratione hujus materiæ, quæ difficilis est, & variæ circa eam sunt Doctorum opiniones, plura adnotanda.

256 Primo, quod licet inter parentes, qui Matrimonium contraxerunt, tempore contracti Matrimonii adfuiſſet Impedimentum dirimens, ſi illi ignoranter, & bona fide, præmiſſis debitis Denunciationibus, matrimonium contraxerunt, proles inde ſecuta, quamvis poſtea detectum ſit Impedimentum, eſt legitima. Colligitur *ex cap. Quod nobis 9. Qui filii ſint legitimi*; Gloſſa *in capit. Tanta 6. eodem titulo*, Verbo *Aliam*; Caſſadorus *dec. unica, De Sponſalibus*. 257 Sanchez *lib. 3. diſp. 44. num. 2.* At ſi omiſſis Denunciationibus, illiſque ſpretis contraxerunt, quamvis in reliquis adfuerit ignorantia Impedimenti, & bona fides, proles erit illegitima. Gutierez *de matr. cap. 71. num. 8.* Sanchez *de matr. l. 3. diſp. 42. nu. 1.* 258 quia, ut diximus, non excuſat ignorantia, nec dici poteſt probabilis, quando omittuntur requiſita ab Eccleſia.

259 Dico ſecundo, eſſe difficilem inter Doctores Quæſtionem, an ad effectum, ut proles legitima cenſeatur quoad omnia, attendi debeat tempus Conceptionis, vel Nativitatis prolis: aliqui docent attendi debere ad tempus Conceptionis, itaut ſi eo tempore fuiſſet inter Parentes Impedimentum dirimens, quo ſtante non potuiſſet inter eos conſiſtere matrimonium, proles ipſa illegitima ſit, niſi in Mandato Pontificis de illa ſpecialis mentio facta ſit, & data poteſtas De- 260 legato illam legitimandi. Ratio hujus opinionis eſt, quia Leges ſolum attendunt ad copulam, quæ ſi habita ſit inter perſonas impeditas, nolunt eam Matrimonio ſubſequenti purgari: Colligitur *ex cap. Tanta 6. Qui filii ſint legitimi*, Ibi, *Si vir vivente uxore aliam cognoverit, & prolem ſuſceperit*. Hanc opinionem ſequuntur Rota *dec. 100. numer. 51. in Noviſſimis*. Rota *dec. 223. num. 4. part. 6. rec.* Fuſar. *de Subſtitut. quæſt. 109. numer. 109.* Vivian. *de jure patronatus l. 6. cap. 4. num. 11.* Paulus Piaſec. *in praxi Epiſc. part. 1. cap. 1. num. 26.* Verſ. *Limitatur autem*. Laymanus *Theol. moral. l. 4. tr. 10. part. 3. c. 5. n. 2.* Angelus *in Summa*, Verbo *Legitimatio*, *n. 7.* Sperellius *dec. 174. n. 15.*

261 Alii probabilius docent, attendi debere ad tempus Nativitatis, itaut legitimitatis favore ſufficiat, ſi proles naſcatur poſtquam Impedimentum ſit, vel per Diſpenſationem, vel aliter, legitime ſublatum; quamvis etiam de ipſa concepta prole in Diſpenſatione non fuerit facta mentio; ita, inter alios, docent Baſilius Pontius *de matrim. lib. 11. cap. 3. num. 2.* Peregrinus *de Fideicomm. art. 24. num. 39.* Fuſarius *de Subſtitut. quæſt. 409. num. 113.* Trullenck *Oper. moral. lib. 7. cap. 10. Dub. 11. num. 9. tom. 3.* Sanchez *de matrim. libr. 8. dicta diſputat. 7. num. 19.* Ratio eſt, quia eo ipſo tempore, quo filius natus fuit, nullum inter parentes aderat impedimentum, quin poſſent matrimonium contrahere, cum jam eſſet per Diſpenſationem, vel aliter, ſublatum; unde ſi, exempli gratia, unus Parentum, tempore Conceptionis filii, fuiſſet Infidelis, ſed antequam proles nata eſſet, fuiſſet Baptizatus; Vel ſi dicto Conceptionis tempore, adfuiſſet impedimentum Conſanguinitatis, vel Affinitatis, at dum natus ſit filius parentes jam diſpenſati fuiſſent habileſque effecti ad contrahendum; Vel ſi ſoluta ex conjugato concepit, ſed tempore Nativitatis filii, mortua eſſet uxor dicti conjugati; Vel ſi gignant Monachus, vel Monialis concipiat anno Novitiatus durante; Vel ſi Beneficiatus ex ſoluta filium generet; & antequam prædictæ proles reſpective naſcantur, parentes inter ſe matrimonium contrahant, filii eo tempore habili nati, erunt quoad omnia legitimi: vide Peregrinum *de Fideicomm. dict. artic. 24. num. 29. circa finem*. Fuſar. *de Subſtitut. d. quæſt. 409. numer. 104.* Didacum Ludovicum de Lima *in addition. ad Molina libr. ſecundo, capit. 5. numer. 25.* Carolum de Graſſis *de Effectibus Clericatus in prælud. num. 45.* Philippum Paſchalem *de Viribus Patriæ poteſt. part. 2. cap. 4. num. 94.* Simonem Majolum *de Irregularitate l. 1. cap. 4. nu. 15. & num. 16.*

262 At tu dic probabilius, quod cum verſemur in materia Legitimationis prolis, quæ eſt favorabilis, attendi poteſt tempus, vel Conceptionis, vel Nativitatis, prout fuerit utilius ipſi proli; conſtat *ex Lege Nuper, C. de naturalibus liberis*; & docent Peregrinus *de Fideicommiſſis art. 24. numer. 39. & numer. 50.* Sanchez *dict. diſp. 7. numer. 19.* Covarruv. *tomo primo part. 2. cap. 8. §. 2. num. 2.* verſ. *Contrariam ſententiam*. Boſſius *De Matrimonii Contractu cap. 10. num. 347.* Gutierez *De Matrimonio cap. 72. numer. 6.* & alii, quos refert Garcia *Tract. de Beneficiis dicta part. ſept. cap. 2. num. 35. & num. 37.* Fragoſ. *de Regim. Chriſt. Reip. part. prim. l. 3. diſp. 6. §. 2. num. 37.*

Immo probabiliſſimum puto, ſufficere pro Legiti- 263
mitate prolis, quoad omnia, ut aliquo tempore, dum filius in utero geſtatur, parentes fuerint facti habiles ad inter ſe matrimonium contrahendum; exempli gratia, puer conceptus fuit tempore inhabili, & paulo poſt ſublatum fuit Impedimentum, ſed antequam filius naſcatur, parentes aliquo Impedimento dirimenti, ut Cognationis ſpiritualis, vel Affinitatis, ſeu aliter impediantur, & deinde naſcatur Filius, & hoc etiam Impedimento per Diſpenſationem ſublato, parentes matrimonium inter ſe contrahant; ita, inter alios, bene docent Raphael Averſa *De Matrimonio quæſt. 22. ſect. 2.* verſ. *E' contra fieri poteſt*. Simon Majolus *de Irregular. libr. 1. cap. 4. numer. 16.* Pontius *De Matrimonio libr. 11. cap. 3. numer. 2.* ubi pro hac opinione citat Caſtrum Palaum, & alios: Et huic opinioni, libenter adhæreo, tum quia ſolidis nititur fundamentis, tum et- 264
iam quia in conflictu opinionum, ea opinio tenenda eſt, quæ favet Legitimitati prolis, quamvis etiam altera opinio præponderare videretur, ut bene docent Peregrinus *De Fideicomm. d. art. 24. numer. 24.* Gratian. *diſceptat. forenſ. cap. 468. num. 49. tomo tertio*, & opinio ſingularis Doctoris, pro Legitimitate 265
aſſerentis, prævaler communi contrariæ. Caſſadorus *dec. unica num. 8. de Sponſalib.* Sperell. *dec. 165.* 266
num. 108. Idque eſt adeo verum, ut quamvis quoad fœdus matrimonii, cohabitatio Maris, & Fœminæ præſumatur Fornicatio, ut quoad Legitimationem filiorum, præſumatur matrimonium. Puteus *dec. 2. numer. 3. libr. 3.* Rota *in Noviſſimis dec. 201. numer. 24.* Boſſ. *moral. variar. part. 2. tit. prim. §. 43. num. 1402.* Sperell. *dec. 175. num. 28.* Lotherius *de re benef. lib. 2. quæſt. 48. num. 245. & num. 252.* ſic pariter, ſi proles nata ſit ex Conjugato, & ſoluta, omnino ignorante eum virum eſſe conjugatum, & poſtea inter ſe contrahant matrimonium, hujuſmodi proles erit legitima. Gloſſa *in Cap. Tanta*, verſ. *Aliam; & capit. Quod nobis, Qui filii ſint legitimi*. Gratianus *diſceptat. forenſ. cap. 83. num. 22.* Boſſius *de Matrimonii contractu cap. 8. nu. 58.* Immo quamvis etiam parentes ſint dubii de matrimonii valore, adhuc in hujuſmodi dubio proles legitima erit. Sperell. *dec. 175. numer. 32.* & regulariter probata Filiatione, probatur Legitimitas. Rota *inter Impreſſas poſt ſec. volum. conſil. Farinacii dec. 315. num. 1. 2. & 3.* Alex. *conſ. 51. num. 2. volum. pr.* Alciatus *conſ. 188.* adeo ut ſi quis contrarium prætendat, probare teneatur, quia in dubio præſumitur pro matrimonio. Boſſius *d. cap. 8. num. 79.* Rota *loc. citat.* & in dubio præſumitur pro Legitimitate, Puteus *dec. 2. numer. 1. circa finem lib. 3.* Menoch. *de præſumpt. l. 6. præſumpt. 54. à numer. 17.* Gratianus *diſceptat. forenſ. cap. 135. num. 34. & cap. 468. numer. 49.* Rota *dec. 201. numer. 41. part. 5. diverſ.* coram Coccino Ricciullus *de Neophitis cap. 7. numer. 8. & num. 9.* Rubeus *dec. 359. nu. 14. part. 6. rec.* Seraphin. *dec. 1300. numer. 7.* Pignatell. *controv. forenſ. cap. 89. numer. 5. Centuria 2.* Philippus Paſchalis *tract. de Virib. Patriæ pot. part. 1. cap. 6. num. 10.* & dato quod inter parentes vere adfuiſſet Impedimentum dirimens, tamen ex communi reputatione, cum curſu decem annorum præſumitur Diſpenſatio. Rota *inter Impreſſas poſt 2. volum. conſil. Farinacii dec. 354. num. 8.* Achilles de Graſſis *dec. 197.* alias *prima de præſumpt.* Pariſius *de reſignat. Benef. l. 3. quæſt. 6. numer. 71.* Immo per curſum triennii cum dimidio Diſpenſationem præſumi, ſi juſto errore matrimonium inter prohibitos contractum ſit, & proles ſuſcepta ſit, conclu-

teras ex communi errore Magister in Theologia, seu Doctor in Jure Canonico reputetur, tamen aperire non poterit.

98 *Nec sufficit si dictus Confessarius in Jure Cæsareo Doctor sit.*

99 *Nec sufficiet, si dictus Confessarius admissus fuerit ad Confessiones audiendas ab alio Ordinario, sed requiritur necessario, ut approbatus sit ab Ordinario illius Diœcesis, in qua Diploma exequi debet, nec requiritur, ut ab Ordinario Pœnitentis approbatus sit.*

100 *Quamvis d. Confessarius sit Licentiatus, & Doctoratui proximus, tamen exequi non poterit, quia requiruntur de forma qualitates in Literis contentæ.*

101 *Non possunt has Literas aperire Regulares, qui juxta suorum Ordinum instituta, Magistrorum Privilegiis fruuntur, & Magistri appellantur.*

102 *Si Confessarius habeat requisita, sed indoctissimus sit, potest aperire.*

103 *Nonnulli Generales Religionum possunt ex privilegio aperire.*

104 *Alii Regulares Mendicantes habent hujusmodi privilegium.*

105 *Dispensatio potest fieri extra actum Confessionis, cum non sit res pertinens ad Confessionem.*

106 *Stylus tamen Curiæ ita se habet, ut Dispensatio fieri debeat audita sacramentali Confessione.*

107 *Verba audita in Sacramentali Confessione, & non aliter, conditionem important, & formam.*

108 *Forma non servata corruit actus.*

109 *Stylus, quod Dispensatio fieri debeat audita Sacramentali Confessione, fuit introductus tempore Pontificatus Pauli V.*

110 *Aliud est forus conscientiæ, & aliud forus pœnitentiæ.*

111 *Si Confessio reddatur nulla ex aliquo defectu integritatis, vel attritionis, vel ex alia causa, nihilominus Dispensatio valebit.*

112 *Confessio, ut præmittatur ante Dispensationem, non esset necessarium, nisi Papa sic in illo casu præciperet.*

113 *Dispensatio valebit, quamvis Confessio sit invalida, ut diximus, nisi invaliditas esset circa rem, super qua petitur Dispensatio.*

114 *Quatuor dubia resolvuntur à Sanchez.*

115 *Quid si Confessarius fuisset semel approbatus, sed ejus licentia postmodum fuisset occulte revocata.*

116 *Quid si Confessarius non fuisset approbatus ab Ordinario, si alias constet de ejus approbatione ex publico documento alicujus Academiæ.*

117 *Quid si fuerit approbatus cum limitatione personarum.*

118 *Quid si Confessarius sit indoctissimus, sed habeat alia requisita.*

119 *Quid si Literæ per errorem præsententur Confessario, qui, quamvis communi errore existimetur habere qualitates requisitas, tamen illis careat.*

120 *Si Confessarius munus suum minus bene explevit, an possit alius adiri.*

121 *Ordinarius Delegatus, cum sit Judex in foro externo, semel cæpto judicio, variare non potest.*

122 *Ex justa causa potest variari Confessor, irrequisito Majori Pœnitentiario.*

123 *Confessarius potest se retractare, & sententiam mutare.*

124 *Possunt eligi duo Confessarii, nempe unus pro Dispensatione, & alius ut prolem legitimet; limita tamen.*

125 *Si Confessarius jam dispensavit, non potest canere palinodiam.*

126 *Non omnis timor, & periculum incontinentiæ sufficiunt ad dispensandum super Voto Castitatis.*

127 *Clausula, ut Confessarius teneatur indagare veritatem precum, est de forma.*

128 *Non tenetur Dispensandus jurare, se dicturum veritatem.*

129 *Si Confessarius extra Confessionem sciat preces falsas esse, quamvis Pœnitens asserat esse veras, non debet dispensare.*

130 *Si adsit aliud impedimentum dirimens inter contrahere volentes, ac Pœnitens asserat fuisse dispensatum, Confessarius debet ei credere.*

131 *Si Confessarius omitteret examen veritatis precum, non valet Dispensatio, quamvis etiam ipsæ preces veræ essent.*

132 *Clausula, quæ apponitur alio modo, & aliter quam jure inest, importat conditionem, & formam.*

133 *Quamvis preces veræ sint, si Confessarius, veritatis insçius, dispenset, nulla est Dispensatio.*

134 *Si aliter, quam per Confessionem, de precum veritate Confessori constet, non erit necessarium dictum examen præmittere.*

135 *Nec pariter opus erit examine, si Confessarius ex ipsa Confessione Sacramentali veritatem novit.*

136 *Monita, & consilia oportuna, quæ Confessori in Literis S. Pœnitentiariæ injunguntur, non inducunt conditionem, sed tantum instructionem pro Confessario.*

137 *Confessarius omittendo monita, & consilia, non committit peccatum, si in diligenti Pœnitentis examinatione non deficiat.*

138 *Preces narratæ S. Pœnitentiariæ debent esse veræ tempore impetrationis Literarum, & ita etiam subsistere tempore executionis.*

139 *Quomodo intelligi debeat Clausula, in Literis S. Pœnitentiariæ appositæ, nempe, ut dispensandum à mutatione propositi absolvat.*

140 *Dispensationes, & Commutationes fieri possunt etiam extra actum Confessionis, post auditam ipsam Confessionem.*

141 *Dispensatio committitur à S. Pœnitentiaria pro conscientiæ foro, & non pro foro pœnitentiæ, & ideo intelligitur extra actum Confessionis.*

142 *Quamvis Confessarius non possit imponere aliquas Confessiones, & aliqua pœnitentiæ opera perpetua, quantitas tamen horum operum remittitur Confessarii arbitrio.*

143 *Quantitas dictorum operum, de quibus numero præcedenti, non debet imponi ad libitum, sed secundum regulas prudentiæ.*

144 *Clausula* Secundum Deum, *quomodo sit intelligenda.*

145 *Confessarius non poterit imponere Confessionem frequentiorem, quam menstruam, sed tamen poterit imponere bimestrem, seu trimestrem.*

146 *Ille, cui Confessio imponitur singulis mensibus, satisfacere poterit quocumque die illius mensis.*

147 *Quando in Literis Pœnitentiariæ imponitur Confessio singulis mensibus, verificatur in unoquoque die mensis.*

148 *Si Dispensatus non satisfaciat Confessioni in uno mense, non tenetur in sequenti duplicare.*

149 *Non tenetur duplicare in illo mense, in quo confitetur, ut satisfaciat Ecclesiæ præcepto.*

150 *Si Pœnitens teneretur ex alio Voto Confessiones menstruas facere, non potest unica Confessione utrique obligationi satisfacere.*

151 *Non potest Confessor imponere eas Confessiones, ad quas Pœnitens aliunde tenetur.*

152 *Confessarius poterit minuere frequentiam Confessionis.*

153 *Quæ, & qualia opera possit Confessarius injungere.*

154 *Pœnitentia, si non præscribatur in mandato, ut sit perpetua, potest dari temporalis.*

155 *In pœnalibus est facienda benignior interpretatio.*

156 *Clausula, ut* Literæ dilanientur; *quomodo sit accipienda.*

157 *Potest Confessarius facere aliquam fidem de absolutione, vel Dispensatione.*

158 *Dispensatio facta à Confessario super occulto impedimento, non prodest, si impedimentum detegatur.*

159 *Quid facere debet Parochus, dum ipsi ab aliquo denuntiatur impedimentum, super quo fuit occulte obtenta Dispensatio.*

160 *Scientes impedimentum inter aliquos adesse, at scientes etiam Dispensationem obtentam, non tenentur denuntiare.*

161 *Non tenentur Dispensati fateri occultum impedimentum Judici, super quo occulte fuit facta Dispensatio.*

162 *Ad impediendum matrimonium non ſufficit unicus teſtis, ſi ſuper impedimento fuit ſecreto facta Diſpenſatio.*

163 *Ad impediendum matrimonium contrahendum ſufficit unicus teſtis.*

164 *Si impedimentum occultum, ſuper quo fuit facta Diſpenſatio, detegatur, proles reputabitur illegitima.*

165 *Dum Conjuges impedimento dirimenti, ignorato bona fide utriuſque, vel alterius eorum, matrimonium inter ſe contraxerint, proles erit legitima. Parens tamen, quia fuit in mala fide, non reputabitur legitimus reſpectu dicti filii in foro externo.*

166 *Filii, per Literas Sacræ Pœnitentiariæ legitimati, ſi impedimentum non detegatur, non erunt irregulare in foro conſcientiæ.*

167 *Quando dicatur impedimentum eſſe occultum.*

168 *Quando dicatur eſſe publicum.*

169 *Occultum erit impedimentum, quamvis Oratores ſciant, ſed non ſciant ſub hac formalitate, quod ſit impedimentum.*

170 *Quid ſi fuerit deductum ad forum contentioſum.*

171 *Quid ſi reus falſis teſtibus ſe defenderit.*

172 *Quid ſi Judex retineat penes ſe Cauſam, nec reum citet.*

173 *Ad hoc ut impedimentum deductum ad forum contentioſum deſinat eſſe occultum, exigitur, ut ſit deductum ad forum contentioſum, & ſimul parti intimatum.*

174 *Si impedimentum, ſuper quo Confeſſario commiſſa fuit Diſpenſatio, deductum ſit ad forum contentioſum, & in eo pendeat, non poterit diſpenſari, donec reus abſolutus fuerit.*

175 *Poteſt aliquid materialiter eſſe publicum, formaliter vero, & ſecundum quid, eſſe occultum, ut exemplificatur in exemplis, quæ hic proponuntur.*

176 *Nec obſtat, ad hoc ut dicatur impedimentum eſſe occultum, ſi à principio fuerit publicum, at tractu temporis fiat occultum.*

177 *Impedimentum deductum ad Pontificem, non dicitur deductum ad forum judicialem.*

178 *Clauſula, qua imponitur Confeſſario, ut experiatur, an ſeparatio inter Oratores fieri poſſit abſque ſcandalo, quomodo intelligenda ſit.*

179 *Quando neceſſe ſit dictam experientiam facere.*

180 *Non debet Confeſſarius multum inſiſtere in perquirendo, an periculum incontinentiæ ſit in cohabitatione Conjugum, ſi ipſi probabiliter de incontinentia timendum videatur.*

181 *Non videtur conditio neceſſaria, ut alter Conjux prius de prioris conſenſus nullitate certioretur.*

182 *Sæpe contingit, ut non poſſit nullitas Matrimonii Conjugi detegi, abſque periculo manifeſtandi delictum.*

183 *Rejicitur doctrina* Gutierez, *docentis, neceſſariam omnino eſſe dictam certiorationem.*

184 *Si ex dicta certioratione non timeantur ſcandala, bene erit, ut Confeſſarius Conjugem ignorantem ſaltem remote moneat, ut ſi forſan matrimonium eſſet nullum, de novo conſentiat.*

185 *Clauſula*, Ita quod, ſi Uxori, cui conjungetur, ſupervixerit, caſtitatem ſervet, *quomodo ſit accipienda.*

186 *Diſpenſatus ſuper Voto Caſtitatis, non poteſt, ſoluto Matrimonio, aliud inire, abſque Diſpenſatione.*

187 *Dictio*, Legitime, *quæ ſolet apponi in Literis Diſpenſationis, ideſt, ut matrimonium Orator legitime contrahere poſſit, intelligitur, ut valide contrahat; unde, ſi matrimonium eſſet nullum, adhuc poterit aliud validum inire.*

188 *Si poſt contractum matrimonium, in vim Diſpenſationis Voti, ſed non conſummatum, moreretur Conjux, vel profiteretur in aliqua Religione, adhuc poterit Diſpenſatus aliud matrimonium inire.*

189 *Diſpenſatio extinguitur primo actu, ſi interveniat dolus, & fraus.*

190 *Clauſula*, Gratis ubique, *quid importet.*

191 *Si quis, impetrata Diſpenſatione pro utroque foro à Pontifice, tacuiſſet aliquam qualitatem occultam, quæ ſi expreſſa fuiſſet Pontifici, majorem compoſitionem ſolviſſet, & poſtea à S. Pœnitentiaria Diſpenſationem petat ſuper qualitate occulta, an gratis obtineat.*

192 *Clauſula*, Et aliis, quæ de jure fuerint injungenda.

193 *Clauſula*, Aliud Canonicum non obſtet.

194 *Clauſula*, Miſericorditer in Domino diſpenſet.

195 *Miſericors Diſpenſatio quæ dicatur.*

196 *Clauſula*, Prolem exinde ſuſcipiendam legitimam nunciando, &c. *quomodo intelligenda.*

197 *Proles legitimata in foro conſcientiæ, non legitimatur in foro fori.*

198 *Detecto impedimento, ſuper quo fuit occulte diſpenſatum, ſequitur illegitimatio prolis.*

199 *Diſpenſatio facta pro foro conſcientiæ, non ſuffragatur pro foro fori.*

200 *Dictio*, Nullatenus, *quid importet.*

201 *Clauſula*, Poſtquam omnem recidivæ converſationis occaſionem abſtulerit, *quid importet.*

202 *Confeſſarius nec debet, nec poteſt ad abſolutionem, & Diſpenſationem devenire, niſi prius remota fuerit occaſio recidivæ converſationis.*

203 *Cohabitatio Maris, & Fœminæ eſt diſpoſitio ad copulam.*

204 *Qui amat periculum peribit in illo.*

205 *Clauſula*, In foro conſcientiæ tantum, *quomodo intelligenda.*

206 *Major Pœnitentiarius non ſe ingerit in delictis publicis Laicorum, ut ſunt delicta extra caſus cenſurarum.*

207 *Clauſula*, Diſpenſando commutes, *quid importet.*

208 *Clauſula*, Tamdiu duratura, &c. *quomodo intelligenda.*

209 *Clauſula*, Secundum Deum, *quomodo intelligenda.*

210 *Clauſula*, Quod ſi unquam extra matrimonium fornicatus fuerit, *quid ſignificet.*

211 *Clauſula*, Ad finem, ut ea adimplens, meminiſſe ſemper poſſit obligationis, &c.

EA, quæ hucuſque dicta ſunt, rite procedunt pro 1
Diſpenſationibus, quæ ſuper publicis impedimentis à Papa, pro foro externo, conceduntur; at diverſimode ſe habet Praxis, reſpectu illarum Diſpenſationum, quæ pro foro interno à Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ emanant, ſuper occultis; de quibus cum infra ſit habendus ſermo.

Præmitto; quod ab ipſis primitivæ Eccleſiæ tempo- 2
ribus S. Pœnitentiariæ Prætorium regebatur à Viris integritate vitæ, & ſcientia conſpicuis, non ſine magna auctoritate, & veneratione, ut refert Rota coram Merlino *dec.* 744 *n.* 3. poſtmodum tempore Pontificatus Marcelli I. per quindecim S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales rectum, & adminiſtratum fuit; dicta Rota *n.* 4. *l. c.* & curſu temporis major Pœnitentiarius à Benedicto II. fuit inſtitutus, ut dicemus.

Antiquo tempore pleræque Diſpenſationes matri- 3
moniales tranſibant per Officium Sacræ Pœnitentiariæ, ſub nomine Majoris Pœnitentiarii, ut teſtatur Corrad. *in Praxi Diſpenſ. Apoſt. lib.* 7. *c.* 4. *n.* 4. ſed poſtmodum Officium præfatum à S. Pio V. Summo Pontifice per quandam ſuam peculiarem Conſtitutionem, quæ incipit, *In omnibus rebus humanis*, ſub Datum Romæ apud S. Petrum A. I. D. 1569. quintodecimo Kalend. Junii, Pontificatus ſui Anno Quarto, translatum fuit in Cancellariam Apoſtolicam, itaut dictæ Pœnitentiariæ Officiales in poſterum minoris gratiæ nuncupentur; cujus Conſtitutionis tenorem refert ad verbum idem Corradus *d. c.* 4. *nu.* 6. & hic tranſplantare placuit, cum ejus lectura magis practicabilia, quæ ad Prætorium ipſius Pœnitentiariæ ſpectant, percipi poſſint.

Pius Epiſcopus Servus Servorum Dei; Ad perpetuam 4
rei memoriam. In omnibus rebus nihil tam perfecte inſtitui, nihil ullis Legibus, Sanctionibuſque tam diligenter muniri poteſt, quin id lubrica, & præceps, malorumque omnium effectrix cupiditas, novis quotidie artibus pervertere, & corrumpere moliatur. Quocirca

omnes

omnes ad hujus præcelsæ dignitatis fastigium evecti, perpetua quadam necessitate coguntur, nusquam oculos à commisso sibi grege avertere, sed continenter vigiles circumferre, ut quandocunque usus poscit, novis modo legibus ferendis, modo veteribus corrigendis, vel ad usum revocandis, ea, quæ paulatim depravata sunt, in melius reformentur. Quod quidem nos jam inde ab ipso Pontificatus nostri principio, & libenter fecimus, & quantum in nobis est, illud idem statutum urgere, & prosequi, annuente Deo, conamur; neque quicquam nobis est, vel præclarius, vel optabilius, quam ut collapsos à vetere disciplina mores, ad pristinam suam integritatem denuo erectos, & in agro Domini a pravarum consuetudinum sentibus omnia diligenter perpurgata videamus; sed ne, dum ea, quæ ad communem totius corporis salutem pertinent, tantopere procurantur, quisquam nos accuset, quod eam partem, quæ nobis proxima est, negligamus, neque illius ulceribus necessarium salutis remedium applicemus, divina auxilio freti, Curiæ nostræ universæ reformationem jam dudum oculis nostris obversantem, aggredi decrevimus; pro qua, etsi ante hac nonnulli Prædecessores nostri multa sancte, & salutariter ordinarunt, hominum tamen fragilitate, non ita multo post aut neglecta, aut corrupta sunt, aliis atque aliis aliena suo sibi officio usurpantibus, & dictæ Curiæ expeditiones invicem confundentibus, quarum singulis sagax illa vetustas proprium, & distinctum pro cujusque diversitate, & materiæ genere, Officium tanto studio assignavit. Unde nos operæ pretium fore arbitrati illud in primis conari, ut quod cuique Ordini, quod cuique Officio congruit, ad illud idem revocetur; demum sapienter providere, & providenter statuere, per quos viros, quibusque modis, Curiæ prædictæ negotia, pro rerum, temporum, & locorum qualitate, deinceps dirigantur. At quia cæteris omnibus illa anteponere necesse est, ex quibus pendere dignoscitur periculum animarum: Nos hujusce Reformationis exordium à Pœnitentiariæ nostræ Officio capere instituimus, ejusque rei causa omnem auctoritatem ordinariam, & delegatam, omniaque privilegia, facultates, & indulta ideo duximus revocanda, ut habita de Ministrorum qualitate, numero, functionibus, & officiis, ratione explicata, novam futuris formam de integro præscribere valeamus, quia ipsum Pœnitentiariæ Officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis Officiis magis conveniunt, exoneratum, atque expeditum, dehinc ea, quæ animarum salutem præcipue concernunt attentiore studio prosequantur.

Primum igitur omnium de hujusmodi Officio, Ministris, & functionibus, rationem prodere volentes, de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Loca, seu Officia Referendariorum, Correctorum, & Revisoris; necnon functiones, & exercitia Scriptorum, qui viginti septem, & Procuratorum, qui viginti quatuor sunt, quorumque Procuratorum octo Officia ad dispositionem pro tempore existentis majoris Pœnitentiarii pertinere noscuntur, in eodem Pœnitentiariæ Officio perpetuo supprimimus, & abolemus; eorumque Scriptorum, Procuratorum rationem aliorum habituri, illos omnes jam nunc ab ipso Pœnitentiariæ Officio amovemus; ac dictum Officium dehinc majori Pœnitentiario, Regente, Datario, uno Correctore, uno Magistro in Theologia, uno Doctore in Decretis, duobus Procuratoribus, duobus Scriptoribus, & uno Sigillatore (quos pro futuris rebus, & negotiis illius satis esse duximus) perpetuo constare volumus, horumque omnium Officiorum in ipso Pœnitentiaria Officio constitutorum venditionem, aut quamvis aliam, ad voluntatem taciam, vel expressam ea dimittentium dispositionem, expresse prohibemus; sed illa omnia probis, & peritis, gratis omnino, & sine aliqua dimittentium, aut aliorum quorumcunque acceptione concedantur. Quod si secus factum fuerit, quæcunque concessiones de illis pro tempore factæ nullius sint roboris, vel momenti.

Propterea statuimus, & ordinamus, ut deinceps in perpetuum major Pœnitentiarius Officium suum per se ipsum exerceat, qui sit Presbyter, Magister in Theologia, seu Decretorum Doctor; & si causa legitima, à Romano Pontifice admissa absens, seu impeditus fuerit, unum alium ex S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, prædictis qualitatibus insignitum, sibi pro-Pœnitentiarium subroget, qui interim hoc munus etiam per se ipsum prosequatur, Literasque non Pœnitentiarii Delegantis, sed suo proprio nomine jubeat expediri.

Similiter Regens, Datarius, Magister in Theologia, & Decretorum Doctor in eximia doctrina præstantes, casuumque conscientiæ periti; item Corrector in Decretis, stylo, cæterisque Pœnitentiariæ rebus diligenter versatus, & instructus; ac etiam Sigillator probatæ vitæ, & uti id munus postulat, omnium Officii expeditionum peritus. Qui omnes, Pœnitentiarii cura, & solicitudine delecti, & d Romano Pontifice confirmati, ad suum quisque Officium admittantur. Procuratores quoque, & Scriptores prædicti vita, moribusque integris ornati, ad suum quisque Officium exercendum idonei.

Ad hæc omnes prædicti Officii Ministri, etiam Procuratores, & Scriptores, sint Presbyteri, vel certe in aliquo ex Sacris Ordinibus constituti, hujusmodi arcanorum continentissimi, quorum etiam juramento, de fidelitate præstanda, adscribatur, quod nec occultos Casus hujusmodi; nec personas unquam cuiquam extra Officium revelabunt. Qui secus fecerint, non levius, quam Presbyteri, peccatorum confessiones prodere audentes, puniantur.

Procuratoriæ autem, & Scriptoriæ Officia ita demum à majore Pœnitentiario illis concedantur, qui prius à Regente, & Correctore super vita, moribus, ætate, scientia, & aliis qualitatibus requisitis diligenter, ac propositis Edictis, & mora sex dierum præcedente, per concursum examinati, & idonei comprobati fuerint; alioqui omnes concessiones, etiamsi à Romano Pontifice ex aliqua causa pro tempore factæ fuerint, pro irritis habeantur.

Omnes vero supradicti Officia sua per se ipsos tum diligenter, tum etiam fideliter exerceant, soliquepræsentes, & actu exercentes, nisi legitime impediti, fructus, & emolumenta percipiant; quorum singulis certum, statutumque aliunde stipendium cuique conveniens assignare intendimus, quo solo contenti esse debeant, nihilque aliud alio extraordinario labore, tam procurando, quam scribendo, aut recognoscendo, & examinando, capere possint. Quicunque secus fecerint, Officio suo hujusmodi privati, excommunicationis quoque sententia nodati eo ipso censeantur, cujus absolutionis beneficium ab alio, quam à Romano Pontifice (excepto mortis articulo) nequeant obtinere.

Ut autem negotia universa, qua decet, puritate, & diligentia dirigantur, prædictus Regens petitiones, casusque omnes ad prædictum Officium deductos examinet diligenter; quæque perspicua, & secundum communem in eodem Officio cursum, absque difficultate expediri consueverint, eadem expediri jubeat, nihilque omnino, vel ordinarium, aut clarum, nisi prius ab ipso recognitum, & probatum, Procuratores expedire incipiant; dubia vero, vel obscura, vel difficultate obstructa Regens ipse ad majorem Pœnitentiarium referat, ut diligentius examinentur. Demum in ejus Signatura proposita cum maturo omnium judicio decidantur.

Cæterum materiæ omnes, sive conficiendæ, sive scribendæ, inter Procuratores, & Scriptores cura Sigillatoris æqualiter dividantur.

Sed ut Literæ prædictæ stylo suo conscriptæ sanæ, & incorruptæ emittantur, Corrector prædictus, antequam illæ scribantur, schedulas, sive minutas earum à prædictis Procuratoribus conficiendas cum Supplicatione expedita diligenter recognoscat, examinet, & corrigat, ut inde Literæ ipsæ mundæ, & integræ, rasuriſque prorsus carentes expediantur. Itemque super omnibus materiis, tam ordinariis, quam extraordinariis, Supplicationes ubi illis opus erit, in totum expediri debeant prius, quam ad expeditionem Literarum super illis quoquo pacto procedatur.

Denique Sigillator prædictus Literas omnes eatenus recognoscat, ut manus requisitæ illis appositæ sint, & eorum Datæ cum libello Supplicationis concordent. Deinde ipsas Sigillo Pœnitentiariæ obsignet, & in totum gratis ubique expeditas, tum demum eas Procuratoribus resignet.

Illud autem sancte, & immaculate apud Officium

præ-

prædictum volumus observari, ut nihil prorsus pro Literarum confectione, & expeditione, nec alias etiam pro cera, pro charta, atramento, capsula, cordulis, aliisque rebus ad ipsam expeditionem pertinentibus, exolvatur, rationem aliunde habituri, unde hæc omnia, simulque Ministrorum omnium stipendia debeant comparari.

Sed ne quid rerum dictæ Pœnitentiariæ lapsu temporis pereat, neglectumve jaceat, Sigillator ipse omnia Exemplaria, Literas, Scripturas, & Instrumenta quorumcunque Privilegiorum, Facultatum, Concessionum, Prohibitionum, Reformationum, & cæterorum omnium dictum Officium Pœnitentiariæ in universum, & privatim concernentium, fideliter, ac cum periculo suo asservet, deque his omnibus authenticum Inventarium, ac Regestum conficiat; cui quicquid postea additum, statutum, concessum, vel vetitum erit, illud totum qualecunque quamprimum adscribatur; & sic deinceps hæc omnia in futurorum Sigillatorum fidem cum eisdem conditionibus, & periculis deponantur.

Ad retinendam vero in dicto Officio puritatem, & confirmandam singulorum fidem, districte præcipimus, ut juramenta, quæ in admissione Officialium requiruntur ad præsentem nostram Reformationem accommodata quotannis in manibus dicti Majoris Pœnitentiarii debeant iterari.

Monemus insuper omnes, & singulos supradictos, ut caveant diligenter, ne in Officiorum suorum exercitio fraus, vel dolus quoquomodo admittatur, vel captio inducatur, neve ipsi partibus quicquam dolose, & fraudulenter suggerant, quo facilius optata impetrare possint; sed solum petitiones justas, rationabiles, & honestas recipiant, & proponant. Quod si dolum, vel fraudem fecisse, aut quicquam, vel minimum, pro labore, aut alio quoquomodo accepisse convicti fuerint, præter illas censuras, & pœnas, quæ contra talia admittentes quomodocunque propositæ sunt, in pœnam privationis officiorum suorum incurrant, & ad futura inhabiles, infamesque reputentur, prout nos illos privatos, inhabiles, & infames declaramus eo ipso.

Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid secus super prædictis, aut eorum aliquo, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus nostra, De non tollendo jure quæsito, *& aliis Apostolicis Constitutionibus, ac decreto Officiorum prædictorum numero etiam pluries à Romanis Pontificibus reducto, necnon Officii Pœnitentiariæ hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vetere stylo, & consuetudinibus, quantocunque tempore observatis, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Depulsa igitur omnis avaritiæ sœditate, pro se quisque piam castamque mentem ad impositum sibi munus pro Dei æterni gloria, & Christifidelium salute alacriter intendat, & pro virili parte conetur, ut cuncta prospera, & hoc tanto Officio digna succedant, Sedesque Apostolica pro bene gestis condignæ laudis præconio in singulis Christiani Orbis partibus plenius celebretur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Suppressionis, Abolitionis, Amotionis, Prohibitionis, Statuti, Ordinationis, Intentionis, Præcepti, Monitionis, Decreti, Declarationis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quintodecimo Kal. Junii. Pontificatus Nostri Anno quarto.

5 Adest insuper alia Constitutio Urbani VIII. Summi Pontificis in forma Brevis, sub die 27. Septembris 1634. per quam summi Pœnitentiarii auctoritas non solum confirmata, sed notabiliter aucta fuit.

6 Dignitas majoris Pœnitentiarii à Benedicto Papa hujus nominis secundo instituta fuit, ut notat Gravatius in Annotation. ad Capitulum secundum Praxis Vestrii, relatus à Marco Paulo Leone Societatis Jesu, in Praxi ad Literas, & *Bullas Majoris Pœnitentiarii, & Sacræ Pœnitentiariæ Officii* in principio primæ Partis; & ejus jurisdictio, antequam dicta Reformatio facta esset, amplissima erat, ut testatur dictus P. Leo *l. c.* Hodie tamen conferri solet alicui ex Eminentiss. DD. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui ætate, moribus, scientia, prudentia, ac benignitate conspicuus sit, & ejus jurisdictio, & auctoritas non expirat morte Papæ. *Clem. 2. de elect.* §. *Eo tamen proviso*, ut docent dictus P. Leo *l. c. vers. Per mortem, pag. mihi* 2. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *nu.* 348. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 98. *vers. Secundum est*, Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 514. Gutierez *de Matrim. cap.* 125. *nu.* 23. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 27. *num.* 220. Zerola *in Praxi Episcop. part.* 2. *verbo Pœnitentiarius*, §. 6. Unde gratia facta ab ipso Pœnitentiario non expirabit morte Pontificis, etiam re integra; idem Gutierez *l. c.* Gabriel *cons.* 83. *n.* 74. *tom.* 1. Merolla *l. c.* & sic etiam Dispensationes, quæ fiunt à Legatis Apostolicis; *cap. Legatos* 2. *de off. Legati in* 6. Reginaldus, & Merolla *ll. cc.*

Majori Pœnitentiario, juxta tenorem, & formam dictæ Constitutionis S.Pii V. subduntur Regens, Consultores duo, Sigillator, Procuratores tres, qui omnes sua officia per se explent.

Regnes vices majoris Pœnitentiarii gerit, supplices Libellos Sacræ Pœnitentiariæ porrectos recipit, & subsignat, Decretaque desuper opportuna apponit, concedendo, vel denegando petita.

Datarius in calce Supplicationum Datam apponit diei, mensis, & anni Pontificatus Pontificis regnantis.

Corrector, seu Revisor Supplicationes, à Procuratoribus ejusdem Officii confectas, considerat, corrigit, notat, & subscribit.

Sigillator publicum Sacræ Pœnitentiariæ Sigillum penes se retinet, Literas, ac Bullas Pœnitentiarii nomine expediendas subscribit.

Procuratores, seu Secretarii vicissim, & per turnum Memorialia omnia recipiunt, quæ à Curialibus, & aliis personis per quoddam foramen dejiciuntur in capsulam, quæ in domo Domini Regentis manet ad id destinata, & super materiis propositis Supplicationes conficiunt, & Bullas, seu Literas in forma Brevis expediunt.

Scriptores Supplicationes rescribunt in charta pergamena, & sic rescriptas dant ipsis Procuratoribus seu Secretarii expediendas.

Omnes tamen prædicti Officiales, & Ministri debent esse Sacris Ordinibus initiati, vel saltem initiandi intra tempus, sibi à Sanctiss. propterea præscribendum. Vide Marcum Paulum Leonem *in principio primæ partis d. Praxis.*

Major Pœnitentiarius semel saltem in mense convocat suos Officiales, una cum Secretariis. Quæ convocatio, Signatura appellatur, eo quod ibi signatur Memorialia à Domino Regente, & discutiuntur graviores casus, qui in dies proponuntur.

Habet insuper Sacra Pœnitentiaria suam peculiarem Congregationem Eminentissimorum Cardinalium, in qua casus difficiliores in dies occurrentes proponuntur, discutiuntur, & deciduntur. Nec in negotiis ejusdem se ingerit Sacra Congregatio Concilii; unde declarationes, quæ fiunt ab ipsa Congregatione Concilii super impedimentis matrimonii, & eorum Dispensationibus, locum habent, & intelligi debent pro Dispensationibus, quæ pro utroque foro Ordinariis diriguntur; non autem de illis, quæ per ipsam Pœnitentiariam pro foro conscientiæ tantum Confessariis committuntur, ut bene animadvertit Corradus *in Praxi Dispensation. Apost. lib.* 8. *cap.* 1. *nu.* 53.

Pro casibus occultis, & pro simplicibus absolutionibus, quæ ad Ordinarios Locorum diriguntur, circa publicos casus, Diplomata traduntur clausa, ad formam Literarum familiarium Sigillo munita; at pro publicis casibus circa Absolutiones, Dispensationes, Rehabilitationes, & similia ad Regularium favorem, Diplomata sunt patentia cum Capsula pendente, introcluso Sigillo.

Gratiæ quadrupliciter a majori Pœnitentiario emanant.

nant. Primo in foro conſcientiæ, & in actu Sacramentalis Confeſſionis. Secundo in foro conſcientiæ tantum. Tertio in utroque foro. Quarto ſimpliciter, abſque ullius fori expreſſione.

25 Quoad ſæculares perſonas major Pœnitentiarius auctoritatem habet dumtaxat abſolvendi, & diſpenſandi copulative in caſibus occultis. Abſolvendi vero etiam in publicis.

26 Ad favorem autem Regularium, etiam in caſibus publicis, & utroque foro, nempe pœnitentiali, & judiciali; & ſic eſt notorius dicti Prætorii ſtylus, ut docet dictus P. Leo *l. c. pag. mihi 9.*

27 Materiæ omnes, circa quas ejus auctoritas verſatur, ſunt Dilationes, & Commutationes Votorum ſimplicium, & obligationis ſimplicis recitandi Horas Canonicas: Abſolutiones à Caſibus, & Cenſuris reſervatis: Diſpenſationes ſuper impedimentis occultis ad contrahendum, ſeu recontrahendum matrimonium: Diſpenſationes ſuper Irregularitatibus: Convalidationes titulorum: Rehabilitationes ad Beneficia, nec non ad Officia, Dignitates, & ſimilia: Diſpenſationes pro Regularibus tranſire volentibus ad ſtrictiorem, vel laxiorem Religionem: Condonationes, & Remiſſiones pecuniarum, & fructuum male exactorum, ac perceptorum, niſi agatur de præjudicio certi domini; vide dictum P. Leonem *d. part. 1.*

Addit Zerola *in Praxi Epiſc. par. 2. verbo Di-*
28 *miſſoriæ §. 4.* poſſe ſummum Pœnitentiarium, ſi juſta cauſa adſit, concedere Dimiſſorias ad Ordines, ſi quis illas à ſuo Ordinario obtinere non poſſit; ſi tamen petens juſtam cauſam non alleget, incidit in pœnam privationis, & executionis Ordinis, per ſuum Ordinarium imponendam, ſive ad tempus, ſive in perpetuum; & refert propterea Bullam S. Pii V. quæ incipit, *In ſublimem.*

His itaque præmiſſis, ex quibus dicti Prætorii ſtylus in pluribus percipi poteſt, dico, quod

29 Omnis Diſpenſatio, quæ, quoad matrimonium à Sacra Pœnitentiaria datur, vel eſt circa affinitatem (ſuper qua diſpenſat etiam in primo gradu, tam ex copula illicita, quam ex licita, ut teſtatur Genuenſ. *in Praxi Curiæ Archiepiſcopalis Neopolitanæ in Addit. ad cap. 20. num. 13.*) vel circa conſanguinita-
30 tem (in qua diſpenſare poteſt in remotioribus tantum, non tamen in primo, vel ſecundo gradu, teſte Filiuccio *QQ. moral. tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. numer. 351.*) vel ſuper cognatione ſpirituali occulta, vel ſuper impedimento criminis, vel in Voto Caſtitatis, vel Religionis, vel circa inceſtum ſecutum ante habitam, & applicatam Diſpenſationem, vel poſt matrimonium ſuper exactione debiti, & tandem ſuper alio quocunque impedimento occulto matrimonium dirimente; & prædicta, tam ſi matrimonium ſit jam contractum, quam ſi ſit
31 contrahendum, excepto impedimento conſanguinitatis, ſuper quo per Sacram Pœnitentiariam non diſpenſatur, ſi matrimonium adhuc contractum non ſit, ſed ſi adſint cauſæ ſufficientes, recurritur ad Datariam, vel Cancellariam; prout requiret qualitas graduum, ſuper quibus diſpenſandum ſit. Vide Filiucc. *l. c.*

Aliquando etiam Sacra Pœnitentiaria diſpenſat ſuper matrimonio rato non conſummato, ut dicemus;
32 & omnes Diſpenſationes, quæ ab ejus Tribunali emanant, gratis conceduntur, & abſque ulla impenſa, ut eſt notum, & docent Navarr. *lib. 4. Conſil. titul. de Sponſ. conſ. 1. num. 3. in prima editione.* Sayrus *in Floribus lib. 4. deciſ. 57.* Pariſ. *de Confid. quæſt. 60. num. 51.* & Corrad. *in Praxi Diſpenſ. A-*
33 *poſt. lib. 8. cap. 10. num. 31.* Idque etiam procedit quamvis Diſpenſatio, quæ à dicto Prætorio fieret, eſſe revalidatoria alterius Diſpenſationis, à Pontifi-
34 ce pro foro externo, nulliter impetratæ, quamvis in illa eſſet tacita aliqua qualitas, qua expreſſa, fuiſſet neceſſaria ſolutio Compoſitionis. Vide Sanchez *lib. 8. diſp. 34. nu. ult.*

Et ut ad particularia deſcendamus; ſi Diſpenſatio petatur ſuper affinitate, ex copula illicita proveniente, ut ſi quis ſecreto cognoviſſet Sororem, vel Matrem, ſeu Filiam fœminæ, quam ducere intendit, Sacra Pœnitentiaria concedere ſolet Literas Diſpenſationis infraſcripto, ſeu ſimili modo. A tergo; *Diſcreto Viro Confeſſario Magiſtro in Theologia, &c.* 35

Intus vero

N. Tituli S. - - - - - - - - *S. Romanæ Eccleſiæ Præsbyt. Card.*

Diſcreto viro Confeſſori Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario, per Latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo, ſalutem in Domino. Ex parte Latoris præſentium nobis oblata petitio continebat: Quod ipſe alias duas Sorores germanas carnaliter cognovit, & deinde bona fide tractavit de matrimonio contrahendo cum altera earum. Cum autem, ſicut eadem petitio continebat, impedimentum ex præmiſſis proveniens occultum ſit, tractatus vero hujuſmodi matrimonii publicus; & niſi ad effectum perducatur, ſcandala exinde exoritura ſint; ad ea vitanda, ac pro ſuæ conſcientiæ quiete, cupit Lator præfatus de præmiſſis, de quibus plurimum dolet, per Sedem Apoſtolicam abſolvi, ſecumque deſuper diſpenſari. Quare ſupplicavit humiliter, ut ſibi ſuper his de opportuno remedio providere dignaremur.

Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Noſtri Papæ curam gerimus, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica Nobis ſpecialiter conceſſa, diſcretioni tuæ committimus, quatenus (ſi eſt ita) dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confeſſione, ab inceſtu hujuſmodi abſolvas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta, injuncta ei pro tam enormis libidinis exceſſu gravi pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ fuerint de jure injungenda: Demum dummodo impedimentum ex præmiſſis proveniens occultum ſit, & niſi matrimonium hujuſmodi contrahatur, pericula imminent ſcandalorum, aliudve Canonicum non obſtet, cum eodem Latore, poſtquam omnem recidivæ converſationis occaſionem cum dicta fœmina abſtulerit, quod præmiſſis non obſtantibus matrimonium cum dicta Sorore, & uterque inter ſe, publice, ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere, & in eo poſtmodum remanere licite valeant, miſericorditer diſpenſes. Prolem ex inde ſuſcipiendam legitimam nunciando in foro conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis tantum, & non aliter, nec alio modo; ita quod hujuſmodi abſolutio, & Diſpenſatio in foro judiciario nullatenus ſuffragentur, nullis ſuper his adhibitis teſtibus, aut Literis datis, ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus laniatis, quas ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ laniare tenearis, itaut nullum illarum exemplum extet; neque eas Latori reſtituas; quod ſi reſtitueris, nihil ei præſentes Literæ ſuffragentur.

Datum Romæ, &c.

Si matrimonium fuiſſet jam contractum non ob- 36
tenta Diſpenſatione inter dictum Virum, & Sororem dictæ fœminæ, committi ſolet Confeſſario, quatenus, ſi eſt ita, dictum Latorem, ſublata occaſione recidivæ converſationis, auditaque prius ejus Sacramentali Confeſſione à quibuſvis Sententiis, Cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit, ab inceſtu, & exceſſibus hujuſmodi abſolvat hac vice in forma Eccleſiæ conſueta. Injuncta inde ei pro tam enormis libidinis exceſſu gravi pœnitentia ſalutari, ac Sacramentali Confeſſione peccatorum ſuorum, ſingulis ſcilicet menſibus, ut minimum ſemel, & quoties animæ ſuæ ſaluti expedire judicaverit, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præmiſſis proveniens occultum ſit, & ſeparatio in Latorem, & dictam Mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo; ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum eſſe eidem Confeſſori viſum fuerit, aliudque Canonicum non obſtet, cum eodem Latore, ut cum dicta Muliere, de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut Latoris delictum nuſquam deregatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter ſe de novo ſecrete, ad evitanda ſcandala, præmiſſis non obſtantibus, contrahere, & in eo poſtmodum remanere licite valeant, miſeri-

sericorditer dispensetur, prolem susceptam si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ, & in actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, &c. ita quod hujusmodi absolutio, & Dispensatio in foro judicario nullatenus suffragentur, nullis desuper adhibitis Testibus, &c., & in reliquis, ut supra.

37 Si ambo Conjuges sciviſſent impedimentum, simili modo pro utroque rescribitur, excepto quod ubi dicitur injuncta gravi pœnitentia, additur, ut esse debeat diuturna, quia gravius est habere complicem in delicto, ut bene animadvertit P. Leo *in d. Praxi Sacræ Pœnitentiariæ*, *par.* 2. ubi *de primo ex actu fornicario contracto*, *pag. mihi* 257.

38 Si post contractum matrimonium superveniret affinitas, ut quia quis cognosceret Matrem, Sororem, vel Filiam Conjugis, tunc si Dispensatio petatur à Sacra Pœnitentiaria, committi solet Confessario, quatenus (si est ita) Latorem (audita prius ejus Sacramentali Confessione) postquam omnem recidivæ conversationis prædictæ occasionem abstulerit, ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvat hac vice in forma Ecclesiæ consueta. Injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, &c. & aliis injungendis, ipsumque Latorem, præmissis non obstantibus, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere posse, ac debere declaret; & nihilominus si impedimentum prædictum occultum sit, & de Latoris incontinentia probabiliter timendum esse sibi visum fuerit, cum eodem, ut idem debitum etiam exigere licite valeat, misericorditer dispenset in foro conscientiæ tantum, & non aliter, &c. ita quod in foro judiciario nullatenus Literæ suffragentur; & si Uxori supervixerit, maneat absque spe Conjugii.

39 Quoad impedimentum consanguinitatis, diximus supra, non posse per majorem Pœnitentiarium in primo, & secundo gradu dispensari, teste dicto P. Vin-
40 centio Filiuccio *d. cap.* 10. Immo rarissime etiam super remotioribus dispensatur, quia si matrimonium nondum contractum sit, non dispensatur; quod si
41 jam fuit bona fide contractum, & postea superveniat notitia alicujus impedimenti consanguinitatis, non dispensatur, nisi Oratores prius matrimonio stetissent per aliquot annos, teste Corrado *in Praxi Dispensat. Apost. lib.* 8. *cap.* 4. *nu.* 47.

Quoad impedimentum cognationis spiritualis, si hujusmodi impedimentum occultum sit, & petatur Di-
42 spensatio, solet committi Confessario, quatenus, si est ita, dictos Latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvat hac vice; injuncta inde eis, pro modo culpæ, pœnitentia salutari, & aliis, &c. injungendis, demum, dummodo impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, & infamiæ Latricis per matrimonium obviatum iri judicaverit, aliudve Canonicum non obstet, cum eisdem Latoribus, quod, præmissis non obstantibus, matrimonium inter se, publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenset. Prolem, &c. in foro conscientiæ legitimam nunciando, &c. nullis, &c.

43 Quod si matrimonium jam cum dicto impedimento fuisset absque Dispensatione contractum, committitur Confessario, quatenus Oratores etiam ab incestu absolvat, & dummodo impedimentum occultum sit, & separatio inter ipsos absque scandalo fieri non possit, & ex cohabitatione de illorum incontinentia probabiliter timendum esse sibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstet, cum eisdem dispenset, ut præmissis non obstantibus, matrimonium inter sese de novo, secrete tamen, ad evitanda scandala, illisque de nullitate prioris consensus certioratis, contrahere licite valeant, prolem legitimam decernendo pro foro conscientiæ tantum.

44 Aliquando etiam solet per Sacram Pœnitentiariam committi Confessario, ut declaret, non fuisse contractum impedimentum cognationis spiritualis, v. gr. si quis invitus susceptisset, & ob id non intendisset facere quod intendit Ecclesia; si hic postea velit cum matre talis susceptus contrahere, committitur Confessario, quatenus, si est ita, dictum Latorem (audita prius ejus Sacramentali Confessione) dummodo invitus ille fecerit, seu mutaverit voluntatem id faciendi, nullam ex præmissis spiritualem cognationem contraxisse cum prædicta muliere, ipsumque in matrimonio prædicto, sic per eum contracto, libere remanere posse nunciet, & declaret in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, nec alio modo; & sic etiam servat Sacra Pœnitentiaria, dum ex alia causa dubium sit, an Compaternitas sit contracta, necne; quia narrato facto, prout vere se habet, committitur Confessario, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, nullam ex præmissis spiritualem cognationem contractum fuisse, ipsosque in matrimonio sic per eos contracto libere remanere posse nunciet, & declaret in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, &c. prolem, &c.

Pro impedimento criminis, si occultum sit, & 45
neuter in mortem Conjugis machinatus sit, solet Sacra Pœnitentiaria rescribere Confessario, quatenus, si est ita, Oratores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa incurrerunt, adulterio, & excessibus hujusmodi absolvat hac vice, &c. injuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum prædictum occultum sit, & nisi matrimonium contrahatur, periculum immineat scandalorum, aliudque Cononicum non obstet, cum eisdem Oratoribus, quod præmissis non obstantibus matrimonium inrer se, publice, servata forma Tridentini Concilii, contrahere, & in eo postmodum remanere libere, & licite possint, misetitorditer dispenset. Ptolem suscipiendam (non tamen ex adulterio susceptam) exinde legitimam nunciando in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, &c. itaque nullarenus, &c. nullis, &c.

Quod si matrimonium jam fuisset cum dicto im- 46
pedimento, ante Dispensationem, contractum, committitur Confessario, quatenus, si est, dictos Oratores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, & excessibus hujusmodi absolvat hac vice; injuncta inde, pro modo culpæ, pœnitentia salutari, & aliis injungendis, &c. demum, dummodo impedimentum prædictum occultum sit, & separatio inter ipsos non possit fieri absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum esse ei visum fuerit, cum eisdem, ut matrimonium inter se de novo, secrete tamen, ad evitanda scandala, illis de nullitate prioris consensus certioratis, dispenset, &c. Prolem suscipiendam exinde (non tamen ex adulterio conceptam) legitimam nunciando in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter.

Quando tamen per machinationem secura fuisset 47
mors primi Conjugis, difficillime, & nonnisi ex causis urgentissimis Dispensatio conceditur, maxime si veneno mors secuta fuerit; & tunc, unus tantum ex Oratoribus machinatus sit, committi solet Confessario, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerit, ab adulterio, homicidio, & excessibus hujusmodi absolvat hac vice; injuncta inde ei pro modo culpæ, gravi, & longa, quæ saltem per annum duret, pœnitentia salutari, & orationibus, ac pro modo facultatum suarum, eleemosynis etiam ad celebrare faciendum aliquem numerum Missarum pro anima occisi, necnon frequentia Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum, semel, vel sæpius, prout animæ suæ saluti Confessor

expe-

expedire judicaverit, quodque hæredibus occisi, & aliis, quibus ipse dum viveret subvenire forsan solebat, satisfaciat, & subveniat in eo, in quo tenetur, cautè tamen, ne se prodat, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda; demum, dummodo impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, & plane ignoretur, quod mors dicti Conjugis inde secuta fuerit, & separatio inter Oratorem, & ejus Conjugem absque scandalo fieri non possit; ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum esse eidem Confessario videatur, cum eodem Latore, ut dicta Conjuge, de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut delictum suum prodere non cogatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter se, de novo, secrete, ad evitanda scandala, contrahere valeant, prolem legitimam decernendo.

48 At, si uterque Conjux in mortem prioris Conjugis machinatus fuisset, & tamen matrimonium contraxerint, committitur Confessario, quatenus, si est ita, Oratores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, ab adulterio, homicidio, & excessibus hujusmodi absolvat hac vice, &c. in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde eis, pro modo culpæ, gravi, & longa, quæ saltem per annum duret, pœnitentia salutari, ut singulis sextis feriis per annum jejunent, & pro anima occisi per annum tribus diebus cujuslibet mensis orent, certasque orationes eis, pro eorum captu, præscribendas, genibus flexis recitent, & si facultatem habent, quinquaginta Missas, vel alium numerum, juxta hujusmodi facultatem, pro anima occisi celebrari faciant; injuncta etiam frequentia Sacramentalis Confessionis, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, vel quoties Confessori videbitur; quodque hæredibus occisi, & aliis, quibus ipse, dum viveret, subvenire forsan solebat, satisfaciant, & subveniant in eo, in quo tenentur; caute tamen, ne se prodant, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda; demum, dummodo omnino occultum sit, quod uterque Latorum in dicti Mariti mortem machinatus fuerit, ac plane ignoretur, quod mors inde secuta sit, &c. Reliqua, prout in præcedenti formula.

Quandoque etiam gravior imponitur pœnitentia, juxta delicti gravitatem; immo & pluries denegatur Dispensatio, maxime dum veneno in mortem Con-
49 jugis machinati sint, quia tunc causæ Dispensationis discutiuntur in plena Signatura, an admittendæ sint, necne.

50 At si matrimonium adhuc non fuisset inter machinantes contractum, tunc servatur, prout in formula præcedenti, excepto, quod non apponitur obligatio frequentiæ Sacramentalis Confessionis, quæ non solet apponi, nisi raro, & quatenus matrimonium jam contractum sit.

51 Si quis vivente uxore, matrimonium cum alia, prioris matrimonii inscia, de facto contraxit, & consummavit, remanet perpetuo inhabilis ad illud recontrahendum post dictæ suæ legitimæ uxoris obitum. *cap. Accepisti 2. de sponsa. duorum, cap. Ex Literarum 4. & cap. Si quis, finali, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit.*

52 At si, mortua uxore, neutro adulterorum in mortem machinante, velint in dicto matrimonio remanere, committi solet Confessario, quatenus, si est ita, dictos Latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, ab adulterio, & excessibus hujusmodi absolvat hac vice, in forma Ecclesiæ consueta; injuncta, &c. & aliis injungendis. Demum, dummodo prædicta occulta sint, & aliud Canonicum non obstet, cum eisdem Oratoribus, de nullitate prioris consensus certioratis, quod, præmissis non obstantibus, matrimonium inter se, de novo, secrete, &c. ad evitanda, &c. prout in formula pro neutro machinante.

53 Si quis bona fide credendo ejus Conjugem esse mortuum, cum alio matrimonium contrahat, non est opus aliqua Dispensatione, si tamen petatur à Sacra Pœnitentiaria, solet committi declaratoria, quod nulla sit opus Dispensatione. P. Leo *in dicta Praxi, part.* 2. formula *Pro eo, qui vivente uxore, cum alia de facto contraxit, vers. Si autem, pag. mihi* 314.

De hoc impedimento criminis plura, & magis practicabilia, dicemus *lib.* 2. ubi quod non sit necessaria Dispensatio, nisi ex machinatione sit secutus effectus mortis, & quod ad hujusmodi impedimentum incurrendum sufficiat consilium, vel mandatum, concludemus.

Quod attinet ad impedimentum Voti, matrimo- 54
nium impedientis, sive sit Castitatis, sive Religionis, vel non nubendi (loquor modo de Voto simplici, & non de solemni, de quo suo loco seorsum agam) multæ sunt causæ, pro quibus hujusmodi Vororum Dispensatio, vel saltem commutatio concedi solet; ex quibus infrascriptas, tanquam principaliores, & in Praxi, saltem pro commutatione, receptas, adnotare placuit, quarum

Prima est, si Orator, qui castitatem vovit, non valeat stimulis carnis resistere; quo casu committi solet Confessario, quatenus, si est ita, ac Latorem, 55
audita illius Sacramentali Confessione, stimulis carnis adeo agitatum, ut maxime dubitet se continere posse, & propterea de illius continentia probabiliter timendum esse, per diligentem Latoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita, invenerit; eundem Latorem, quatenus sibi videatur, à mutatione propositi absolvat hac vice in forma Ecclesiæ consueta; injuncta inde ei pœnitentia salutari, eique Votum prædictum, ad hoc tantum, ut matrimonium legitime contrahere possit, dispensando commutet in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, quolibet mense, ut minimum, semel, vel quoties sibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera per eum injungenda, tam diu duratura, quamdiu commutationi prædictæ locus erit, inter quæ sint etiam aliqua opera pietatis, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi Voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaverit; & cum eodem Oratore, ut matrimonium sic contrahere, & in eo post modum debitum cunjugale exigere, & reddere licite possit, misericorditer dispenset in foro conscientiæ, & in ipso Sacramentalis Confessionis actu tantum, & non aliter, neque ullo alio modo; ita quod si Uxori, cui conjungetur, supervixerit, castitatem servet, utpote eodem Voto obligatus, ut prius; quod si unquam extra matrimonium fornicatus fuerit, aut matrimonium, absque nova Dispensatione, contraxerit, intelligat se contra Votum facere, & debitum conjugale exigere non posse, & ita illum moneat.

Hanc potius commutationis, quam Dispensationis formulam apposui, quia ut plurimum Vota commutantur, cum raro eveniat, ut talis causa subsit, quæ sufficiens sit pro Dispensatione absolute concedenda, majores enim causæ requiruntur ad dispensandum, 56
quam ad commutandum.

Si post emissum Castitatis Votum, Orator matri- 57
monium absque Dispensatione, contraxit, & consummavit, tunc si Dispensatio ad exigendum debitum ab ipsa S. Pœnitentiaria petatur, solet rescribi Confessario, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, à transgressione hujusmodi absolvat hac vice, injucta ei pœnitentia, salutari, ipsumque, si aliud Canonicum non obstet, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere posse, ac debere declaret; & nihilominus, si de Latoris incontinentia probabiliter timendum esse repererit, cum eodem, ut debitum conjugale etiam exigere licite valeat, misericorditer dispenset in foro conscientiæ, & in ipso Sacramentalis Confessionis actu tantum, & non aliter, &c. ita quod si Uxori, supervixerit, &c. eodem Voto teneatur ut prius.

At si matrimonium contraxisset, sed adhuc non con- 58
summasset simili modo rescribitur, & additur, ut Votum prædictum commutet, ad hoc, ut in dicto matrimonio remanere, illudque consummare licite possit,

59 Secunda causa est, si fœmina, quæ Votum non nubendi emisit, sit juvenis formosa, parentibus orbata; & tunc committi solet Confessario, quatenus, si est ita, eam à mutatione propositi, si sibi videatur, absolvat, injuncta ei pœnitentia salutari, eique Votum prædictum de non nubendo in alia pœnitentiæ opera perpetua, per ipsum Confessarium injungenda, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaverit, secumque desuper dictum Votum dispensando commutet. Simili modo conceditur, si fœmina sit Patre orbata, & matrem habeat pauperrimam, quia committitur Confessario, ut, si est ita, ipsaque Oratrix habeat Matrem, & utraque pauper sit, & ex proprio labore victum quærat, eandem Oratricem à mutatione propositi, quatenus sibi videatur, absolvat, & additur clausula, quod si Viro supervixerit, eodem Voto teneatur, ut prius.

60 Tertia causa est, si uxoratus, constante matrimonio, castitatem vovit, & postea, ad effectum petendi debitum conjugale, petit sibi Votum prædictum commutari; & tunc si à S. Pœnitentiaria hujusmodi commutatio petatur, mandari solet Confessario, ut audita Oratoris Sacramentali Confessione, si de ipsius incontinentia probabiliter timendum esse repererit, illum à mutatione propositi absolvat, injuncta ei pœnitentia salutari, eique Votum prædictum, ad hoc tantum, ut à sua Uxore debitum conjugale exigere possit, dispensando commutet in alia pœnitentiæ opera tamdiu duratura, quamdiu commutationi prædictæ locus erit, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaverit, & in reliquis, ut in præcedenti formula, cum dicta clausula, quod si Uxori supervixerit, castitatem servet, ut supra.

61 Si Orator in juvenili ætate castitatem servare vovit, & per aliquod tempus, ut decem annorum, vel circiter, Votum servavit; postmodum vero ob stimulos carnis diffidat continenter vivere, tunc similiter committi solet Confessario, ut illius Confessione audita, si de ipsius incontinentia probabiliter timendum esse, per diligentem ipsius Oratoris examinationem, ac post commemoratam ei tot annorum, cum Dei gratia, victoriam adversus inimici tentationes, quando ætate, & spiritus viribus imbecillior erat, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita, invenerit, &c. illum à mutatione propositi absolvat, ut supra.

occultum detegatur, proles reputabitur illegitima, donec nova Dispensatio pro utroque Foro obtenta fuerit, vide ea, quæ *cap. præcedenti* diximus, ubi hanc materiam fuse pertractavimus. Quibus addo, 165
quod, dum Conjuges, cum impedimento dirimenti ignorato bona fide utriusque, vel alterius eorum, matrimonium inter se contraxerint, tunc filii erunt in utroque foro legitimi. Sanchez *lib.* 8. *d. disp.* 34. *n.* 46. & 50. Parens tamen, qui fuit in mala fide, non reputabitur legitimus, respectu dicti filii, in foro externo, nè ex suo delicto commodum reportet. Sanchez *l. c. n.* 50. Addo insuper, filios à Sacra Pœ- 166
nitentiaria dispensatos, ac legitimatos, si impedimentum, quod aderat inter parentes, non detegatur, non esse irregulares in foro conscientiæ, sed esse capaces Ordinum, & Beneficiorum, tanquam vere legitimatos, ac succedere utrique parenti, & utrumque parentem ipsis, quia ex vero matrimonio nati sunt, vide Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 49.

Octava Clausula requiritur, ut impedimentum, super quo Dispensatio fieri debet, occultum sit, *Demum dummodo impedimentum ex prædictis proveniens occultum sit*; ubi est animadvertendum, quod pro hujusmodi Literis Sacræ Pœnitentiariæ illud impedi- 167
mentum dicitur occultum, quod distinguitur contra publicum, id quod annuit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* quare licet ab aliquibus impedimentum sciatur, ac proinde probari possit, tamen dicetur occultum; tunc autem *erit* 168
publicum, & non occultum, quando est publicum, non solum in Civitate, sed etiam in majori parte viciniæ, vel Collegii, Monasterii, vel Parochiæ, dummodo saltem decem personæ ibi inveniantur, penes quas publicum sit: Ratio est, quia ideo petitur ea impedimenta occulta esse, ut obvietur scandalo publico; unde satis illi obviatur, dum hæc impedimenta non laborant infamia publica, ita docent Navarrus *in Summa cap.* 27. *n.* 250. Sanchez *n.* 55. Trullenck *d. dub.* 10. *n.* 18. *ll. cc.* Escobar *Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *prope finem*. Lezana *l. c. num.* 28.

At P. Leo *in Praxi S. Pœnitentiariæ part.* 2. ubi *de occultis, vers. Occultum est, pag. mihi* 189. illud docet esse occultum, quod à nemine, vel à tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque manifestum, neque notorium; unde si unus, vel duo, aut tres sciant, non nocet, quominus aliquod delictum occultum sit, dummodo ista notitia consideretur simpliciter in se, & non deducta in judicium, & forum externum, & propterea refert Glossam *in cap. Vestra, de cohabitat. Clericor. & mulier. cap. Manifesta* 3. *quæst.* 1. Toletum *in Summa, lib.* 1. *cap.* 99.

Nec huic doctrinæ obstat dispositio *cap. Licet* 23. *de testib.* ubi dicitur, quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum; quia quamvis id verum sit, non tamen verum est, quod in notitia duorum, vel trium stet omnis notitia, ea nempe, quæ publicitatem inducat, & excludat occultum, secundum se consideratum; & propterea dictus textus dicit in ore, hoc est, in depositione facta in judicio, stare omne verbum, ut ex eodem textu pariter colligitur, immo & occultum erit, quamvis omnes sciant, sed 169
non sciant sub hac formalitate, quod sit impedimentum; ut si omnes scirent Vincentium, & Dorotheam esse affines, at nescirent affinitatem esse impedi-

pedimentum matrimonii. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 28. *lib.* 219. Sanchez *l. c. num* 56. Navarrus ubi supra. Gutierez *de Matrim. cap.* 71. *num.* 7. At si fuerit
170 deductum ad forum contentiosum, sive juste, sive injuste, tunc si Reus citatus sit, impedimentum non dicitur occultum, nisi fuerit prius à Judice absolutus; per quam absolutionem redit ad pristinum statum. Sanchez *d. disp.* 34. *num.* 57. Filiuccius *dict. cap.* 10. *num.* 360. Reginaldus *lib.* 11. *nu.* 219. quam-
171 vis etiam ipse Reus se falsis testibus defenderit; idem
172 Sanchez *l. c. nu.* 58., ubi etiam docet, impedimentum adhuc dici occultum, licet deductum fuisset ad forum contentiosum, si Judex retineat causam penes se, nec partem citet; quia ad hoc ut impe-
173 dimentum desinat esse occultum exigitur, ut dedu-
174 ctum sit ad forum contentiosum, & simul parti intimatum, alias non dicitur deductum ad forum contentiosum; quod idem confirmat Fragosius *de Regim. Christ. Reip. part.* 1. *lib. prim. disp.* 2. *num.* 200., si tamen delictum sit ad forum contentiosum deductum, & in eo pendeat, non poterit Confessarius dispensare, donec Reus non fuerit absolutus, ut supra.

175 Pro majori explicatione, dico, posse aliquid materialiter esse publicum, formaliter vero, & secundum quid, occultum; v. gr. si celebretur Missa à Sacerdote excommunicato occulto, coram universo populo, est actus publicus, & est delictum, non tamen est publicum; ratio est, quia nescitur publice, dictum Sacerdotem in excommunicatione celebrare; sic si Parochus publicè excommunicatus, coram populo suæ Parochiæ Missam celebret, & populus notet id fieri non posse, & esse delictum, at ignoret ex dicta celebratione contrahi irregularitatem, unde ista Missæ celebratio erit quidem actus publicus, & delictum publicum; attamen quo ad contractam irregularitatem erit delictum occultum, poterit etiam ab Episcopo super dicta irregularitate dispensari, in vim facultatis à Concilio super occultis concessæ Episcopis.

Simili modo potest aliquod delictum in uno loco esse publicum, & in alio occultum; nec obstat si à sua
176 origine, & principio fuerit publicum, ac tractu temporis fiat occultum, *cap. Longinquitate* 12. *quæst.* 2. quia tempus omnia devorat; unde sufficit, quod eo tempore, quo petita fuit, ac executa Dispensatio, occultum sit; vide dictum P. Leonem *l. c.* ubi longa serie hanc materiam optime agit.

177 Tandem adnotandum est, quod Impedimentum deductum ad Pontificem non dicitur deductum ad Forum Judiciale, & contentiosum; unde si alias occultum sit, adhuc remanet occultum. Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 14. *n.* 9.

Nona Clausula præbet normam, & instructionem Confessario, qua se gerere debet antequam dispenset; præcipue si jam contractum sit Matrimonium, & separatio inter Oratores fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero probabiliter timendum esse sibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstet.

178 Circa hanc Clausulam animadvertas, quod rarissime, aut nunquam erit necessarium experiri, an possint Conjuges separari, vel honeste vivere tanquam frater, & soror, quia sæpe ex hujusmodi separatione oriuntur scandala, & periculum Incontinentiæ, sicuti etiam ex cohabitatione dicto modo facta, cum etenim matrimonium sit publicum, & Impedimentum sit occultum, scandalum erit in Populo, si videat eos vitam non agere conjugalem; maximum etiam peccandi periculum immineret, si ipsi pro Conjugibus publice haberentur, & consequenter non possent cum aliis matrimonium inire, & proinde in maximo incontinentiæ periculo viverent; tunc autem erit dicta experientia
179 præmittenda, quando, attentis circumstantiis, prudenter judicatur spem esse, ut ea experientia alicujus sit utilitatis, & intentum consequatur; id enim totum prudentiæ Confessoris remittitur, ut prædicta bene docent Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 34. *n.* 60. Lezana *n.* 30. Filiuccius *n.* 361. & Trulleck *ll. cc.* unde ex Conjugum ætate, aut aliis circumstantiis dicta experientia præter-
180 mitti poterit, arbitrio Prudentis Viri, ut docent præcitati Doctores; nec debebit Confessarius multum insistere in perquirendo, an periculum incontinentiæ sit in cohabitatione, si ipsi probabiliter timendum de incontinentia videatur, quia cum Conjuges cohabitent, & in eodem lecto dormiant, grave quidem, & probabilissimum incontinentiæ periculum timeri potest.

Nec pariter videtur conditio necessaria, ut alter Conjux prius de prioris consensus nullitate certioretur, 181
sed potius videtur simplex instructio; & sæpe, si id necessarium esset, hæ Dispensationes suo valore frustrarentur, quia, ut plurimum, Conjux ignarus certior fieri non potest absque alterius Conjugis periculo; ita docent Trullenck. *l. c. n.* 21. Reginald. *l. c. n.* 22. Bonaccina *de Matrim. quæst.* 2. *punct.* 9. *n.* 7. Aversa *de Matr. qu.* 11. *sect.* 5. *vers. Demum juxta hoc* Optime Sanch. *d. Disp.* 34. *n.* 61. ubi prudentissime animadvertit, sæpe contingere, ut non possit nullitas matri- 182
monii Conjugi detegi, absque periculo manifestandi delictum, & maxime, si Impedimentum sit ex parte fœminæ, quo casu raro contingit ut possit prioris consensus nullitas aperiri, absque maximo fœminæ periculo, ac suspicione alicujus delicti, unde instabit Vir, ut sibi causa nullitatis aperiatur; & si non aperiatur, urgentiorem delicti suspicionem concipiet, & proinde rixæ, & inimicitiæ inter Conjuges orientur, aliaque gravia scandala verisimiliter timeri poterunt; quapropter caute se gerere debebit Confessarius; nec est 183
audiendus Gutierez *de Matrim. cap.* 128. *n.* 22. dumait, impositam esse conditionem Confessario certiorandi Conjugem; & quod si scandala ex dicta certioratione timeantur, sit impetranda nova Dispensatio sub alia forma, quia vere nimis durum videretur, si necesse esset, ut omnino dicta certioratio fieri deberet, dum ob dictam certiorationem gravia scandala, & forsan vitæ periculum imminerent: si tamen dicta scan- 184
dala non timeantur, bene erit, ut Confessarius Conjugem ignorantem, saltem remote moneat, ut, si forsan Matrimonium esset nullum, de novo consentiat.

Decima Clausula, *Ita quod*, si *Uxori*, *cui conjunge-* 185
tur, *supervixerit*, *Castitate servet*, *utpote eodem Voto obligatus ut prius*, ita est intelligenda, ut Orator, ex vi hujus Dispensationis, non possit, nisi semel, Uxorem ducere, & consequenter concessa Dispensatione super uno matrimonio, non trahitur ad aliud *cap. fin. causa* 33. *quæst.* 2. unde primo matrimonio soluto, non poterit sic Dispensatus aliud inire absque nova Dispensatione, quæ, si justa causa subsit, vel prima duret, solet facile concedi, & eo casu in Literis secundæ Dispensationis adjicitur Clausula *Salvis tamen alioqui cæ-* 186
teris omnibus, *quæ ei in priori commutatione injuncta fuerunt*, & sic soluto secundo matrimonio, non poterit aliud, absque Dispensatione, iniri.

Nec deseram adnotare, quod tam Dataria, quam Pœnitentiaria Apostolica, in his, & aliis similibus Votorum commutationibus, semper dispensat, ut Orator, vel Oratrix matrimonium legitime contrahere 187
possit; unde per illam dictionem, *Legitime*, intelligit de matrimonio valido, & non de eo, quod aliqua causa nullum esset; & proinde non esset extincta Dispensatio, sed secluso dolo, & fraude, adhuc poterit Dispensatus aliud validum Matrimonium inire, alias Dispensatio frustratoria remaneret; immo si vigore dictæ 188
factæ commutationis, seu Dispensationis, matrimonium valide contractum fuisset, at ante illius consummationem, vel morte Conjugis, vel professione in Religionem, vel ex Pontificis Dispensatione dissolveretur, adhuc non dicetur fuisse hujusmodi matrimonium perfecte contractum, cum non fuerit carnali copula consummatum, & consequenter stimulis Carnis provisum; constat ex ipsis Literis Sacræ Pœnitentiariæ, in quibus dicitur, quod Confessarius ipsum Votum dispensando commutet, non modo, ut matrimonium licite contrahere, verum etiam, ut in eo postmodum debitum conjugale exigere, & reddere possit; ita expresse docent Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 31. *n.* 5. Corradus *in Praxi Dispensat. Apost. d. cap.* 10. *n.* 31.

Dixi, secluso dolo, & fraude, quia his intervenien- 189
tibus, Dispensatio extinguitur primo actu, quamvis invalido, ne fraudem committens ex ipsa commodum reportet. Sanchez *n.* 4. & Pirrhus Corradus *ll. cc.*

Et quoniam frequenter accidit, ut Dispensationes à Sacra Pœnitentiaria non per Brevia, in quibus sem-

per

per apponitur formulà per Confeſſarium ſervanda, ſed per privatas Literas committantur, & in eis ſemper addatur, ut diſpenſetur in forma Pœnitentiariæ, ideo Confeſſarius, juxta caſuum contingentiam, ſe gerere debebit juxta prædicta in hujuſmodi Literarum executione, conſiderando Clauſulas, quæ in ſingulis ſupra notatis caſibus Sacra Pœnitentiaria ſolet apponere, quas hic repetere ſuperfluum eſſet.

Undecima Clauſula apponitur à tergo Literarum, nempe, *Gratis ubique*, quia pro hujuſmodi Commiſ-
190 ſionum executione nihil peti, & exigi poteſt, nec à majori Pœnitentiario, nec ab aliis Officialibus, & Miniſtris ejus Prætorii, nec etiam ab ipſo Confeſſario, quamvis etiam à ſponte offerentibus oblatum ſit, etiam in ſignum gratitudinis. Navarrus *lib. 4. conſil. titulo de Sponſ. conſ. 50.* in prima edit. præcipue *nu.* 3. Sanchez
191 *lib. 8. diſp. 34. nu. 64.* Trullenck *l. c. n. 23.* & nos alibi diximus. Et adeo verum eſt, ut Diſpenſationes, quæ à Tribunali Sacræ Pœnitentiariæ emanant, gratis concedantur, ut ſi qui impetrata Diſpenſatione à Pontifice pro utroque Foro ſuper aliquo Impedimento dirimente, tacuiſſent aliquam qualitatem occultam, quæ, ſi expreſſa fuiſſet Pontifici, majorem compoſitionem ſolviſſent, ſi poſtea ipſam qualitatem occultam Sacræ Pœnitentiariæ exprimant, & petant diſpenſari, adhuc hujuſmodi Diſpenſatio gratis concedetur, ut docent Sanchez *dicta diſ. 34. n. 64.* & Navarrus *l. c.*

Tandem pro concluſione hujus Capitis remanent explicandæ nonnullæ Clauſulæ peculiares, quæ in pleriſque Literis Sacræ Pœnitentiariæ apponi ſolent, quæ clauſulæ, quomodo ſint intelligendæ, quam breviſſime attingemus.

192 ET ALIIS, QUÆ DE JURE FUERINT INJUNGENDA.

Hæc Clauſula importat, ut Orator removere debeat occaſionem proximi relapſus in peccatum, & ut reficiat damna forſan illata occaſione præfatorum exceſſuum; & ſic bene illam explicat P. Leo *in d. Praxi S. Pœnitentiariæ par. 2.* poſt declarationem Impedimentorum dirimentium, *verſ.* Hoc eſt, *pag. mihi* 228.

193 ALIUDVE CANONICUM NON OBSTET.

Dum Papa, ſeu Sacra Pœnitentiaria Diſpenſationem concedunt, intendunt Impedimenta expreſſa tantum removere; unde ſi alia extent, ſuper eis non cadet Diſpenſatio, ſed remanebunt, prout ante factam Diſpenſationem aderant; per ea, quæ diximus.

194 MISERICORDITER IN DOMINO DISPENSES.

195 Miſericors Diſpenſatio ea dicitur, quæ non eſt de Jure debita, licet ex cauſa petatur, ob quam ſi Legislator velit, poſſit diſpenſare, quamvis alias non teneatur diſpenſare; ita bene explicat Pat. Leo *in d. Praxi part. pr. formula 2. verſ. Quia iſta Diſpenſatio, pag. mihi 75.*

196 PROLEM EXINDE SUSCIPIENDAM LEGITIMAM NUNCIANDO IN FORO CONSCIENTIÆ, ET IN IPSO SACRAMENTALIS CONFESSIONIS ACTU TANTUM, & NON ALITER.

197 Proles legitimata in Foro Conſcientiæ, non legitimatur in Foro Fori, quia licet per hujuſmodi Diſpenſationem inducatur bona fides in Foro conſcien-
198 tiæ, attamen remanet mala fides, quoad Forum Fori; & proinde, poſita hujuſmodi mala fide, quando detegitur Impedimentum, ſuper quo in Foro conſcientiæ diſpenſatum fuit, ſequitur in Foro Fori Illegitimatio Prolis ſic ſuſceptæ, per declarationem nullitatis matrimonii, ut bene animadvertit idem P. Leo *in d. Praxi part. 2.* poſt declarationem Impedimentorum dirimentium, *verſ. Et hæc bona fides, pag. mihi*
199 237. quia Diſpenſatio facta pro Foro conſcientiæ, non ſuffragatur pro Foro Fori, etiam quoad Legitimationem Prolis, Rota *deciſ. 606. n. 2. par. pr. diverſ.*

200 NULLATENUS SUFFRAGENTUR.

Dictio iſta *Nullatenus* de ſui natura nullitatem actus importat ipſo jure. *Gloſſa in auth. Si qua mulier, verbo Nullatenus, C. ad Vellejan.* quam refert dictus P. Leo *l. c.* Merolla *Diſp. pr. cap. 2. num. 308. part. pr.* Gratianus *Diſcept. forenſ. cap. 195. num. 18.* Lezana *in Summa, verbo* Dictio *num. 26. tom. 3.* ubi docet tollere omnem diſpenſationem, *Suffragentur*, hoc eſt, adjumento ſint, ut explicat *Auth. de Monach. §. penult.*

POSTQUAM OMNEM RECIDIVÆ CON- 201
VERSATIONIS OCCASIONEM ABSTULERIT.

Iſta dictio, *Poſtquam*, inducit conditionem excluſivam præcedentis temporis. Pariſ. *conſ. 31. nu. 83. vol. 1.* Menochius *conſ. 1103. num. 4.* Et nos diximus *cap. præcedenti*; unde Confeſſarius nec debebit, 202
nec poterit ad Abſolutionem, & Diſpenſationem devenire, niſi prius remota fuerit occaſio recidivæ converſationis; animadvertendo præcipue, ne ſimul co- 203
habitent quia maris, & fœminæ cohabitatio, eſt diſpoſitio ad copulam. *cap. Juvenis 3. de ſponſ.* & ne unus alterius domum ingrediatur, quia qui amat 204
periculum peribit in illo. Salomon *Proverb. 3. 47.* & propterea remotæ etiam ſit omnes occaſiones, quæ forte ad complicis domum petendam, ejuſque familiaritatem proſequendam pellebant, neve fiant munera, nec nuncii invicem mittantur, & ſimilia, quæ ſunt occaſiones proximæ ad peccandum.

ABSOLVAS IN FORO CONSCIENTIÆ TAN- 205
TUM.

Hoc eſt quoad Cenſuram, quæ ſpectat ad forum animæ, cujus ſolum eſt Judex ipſe Deus; quia in delictis publicis Laicorum, ut ſunt delicta extra ca- 206
ſus Cenſurarum, major Pœnitentiarius non ſe ingerit, ut bene animadvertit P. Leo *in dicta Praxi part. 1. pag. mihi 8.*

DISPENSANDO COMMUTES. 207

Participat enim ex utroque, nempe ex Commutatione, & Diſpenſatione; quia hujuſmodi commutatio non fit in æquale, ſed eſt quid medium inter Commutationem, & Diſpenſationem, cum ſubrogatio fiat in opus inæquale, & inferioris oneris, & ideo participare debet de Diſpenſatione, & Commutatione.

TAMDIU DURATURA. 208

Ideo ſoluto per mortem Conjugis matrimonio, ſtatim vovens ab adimplendis operibus ſubrogatis liberatur, & reincidit in priorem Voti obligationem; quia per matrimonium ſubſequens non fuit ſublatum præciſe Votum, ſed ſolum illius executio ſuſpenſa. *cap. ex parte 9. de converſ. conjung.*

SECUNDUM DEUM. 209

Hoc eſt ſolum Deum præ oculis habendo, & ſecundum rectam rationem, remotis humanis finibus.

QUOD SI UMQUAM Extra matrimonium for- 210
nicatus fuerit &c. ille, cui commutatum fuit Votum Caſtitatis, non ſolum peccat, quoties extra actus matrimoniales licitos, facit contra votum, ſed facit in ipſomet uſu matrimonii, ut, v. gr. ſi abuteretur Uxore, quia commutatio fit tantummodo ad effectum, ut poſſit, non obſtante voto emiſſo, debitum conjugale licite petere, & reddere; unde extra dictos actus matrimoniales facit contra votum; vide P. Leonem *in d. Praxi*; formula de commutatione Voti Caſtitatis; & ideo de his omnibus debet Confeſſarius monere Latorem in actu commutationis.

AD FINEM UT EA adimplens meminiſſe ſem- 211
per poſſit obligationis &c. ſicut in rebus civilibus, dum res eſt tradenda creditoribus, & non poteſt ſtatim tradi, conficiuntur Tabulæ, pro conſervanda memoria obligationis, *Inſtitut. lib. 3. titulo 14. de obligat. in princ. & ff. de obligat.* ita cum res per Votum Deo creditori ſtatim dari non poteſt, debet per quotidianum adimplementum ex operibus Religionis conſervari memoria obligationis ipſius Voti: Et hæc, tanquam in Praxi magis practicabilia, breviter attigiſſe ſufficiat.

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quot, & quæ sint Impedimenta Matrimonii, & à quibus constitui possint.

SUMMARIUM.

1 *Impedimenta in universum dirimentia matrimonium, quæ sint.*
2 *Sunt in duplici differentia.*
3 *Quædam obstant, ne licite: Alia vero, ne licite, ac valide fiat.*
4 *Impedimenta primi generis prohibent quidem matrimonium; si tamen contrahatur, illud non invalidant.*
5 *Et ideo dicuntur mere prohibentia.*
6 *Impedimenta secundi generis, non solum prohibent, seu impediunt, ne matrimonium licite, ac valide contrahatur.*
7 *Triplici Jure considerari possunt extare impedimenta matrimonii, nempe Divino naturali, & & Divino positivo, & ex Jure humano.*
8 *Quæ sint impedimenta insurgentia de Jure Divino naturali.*
9 *Quæ ex Jure Divino positivo.*
10 *Textus in cap.* Quædam lex 20. caus. 35. quæst. 3. *ponderatur.*
11 *Textus in cap.* Literas 13. de restitut. spoliat. *pariter ponderatur.*
12 *Plures gradus consanguinitatis, vel affinitatis, non procedunt de Jure naturæ, sed tantum de Jure Divino positivo, & quæ.*
13 *Impedimenta antiquæ Legis Mosaycæ cessarunt per novam Legem Evangelicam.*
14 *Et sola præcepta Juris naturalis remanserunt.*
15 *Dispensatione nova opus non esset super impedimentis inductis à Lege Mosayca, nisi à Summis Pontificibus alia impedimenta fuissent inducta.*
16 *Ecclesia dispensare potest super aliquibus impedimentis, ut ex* Concil. Trid. sess. 24. Can. 3.
17 *Impedimenta aliqua non solum impedientia, sed etiam dirimentia matrimonium, induci possunt de Jure humano.*
18 *Matrimonium est naturalis contractus institutus in naturæ officium, & propagationem Communitatis.*
19 *Talis matrimonii contractus subjici potest conditionibus, Principisque dispositioni.*
20 *Et ea ratione, quia matrimonium est contractus civilis, potest irritari, non obstante, quod elevatum sit ad statum Sacramenti.*
21 *Ratio Sacramenti superveniens matrimonium non mutat, sed potius supponit ut materiam humanum contractum.*
22 *Et eo immutato per humanam potestatem, desinit esse materia Sacramenti.*
23 *Quid de Impedimentis inductis, & statutis per Principes infideles, &* num. 24.
25 *Potestatem hujusmodi statuendi impedimenta Ecclesia sibi ipsi tantum reservavit, auferendo eam Principibus.*
26 *Ita ut nullus Princeps sæcularis, neque ipse Imperator, possit statuere talia impedimenta matrimonii.*
27 *Licet possint Principes sæculares condere leges super quibusdam rebus mere temporalibus matrimonio annexis, non tamen concernentibus vim, & substantiam matrimonii.*
28 *Exempla referuntur.*
29 *Constitutiones impedimentorum matrimonii restringunt ipsius matrimonii libertatem.*
30 *Matrimonium est unicuique permissum de Jure naturali, & Divino.*
31 *Impedimenta matrimonii imponi, & statui debent ex justa causa, alias impedimentum non debet attendi.*
32 *Matrimonium enim est permissum de Jure naturali, & Divino, excepto primo gradu consanguinitatis in linea recta.*
33 *Ac exceptis aliis impedimentis.*
34 *Sicut Dispensatio sine justa causa fieri non potest, ita non potest fieri prohibitio sine justa causa super re à jure permissa.*
35 *Episcopi possunt in eorum Diœcesibus, ea omnia, quæ potest Summus Pontifex, nisi sint de reservatis ipsi Pontifici.*
36 *Episcopi antiquis temporibus statuebant impedimenta super matrimonio.*
37 *Nec apparet aliquo Jure fuisse eis sublatam potestatem talia impedimenta statuendi.*
38 *Nihilominus eis talis potestas ablata intelligitur ex longæva, & universali consuetudine.*
39 *Episcopi tenentur studiose vigilare, ut serventur, quæ ab Ecclesia statuta sunt.*
40 *Potest Episcopus, & etiam Parochus, ex aliqua justa*

justa causa impedire, ne intra certum tempus contrahatur matrimonium, vel ad vitandum scandalum, vel causa alicujus discussionis.

41 *Si tamen contrahatur matrimonium, non obstante tali interdicto, valide contrahitur, nisi aliud obstet.*

42 *Secus tamen esset, interdicto, ex justa causa facto à Summo Pontifice, quia invalide contraheretur.*

43 *Dummodo in interdicto Pontificis adsit Clausula irritans.*

44 *Pontifex sicut potest generaliter ex justa causa statuere impedimenta matrimonii, ita pariter ex justa causa prohibere matrimonium certis personis.*

45 *Prout refert* Alex. de Nevo *occurrisse adversus Bernabonem Ducem Mediolani.*

46 *Simplex prohibitio, absque Clausula irritante, non habet vim irritandi matrimonium.*

47 *Causæ matrimoniales spectant tantum ad forum Ecclesiasticum.*

48 *Quod verum est in Causis matrimonialibus inter fideles, secus inter infideles subjectos Principibus fidelibus.*

49 *Causæ matrimoniales spectant tantum ad Episcopos, & non ad inferiores Prælatos.*

50 *Impedimenta matrimonii non solum possunt ab Ecclesia induci, sed etiam ex consuetudine.*

51 *Quod intellige de consuetudine inducta, non à Laicis simpliciter, sed de mista Laicorum, & Clericorum.*

52 *Potest pariter ex consuetudine tolli impedimentum ab Ecclesia inductum.*

53 *Consuetudo sicut habet vim novam legem inducendi, ita vim habet legem antiquam abrogandi.*

54 *Consuetudo, quamvis reprobetur à lege, potest adhuc ipsamet lex per sequentem consuetudinem tolli.*

55 *Consuetudo non potest habere vim dissolvendi matrimonium jam rite contractum.*

56 *Etiamsi talis consuetudo adjuvaretur ratione scandali.*

57 *A veritate Juris Divini non est ob scandala recedendum.*

58 *Impedimenta, quæ impediunt matrimonium, quæ.*

59 *Interdicti impedimentum, quid.*

60 *Inferior non potest dispensare super lege Superioris.*

61 *Impedimentum diei, quid.*

62 *Impedimentum criminis, quid.*

63 *Sponsalium impedimentum, quid.*

64 *Sponsalia quibus in casibus dissolvantur.*

65 *Sponsalia contracta sub conditione*, si Papa dispensaverit, *an valida sint.*

66 *Affertur opinio negativa.*

67 *Conditio pendens à voluntate Principis, dicitur impossibilis.*

Quod intelligere, ut num. 84.

68 *Ex conditione impossibili nulla oritur obligatio.*

69 *Quæ non possunt fieri nisi per remedium extraordinarium (ut per Dispensationem) censentur impossibilia.*

70 *Sponsalia contracta sub conditione impossibili, nulla sunt, etiamsi fuerint juramento firmata.*

71 *Juramentum super promissione, cui Jus resistit, nullas vires habet.*

72 *Sponsalia sub conditione impossibili nulla sunt, etiamsi plures expensæ factæ fuerint.*

73 *Et etiamsi virgo deflorata fuerit.*

74 *Talia enim damna sunt per accidens, & alia via possunt reparari.*

75 *Super sponsalibus habitis sub conditione impossibili, est locus pœnitentiæ, ante impetratam Dispensationem.*

76 *Sponsalia post impetrationem Dispensationis super impedimento, requirunt novum consensum.*

77 *Habens Votum Castitatis, & contrahens Sponsalia, si super impedimento impetraverit Dispensationem, nihilominus sunt nulla.*

78 *Affertur opinio affirmativa, scilicet, quod Sponsalia contracta sub conditione*, si Papa dispensaverit, *valida sint, & quomodo.*

79 *Ratio assignatur.*

80 *Actus factus tempore inhabili, & relatus ad tempus habile validus est.*

81 *Tempus illud attenditur, quo Dispensatio debet effectum habere.*

82 *Distingue, dummodo conditio possit reduci ad actum, & ut* num. 83. 84.

85 *Institutio Spurii, facta sub conditione*, si Princeps legitimaverit, *valida est.*

86 *Promittens matrimonium sub conditione*, si Papa dispensaverit, *videtur promisisse se procuraturum Dispensationem.*

87 *Dispensatio est debita, & necessaria, quando postulatur ex justa causa.*

88 *Sponsi non sunt cogendi ad matrimonii celebrationem, quando jurgia, & scandala imminent.*

89 *Matrimonia non libere contracta infelices exitus habere solent.*

90 *Conditio apposita Legato, seu Majoratui, quod succedens debeat ducere in uxorem consanguineam, impetrata Pontificis Dispensatione, valida est.*

91 *Quamvis diceretur, quod consanguinea esset in secundo gradu.*

92 *Licet enim Papa difficiliter dispenset, sufficit, quod sæpe dispenset.*

93 *Dispensatio petita super conditione, & per Papam denegata, tunc illa conditio*, si Papa dispensaverit, *non attenditur, tanquam si non fuisset apposita.*

94 *Legatum factum alicui, si nubat certæ personæ, quæ persona requisita contrahere recusaverit, ex parte Legatarii habetur pro parito, eique Legatam debetur.*

95 *Conditio impossibilis non obligat, sed habetur pro non adjecta.*

96 *Conditio, quod virgo nubere non possit, non tenet, & ratio affertur.*

97 *Secus si fiat conditio, quod virgo non nubat certæ personæ, quia tenet.*

98 *Et quomodo id procedat.*

99 *Illud fieri non posse dicitur, quod honeste fieri non potest.*

100 *Conditio, quod quis nubat arbitrio, vel de consensu alicujus, non tenet.*

101 *Secus tamen, si fiat conditio de nubendo cum consilio alicujus, quia tenet.*

102 *Legatum factum alicui, si nubat, debetur ei, etiam si contrahat matrimonium spirituale.*

103 *Impedimentum Voti intelligitur de Voto simplici Castitatis, & Religionis.*

104 *Episcopus super quibus impedimentis dispensare possit.*

105 *Ob quæ impedimenta non sit opus Dispensatione.*

106 *Impedimenta quædam sunt inducta de Jure civili, super quibus dispensat Imperator, vel inferior Princeps Superiorem non agnoscens, & quæ*, num. 107. 108. 109. & 110.

111 *Impedimenta non solum prohibentia matrimonium, sed & illud dirimentia, quæ.*

112 *Impedimenta sunt aliqua, quæ ultra nullitatem matrimonii, habent etiam annexam excommunicationem.*

IMpedimenta matrimonii in universum sunt illa, 1
quæ obstant, ne matrimonium rite contrahatur; hæc autem sunt in duplici differentia; quædam 2
obstant, ne licite; alia vero, ne licite, ac valide fiat. 3
Impedimenta primi generis prohibent quidem ma- 4
trimonium, si tamen contrahatur, illud non invalidant, & ideo dicuntur mere prohibentia; at im- 5
pedimenta secundi generis non solum prohibent, 6
seu impediunt, ne matrimonium licite, ac valide contrahatur, adeout, si cum illis contractum sit, dirimatur, nullumque, & irritum sit.

Triplici Jure excogitari possunt extare hujusmodi 7
matrimonii impedimenta, nempe ex Jure Divino naturali, ex Jure divino positivo, & ex Jure humano.

Ex Jure Divino naturali insurgunt impedimenta 8
quædam, ex natura rei matrimonium impedientia, & irritantia, qualia sunt, v.gr. error personæ, impo-

tentia

tentia perpetua coeundi, & consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ : Quæ omnia impedimenta vere insurgunt Jure ipso naturæ, ut seorsum suis locis ostendemus.

9 Ex Jure Divino positivo procedunt nonnulla impedimenta instituta in Lege veteri, tradita per Moysem, inter quasdam personas, in nonnullis consanguinitatis, vel affinitatis gradibus conjunctas, quæ in Levit. *c.* 18. his versibus continentur.

Nata, Soror, Neptis, Matertera, Fratris,
& Uxor,
Et Patrui Conjux, Mater, Privigna, Noverca,
Uxorisque Soror, Privigni nata, Nurusque,
Itaque Soror Patris, conjungi Lege vetantur.

Et quamvis aliqui putent omnia dicta impedimenta apposita fuisse tanquam Jure naturali matrimonium dirimentia, immo in dictis gradibus matrimonium inter Christifideles ita prohibitum esse, ut nec à Pontifice in illis dispensari possit, idque colligi videatur ex textu *in cap. Quædam lex* 20. *caus.* 35. *quæst.* 3. ubi Gregorius Papa referre videtur Divinam
10 legem veterem, tanquam in hoc adhuc obligantem, dum ibi ait, Sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare, unde necesse est, ut in quarta, vel quinta generatione Fideles conjungantur ; *& ex*
11 *cap. Literas* 13. *de restit. spoliator.* ubi Innocentius III. supponere videtur, adhuc vigere Divinam prohibitionem de contrahendo matrimonio in quibusdam gradibus, & non posse in illis à Pontifice dispensari ; *& ex capit. Pitacium* 102. *causa* 30. *quæst.* 3. ubi Zacharias Papa referens Levitici legem, ait, *à propria consanguinea jubemur abstinere, &c.* nihilominus certum, & indubium est, plures ex dictis
12 gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, non quidem Jure ipso naturæ, sed tantum Divino præcepto positivo vim habere matrimonium dirimendi, cum lex illa veteris Testamenti, in quantum positiva erat, nullo modo astringat Fideles novæ legis pro-
13 fessores, ex quo impedimenta illa dictæ antiquæ legis Mosaicæ, per novam legem Evangelicam à Christo Domino traditam cessarunt. Filiucc. *qq. mor. tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. Pontius *de Matr.*
14 *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 4. & sola præcepta Juris naturalis remanserunt, & hæc ipsa non ex vi illius Mosaicæ legis, sed solum ex vi ipsius rationis, & ex renovatione Ecclesiasticæ legis, adeo ut in illis, quæ Jure ipso naturali non impediunt, nulla Dispensatio necessaria esset, nisi de novo à Summis Ponti-
15 ficibus talia impedimenta instituta fuissent. Sanchez *de Matr. lib.* 7. *disp.* 5. *n.* 15. Aversa *de Matr. quæst.* 9. *sect.* 1. *vers. Prorsus tamen, & vers. Etiam tamen.* Immo cum dicta antiqua lex per Evangelicam fuerit prorsus sublata, ut diximus, nec astringi ipsos Judæos, qui legem novam susceperint. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 3. *num.* 6. Pontius *l. c.* Aversa *d. sect.* 1. *vers. Sed adhuc dubium*, nisi ante Christi mortem, quando habebant Rempublicam ; aliqua impedimenta statuissent, quia ea possent, etiam hodie perseverare, cum hujusmodi leges per Christi mortem abolitæ non sint. Filiuccius *loc. cit.*

16 Et quod Ecclesia possit in aliquibus ex dictis impedimentis dispensare, dubitari non potest, cum ita definitum fuerit in Sacrosancto Concilio Tridentino *sess.* 24. *can.* 30. ubi loquens de gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, in Levitico expressis, statuit, *Si quis dixerit, Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare non posse, anathema sit.*

Quod attinet ad impedimenta Jure humano inducta, certum etiam est, posse eodem Jure constitui aliqua impedimenta, non solum impedientia, ve-
17 rum etiam dirimentia matrimonium. Filiucc. *d. c.* 1. *num.* 6. Laym. *Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 1. *num.* 2. Bonacc. *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 1. *propos.* 1. *num.* 2. Tusch. *concl.* 69. *num.* 38. *lit. P.* Palaus *tom.* 5. *disp.* 4. *punct.* 1. *num.* 1. & ita concludunt Doctores communiter, & sic est de Fide tenendum, cum fuerint definitum ab eodem Tridentino Concilio *d. sess.* 24. *can.* 4. his verbis : *Si quis dixerit, Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonii, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

Et quidem cum matrimonium sit quidam humanus 18
contractus in naturæ officium, & propagationem communitatis institutus, optime poterit, perinde ac alii contractus, ex ipso Jure humano hujusmodi conditionibus, Principisque dispositioni subjici. Nec ob- 19
stat, quod fuerit elevatum ad statum Sacramenti, quia ejus materia est contractus civilis, eaque ratione potest irritari. Aversa *d. quæst.* 9. *sect.* 1. Filiucc. 20
d. cap. 1. *numer.* 3. Sanchez *de matrim. libr.* 7. *disp.* 3. *numer.* 2. Layman. *libr.* 5. *tractat.* 10. *part.* 4. *d. cap.* 1. *num.* 1. Sicuti enim, ut bene docet idem Laymanus *loc. c.* ratio Sacramenti superveniens, matri- 21
monium non mutat, sed potius supponit ut materiam, humanum contractum ; quo immutato per hu- 22
manam potestatem, desinit consequenter esse materia Sacramenti ; & sic videmus, quod in aliis Sacramentis, quamvis eorum materiam à Christo Domino institutam non possint homines directe, ac per se immutare, possunt tamen destruendo, v. gr. vinum per aquæ, aut aceti infusionem, efficere, ut desinat esse Sacramenti materia.

Et non solum Ecclesia inter Christifideles potest ex justa causa impedimenta impedientia, & dirimentia matrimonium statuere, sed & eadem impedimenta 23
statuere possunt Principes sæculares infideles inter eorum subditos infideles, quia apud ipsos cum non sit Sacramentum, remanet in pura ratione humani contractus, & consequenter ipsius Principis sæcularis potestati subest. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 3. *numer.* 9. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 1. *numer.* 5. *tom.* 3. Filiucc. *Quæst. mor. tom.* 1. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Pontius *de matr. l.* 6. *cap.* 1. *num.* 2. Aversa *de matr. d. qu.* 9. *sect.* 2. Fragosius *de Reg. Christ. Reip. part.* 1. *l.* 2. *disp.* 4. §. 2. *n.* 283.

Ob eandem rationem poterunt etiam Principes Fi- 24
deles suis Subditis infidelibus hujusmodi Impedimenta statuere ; Sanchez *lib.* 7. *disp.* 3. *num.* 5. Pontius *d. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 5. Laymanus *d. cap.* 1. *num.* 2. Immo spectata rei natura, & secluså prohibitione, & reservatione Ecclesiæ, potuissent etiam ipsi Principes Fideles erga eorum Subditos Fideles matrimonii Impedimenta statuere. Filiuccius *d. cap. prim. numer.* 3. Laymanus *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *capit.* 1. *num.* 1. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 3. *num.* 2. *& num.* 4. eo quia matrimonium (ut diximus) est quidam humanus contractus, & subjicitur dispositioni Principis. At Ecclesia hujusmodi Impedimentorum constitutio- 25
nem sibi reservavit, & omnem usum potestatis Principibus Christianis, circa hoc, interdixit ; quod facere potuit, cum in matrimonio sit ratio Sacramenti, quæ est supernaturalis ; Sanchez *libr.* 7. *disp.* 3. *num.* 3. 4. Filiucc. *num.* 4. Laymanus *num.* 2. Pontius 26
num. 7. 8. *ll. cc.* unde factum est, quod nullus Princeps Sæcularis, comprehenso etiam ipso Imperatore, possit suis Subditis fidelibus impedimenta Matrimonii statuere. Cævallos *quæst. comm. contra communes quæst.* 58. *num.* 10. Laymanus *l. c. num.* 2. Possunt quidem Principes Sæculares condere quasdam Leges 27
de quibusdam rebus mere temporalibus matrimonio annexis non tamen ipsius vim, & substantiam concernentibus, ut de Dote, Donationibus inter Virum, 28
& Uxorem, de Sponsalitia largitione, & similibus, prout etiam possunt Leges Ecclesiasticas coadjuvare, addendo v. gr. pœnas eorum transgressoribus. Aversa *l. c.* ac etiam possunt circa matrimonium statuere, si Ecclesia id eis concedat. Aversa *l. c.* Fragosius *numer.* 184. l. c.

At quia per constitutionem hujusmodi Impedimen- 29
torum restringitur libertas matrimonii, quod est Jure naturali, & Divino unicuique permissum ; San- 30
chez *lib.* 7. *disp. prim. num.* 4. ideo ad hoc, ut valide, & licite Impedimenta constituantur, necessaria est justa causa, qua deficiente, non possunt Subditi 31
valide astringi, nec eorum libertate privari. Sanchez *libr.* 7. *disp.* 1. *num.* 6. Pontius *libr.* 6. *cap.* 3. *numer.* 1. Aversa *d. quæst.* 9. *sect.* 4. *in princ.* Diana *part.* 8. *tract. prim. ref.* 61. Trullenck *d. Dubio prim. num.* 2. Matrimonium etenim est conjunctio Jure Naturali, ac Divino cuicunque concessa, excepto primo gradu 32
con-

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

consanguinitatis in linea recta, exceptisque aliis Im-
33 pedimentis, Jure ipso naturali dirimentibus, unde non videtur posse pro arbitratu interdici in ulterioribus Gradibus, nisi ex causa justa; & sicut Dispen-
34 satio in his, quæ sunt de Jure naturali, vel Divino, sine justa causa irrita est, ut probabimus *lib.* 3. *c.* 1. ita prohibitio in re eodem Jure concessa, si sine justa causa fiat, irrita erit, ut bene explicant, & docent Sanchez *lib.* 7. *disp.* 1. *num.* 6. Filiuccius *loc. c. numer.* 7.

Quod adeo verum est, ut ne hujusmodi Impedimenta arbitrio Prælatorum, & absque gravi causa imponantur, Ecclesia sibi Impedimenta prædicta reservaverit: itaut nonnisi ab ipsomet Summo Pontifice statui possint. Laymanus *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *cap.* 1. *num.* 4. Filiuccius, & plures alii, quos infra *c.* 2. *n.* 1. citabimus.

35 Unde quamvis Episcopi in eorum Diœcesibus, pro recta earum gubernatione, ea omnia possint, quæ in universali Ecclesia potest Summus Pontifex, nisi fuerint ipsi Pontifici specialiter reservata; Barbosa *de Offic. & potestate Episcopi Allegat.* 33. *num.* 18. Sanchez *libr. prim. disp.* 61. *numer.* 3. *& lib.* 7. *disp. prim. numer.* 9. Pontius *libr.* 6. *cap.* 1. *numer.* 12. Trullenck
36 *numer.* 4. Filiucc. *numer.* 10. Paulus *num.* 2. *ll. cc.* & quamvis ipsi etiam plura Impedimenta antiquo tempore constituerint, ut testantur Pontius *loc. citat.* & Diana *part.* 8. *tract.* 1. *resol.* 76. nec ullo Jure Divi-
37 no, naturali, vel Canonico appareat fuisse eis hanc potestatem sublatam; nihilominus certum est, eis amplius id non licere, quia ex longæva, & univer-
38 sali consuetudine, & fortasse etiam ex aliqua Lege scripta, in Corpore Juris non inserta, factum est, ut ipsi soli Pontifici, qui est totius Ecclesiæ Catholicæ Caput, & soli Concilio Generali, quod Ecclesiam universalem repræsentat, hujusmodi potestas matrimonii Impedimenta statuendi, & inducendi, reservata sit, & ob id non possint Episcopi, nec alii, ulla Impedimenta, præter communia totius Eccle-
39 siæ, statuere, quamvis teneantur studiose invigilare, ut quæ ab Ecclesia statuta sunt, observentur, & custodiantur; ita Sanchez *libr.* 7. *disp.* 1. *numer.* 9. Filiuccius *loc. c. numer.* 10. *in fine*. Pontius *d. cap.* 1. *numer.* 12. Laymanus *libr.* 1. *tractat.* 10. *part.* 4. *numer.* 4. Aversa *de matrim. quæst.* 19. *sect.* 3. *vers. Ni-*
40 *hilominus*; & ideo solum poterunt Episcopi in aliquo particulari casu injungere, ut per aliquod tempus Matrimonium inter certas personas non contrahatur, si sic judicaverint expedire, vel ad aliquod scandalum vitandum, vel interim discutiendum, an inter contrahere volentes adsit aliquod Impedimentum. Sanchez *d. lib.* 7. *disp.* 6. *numer.* 6. Aversa *d. sect.* 3. *vers. Bene tamen*. Pontius *libr.* 6. *cap.* 7. *nu-*
41 *mer.* 2. Si tamen, dicto interdicto non obstante, matrimonium contrahatur, validum erit, si nullum aliud obstet Impedimentum. Aversa *loc. c* & nos in-
42 fra dicemus. Aliter tamen esset dicendum, si ipse Summus Pontifex juste interdiceret certum virum, & certam fœminam, ne simul contraherent, vel cum aliqua persona non contraherent, reddendo illos prorsus inhabiles ad Matrimonium contrahen-
43 dum; quia si tali interdicto, & prohibitioni adsit Decretum irritans, non poterunt sic Interdicti, & Impediti Matrimonium contrahere; & si contrahant, nullum, & irritum erit, quia sicut ex ju-
44 sta causa potest ipse Pontifex generali Lege statuere Impedimenta Matrimonii pro omnibus personis, ita poterit ex justa causa certis personis prohibere ne contrahant, ipsasque perpetuo reddere inhabiles ad contrahendum. Aversa *d. sect.* 3. *in fine*. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 2. *numer.* 12. Pontius *libr.* 6. *c.* 3. *numer.* 3. Tuschus *concl.* 136. *numer.* 2. *Litera M.* Laymanus *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 1. *numer.* 4. Trullenck *l.*
45 *c. numer.* 3. & ita contra Bernabonem Vicecomitem Mediolani Ducem, & ejus filios Ecclesiæ rebelles, factum fuisse refert Alex. de Nevo *in c. Tuas, de sponsa duorum*.

46 Dixi, si prohibitioni Pontificis addatur Decretum irritans, quia simplex prohibitio non haberet vim irritandi Matrimonium. Filiuc. *d. c.* 2. *numer.* 11. Gutierez *de matrim. c.* 61. *num.* 56. Sanchez *libr.* 7. *disp.* 2. *num.* 10. Pontius *lib.* 6. *c.* 7. *num.* 5. Coninck *disp.* 30. *n.* 11.

Et non solum constitutionem Impedimentorum Matrimonii sibi Ecclesia reservavit, ut supra, verum etiam omnes Causas Matrimoniales ad Forum Ec- 47
clesiasticum spectare edixit, & sic ex dispositione Concilii Tridentini *sess.* 24. *can.* 12. sancitum fuit his verbis: *Si quis dixerit, Causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit*, & sic decrevit ob dignitatem Sacramenti, ad quarum Ma- 48
trimonium fuit elevatum. Intellige tamen de Causis matrimonialibus inter Fideles vertentibus, quia inter Infideles, quamvis etiam subjecti sint Principibus Fidelibus, non pertinent ad Judices Ecclesiasticos, sed Laicos, cum sint contractus mere temporales. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 3. *num.* 9. Filiuccius *nu.* 4. *l. c.* Advertas tamen, hujusmodi Causas matrimo- 49
niales esse solis Episcopis reservatas, unde ad Prælatos inferiores non spectant, *capit. Multorum* 35. *quæst.* 6. *cap. Accedentibus, de excess. Prælat.* Fragosius *de Regim. Christ. Reip. part. prim. lib.* 3. *Disp.* 6. *num.* 126.

Cæterum non solum ab Ecclesia constitui possunt 50
impedimenta matrimonii, sed etiam ex consuetudine induci; constat *ex c.* 1. *& c. super eo* 3. *de Cognat. Spiritual.*

Id tamen verum puto si hujusmodi consuetudo 51
sit mista, scilicet Laicorum, & Clericorum; cum sola Laicorum consuetudo sufficiens non sit ad abrogandas Leges Ecclesiæ, ut bene Sanchez *libr.* 7. *Disp.* 4. *num.* 11. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 16. *circa finem*. Stephanus à S. Greg. *de Vinculis D. Pietri lib.* 3. *cap.* 102. *num.* 4. Trullenck *loc. cit. num.* 9. Sic è converso poterit ex huiusmodi consuetudine mista tolli aliquod impedimentum di- 52
rimens, alioquin Ecclesiastica Lege constitutum; ita expresse defendunt Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 4. *numer.* 14. Gutierez *de Matrim. cap.* 101. *num.* 6. Coninck *de Sacramentis Disp.* 30. *Dub.* 1. *concluf.* 6. *numer.* 13. Pontius *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 6. Bonaccina *de Matrim. quæst.* 3. *puncto prim. num.* 7. 8. Molfesius *tom.* 1. *part.* 1. *quæst.* 5. *num.* 67. Filiucc. *d. tract.* 10. *cap.* 1. *numer.* 18. Stephanus à S. Gregor. *de Vinculis Div. Pet. lib.* 3. *cap.* 102. *num.* 4. Trullenck *l. c.* (quidquid plures alii Doctores disentiant) Ratio est, quia sicut ex 53
regula generali, & communiter recepta vim habet consuetudo novam Legem inducendi, ita & vim habet antiqua abrogandi; immo quamvis per ipsam Legem consuetudo reprobetur, potest adhuc ipsa- 54
met Lex per sequentem consuetudinem abrogari. Sanchez, Coninck, & Pontius *ll. cc.* non tamen po- 55
terit consuetudo, quamvis legitime introducta, vim habere dissolvendi matrimonium jam rite contra- 56
ctum, quamvis etiam dicta consuetudo adjuvaretur ratione scandali in illo intervenientis. Filiuccius *loc. cit. num.* 14. Trullenck *d. nu.* 9. Bonaccina *d. punc-* 57
to 1. *num.* 8. quia non est recedendum à veritate Juris Divini ob scandalum. *Cap.* 2. *De novi operis nunciatione*.

Demum, ut ad particularia descendamus, Impe- 58
dimenta solum impedientia Matrimonium, sunt infrascripta, quæ sequenti carmine explicantur.

Interdico, Dies, Crimen, Sponsalia, Votum.

Ex his tamen Impedimentis nonnulla jam recesserunt usu, & ex generali consuetudine fuerunt penitus sublata, ut dicemus infra, & docent Sanchez *lib.* 7. *disp.* 17. *num.* 8. Coninck *Disp.* 30. *dub.* 3. *num.* 26. Aversa *de Matrim. quæst.* 16. *sect.* 3. *vers. At ergo in fine*. Barbosa *de Jure Eccles. univers. lib.* 1. *cap.* 11. §. 6. *num.* 185. Bonaccina *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 15. *num.* 3. & propterea cum super illis non requiratur Dispensatio, non est, quod in illorum explicatione diu moremur, sed sat erit illa quam brevissime explicare, & solum de dirimentibus seorsum, suis locis agere.

INTERDICTUM Ecclesiæ est, si Ordinarius cer- 59
tis personis ob justam causam interdicat, ne simul contrahant. *Cap. Cum inhibitio, de clandest. desponf. & cap. Tua fraternitas* 4. *de sponf.*

At

At si Summus Pontifex, vel alius Superior Episcopo interdixit, non potest Episcopus dispensare, cum
60 non possit Inferior in Lege Superioris dispensare: *Clem. ne Romani, de election. cap. Inferior, Dist.* 21. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 17. *num.* 14. Si Episcopus, vel ipse inferior interdixerit, poterit Episcopus dispensare. Bonaccina *de Matr. q.* 3. *puncto* 14. Barbosa *de Jur. Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 11. §. 6. *n.* 182.

61 DIES; hoc est tempus Feriarum, quibus Nuptiarum solemnitates interdicuntur, nempe ab Adventu Domini, usque ad diem Epiphaniæ; & à Feria quarta Cinerum, usque ad Octavam Paschatis inclusive, ut ex Decreto Tridentini Concilii *sess.* 24. *cap.* 10. *de Reform. Matrimonii.*

62 CRIMEN; intellige de quibusdam Criminibus, ob quæ, quasi pœnitentiæ loco, abstinentia à conjugio antiquis temporibus decernebatur; quorum primum est Uxoricidium, de quo in *cap.* 8. *Admonere te* 33. *q.* 2. Secundum est, Presbytericidium, *cap. Qui Presbyterum* 24. *causa* 17. *quæst.* 4. Tertium est, Matrimonium cum Moniali scienter contractum, *cap. Hi ergo* 13. *causa* 27. *quæst.* 1. Quartum est, si quis in fraudem usus conjugalis propriam prolem susciperet, *cap. de eo, quod* 5. *Causa* 30. *q. prima.* Quintum est, dum quis ob aliquod peccatum pœnitentiam publicam peragere debuit, *cap. De his vero* 12. *causa* 33. *quæst.* 2. Sextum, Raptus Sponsæ alienæ, *cap. Statutum est* 34. *Causa* 27. *q.* 2. Septimum, & ultimum est, Incestus cum Consanguinea Conjugis, aut Sponsæ adhuc viventis, *cap. pr. & Secundo, & cap. Transmissa* 4. *De eo, qui cognovit:* quod ultimum Impedimentum per Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform. Matrimonii* fuit ad primum, & secundum gradum restrictum.

63 SPONSALIA, ea nempe, quæ cum alia persona, quam cum illa, qua cum quis contrahere intendit, sunt legitime contracta, nisi, justa causa, dicta priora dissoluta, vel aliter nulla sint; quod si valida sint, nec ab altero primo Sponso remissa, nullus alius (Papa excepto) in aliis dispensare poterit. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 12. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. Aversa *de Matr. q.* 19. *sect.* 2. *vers. Primo, in Impedimentis.* Sanchez *lib.* 1. *Disp.* 61. *n.* 3. *& lib.* 7. *Disp.* 17. *num.* 13. quia cum eo casu agatur de præjudicio tertii, & de alieno jure tollendo, nullus, præter Supremum Principem, tollere potest.

Quod si post Sponsalia priora valide contracta, quis etiam maritali affectu copulam haberet cum ea, cum qua secundo Sponsalia contraxisset, nihilominus priora tenerent. Filiuccius *d. cap.* 8. *n.* 273. Bonaccina *de Matr. quæst.* 1. *puncto* 5. *num.* 9. Marius Antoninus *var. Resol. lib.* 1. *resol.* 79. *num.* 3. Si autem Sponsalia cum prima contrahat, & Matrimonium cum secunda ineat, tenebit Matrimonium, nisi aliqua causa sit invalidum, quia hoc est forus vinculum. Laymanus *loc. cit. num.* 5. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 271. Bonac. *de Matrim. d. q.* 1. *puncto* 7. *n.* 1. Francisc. Leo *in Thes. Fori Ecclesiastici part.* 2. *cap.* 9. *n.* 28.

Hæc autem Sponsalia, ad hoc, ut super illis petenda sit Dispensatio à Pontifice, debent esse valida; unde si ante septennium expletum contracta fuissent, invalida essent, *cap. Literas* 4. *& cap. Accessit* 5. *de Desponsat. impub.* si tamen expleto septennio ratificarentur, convalescerent. *Glossa d. cap. Litteras* §. *Placere*, & colligitur ex *dict. cap. Accessit, & c. Duo pueri* 12. *eodem titulo.*

64 Pluribus tamen casibus Sponsalia dissolvuntur, qui *in Glossa fin. cap. Sic quippe* 45. *Causa* 27. *q.* 2. adnotati sunt, & his versibus continentur:

Lepra superveniens, Furor, Ordo, Sanguis, & Absens,
Læsaque Virginitas, membri damnum, minor Aetas,
Hæresis & lapsus, Fideique remissio, prorsus
Sponsos dissociant, & Vota futura retractant.

Magna, & quidem valde difficilis quæstio est in-
65 ter Doctores, an Sponsalia inter Impeditos contracta sub conditione, *si Papa dispensaverit*, valida sint, & teneantur Impediti Dispensationem impetrare.

Negant Raphael Aversa *de Matrim. q.* 8. *sectione* 5. 66
vers. Potius tamen. Barbosa *in Votis Canonicis lib.* 2. *Voto* 52. *num.* 34. Francisc. Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 2. *cap.* 9. *nu.* 17. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 290. Rota in posthumis Farinacii *decis.* 778. *n.* 5. *part.* 1. Mandosius *ad Reg. Canc. Reg.* 32. *quæst.* 31. *num.* 11. *& num.* 12. Vivaldus *in Candelabro part.* 1. *ubi de Matrim. num.* 55. Marcus Antonius Cucchus *Instit. Mor. lib.* 11. *tit.* 11. *num.* 6. & hanc opinionem probabilem ait Sanchez *lib.* 5. *disp.* 5. *num.* 5. in fine; & ducuntur; tum quia petere dispensationem à Pontifice super Impedimento ab Ecclesia instituto, & ex ea Dispensatione contrahere, est alienum à jure communi, & minus optabile in Ecclesia, cui sane erit gratius sua Impedimenta servari, & hujusmodi Dispensationes non peti, nec talia Matrimonia inter sic impeditos contrahi, tum etiam, quia dicta condi- 67
tio Sponsalibus adjecta, *si Papa dispensaverit*, cum pendeat à voluntate Principis jus mutantis, censetur impossibilis, *l. Inter stipulantem* 83. §. *Sacram. & l. continuus* 137. §. *Cum quis eisdem ff. de verborum obligat.* Tuschus *conclus.* 126. *n.* 11. *Lit. M.* cum 68
ergo ea conditio impossibilis sit, nulla exinde oritur obligatio, *l. Impossibilium ff. de Reg. Juris, cap. Nemo* 6. *de Regulis Juris in sexto.* Ludovicus Beja *Respons. Cas. conscient. part.* 1. *cas.* 54. *vers. Ostendit.* Alexander Sperell. *decis.* 171. *nu.* 44. Ea etenim, quæ 69
non possunt fieri, nisi per remedium extraordinarium (ut per Dispensationem) censentur impossibilia. Man- 70
dos. *l. c. num.* 12. Simon de Pretis *de Interpretat. ult. volunt. lib.* 4. *fol.* 5. *num.* 8. & propterea hujusmodi Sponsalia nulla esse, quamvis juramento firmata fuerint, docent multi Doctores, quos refert Sanchez *citata Disp.* 5. *nu.* 6. quia cum promissio illa 71
prohibita sit, eique jus resistat, juramentum nullas vires habet, immo, & nulla esse hujusmodi Sponsalia, quamvis ex causa illius promissionis multæ ex- 72
pensæ factæ fuissent, & virgo defiorata, cum hæc 73
damna sint per accidens, & possint alia via reparari, ut 74
docent Sotus, Henriquez, & Capua à dicto Sanchez *l. c.* relati, unde ante impetratam Dispensationem 75
esse locum pœnitentiæ, dicunt Rota cor. Durano *decis.* 397. *num.* 15. *& num.* 16. Mantica *decis.* 201. *num.* 3. & novum consensum post dictam impetra- 76
tionem requiri, docet Joann. Valer. *de Diff. utr. Fori, verbo Matrimonium, diff.* 7. Vivaldus *l. c.* Rota in Posthumis Farinacii *part.* 1. *decis.* 578. *num.* 6. Rota *decis.* 616. *numer.* 2. *part.* 1. *divers.* Tuschus *conclus.* 126. *num.* 12. *Lit. M.* Mantica *l. c. num.* 4. & alii plures, quos refert Sanchez *d. Disp.* 6. *num.* 11. qui *lib.* 1. *Disp.* 10. *num.* 6. dixerat, quod si astrictus 77
simplici Voto Castitatis Sponsalia cum aliqua fœmina contraheret, quamvis postea Dispensationem super Voto obtineret, ipsa Sponsalia nihilominus sunt, & remanent nulla, & ideo novo consensu opus est; quod idem novissime confirmat Thomas Pelliccionius *Quæst. Illustr. quæst.* 19. *cap.* 7. *pag. Mihi* 135. *col.* 2. *circa medium.*

Alii ex adverso ea Sponsalia valida existimant, 78
non tanquam omnino absoluta, sed tanquam conditionalia, sic Bonaccina *de Matr. quæst.* 1. *puncto* 7. *propos.* 2. *num.* 9. Coninck *Disp.* 24. *dub.* 1. *num.* 18. Pontius *de Matrim. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. Gutierez *Can. quæst. lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 11. *&* 12. Sanch. *lib.* 5. *dicta disp.* 5. *num.* 12. Ratio est, quia horum 79
Sponsalium effectus differtur, & prorogatur ad tempus, quo Sponsalia ipsa licita erunt, dum non ade- 80
rit Impedimentum; actus namque tempore inhabili factus, sed relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili, *l. In tempus ff. de hæred. instit. &* proinde tempus attenditur, quo Dispensatio sumere 81
debet effectum. Lælius Altogradi *cons.* 95. *num.* 99. *lib.* 2. Fusarius *de substitut. quæst.* 318. *n.* 61. Marant. *Resp.* 13. *num.* 77. *part.* 1. & faciunt dicta à Nicol. Genua *tract. de Enunciativis lib.* 2. *quæst.* 6. *nu.* 19. ab Augustin. Barbosa *num.* 47. & à Rota *decis.* 27. *num.* 4. *part.* 4. *recent.*

Tu tamen distingue, si super Impedimento, à quo 82
peten-

petenda est Dispensatio, Papa dispensare non potest, ut inter Patrem, & Filiam, Fratrem, & Sororem, tunc conditio vere impossibilis est, cum non possit reduci ad actum, & consequenter nulla ex his
83 Sponsalibus oritur obligatio; si vero Papa dispensare potest, licet difficile, & non nisi ex magna causa dispenset, tunc si causa non adsit, ex qua in casu proposito Papa dispensare soleat, adhuc ea conditio reputari debet impossibilis, quia cum justa causa requiratur, ad hoc, ut licita sit Dispensatio, maxime attenta prohibitione Concilii, non debet præsumi, ut velit Pontifex illicite, & cum labe peccati, Dispensationem concedere: at si causa adsit, & talis sit, ut ex ea solitus sit Pontifex in simili Impedimento dispensare, non debet ea conditio censeri impossibilis, sed dicendum est, Sponsalia eo casu valere, modo, quo diximus; & ex illis oriri obligationem, adeo ut neutri liceat, altero invito resilire, sive ante, sive post impetratam Dispensationem; sic bene Doctor Marta *in Vot. decis. Vot.* 50. *num.* 20. Alexander *cons.* 40. *in princip. vol.* 5. Vide etiam Filiuccium *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 142. Tunc etenim ea, quæ dependent à voluntate Principis, dicunt impossibilia, quando
84 concedere non solet; secus autem si concedere soleat. Gamb. *de Offic. & Auctor. Legati*, *lib.* 2. *nu.* 148. Mantica *de Conject. lib.* 11. *titul.* 8. *n.* 17. Doctor Marta *dict. Vol.* 50. *num.* 18. Sanchez *dict. disp.* 5. *num.* 12. innumeros referens.

85 Sic à simili, videmus institutionem spurii factam sub conditione, *si Princeps legitimaverit*, esse validam. Molina *de Primog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 49. *&* 51. Prout & licitos esse tractatus inter litigantes super aliquo Beneficio Ecclesiastico de danda Pensione, vel aliter disponendo de ipso Beneficio, sub conditione *si Papa approbaverit*, ut docent Sanchez *l. c.* Parisius *de Confident. quæst.* 28. *num.* 145. Hieronymus Gigas *de Pensionibus*, *quæst.* 4. *num.* 2. Lotherius *de Re Benef. quæst.* 29. *num.* 166. *lib.* 3. unde in proposito casu concludo, impeditos, qui tali justa causa existente, Sponsalia de futuro inter se sub conditione, *si Papa dispensaverit*, contraxerunt, nullo modo esse excusandos, si Dispensationem à Pontifice non petant, eamque impetrare nitantur. Doctor Marta *l. c. n.* 19. quamvis etiam Pontifex facile concedere non soleat. Parisius *cons.* 433. *n.* 2. Sanchez *l. c. n.* 12. *&* 36. Navar. *lib.* 4. *Consil. titul. de sponsal. tot. consil.* 25. *in prim. Edit.* quia eo ipso, quod
86 quis promisit matrimonium, *si Papa dispensaverit*, videtur promisisse Dispensationem se procuraturum cum in accessorium sit, nec sine ea actus valeret: vide Sayrum *in Floribus lib.* 4. *tit.* 1. *decis.* 29. & proinde cum velit antecedens, censetur etiam velle consequens necessarium. Blas. Michalorius *tract. de Fratrib. part.* 1. *cap.* 27. *n.* 11. Seraph. *dec.* 167. *n.* 1. Redenasch. *cons.* 58. *num.* 81.

Nec obstat ratio, quæ pro contraria opinione principaliter adducitur, nempe, quod petere Dispensationem super impedimento ab Ecclesia institutio, & ex hujusmodi Dispensatione contrahere, sit alienum à Jure communi: quia id verum esset, nisi causa justa adesset; at quando causa postulat, est debita, &
87 aliquando necessaria Dispensatio, ut diximus *lib.* 1.
88 *cap.* 1. Verum quidem est, quod si à contractu matrimonii scandala, jurgia, vel odia timeantur, Sponsi non erunt cogendi ab Ecclesia ad matrimonii celebrationem, *cap. Præterea* 28. *de Spons. cap. Ex Literis*, *de Spons.* Martinus Becanus *in Summa*, *tom.* 6. *cap.* 43. *quæst.* 35. *numer.* 5. Francisc. Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. Rota inter decis. impressas post prim. volum. Consil. Farinaccii, *decis.* 107. *n.* 2. Rota in Posthumis ejusdem Farinaccii *part.* 2. *decis.* 246. *n.* 6. Marius Anto-
89 ninus *Var. Resol. lib.* 1. *resol.* 79. *n.* 2. quia cum matrimonia debeant esse libera, ut diximus, si coacte fiant, infelices exitus habere solent. *cap. Requisivit* 17. *de Spons.* Rota *post d.* 1. *volum. Consil. Farinacii*, *dec.* 69. *n.* 16. *ll. cc.*

90 Ex dictis infertur, validam esse conditionem Legato, seu Majoratui à Testatore appositam, ut legatarius, vel succedens in Mejoratu, ducat consanguineam, impetrata Pontificis Dispensatione. Sanchez *d. disp.* 5. *num.* 19. Fontanella *de Pactis Nupt. tom.* 2. *Claus.* 6. *Gl. ossa* 3. *part.* 4. *n.* 54. Molfes. *conf.* 12. 91
num. 9. *tom.* 1. quamvis diceretur, quod consanguinea esset in secundo gradu. Sanchez *n.* 20. Molfesius 92
num. 13. & Fontanella *ll. cc.* quia licet in eo gradu Papa difficile dispenset, sæpe tamen dispensare solet, maxime si justa causa adsit, ut supra diximus; si tamen post adhibitam diligentiam pro inpetratione 93
Dispensationis, Papa dispensare noluerit, tunc dicta conditio tanquam impossibilis rejicitur, & nihilominus Legatum, seu Majoratus debentur, perinde ac si ea conditio non fuisset apposita. Soarius *super Institut. lib.* 2. *tit.* 20. *de Legatis*, §. *Quibus modis Legata relinquantur*, *num.* 12. Tuschus *conclus.* 591. *num.* 1. 2. *&* 3. *lit. C.* Fontanella *l. c.*

Simili modo si conditio à legante apposita, esset de 94
nubendo certæ personæ, & hæc requisita, contrahere recusaret, adhuc ex parte legatarii censebitur paritum, & proinde legatum eidem debebitur, quia per ipsum non stetit, quin adimpleverit. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 33. *numer.* 13. Philippus Paschalis *de Viribus Patriæ potest. part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 16. Fontanalla *num.* 42. *loc. cit.* Becanus *in Summa*, *tom.* 6. *cap.* 43. *quæst.* 17. *num.* 8. quia conditio impossibilis non obligat, sed 95
pro non abjecta habetur. Sanchez, Filiuccius, Reginaldus, & alii, quos propterea *cap.* 8. citabimus.

Nec pariter tenebit conditio absolute apposita, ut 96
quis nubere non possit, cum hujusmodi conditio de Jure habeatur impossibilis, & contra bonos mores, quia modus, vel conditio inducens viduitatem in virgine, nempe probibens ne nubat, rejicitur. Tuschus *conclus.* 592. *num.* 3. *&* 10. *lit. C.* Becanus *d. quæst.* 17. *num.* 3. *vers. Hæc secunda conclusio*, & nihilominus legatum debetur. Becanus *l. c. quæst.* 18. *num.* 3. Dixi, rejici conditionem prohibentem, ne virgo nubat, quia admittitur in viduo, in eunuchis, & aliis impotentibus ad generandum, sic etiam favore Piæ Causæ, ut si legetur fœminæ, etiam virgini, aliquid, si non nupserit, & si nupserit, devolvatur ad Piam Causam; vel si prohibeantur nuptiæ ad certum tempus, vel respectu aliquarum personarum; vide Sanchez *lib.* 1. *disp.* 34. *num.* 29. At si pro- 97
hibito fieret ne nuberet certæ personæ, teneret. Soarius *super Instit. lib.* 2. *tit. de legatis*, §. *Quibus* 98
modis legata relinquantur, *num.* 13. Tuschus *d. conclus.* 592. *num.* 1. Intellige tamen, ut teneat hujusmodi prohibitio, si honeste dictæ certæ personæ nubere possit, alias sit rejicienda. Mantica *de Conject. lib.* 11. *titul.* 18. *n.* 5. illud namque dicitur non posse fieri, quod honeste fieri non potest *l. si ita legatum*, *ff. de condit. & demonstr.* Fragosius *de Regim. Christ. Reip. part.* 1. *lib.* 3. *disp.* 6. *n.* 86. Becanus *in Summa*, *tom.* 6. *cap.* 43. *quæst.* 17. *num.* 3. *vers. Hæc secunda conclusio*. *l. quoties* 22. *l. cum tale* 71. *& l. Titia*, *si non nupserit*, *ff. de condit. & demonstrat.* quia Reipublicæ interest, ut multis ex matrimonio procreatis augeatur, *l.* 2. *C. de in dicta viduitate*.

Nec tenebit conditio, ut nubere teneatur cum con- 99
sensu, vel arbitrio alicujus. Mantica *num.* 8. *loc. cit.* Tuschus *conclus.* 132. *n.* 5. *&* *n.* 33. *lit. M.* Philippus Paschalis *de Virib. Patr. potest. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. quia consensus in matrimonio debet esse liber, nec pendere ab alieno arbitrio; valebit tamen conditio, 100
quod nubat de consilio alicujus, quia tunc deberet requirere dictum consilium, sed non teneretur sequi, & tamen legatum sibi deberetur. Philippus Paschalis *l. c. n.* 10. Menochius, & Marta penes dictum Manticam *d. num.* 16.

Ex dictis infertur, non posse patrem imponere pœnam exhæredationis, vel privationis filiæ, seu filio contrafacienti hujusmodi conditionibus, prohibentibus libertatem contrahendi; poterit tamen instituere 101
filiam cum hac conditione, ut nubat certæ personæ, vel in tali Familia, alias remaneat privata de hæreditate, excepta legitima, quæ ei de jure competit, quia, licet non possit privare filium, seu filiam inobedientem ea portione, quæ sibi de jure debetur (tunc enim diceretur impedire matrimonium,

& dict.

& dict. disposition non valeret, ut diximus) potest tamen illos privare lucro, quod eis concedit, si nubant juxta voluntatem ipsius Testatoris, cum isto casu nil illis auferat, sed potius mediante lucro, videatur ipsos ad matrimonium invitare. Sanchez *lib. 4. disp. 25. num. 1. vers. Tertio quia*. Alex. *cons. 97. num. 3. lib. 1.* Tuschus *conclus. 134. num. 5. lit. M.* Becanus *in Summa, tom. 6. cap. 43. quæst. 17. num. 3.*

Id tamen est singulariter adnotandum, quod le-
102 gatum factum sub conditione *si nubat*, debetur legatariæ quamvis etiam matrimonium spirituale contraxerit. Sanchez *lib. 1. disp. 33. num. 29. d. cap. 2. num. 27.*

De hujusmodi conditionibus, & an, & quando teneant, late inter alios scripserunt Mantica *de Conject. lib. 11. titul. 18.* Tuschus *dicta conclusion. 592. lit. C.* latissime Martin. Becanus *in Summa, tom. 6. cap. 43. quæst. 14. 15. 16. 17. 18. & 19.*

103 VOTUM. Intellige de simplici Castitatis, & Religionis, de quo, cum suo loco late scripserimus, non est, quo hic reperamus.

Prædictis impedimentis impedientibus addi potest Cognatio quædam spiritualis, ea nempe, quæ secundum Juris constitutionem *cap. 2. de cognat. spirit. in 6.* contrahitur ab eo, qui in Catechismo pro persona baptizanda Sacerdoti baptizanti respondet, non autem Baptizatum suscipit in ipso Baptismo.

104 Super prædictis impedimentis Episcopus, regulariter loquendo, potest dispensare, excepto incestu cum consanguinea Conjugis matrimonialiter cognitæ & exceptis sponsalibus, & simplicibus Votis Castitatis, & Religionis. Escobar. *Theol. Mor. tract. 7. exam. 9. cap. 8. num. 12. vers. An in omnibus*. Sanchez *d. disp. 17. num. 15.* Aversa *d. sect. 2. vers. Primo in impedimentis*; immo jamdiu ex generali con-
105 suetudine factum est, ut affectus aliis impedimentis mere impedientibus (prædictis exceptis) non petat Dispensationem aliquam, ut expresse docent Sanchez *d. disp. 17. num. 8.* Navarrus *in Summa, cap. 22. num. 85.* Barbos. *de Jure Eccles. univ. lib. 1. cap. 11. §. 6. num. 185.* Bonaccina *de Matrim. quæst. 3. punct. 15. num. 3.* & nulla sit culpa, si sic affectus matrimonium absque Dispensatione contrahat. Sanchez *loc. cit. num. 9.*

106 Sunt præterea, quædam impedimenta Jure civili inducta, quæ non obligant ad peccatum, & super eis dispensatur ab Imperatore, seu alio Principe Superiorem non recognoscente, v. g. si Tutor ducere vel-
107 let suam pupillam, vel adultam, prohibetur id facere, prout etiam filius ejus, aut nepos, *l. Senat. cons. & sequent. ff. de ritu nupt.* Quæ autem personæ sub ista prohibitione comprehendantur, constat *ex l. Si quis tutor, & l. Non solum, ibidem*; & ratio hujusmodi prohibitionis est, ne matrimonia coacta fiant, & ne pupilla, vel adulta circumscribantur in re familiari ab his, qui rationem ejus gestæ tutelæ reddere compelluntur, *l. Libertus, §. Senat. Consult. ff. de Ritu Nupt.*

108 Si quis insuper Magistratum exercens tempore sui officii, ducere velit aliquam sibi subjectam, id facere prohibetur, *l. unic. C. Si quacunque præditus potestate &c.*

109 Item, si vidua nubere velit ante annum luctus, ratione infamiæ vitandæ.

110 Item si hæc velit priorem dignitatem retinere, ut si prius fuisset Senatori nupta, & postea vellet inferiori nubere, cum retentione hujusmodi dignitatis, debebit id à Principe supremo impetrare, *l. Nuptiæ, ff. de Senatoribus*.

Nec alicui licet impetrare nuptias à Principe, sub pœna deportationis, & aliis contentis in Rubricis *C. Si nuptiæ ex Rescripto petantur*: immo tantum est rapere puellam, quantum Regis beneficio illam postulare, *cap. Nullus 36. quæst. 2.*

Advertas tamen, quod hodie hæ Leges Civiles matrimonium prohibentes sunt à Jure Canonico correctæ, *cap. penult. & ultim. de secundis nuptiis*; quia matrimonia reguntur Jure Poli, non Jure Fori. Lucas de Penna *in l. finali, col. 4. de Incol. lib. 10.*

Alia impedimenta, quæ (sicut diximus) non so- 111
lum impediunt, ne Matrimonium licite contrahatur sed si contractum cum illis sit, dirimunt, ea sunt, quæ sequentibus Versibus continentur,

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si forte coire nequibis,
Si Sponsam rapias, si Clandestinus inibis,

Ex quibus dicta duo ultima impedimenta raptus, & matrimonii clandestini, fuerunt addita à Sacrosancto Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6.*

De dictis impedimentis dirimentibus sunt aliqua, quæ ultra culpam, & invaliditatem matrimonii, habent annexam excommunicationem ipso facto, non 112
tamen reservatam, ut si quis scienter in gradibus prohibitis consanguinitatis, vel Affinitatis, Canonica Constitutione interdictis, contraheret, vel Monialem duceret, vel si ipsa Monialis, vel Religiosus Professus, seu Clericus in Sacris constitutus contraherent, de quibus habetur in *Clementina unica, de consanguinitate*, & de his omnibus impedimentis seorsum, & an, & quando, ac quomodo super illis dispensari possit, infra suis locis agemus.

CAPUT II.

An alius à Papa possit in Impedimentis dirimentibus dispensare.

SUMMARIUM.

1 *Dispensandi potestatem ab impedimentis matrimonium dirimentibus nemo habet, nisi Romanus Pontifex, & Ecclesia, & n. 4.*
2 *Episcopus in sua Diœcesi est Princeps, & habet merum imperium, omnia potest, quæ in universo Orbe potest Pontifex, nisi per Sacros Canones, vel Pontifices fuerint specialiter reservata.*
3 *Episcopus antiquis temporibus impedimenta dirimentia constituebat, & dispensabat in sua Diœcesi.*
4 *Hodie Papæ tantum reservantur.*
5 *Ab impedimentis matrimonii occultis dispensant major Pœnitentiarius, Legati de Latere, Nuntii Apostolici, Commissarii Cruciatæ, Episcopi, & alii, non tamen ex auctoritate propria, & ordinaria, sed delegata à Papa; & quando.*
6 *Prælati omnes sunt Papæ inferiores, & ipse Dei Vicarius.*
7 *Papa, dicitur Petri successor.*
8 *Papa est Episcopus totius Orbis.*
9 *Papa est Pater universalis, & Summus Sacerdos.*
10 *Papa est Pater Patrum.*
11 *Patriarcha Patriarcharum.*
12 *Ordinarius Ordinariorum.*
13 *Papa habet potestatem à Deo, & nullus est ei superior, nisi Deus.*
14 *Papa est Imperator militiæ Christianæ.*
15 *Pontifex sedet in Sede, quam Christus sibi in personam D. Petri, specialiter elegit.*
16 *Est Vice-Deus.*
17 *Non gerit vices puri homines, sed Dei veri in terris.*
18 *Papa potestatem habet, non à Concilio, sed ab ipso Deo.*
19 *Papæ potestati omnes aliæ potestates subditæ sunt, & ipse non judicatur, nisi à Deo.*
20 *Papa solus cognoscere potest de validitate suæ gratiæ.*
21 *Potestatis Papæ comparatio.*
22 *Habet totum Orbem pro Diœcesi.*
23 *Electio Papæ non procedit à Cardinalibus, sed à Deo ipso.*
24 *Electio Papæ, quæ fit à Cardinalibus, non est electio, sed simplex indicium, & signum per-*

sonæ, quam Deus voluit Ecclesiæ præesse, & omnis potestas in talem personam designatam immediate à Christo derivat.

25 *Papa facit idem Tribunal cum ipso Christo.*

26 *Princeps sæculi, & proprie Monarcha, solus Papa dicitur.*

27 *Papa non ligatur Constitutionibus suorum Prædecessorum.*

28 *Quicquid Papa statuit, statuere præsumitur pro bono universali, Spiritu Sancto dictante.*

29 *Causa justa in eo semper præsumitur.*

30 *Papa à nemine judicari potest.*

31 *Est exemptus ab omni humana potestate.*

32 *Appellari non potest à judicio Papæ.*

33 *Si appellaretur à sententia Papæ ad Christum, hæresim sentire videretur.*

34 *Plenitudo potestatis in solo Papa manet, & alii Episcopi dicuntur vocati in partem solicitudinis.*

35 *Papa est par in ordine aliis Episcopis, tamen est Superior in administratione, & jurisdictione.*

36 *Potestas Papæ tanta est, ut si totus Mundus declararet nullam sententiam ejus, nihilominus Papæ judicio standum est.*

37 *Sententia Papæ à nemine potest in terris retractari.*

38 *Nec illi contradicere potest, nec objicere cur ita faciat.*

39 *Papa deponit Reges, & Imperatores, eisque Coadjutores constituit.*

40 *Plura de auctoritate Papæ, & ejus præeminentia referuntur.*

41 *Episcopi, & omnes, ordinaria auctoritate præditi, nihil possunt in his, quæ Pontifex sibi reservavit, sed tantum poterunt, quatenus per Papam, vel Sacros Canones eis concedatur.*

42 *Episcopi in quibus casibus dispensati essent, remissive.*

43 *Hodie eorum potestas in multis est restricta:*

44 *Episcopus dispensare potest in adulterio, & aliis criminibus, ipso adulterio inferioribus.*

45 *Episcopus an possit dispensare in casibus majoribus adulterio, & contra Canones, & Concilia, & quando.*

46 *Pontifex habet plenum Jus dispensandi in toto Jure Canonico.*

47 *Concilii Decreta sunt supposita Confirmationi, & Reformationi Sedis Apostolicæ.*

48 *Episcopus, cum justa causa, quando possit dispensare, & in quibus casibus.*

49 *Facultas dispensandi à lege Superioris, concessa Inferiori, intelligi debet, dummodo adsit justa causa.*

50 *Episcopus dispensare non potest, licet Canon permittat Dispensationem, quando ab eo Episcopus Executor tantum declaratur.*

51 *Dispensare non potest Episcopus in iis, quæ concernunt propriam utilitatem, sed requiritur Dispensatio alterius Superioris.*

52 *Dispensare non potest Episcopus, quando verba Canonum tollunt spem Dispensationis.*

53 *Dispensatio tollitur per verba*, irrevocabiliter, nullo modo, & nullatenus.

54 *Dispensare non potest Episcopus, quando Papa in Canone pœnam imposuit, & sibi eam reservavit.*

55 *Dispensare an possit Episcopus à Decretis Concilii, ac Conciliaribus, scilicet de consilio Concilii à Papa factis, distingue*, n. 56. 57. 58.

59 *Constitutio, quando dicatur Conciliaris, & quando Pontificia, remissive.*

60 *Dispensare potest Episcopus in criminibus, si adsit consuetudo, ut dispenset, nam consuetudo legi æquipollet.*

61 *Consuetudo præscripta dat Jurisdictionem.*

62 *Consuetudo dispensandi facit valere Dispensationes alias non valituras.*

63 *Consuetudo immemorabilis habet vim tituli, & privilegii, etiam in reservatis Principi.*

64 *Consuetudinem immemorabilem habens, dicitur habere meliorem titulum de Mundo.*

65 *Quicquid concedi potest ex privilegio, etiam consuetudine acquiri potest.*

66 *Consuetudo contra Canones inducitur ex lapsu temporis, nec requiritur scientia Papæ, dummodo non sit contra Jus naturale, & Divinum.*

67 *Episcopus ex consuetudine ab omnibus impedimentis matrimonii hodie dispenset, absque eo quod petatur à Pontifice Dispensatio, exceptis aliquibus.*

68 *Dispensare potest Episcopus in materia levi.*

69 *In casibus nimis frequentibus Episcopus dispensare potest in lege Superioris, & de ratione.*

70 *In casibus dubiis potest dispensare Episcopus, cum non veniant sub reservatione.*

71 *Si in casu dubio Episcopus dispenset, veluti in materia Voti; si postea constet de veritate, & certitudine, non erit opus recurrere ad Pontificem, quia jam facta est Dispensatio.*

72 *Dispensare potest Episcopus in impedimento cognationis, ortæ ex baptismo, tempore necessitatis non solemniter collato, &* n. 73.

74 *Dispensare potest in impedimento ob carentiam legitimæ ætatis ad matrimonium præscriptæ, ut illud ineant, dum prope ætatem sunt, & dubium est an malitia suppleat ætatem.*

75 *In Votis Castitatis, & Religionis, Episcopus non potest dispensare, quia Papa sibi reservavit, sed hujusmodi reservatio quomodo intelligenda.*

76 *Votum Castitatis, quando non est integre Castitatis, sed partis, potest cum justa causa Episcopus dispensare, & quæ sint Vota non integræ Castitatis, &* n. seq.

77 *Episcopus dispensare potest in Voto Castitatis, & Religionis, ad tempus emisso.*

78 *In Voto Castitatis conjugalis servandæ, cum non sit absolute Votum Castitatis, Episcopus dispensare potest.*

79 *In Voto facto ab altero ex conjugibus, non petendi debitum, absque consensu alterius emissum, potest dispensari ab Episcopo cum non sit integræ Castitatis.*

80 *Votum non petendi debitum, emissum consensu utriusque conjugis, dispensari potest ab Episcopo, cum non sit Votum Castitatis, & superstes possit matrimonium inire.*

81 *Votum non petendi debitum, non obligat ad non fornicandum.*

82 *Votum non petendi, nec reddendi debitum, emissum ab utroque ex conjugibus, communi consensu, potest dispensari ab Episcopo, cum absolute non sit Votum Castitatis, & uno mortuo, alter possit matrimonium inire.*

83 *Votum Virginitatis servandæ, Episcopus potest dispensare, quando Vovens non intendit se obligare ad Castitatem servandam, sed solum corporis integritatem, intelligendo de primo actu, quo virginitas amittitur.*

84 *Votum non ineundi matrimonium, dispensatur ab Episcopo.*

85 *Votum assumendi Ordinem Sacrum dispensari potest, cum non sit Votum Castitatis.*

86 *In Voto disjunctivo, cujus altera pars sit reservata, & altera non, potest dispensare Episcopus, & quando dicatur Votum disjunctivum.*

87 *Limita tamen, nisi Vovens jam statuisset non eligere partem non reservatam.*

88 *Votum assumendi habitum Beatorum dispensatur.*

89 *Votum ingrediendi strictiorem Religionem potest ab Episcopo dispensari, nempe, ut quis in laxiorem ingredi possit, licet in substantia Religio non possit dispensari.*

90 *Votum perseverantiæ in Religione potest ab Episcopo ex justa causa dispensari, ut in Novitio, secus si desit justa causa.*

91 *Dispensatio super dilatione executionis Voti, scilicet ut impleatur extra tempus præfixum, potest ab Episcopo concedi, dummodo non adsit periculum, ut differendo, Vovens fiat impotens ad implendum.*

92 *Votum Castitatis, vel Religionis sub conditione, vel*

vel in pœnam factum, veluti, si quis vovit Religionem, ut ludum evitaret, potest dispensari ab Episcopo.

93 *Distingue tamen, quando absolute, vel sub conditione factum sit.*

94 *In Voto conditionali Episcopus potest dispensare.*

95 *Si quis habeat Votum Castitatis, & contrahat Nuptias, poterit ab Episcopo dispensari, ut petat debitum.*

96 *Episcopus dispensare valet ad petendum debitum, quando quis jam matrimonio consummato, rem habuit cum consanguinea sui Conjugis.*

97 *Amplia, etiamsi affinitas esset contracta ante matrimonium consummatum.*

98 *Cognatio spiritualis dispensari potest, adeout Conjuges possint petere debitum.*

99 *Votum Castitatis à Conjugibus emissum post matrimonium, an Episcopus dispenset, distingue, usque ad n. 111.*

112 *Juramentum Castitatis, & Religionis potest dispensari ab Episcopo.*

113 *Etiamsi concurrat Votum, & Juramentum.*

114 *Facultas dispensandi Vota extenditur ad illa commutanda.*

115 *Juramenta Castitatis, & Religionis, an sint absolute reservata Pontifici, & quid, quando non cedant in damnum tertii, n. 116.*

117 *Dispensare non potest Episcopus in Voto, & Juramento, facto ad favorem tertii, nisi ipse tertius suum Jus remittat.*

118 *Dispensans potest imponere mulctam Dispensationis.*

119 *Dispensare an possit Episcopus in impedimentis dirimentibus ex aliqua ratione, & quæ requirantur, usque ad n. 125.*

126 *Casus necessitatis non venit sub prohibitione legis.*

127 *Alienari non possunt res Ecclesiæ ex causa necessitatis absque solemnitatibus, etiamsi Prælatus non alienare juraverit.*

128 *Necessitas, ob quam Episcopus movetur ad dispensandum, esse debet urgentissima, & præcisa, & non causativa.*

129 *Episcopus potest dispensare etiam ante contractum matrimonium, ex causa urgenti, & quibus casibus.*

130 *Dispensare an possit Episcopus, etiam ex causa urgentissima, in matrimonio rato, & non consummato, nec contracto publice in facie Ecclesiæ.*

131 *Necessitas urgens, quando, & qualis dicatur.*

132 *Remedia, quæ possint adhiberi ad effectum differendi, absque scandalo, matrimonium contractum, donec habeatur legitima Dispensatio impedimenti occulti dirimentis referuntur, n. 133. 134. & 135.*

136 *Bona fides requiritur inter Contrahentes, ut Episcopus; & alii facultatem habentes, valeant dispensare, qua deficiente, etiamsi omnes qualitates ad dispensandum requisitæ concurrant, non erit locus Dispensationi, n. 134. & quando n. 135. 136.*

137 *Bona fides an requiratur in utroque Conjuge, ut valide dispensentur, vel sufficiat in altero adesse, & quod sufficiat in uno, vide n. 138. contrarium n. 139. prop. n. 141.*

140 *Pronomen*, Si quis, *est genericum, & comprehendit tam masculos, quam fœminas.*

142 *Mala fides in petentibus Dispensationem, quando dicatur adesse, remissive.*

143 *Verbum*, Præsumere, *importat dolum, & temeritatem.*

144 *Ignorantia, quando à dolo excuset.*

145 *Bona fides non dicitur adesse inter Conjuges, etiam impedimentum ignorantes, quando omittunt requisita à Jure, vel ab Ecclesia.*

146 *Quando solemnitates non sunt præmissæ, Episcopus non valet dispensare, nec ab impedimentis occultis.*

147 *Nec potest dispensare, quando denunciationes fuerunt per Dispensationem fraudulentam, & subreptitie extortam dispensatæ.*

148 *Dispensare non potest Episcopus, nec in casibus necessitatis urgentis, & periculi in mora, quando talem Dispensationem prius Pontifex denegasset.*

149 *Dispensandi facultas, quæ ex causa necessitatis in Episcopo præsumitur, intelligitur, ut possit dispensare in foro conscientiæ, & super impedimentis occultis tantum.*

150 *Dispensatio super impedimento occulto, obtenta ab Episcopo, vel Sacra Pœnitentiaria, non prodest, si impedimentum detegatur palam, etiam post contractum matrimonium.*

151 *Parochus tenetur denuntiare ad Ordinarium impedimenta existentia inter Conjuges, licet sciret super eis ab Episcopo fuisse in foro conscientiæ dispensatum.*

152 *Cognitio impedimentorum matrimonii spectat ad Ordinarium.*

153 *Episcopus, qui super impedimento dirimenti occulte pro foro conscientiæ dispensavit, tenetur tanquam Judex super eodem impedimento cognoscere, quando ei denunciaretur in foro externo, & debet Conjuges separare, donec Pontificis Dispensatio habeatur.*

154 *Impedimentum occultum, quando dicatur.*

155 *Facultatem dispensandi ab occultis impedimentis dirimentibus, in casibus necessitatis, Episcopus potest alteri delegare.*

156 *Jurisdictio competens non personæ, sed perpetuæ dignitati, & officio, non dicitur delegata, sed ordinaria.*

157 *Qui potest dispensare, dispensandi facultatem delegare potest.*

158 *Vicarius dispensare non potest ab impedimentis occultis dirimentibus, etiam in casu necessitatis, nisi habeat ab Episcopo speciale mandatum ad hoc.*

159 *Mandatum generale non comprehendit ardua.*

160 *Habenti privilegium dispensandi in casibus Episcopalibus, & Matrimonialibus non competit dispensandi facultas in impedimento dirimenti occulto, etiam in casu necessitatis, quæ tantum Episcopo competit.*

161 *Legatus à Latere potest dispensare in impedimentis dirimentibus occultis in sua Provincia, sicut Episcopus.*

162 *Legatus à Latere habet eandem auctoritatem in sua Provincia ac Episcopus, & est arbitrarium adire pro Dispensatione Legatum, vel Episcopum.*

163 *Si adsit aliquis, qui habeat præcisam auctoritatem dispensandi in impedimento præciso, tunc non poterit adire Episcopum, vel Legatum, & quando non, n. 164.*

165 *Capitulum, Sede Episcopali vacante, habet eandem dispensandi facultatem ac Episcopus in impedimentis occultis dirimentibus, in casu urgenti.*

166 *Licet Vicarius, & Capitulum, Sede Vacante, non possit ab Irregularitatibus, & Impedimentis occultis dispensare.*

167 *Commissarius Cruciatæ, an possit pro foro conscientiæ dispensare eos, qui contraxerunt cum impedimento occulto affinitatis, ex copula fornicaria, & quid requiratur.*

168 *Commissarius Cruciatæ potest legitimare prolem susceptam ex matrimonio hujusmodi, post notitiam cujusque Conjugis de impedimento, quoad Ordines, & Beneficia tantum.*

169 *Commissarius Cruciatæ dispensare potest ab impedimento orto ex affinitate superveniente ad petendum debitum.*

170 *Potestas Commissarii Cruciatæ in quo differat à potestate Episcopi.*

171 *Commissarius non potest legitimare prolem, quæ ex impedimento est illegitima, quando uterque Conjux est in mala fide, nisi dispenset etiam in matrimonio, & matrimonium cum effectu contrahatur.*

172 *Nuntii Hiſpaniæ ſolent habere facultatem à Pontifice diſpenſandi in impedimento publicæ honeſtatis ex ſolis Sponſalibus orto, ante, & poſt contractum matrimonium, & prolem legitimandi.*

173 *Nuntii Hiſpaniæ habent facultatem diſpenſandi in gradibus ultra tertium.*

174 *Nuntii Hiſpaniæ cum Indis diſpenſant in omnibus gradibus Jure Divino non prohibitis, vel conjunctis, vel attinentibus.*

175 *Aliquando etiam diſpenſant in impedimentis dirimentibus poſt matrimonium contractum, ſi occulta fuerint.*

176 *Miſſionarii Regulares diſpenſare valent cum Schiſmaticis ab infidelitate converſis, ut remaneant in matrimonio antea contracto, in gradibus Divina lege non prohibitis.*

177 *Matrimonium contractum ab Infidelibus contra Leges Pontificias tantum, an ſit validum, poſtquam converſi fuerint, & indigeant Diſpenſatione.*

178 *Privilegia conceſſa Religioſis Mendicantibus, ut valeant diſpenſare in aliquibus caſibus matrimonii, & omnia alia privilegia eis conceſſa ante annum* 1631. *an ſint valida, n.* 179. 180.

181 *Facultas aliquibus Piis Locis conceſſa; diſpenſandi in aliquibus caſibus ab impedimentis matrimonii, fuit revocata.*

182 *Epiſcopus, in caſu urgentis neceſſitatis, poteſt diſpenſare à quocunque impedimento per Pontificem diſpenſabili, dummodo concurrant requiſita ſupra expreſſa, & de ratione, n.* 183.

184 *Epiſcopus quando diſpenſare poſſit ab impedimento ex Voto ſimplicis Caſtitatis, & quæ requirantur.*

185 *Poteſtas Epiſcopi diſpenſandi in impedimento dirimenti, procedit etiamſi plura eſſent impedimenta dirimentia, quando in eis eadem ratio militaret.*

186 *Epiſcopus an diſpenſare poſſit à dictis impedimentis, ſi contrahentes eſſent divites, & quando.*

187 *Paupertas, & ſola inopia, an ſit ſufficiens cauſa, ut Epiſcopus valeat diſpenſare in matrimonio contracto bona fide ab impedimento dirimenti occulto.*

188 *Epiſcopus an teneatur erogare pecunias pro itinere faciendo, ad impetrandam Diſpenſationem ab impedimento inter Conjuges, attenta eorum inopia.*

189 *Diſpenſatio, quæ fit ab Epiſcopo in caſibus permiſſis pro foro conſcientiæ, non eſt neceſſe, ut fiat coram Notario, & teſtibus, nec explicanda nomina Diſpenſatorum, ſed Literæ tacite expediuntur.*

190 *Immo nec requiruntur Literæ, ſed ſufficit Confeſſario intimari.*

191 *Epiſcopus diſpenſando in caſibus, ut ſupra permiſſis, an poſſit imponere aliquam mulctam pecuniariam.*

1 VEra eſt, ac communiter à Doctoribus recepta Concluſio, non adeſſe in tota Chriſtiana Republica poteſtatem diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, præterquam in Romano Pontifice, & Eccleſia. Ita expreſſe docent Lotherius *de Re Benef. lib.* 2. *quæſt.* 48. *num.* 101. Garcia *de Beneficiis, part.* 7. *cap.* 2. *num.* 40. *verſ. Secundo non obſtat.* Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 6. *num.* 14. Pontius *de Matr. lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 1. Filiuccius *Quæſt. Moral. tom.* 1 *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 10. *num.* 302. Hieronym. Gabriel. *conſ.* 21. *num.* 13. & 14. *lib.* 1. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *prope finem.* Rota *deciſ.* 166. *n.* 6. *part.* 2. *recent.* Thomas Pelliccion. *Quæſt. Illuſtr. quæſt.* 6. *cap.* 3. *pag. mihi* 39. *col.* 2. *in medio.* Petrus de Ledeſma *in Summa, cap.* 27. *concluſ.* 1. *in princip.* Joannes Valer. *Diff. Utr. Fori, verbo, diff.* 8. *n.* 1. Covarruv. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. §. 11. *num.* 16. Quam-
2 vis enim Epiſcopus in ſua Diœceſi ſit Princeps, merumque imperium habeat, & ea omnia in illa poſſit, quæ Pontifex poteſt in univerſo Orbe (dummodo per Sacros Canones, vel per ipſum Pontificem prohibita, vel ſpecialiter reſervata non ſint) Boſſius *Moral. var. part.* 2. *titulo* 1. §. 39. *num.* 1264. Moſconius *de Majeſtate Militia Eccleſiæ, lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 8. *lit. C.* Barboſa *de Off. & Poteſt. Epiſc. alleg.* 33. *num.* 16. Trullenck *Oper. Moral. lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 1. *num.* 5. *tom.* 3. 3
& quamvis etiam antiquo tempore Epiſcopi in ſuis Diœceſibus hujuſmodi impedimentum conſtituere, & in eis diſpenſare ſoliti eſſent, ut teſtantur Averſa *de Matrim. quæſt.* 19. *ſect.* 2. *in princip.* Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 76. Pontius *de Matr. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 12. Verricellius *de Miſſionib. Apoſt. quæſt.* 130. *n.* 10. nihilominus poſtquam ipſa impedimenta pro univerſali 4
Eccleſia, ipſius Pontificis auctoritate, generaliter inſtituta fuerunt, utique non poſſunt Epiſcopi, nec alii (Papa excepto) in illis amplius diſpenſare *c. Inferior* 4. *diſt.* 21. *Clem. Ne Romani de electione, & electi poteſtate,* Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 1. *n.* 9. & *lib.* 8. *diſp.* 6. *n.* 14. Trullenck *d. lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 1. *n.* 4. Garcia *de Benef. part.* 11. *cap.* 6. *n.* 344. ubi refert ſic fuiſſe à Sacra Congregatione deciſum. Vinc. Tancredi *de Matr. lib.* 8. *diſp.* 6. *quæſit.* 1. *n.* 8. Pyrrh. Corrad. *in Praxi Diſp. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 7. *nu.* 47. & *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 35. Vellicellius *de Miſſionib. Apoſtolic. quæſt.* 127. *n.* 27. Averſa, Filiuccius *ll. cc.* Ratio eſt, quia Jure communi conſtat de prohibitione graduum, at eodem Jure non conſtat de conceſſione poteſtatis in illis diſpenſandi.

Diſpenſat quidem major Pœnitentiarius in impedi- 5
mentis occultis, diſpenſat in illis Legati de Latere, Nuntii Apoſtolici, Commiſſarii Cruciatæ, & aliquando etiam Epiſcopi, & alii, ut infra dicemus; nullus tamen propria, & ordinaria auctoritate diſpenſat, ſed auctoritate Papæ, vel expreſſe delegata, vel in caſu aliquo neceſſitatis urgentis præſumpta. Barboſa *de Jure Eccleſ. univerſ. lib.* 1. *cap.* 11. §. 6. *num.* 191. ut alibi diximus; cum etenim matrimonii impedimenta ſint Pontificis auctoritate per Sacros Canones ſtatuta, nullus alius poteſt ordinaria auctoritate in illis diſpenſare, cum non poſſit inferior ſe ingerere in his, quæ Superior ſibi reſervavit, ut diximus; omnes autem Catholicæ Ec- 6
cleſiæ Prælati, quacunque, & qualicunque Dignitate fulgent, ſunt Papæ inferiores, cum ipſe ſit omnipotentis Dei Vicarius. Mandoſius *ad Reg. Cancell. Regul.* 14. *quæſt.* 6. *num.* 4. Paccinus *de Viſitatione, part.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 3. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſa* 1. *num.* 20. Pariſ. *conſ.* 68. *num.* 163. *part.* 4. Petri Succeſſor. Iſid. Moſcon. *de Majeſtate Militiæ Eccle-* 7
ſiaſt. lib. 1. *part.* 1. *cap.* 1. Epiſcopus totius Orbis. 8
Gonz. §. 2. *Procem. num.* 46. Pater univerſalis Dominici Gregis, & Ovilis: *Paſce oves meas &c.* Summus 9
Sacerdos. Moſcon. *loc. cit.* Pater Patrum Bellarm. *tom.* 10
1. *lib.* 2. *de Rom. Pontifice, cap.* 31. Marant. *Reſp.* 25. *num.* 88. *part.* 1. Patriarcha Patriarcharum. Maſſobr. 11
de Conc. prælud. pr. n. 22. Ordinarius Ordinariorum. 12
Rota *deciſ.* 623. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* Marant. *loc. cit.* Gonz. §. 2. *Procem. num.* 44. & 45. Marius Antoninus *Var. Reſol. lib.* 1. *reſol.* 86. *num.* 2. Judex univerſalis, Rex Regum, & Dominus Dominantium, 13
cui poteſtas à Deo eſt, & nullus eſt ei ſuperior, niſi Deus *cap. Per Venerabilem* 13. *Qui filii ſint legitimi; cap. Nemo aliorum, cauſa* 9. *qu.* 1. Barboſa *de Jure Eccleſ. univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 91. Rota *deciſ.* 664. *num.* 9. *part.* 2. *recent.* Majolus *de Irregul. lib.* 2. 14
cap. 6. Imperator Militiæ Chriſtianæ. *Innoc. in cap. ultimo, num.* 1. *verſ. Nec mireris de Sacramentis non iterandis.* Lother. *de Re Benef. lib.* 1. *quæſt.* 20. *n.* 38. Gonz. *Gloſſa pr. num.* 22. Summus Pontifex, cum ſe- 15
deat in ſede illa, quam Dominus Noſter Jeſus Chriſtus ſibi in perſonam D. Petri ſpecialiter elegit. Speculator *part.* 1. *lib.* 1. *de Leg.* §. 6. *n.* 51. Vice Deus. Marant. 16
reſp. 1. *num.* 32. *part.* 4. cum vices gerat non puri ho- 17
minis, ſed veri Dei in terris, *cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Epiſc.* Marant. *reſp.* 25. *n.* 88. *part. pr.* Lotherius *lib.* 1. *quæſt.* 11. *num.* 11. Gonzal. *Gloſſ.* 1. *num.* 20. Eſt ſupra Concilium. Leo *in Theſ. Fori Eccleſ. cap.* 8. *num.* 14. Bellarm. *lib.* 2. *de Concilio, cap.* 15. & 17. *tom.* 2. Gonzal. §. 1. *Procem. n.* 62. Caſſadorus *deciſ.* 2. *n.* 4. *de Præbend.* Barboſ. *de Jure Eccleſ. Univ. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 195. quia non à Concilio, ſed ab ipſo Deo poteſtatem habet. Bonaccin. *de*

Leg.

Leg. disp. 1. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 5. *& disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 13. Salas *de Leg. disp.* 8. *sect.* 3. *num.* 21. Molfes. *in Addit. ad quæst. tom.* 2. *in Proœm. quæst.* 1. *num.* 31. cujus potestati omnes aliæ potestates subditæ sunt, itaut à nemine judicetur, nisi à Deo
19 *cap. Solitæ benignitatis, de majorit. & obed.* Speculator *part.* 1. *lib.* 1. *de Leg.* §. 6. *num.* 43. & ita in pluribus Oecumenicis Conciliis, & presertim in Romano, sub Sylvestro Papa, fuit definitum. Ipse so-
20 lus de validitate propriæ suæ gratiæ cognoscit. Lotherius *lib.* 2. *quæst.* 41. *num.* 10. Ejus potestas com-
21 paratur auro, & Imperatoris plumbo. Cævall. *QQ. comm. contra comm. quæst.* 739. *num.* 55. Totum Orbem habet pro Diœcesi. Zerola *in Praxi Episc.*
22 *part.* 1. *verbo Pragmatica*, §. 3. Massorb. *de Conc. prælud.* 23. *dub.* 5. Lother. *lib.* 2. *qu.* 22. *n.* 5. Gonz. *d.* §. 1. *proœm. n.* 8. Molfes. *in Addit. ad Quæstiones*
23 *usuales, part.* 10. *quæst.* 10. *n.* 4. Cujus electio non à Cardinalibus, sed ab ipso Deo procedit. Lotherius *lib.* 1. *quæst.* 46. *n.* 44. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 26. *n.* 193.
24 Marant. *resp.* 25. *num.* 93. *part.* 4. quod enim educitur ex illa electione Sacri Senatus Cardinalium, est simplex indicium, & signum personæ, quam Christus Dominus Ecclesiæ suæ præesse voluit, & omnis potestas immediate ab ipso Christo in talem personam designatam derivat. Paccinus *part.* 1. *quæst.* 3. *n.* 9. Bellarm. *de Controv. Fidei, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. & præsumitur facere unum, & idem Tribunal cum ipso
25 Christo. Paris. *cons.* 68. *n.* 162. *part.* 4. Gonz. *d.* §. 1. *Proœm. nu.* 3. Ricciullus *de Jur. Person. lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 9. Barbos. *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 92.
26 & ipse solus inter Principes sæculi est proprie Monarcha. Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 1. *de Rom. Pontifice,*
27 *cap.* 5. *& cap.* 10. Lotherius *lib.* 2. *quæst.* 23. *n.* 7. Non ligatur Constitutionibus suorum Prædecessorum. Lother. *lib.* 2. *quæst.* 32. *n.* 109. Quicquid ipse statuit,
28 statuere præsumitur pro foro universali, Spiritu Sancto dictante. Lotherius *lib.* 1. *qu.* 11. *n.* 7. & in eo
29 semper causa justa præsumitur. Lotherius *l. c. n.* 8. & à nemine potest judicari, *cap.* 31. *Si Papa* 6. *dist.* 40.
30 *cap. Cuncta per Mundum* 17. *caus.* 9. *qu.* 3. Marant. *resp.* 41. *n.* 29. *part.* 3. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1.
31 *cap.* 2. *num.* 67. cum sit ab omni humana potestate exemptus. Lotherius *lib.* 1. *quæst.* 46. *num.* 23. Et
32 ab ejus judicio appellari non potest, *d. cap. Cuncta per Mundum*. Marant. *Resp.* 1. *num.* 32. *part.* 4.
33 unde si quis ab ejus sententia appellaret ad Christum, hæresim sentire videretur. Barbos. *de Jure Eccles.*
34 *Univers. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 92. habetque ipse solus plenitudinem potestatis. Et alii Episcopi dicuntur vocati in partem solicitudinis, *cap. Multum*, 8. *causa* 3. *quæst.* Lotherius *de Re Benef. lib.* 2. *quæst.* 22. *num.* 25. Et li-
35 cet par illis sit in Ordine, est tamen in administratione, & Jurisdictione major, Bellarm. *Controv. tom.* 1. *lib.* 1. *de Romano Pontifice, cap.* 5. *& cap.* 10.
36 Lotherius *d. quæst.* 22. *num.* 33. Cujus potestas tanta est, ut si Mundus totus declararet, Papæ sententiam esse nullam, tamen ipsius Papæ judicio standum sit, *cap. Nemo judicabit* 13. *caus.* 9. *quæst.* 3. Bellarm. *dict. tom.* 1. *lib.* 2. *de Rom. Pontifice, cap.* 4. *& sequenti*. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *d. cap.* 2.
37 *num.* 70. cum nullus in terris possit ejusdem Pontificis sententiam retractare. Sperellius *decis.* 105. *n.* 82.
38 nec illi contradicere, nec objicere, cur ita faciat. Marant. *d. resp.* 25. *num.* 75. immo ipse Reges, &
39 Imperatores deponat, eisque Coadjutores constituat. Cævallos *Quæst. Commun. contra Commun. q.* 339. *n.* 60. unde de eo exclamant S. Hilarius in Homilia, quæ legi-
40 tur in Festo Cathedræ, 18. Januar. *O Beatus Cœli Janitor, cujus arbitrio Claves æterni, Adytus traduntur, cujus terrestre Judicium præjudicata auctoritas sit in Cœlo*; & D. Bernardus *lib.* 2. *de Consideral.* scribens ad Eugenium Papam; *Tu qui es Sacerdos magnus, Pontifex Summus; tu Apostolorum hæres, Episcoporum Princeps; tu Primatu Abel, tu Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, & Unctione Christus, tu es, cui Claves traditæ, cui Oves creditæ sunt; sunt quidem alii Cœli Janitores, & Gregum Pastores, sed tu tanto glorioſius, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti: habent enim illi sibi assignatos Greges, singuli singulos, tibi universi crediti; nec modo Ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor.* Et tandem concludendo dicere possumus, Pontificem esse cœlestem Arbitrum omnis Dignitatis omnisque potestatis.

Redeundo modo unde merito nuper digressi sumus, cum omnes sint Papa inferiores, non possunt Episcopi, 41
nec alii quicunque, eorum ordinaria auctoritate, in his, quæ Pontifex sibi reservavit, dispensare, sed eatenus poterunt, quatenus eis per Summum Pontificem; vel per Sacros Canones concedatur. Sanchez *lib.* 8 *disp.* 6. *n.* 5. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 8. §. 4. *n.* 178. Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. Garcia *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. *n.* 344.

Et quamvis centum septuaginta tres casus enu- 42
merentur à Speculatore 1. *parte Speculi, titul. de Dispensationib.* §. *Nunc de Episcopis, à n.* 1. *usque ad* 22. quos etiam recensel Sylva *de Benef. part.* 4. *tract.* 4. *quæst.* 7. *à n.* 24. *usque ad nu.* 52. in quibus Episcopus dispensare possit, nihilominus curtu temporis, tum 43
per Tridentinum Concilium, & diversas Summorum Pontificum Constitutiones, tum per Regulas Cancellariæ, & plura Sacræ Congregationis super Episcopis, & Regularibus Decreta, fuit hujusmodi potestas in multis restricta, & coarctata, ut animadvertit Sperellius *decis.* 111. *num.* 24. unde hodie potest Epi- 44
scopus, sua ordinaria auctoritate, solummodo dispensare in adulterio, & aliis criminibus ipso adulterio minoribus, *cap. At si Clerici* 4. *de Judic.* Pontius *de Matr. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 8. Sperellius *decis.* 110. *n.* 49. *&* 52.

Poterit tamen Episcopus etiam in criminibus adul- 45
terio majoribus, etiam contra Canones, & Concilia in nonnullis casibus dispensare; & primo dispensare potest, dum per Canones permittitur Dispensatio, non adjiciendo cui, sed loquendo impersonaliter, dicendo, v. g. dispensari possit, vel nisi dispensetur, ut sunt exempla in *cap. Veniens* 2. *de eo, qui cognoscit &c. & cap. Postulastis* 7. *de Cleric. exeomm.* tunc etenim eo ipso intelligitur concessa Dispensatio Episcopo. Ratio est, quia nullum debet esse verbum in lege, seu Canone, quod suum effectum non habeat; unde dicta verba non possunt intelligi, quod 46
habeant relationem ad Pontificem, cum ipse habeat de Jure plenam dispensandi potestatem in toto Jure Canonico, *cap. Innotuit* 20. *de elect. cap. Per venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi*. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 95. *cap. Proposuit* 4. *de conces. Præb. &c.* & Papæ auctoritas semper intelligatur excepta, *cap. Significasti* 4. *de electio. & dict. cap. Proposuit*, Barbosa *loc. cit. num.* 72. immo 47
ipsa Decreta Concilii supposita sint confirmationi, & reformationi Sedis Apostolicæ, ut in fine dicti Concilii legitur, cum Papa sit supra Concilium, ut diximus *num.* 18. unde potius ad Episcopum referri debent, maxime, quia cum hujusmodi Dispensatio sit clausa in Corpore Juris, favorabilis est, & ample intelligenda, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 2. & quod permissa generaliter Dispensatione, ut supra, possit Episcopus, si justam causam habeat, in illis casibus dispensare, aperte dicit *Glossa in cap. In quibusdam* 12. *verbo, Dispensarem de pœnis*; & docent Speculator *l. c. num.* 27. Alterius *de Cens.* 48
tom. 2. *cap.* 3. *disp.* 8. *vers. Speculator*. Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 5. *num.* 1. Stephanus à S. Gregorio *univ. Tract. de Vinc. Div. Petr. libr.* 3. *cap.* 112. *n.* 14. Salas *de Legib. disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 22. Barbosa *de Off. & Potest. Episc. alleg.* 33. *num.* 22. *&* 23. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 18. Reginaldus *lib.* 31. *cap.* 27. *num.* 201. Bonaccina *de Leg. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 17. Sperellius *decis.* 111. *nu.* 59. Filiuccius, & Trullenck *ll. cc.* Majolus *de Irreg. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 4. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 5. *n.* 1.

Dixi ex proposito, posse Episcopum dispensare, si justam dispensandi causam habeat, quia hac non existente, nullatenus poterit; cum etenim in lege Superioris tunc dispensel, requiritur justa causa, 49
cum potestas dispensandi, à Superiore Inferiori concessa, semper intelligi debeat, si causa adsit. Sanchez

lib. 8. disp. 17. num. 4. Aloysius Riccius *in praxi Fori Eccl. resol. 410. num. 7.* Rebuff. *in praxi Benef. tit. de disp. ad plura Benef. num. 31.* & plures alii, quos propterea *l. 3. c. 1.* citabimus. Si tamen dubitetur, an causa sit justa, necne, & ob id valida, seu invalida sit hujusmodi Dispensatio, vide, quæ dicemus *d. c. 1.* ubi concludimus, in re mere dubia non requiri Dispensationem.

50 Excipe tamen, & dic, non posse Episcopum dispensare, licet Dispensatio permittatur in Canone.

Primo, quando ille Canon ipsi Episcopo legem imponeret, eumque in executorem daret, ut est textus *in l. cum hi, §. Et si Prætor, ff. de transact.* quia cum eo casu non sit rationabile, Episcopum in proprio fa-
51 cto, & ad propriam utilitatem dispensare, non debet intelligi, quod fuerit ipsi commissa Dispensatio, sed alteri Superiori. Sanchez *d. disp. 5. num. 3.* Filiuccius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 300.* Trullenck *Oper. Moral. lib. 7. cap. 10. dub. 1. nu. 5.* Sperellius *dec. 111. num. 62.* & inclinat Palaus *loc. c. numer. 3.*

52 Excipe secundo, si verba ipsius Canonis, seu constitutionis tollerent Dispensationem, ut si diceretur, deponatur sine spe restitutionis. Sylva *de Benef. part. 4. quæst. 7. num. 18.* Sperellius *num. 63. l. c.* vel absque spe Dispensationis; *cap. 1. de tem. Ord. in 6.* Sperellius *l. c.*

53 Excipe tertio, si in Canone, seu constitutione diceretur, irrevocabiliter, vel nullo modo, aut nullatenus, ut advertit idem Sperell. *l. c. à n. 65. usque ad n. 70.* Barbosa *de Diction. diction. 239. n. 8.*

54 Excipe quarto, si in eo Canone Papa imponeret pœnam, eamque sibi reservaret, tunc etenim, quamvis absolute permitteretur Dispensatio, non intelligeretur Episcopo concessa, quia ejus tantum est absolvere, cujus est condemnare; *l. 3. ff. de Re jud.* Sanch. *d. disp. 5. num. 4.* Vide pro prædictis Gambar. *de offic. & potestat. Legati, l. 10.* Gratianus *discept. for. c. 14. num. 1. & 7.*

55 Et quamvis non desint qui doceant, non posse Episcopum dispensare in Decretis Concilii, ac Conciliaribus (hoc est à Pontifice de consilio Concilii factis) tametsi expresse in illis Dispensatio permittatur, ex quo Decreta Concilii contineant Decretum irritans. Paris. *de resignat. Benef. l. 4. quæst. 9. n. 28.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellariæ Glossa 15. numer. 37.*
56 unde expressa egeant derogatione. Marius Antoninus *Var. resol. l. 1. resol. 58. num. 6.* Barbosa *in Collect. Concilii, sess. 1. n. 5.* Sanch. *l. 3. disp. 26. n. 7.* Diana *part. 8. tr. 3. resol. 18.* Riccius *in praxi fori Eccl. resol. 156. num. 1.* Pelliccion. *Quæst. Illustr. quæst. 6. c. 2. pag. mihi 37. col. 2. in medio,* Franc. Leo *in Thesauro fori Eccl. par. 2. c. 8. num. 44.* Reginald. *in Praxi Fori Pœnit. l. 31. c. 27. num. 202. in princ.* immo nec Conciliari-
57 bus Constitutionibus censeatur derogatum, nisi expresse facta sit derogatio, ut docet Gonzalez *Glossa 15. num. 36. & 37. & Glossa 18. n. 103.* tamen proba-
58 bilius est, ut possit etiam in illis dispensare, si in Decretis Concilii, seu Conciliaribus, Dispensatio permittatur; alias etenim opus non fuisset ea verba apponere; idque aperte colligitur ex doctrina eorum, qui affirmant, posse Episcopum dispensare, *in c. Quisquis 43. de elect. & in c. In quibusdam 12. de pœnis,* quamvis sint Constitutiones à Conciliis factæ; vide Sanchez *l. 8. disp. 5. num. 1. & n. 5.* Sylvestrum *in Summa, verbo Dispensatio, quæst. 9. num. 15.* Gambar. *d. l. 10. n. 420.*

59 Quæ autem, ac qualis dicatur constitutio Conciliaris, & quæ Pontificis, consule Sanchez *d. disp. 5. nu. 6.* Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 33. n. 27.* Diana *d. resol. 18.* Corrad. *in Praxi Disp. Apost. l. 7. c. 7. nu. 7.* communis tamen Regula assignari solet, ad dignoscendam differentiam inter utrasque Constitutiones, ut si Conciliaris sit, præponatur titulus *Ex Concilio;* at in Pontificia dicatur, *In Concilio;* & sic se gerere notoriam Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ Praxim, testatur Corradus *l. c.*

60 Secundo, potest Episcopus dispensare in dictis Criminibus, & constitutionibus ratione Consuetudinis, videlicet quia ex consuetudine legitime præscripta habet, ut dispensare possit. Consuetudo namque legi æquipollet. Marant. *resp. 24. numer. 30. part. 2.* Leo *in Thes. Fori Eccl. part. 2. cap. 16. numer. 45.* Menoch. *de Præsumpt. lib. 3. præsumpt. 131. à num. 138.* Sperell. *dec. 137. numer. 12.* & dat Jurisdictionem, 61
cap. Cum contingat 13. de Foro compet. Paccinus *de Visitat. part. 1. quæst. 2. num. 35.* Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 6. num. 8.* Sperellius *dec. 37. num. 27. & dec. 116. num. 82.* Palaus *d. punct. 5. num. 11.* Gratianus *Discept. For. cap. 184. num. 25.* Salas *de Legib. disp. 20. Corollar. 2. sect. 3. num. 22. casu 2.* Merolla *tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 7. numer. 177. vers. At probabilius;* & facit valere Dispensationem alias non 62
valituram; *d. cap. Cum contingat.* Sylvester *verb. Dispensatio, quæst. 9. num. 15.* Laymanus *lib. 1. tr. 4. cap. 22. Coroll. 2. num. 4.* Sanchez *de Matr. l. 8. disp. 9. num. 27. circa medium.* Pontius *d. cap. 6. num. 8.* Barbosa *de Jure Eccl. Univ. l. 1. c. 11. §. 6. num. 194.* Diana *part. 8. tr. 3. resol. 12. vers. Alter casus.* Rondeus *de disp. membr. 2. num. 4. inter Tractat. diversos, vol. 14.* Sperellius *dec. 116. num. 81.* & si sit im- 63
memorabilis, habet vim tituli, & privilegii, etiam in reservatis Principi; *cap. Super quibusdam, §. Præterea, Extra de verb. signific.* Sperell. *d. dec. 37. numer. 5.* Rota *dec. 11. numer. 2. part. 2. recent.* Rota *dec. 677. numer. 4. part. 1. recent.* Patis. *de Confid. quæst. 38. num. 14.* Marius Antoninus *Var. Resol. res. 12. num. 9. l. 3.* Afflict. *dec. 254. nu. 4.* & qui habet 64
pro se consuetudinem immemorabilem, potest allegare meliorem titulum de mundo; & quicquid potest 65
per privilegium concedi, potest consuetudine acquiri. Verricell. *de Missionib. Apost. quæst. 87. num. 9.* & 66
ad effectum inducendi consuetudinem contra Canones, non requiritur scientia Papæ, sed sufficit lapsus temporis, & quod non sit contra Jus naturale, aut divinum. Angelus, *verbo Consuetudo, num. 9.* Sylvester *eodem verbo, quæst. 5. & 6.* Sanchez *de matr. l. 7. disp. 4. num. 11. & 14, & disp. 82. nu. 20.* Bonaccina *de Legib. disp. 1. quæst. 1. punct. ult. §. 3. num. 3.* Vide Seraphinum *dec. 712. num. 2.* Verricell. *de Missionib. Apost. quæst. 87. num. 10.* Rota *dec. 221. nn. 2. part. 1. rec.* unde ratione hujusmodi consuetudinis legitime præscriptæ, poterit Episcopus dispensare in omnibus impedimentis matrimonium impedientibus, exceptis Sponsalibus, Votis Castitatis, & Religionis, & In-
terdicto Ecclesiæ, à Superiore apposito, ut fuse dice- 67
mus alibi; ex quo jamdiu ex generali consuetudine factum est, ut in aliis impedientibus (prædictis impedimentis exceptis) Episcopus dispensare possit, nec ulla super his Dispensatio à Pontifice petatur, ut docent Navarrus *in Manuali, c. 22. num. 85.* Sanchez *l. 7. disp. 17. num. 9.* Bonaccina *de matr. quæst. 3. punct. 15. num. 3.* Piasecius *in Praxi Episc. part. 2. c. 1.* ubi *de Casibus Episc. vers. Quoad forum, num. 14.* & nos diximus *l. 1. c. 4.*

Tertio, potest Episcopus dispensare in lege Supe- 68
rioris, si materia levis sit, ex præsumpta Superioris voluntate, cui esset nimis onerosum pro minimis ad eum recurrere, maxime si lex solum ad culpam venialem, vel nullam obliget: quia eo ipso, quod Legislator noluit obligationem rigorosam ponere, judicavit eam rem non esse tanti momenti, ut Dispensationem sibi reservare vellet. Palaus *d. tr. 3. disp. 6. punct. 5. num. 4.* Bonaccina *de Legibus, disp. 1, qu. 2. punct. 1. n. 17.*

Quarto, dispensare poterit in lege Superioris, si 69
casus nimis frequentes sint, quia cum nimis onerosum esset ipsis Superioribus, si pro ipsis recurreretur, præsumi debet, noluisse reservare. Palaus *l. c. n. 5.* Navarrus *in Summa c. 21. n. 21.*

Quinto, potest Episcopus dispensare in casibus du- 70
biis, quia hi non comprehenduntur sub reservatione. Lezana *in Summa, tom. 4. verbo, Votum pro Regularibus, num. 12.* Palaus *d. punct. 5. numer. 10.* & proinde si in casu dubio dispensatum sit ab Episcopo, 71
quamvis postea constet de certitudine, v. gr. emissi Voti, non erit opus recurrere pro alia Dispensatione ad Pontificem, quia jam fuit in dicto Voto facta Dispensatio. Lezana *loc. c.* Suarez, Sanchez, & Lugo penes ipsum.

Sexto.

72 Sexto. Poterit Episcopus dispensare super impedimentis, quæ superveniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem, ut in cognatione spirituali, vel affinitate. Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 11. §. 6. *nu.* 187. Bonaccina *de Matrim. q.* 3. *punct.* 15. *n.* 5. & nos latius suo loco dicemus.

73 Septimo. Poterit Episcopus dispensare in impedimento cognationis, ortæ ex baptismo, tempore necessitatis non solemniter collato. Barbosa *l. c. n.* 188. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *n.* 17.

74 Octavo. Dispensare poterit cum minoribus, non habentibus legitimam ætatem ad matrimonium præscriptam, ut illud ineant, dum prope ætatem sunt, & dubium est, an malitia suppleat ætatem. Barbosa *num.* 189. *l. c.* & alii, quos propterea *lib.* 3. citabimus.

75 Nono. Dispensare posset Episcopus etiam in Votis Castitatis, & Religionis, nisi illa Summus Pontifex sibi reservasset; at cum hujusmodi Reservatio sit odiosa, tanquam Juri Episcoporum derogatoria, est restringenda, etiam quoad supradicta Vota.

76 Unde si hujusmodi Votum non sit v. g. integræ Castitatis, sed partis, non erit reservatum Pontifici, sed poterit Episcopus, si justa causa adsit, in eo dispensare. Ex qua doctrina infertur

77 Primo, ut possit Episcopus dispensare in Voto Castitatis, vel Religionis, ad tempus præcisum emisso, quia id non est simpliciter, & absolute Votum Castitatis, vel Religionis, quod perpetuitatem importat. Sylvester *verbo*, *Votum* 4. *quæst.* 8. *dict.* 6. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 9. *num.* 6. Gutierez *QQ. Can. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 48.

78 Secundo infertur, ut possit Episcopus dispensare in Voto Castitatis conjugalis servandæ, cum non sit absolute Votum Castitatis, vide Sanchez *l. c. n.* 7.

79 Tertio infertur, ut possit dispensare etiam in Voto, quo Vovens unus ex Conjugibus, absque alterius licentia, se adstrinxit ad non petendum debitum; hujusmodi enim Votum non est Votum integræ Castitatis. Sanchez *l. c. num.* 8. prout & possit dispensare,

80 quando uterque Conjux de alterius licentia emisit Votum non petendi debitum, quia adhuc non est Votum Castitatis, cum eo matrimonio soluto, possit superstes novum matrimonium inire; nec illud Votum

81 obligat ad non fornicandum; item & possit dispensare,

82 quamvis uterque Conjugum, communi consensu, vovissent nec petere, nec reddere, & non fornicari, quia adhuc non est absolute Votum Castitatis, cum eo matrimonio soluto, possit quilibet Conjugum, hujusmodi Voto non obstante, aliud matrimonium inire, ut bene Sanchez *l. c.*

83 Quarto infertur, ut possit Episcopus dispensare in Voto Virginitatis servandæ, si Vovens intendit se obligare, non ad Castitatem perpetuo servandam, sed solum ad corporis integritatem servandam, intelligendo de abstinentia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas deperditur. Sanchez *num.* 9. *l. c.*

84 Quinto dispensabit Episcopus in Voto non ineundi matrimonium, quia non est proprie Votum Castitatis. Sanchez *n.* 11. *l. c.*

85 Sexto, dispensabit in Voto assumendi Ordinem Sacrum, quia adhuc non est Votum Castitatis, sed tantum assumendi statum, cui Castitas annexa est. Sanchez *ibi*, *n.* 13.

86 Septimo, amplia, ut Episcopus dispensare possit in Voto disjunctivo, cujus altera pars est reservata, & altera non est reservata, v. g. si quis vovisset, vel Castitatem, vel Religionem, vel assumptionem Ordinis Sacri, quia ex his tribus integrum est Voventi eligere partem non reservatam, super qua potest Episcopus dispensare; quia in alternativis electio est debentis, & sufficit alterum adimpleri.

87 Sanchez *d. disp.* 9. *n.* 14. Id tamen intellige, ut procedat, nisi ille, qui vovit, jam statuisset non promoveri ad Ordines, quia tunc certe non posset Episcopus dispensare, cum restringatur ad Vota, vel Castitatis, vel Religionis, quorum utrumque est reservatum Pontifici.

88 Octavo, dispensare poterit Episcopus in Voto assumendi habitum Beatorum, qui vere non est Religiosus, ut docet Sanchez *l. c. n.* 15.

89 Nono, dispensabit Episcopus in Voto strictioris Religionis, nempe, ut is, qui sic vovit, ingrediatur in laxiorem; quamvis enim dispensare non possit in substantia Religionis, poterit tamen dispensare in eo excessu de una ad alteram, quod nullibi reservatur, ut pluribus citatis, docet Sanchez *d. disp.* 9. *num.* 17.

90 Decimo, amplia, & dic posse Episcopum dispensare in Voto de perseverantia in Religione, quia quamvis Votum Religionis reservatum sit Pontifici, tamen Votum perseverantiæ in illa non est reservatum; itaut, si justa causa adsit, possit ab Episcopo tempore Novitiatus dispensari; non etenim dispensatur eo casu in ipso Voto Religionis, sed in qualitate adjuncta, quæ non est reservata. Sanchez *num.* 18. *l. c.* ubi opportune animadvertit, quod si absque justa causa Novitius è Religione exiret, non posset Episcopus super dicto Voto perseverantiæ dispensare, eo quia nondum satisfecerit Voto Religionis.

91 Undecimo, poterit Episcopus ex justa causa dispensare super dilatione executionis Voti, nempe ne infra præfixum tempus impleatur, dummodo non adeo differatur, ut periculum sit in eum statum incidendi, ut is, qui vovit, fiat impotens ad illud adimplendum, quia sic dispensando, non dispensat in substantia Voti Religionis, sed in qualitate. Sanch. *num.* 19. *l. c.*

92 Duodecimo, dic posse Episcopum dispensare etiam in ipsis Votis Castitatis, ac Religionis, sub conditione, & in pœnam factis, si finis principalis Voventis non fuit ingressus in Religionem, vel se obligare ad Castitatem, sed evitatio ludi, aut alterius similis, quia hæc non sunt simpliciter Vota Castitatis, vel Religionis, & in Votis pœnalibus non oritur promissio Castitatis, vel Religionis ex animo, & affectu Voventis; sed potius hæc, tanquam odiosa sibi proponit in pœnam delicti, ut innumeris citatis, docet idem Sanchez *lib.* 8. *disp.* 10. *volum.* 8. quod idem novissime confirmat Donatus Antonius de Marinis *Resol. Quotid. lib.* 1. *cap.* 106. *n.* 4.

93 Ampliat Sanchez *l. c.* ut possit Episcopus dicto casu dispensare, sive pœna jam incursa sit, sive non fuerit incursa; declarat tamen, ut possit dispensare in dictis Votis, si sub conditione facta sint; quia si fuissent absolute facta, ut si quis vovisset ingredi Religionem, vel Castitatem servare, quamvis etiam hæc elegisset in pœnam alicujus peccati commissi, tamen cum fuerint absolute facta, non potest Episcopus in illis dispensare.

94 Decimotertio, dic probabilius posse Episcopum dispensare in Voto vere conditionali, quia ad discernendam potestatem Episcopi ad dispensandum in his Votis; non solum attendi debet sola obligatio ex eis consurgens, sed initium, ac radix illius obligationis, quæ si à perfecta Voti Castitatis natura deficiant, poterit Episcopus dispensare. Completa autem conditione, licet obligatio jam sit absoluta, tamen illius obligationis radix fuit imperfecta: vide Sanchez *num.* 13. *loc. cit.* ubi *num.* 14. declarat, hanc doctrinam procedere, si conditio sit de futuro, nec tacite insit.

95 Decimoquarto, poterit Episcopus dispensare cum Conjugato, qui cum ante matrimonium esset Voto Castitatis astrictus, transiit ad nuptias, ut petat debitum; quia id non est proprie in Voto Castitatis dispensare; sed ad quendam solum effectum, quia iste nihilominus hujusmodi Dispensatione non obstante, erit sacrilegus fornicando, nec poterit, eo matrimonio soluto, aliud inire & sic posse Episcopum dispensare, ex jam præscripta consuetudine, innumeris citatis, docet Sanchez *lib.* 8. *disp.* 12. *n.* 4. & 9.

96 Decimoquinto, dispensabit Episcopus ad petendum debitum, quando quis jam matrimonio consummato, rem habuit cum consanguinea suæ Conjugis; quamvis enim, Juris rigore attento, id non posset, tamen ratione Consuetudinis jam legitime præscriptæ, pos-

ACADEMIA DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

se in hoc dispensare Episcopos, testatur idem San-
97 chez *d. disp.* 12. *num.* 13. ubi ampliat, ut possint etiam dispensare, quamvis illa affinitas contracta fuisset ante matrimonium consummatum; & quamvis etiam ad quoscunque potentes dispensare sit facillimus aditus, quia hujusmodi Consuetudine attenta, hæc potestas absolute Episcopo convenit. Sanch. *l. c. n.* 14. ubi *n.* 15. ampliat hanc Episcopi potestatem, itaut dispensare possit ad petendum debitum cum
98 illo, qui cum suo Conjuge cognationem spiritualem contraxit, cum ex præscripta Consuetudine obtentum sit, ut dispensare possit.

99 An autem possit Episcopus dispensare in Voto Castitatis, post matrimonium consummatum à Conjugibus emisso, quinque casus distinguuntur à Sanchez *lib.* 8. *disp.* 12.

100 Primus est dum unus, alterius Conjugis licentia, Castitatem vovit.

101 Secundus, quando ex alterius licentia unus vovit.

102 Tertius, dum uterque Conjux, absque alterius licentia, Votum emisit.

103 Quartus, si uterque seorsum cum alterius Conjugis licentia vovit, non tamen per modum contractus.

104 Quintus, & ultimus, quando uterque, mutua licentia præhabita, per modum contractus continentiam vovit.

Quoad primum, & tertium, concludit *l. c. n.* 4. & 6. posse Episcopum dispensare post matrimonium
105 consummatum, quia ea Vota vere non fuerunt omnimodæ continentiæ, cum nequeant obligare ad non
106 reddendum debitum: at si emissa fuissent ante consummatum matrimonium, distinguit; quia si Votum factum fuerit animo ingrediendi Religionem, ad finem adimplendi Votum, non poterit Episcopus, ante consummatum matrimonium, dispensare, cum valeat ut Votum omnimodæ Castitatis; at si hujusmodi Voto Religionis non obstante, matrimonium consummasset, poterit eo casu dispensare solum ad petendum debitum.

107 Ad secundum, ac quartum casum, eodem modo respondet, subdens, quod si Votum factum sit post matrimonium consummatum, & animo ingrediendi Religionem, volente altero Conjuge efficere à Jure requisita, ut hic Vovens transeat ad Religionem, non poterit Episcopus dispensare, etiam ad petendum debitum, quia voluit se ad Religionem obli-
108 gare; at si alter propositum mutet, tunc cum non possit ille ulterius ad Religionem transire, poterit Episcopus solum dispensare ad petendum; si tamen hujusmodi Votum factum sit absque animo ingrediendi Religionem, sive ante consummationem matrimonii, sive postea, potest Episcopus in eo Voto dispensare, quia Votum illud non fuit omnimodæ, & absolutæ Castitatis, sed partis, eo quod dicto Voto non obstante teneatur sic Vovens reddere debitum, & poterit petere, quamvis alter adulterium commiserit.

109 Circa quintum, & ultimum Casum, concludit idem Sanchez *n.* 10. non posse Episcopum cum illis Conjugatis dispensare, ut matrimonio utantur, sive reddendo, sive petendo, nisi adesset urgens incontinentiæ periculum in alterutro, & non posset commode adiri Pontifex, aut alius dispensare potens, vel ob paupertatem, vel aliam justam causam, quia tunc dispensare potest solum ad reddendum debitum: limitat tamen, & bene idem Sanchez *l. c. num.* 13. quod si aliqua exceptio in eo Voto posita esset, tunc possit Episcopus dispensare, v. g. si Conjuges per modum contractus hac lege vovissent Castitatem, ut si soboles, quam tunc habebant, obiret, tunc possent uti matrimonio; aliud tamen esset si Conjuges ab initio promisissent continentiam, dum prolem haberent, quia si intellexerunt promittere continentiam, habita prole, est verum Votum, & absolutum Castitatis, & tantum quoad effigiem esset conditionale, & proinde Episcopus non posset dispensare, nedum ad petendum, nisi concurreret urgens periculum incontinentiæ, & quod non posset adiri Pontifex, vel alius dispensare potens;
110 at si sensus Contrahentium fuisset conditionalis, v. g. si intellexissent, quod si Deus hoc beneficium illis concessisset, ut prolem haberent, in gratiarum actionem continentiam servare, tunc fuisset Votum conditionale, & proinde ab Episcopo dispensabile, tam ante impletam conditionem, quam postea; unde optime infert idem Sanchez *l. c. n.* 14. ut possit Episcopus dispensare, si Conjuges mutuo consensu, & per modum pacti, solam continentiam ad tempus vovissent, quia cum eo casu Votum sit temporale, non est reservatum. Animadvertit tamen *n.* 15. necesse esse, ut ipsi Conjuges, qui per modum contractus vove- 111
runt, remittant sibi ipsis renunciationem illam jutis petendi, & reddendi, quam vovendo fecerunt, & sic iterum conferant sibi mutuam corporum potestatem, quia cum hæc remissio valida sit, tenebitur uterque reddere, & tunc poterit Episcopus dispensare ad petendum ratione illius periculi, quod gravissimum esset, si data obligatione reddendi, illis interdicta esset debiti petitio.

Quod diximus; posse Episcopum dispensare in casi- 112
bus prædictis quoad Vota simplicia Castitatis, & Religionis, locum habet, itaut simili modo dispensare possit in Juramentis Castitatis, & Religionis, quia eadem ratio militat in istis: qui etenim potest dispensare in Votis, potest etiam in Juramentis soli Deo factis. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 13. *num.* 1. Sayrus *in Clavi Regia, lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 9. & concessa facultate dispensandi generaliter in Votis, vel ea 113
commutandi, poterit Delegatus dispensare, quamvis in eadem re concurrant Juramentum, & Votum: vide Sanchez *in Summa, lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 20. Suarez *de Relig. Domib. tom.* 2. *tract. de Vot. lib.* 6. *cap.* 14. *à num.* 19. licet enim sint duo vincula diversa specie, tamen in ordine ad Dispensationem, & commutationem, reputantur quasi unum, & idem, & ejusdem rationis; & cum magis sit dispensare in Votis, quam illa commutare, ideo facultas generaliter con- 114
cessa ad dispensandum in Votis, extenditur ad illa commutanda. Fragos. *de Regim. Christ. Reip. par.* 1. *lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 26. Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. *n.* 108. *in* 2. *edit.* Layman. *Theol. Mor. lib.* 4. *tr.* 4. *cap.* 8. *n.* 20. quia cum ea potestas sit generaliter concessa, est late extendenda, & cui licet plus, licebit minus. Regula, *Cui licet* 53. *de Reg. Juris in* 6. & qui potest remittere totum debitum, potest remittere partem.

An autem hujusmodi Juramenta Castitatis, vel 115
Religionis, absolute facta, sint Pontifici reservata, late disputat Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 13. ubi *num.* 5. concludit, regulariter esse reservata, quia Juramentum Deo factum includit in se Votum, & *num.* 6. docet, ut, quoties privilegium conceditur, relaxan- 116
di, aut commutandi omnia Juramenta in damnum tertii non cedentia, & omnia Vota, præterquam Castitatis, & Religionis, sub ea Votorum reservatione reserventur etiam juramenta ejusdem materiæ, quoties hæc promissionem continet, secus vero, ubi ea vocant, & *num.* 7. docet, quod licet in Bulla alicui concedantur omnia Vota, & Juramenta, quæ non tendunt in tertii præjudicium, nulla de Votis facta reservatione, adhuc censebuntur reservata juramenta Castitatis, & Religionis, in quibus promissio continetur, secus autem si non contineatur, quia in nulla generali concessione censentur concessa Vota Castitatis, & Religionis, nisi de eis specialis mentio fiat, ut probavimus *lib.* 1. unde a fortiori dicendum est, nec censeri concessa Juramenta, promissionem earumdem rerum continentia.

Circa prædicta adnotandum est, non posse Epi- 117
scopum dispensare in Votis, vel Juramentis, factis in favorem tertii, nisi ab ipso tertio hujusmodi jus remissum sit, prout remitti poterit eo casu, quo in solius tertii favorem vota, vel juramenta facta sint. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 9. *num.* 12. Insuper ad- 118
notari debet, solum Dispensantem in sua Lege posse imponere mulctas Dispensatis. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 14. *n.* 1. quia cum ea Lex à sua voluntate proficiscatur, & vim habeat obligandi, potest, si justa causa adsit, partim commutare, & partim dispensare, relaxando in aliqua parte Legem.

Octa-

119 Octavo, potest Episcopus in Impedimentis etiam dirimentibus dispensare ratione magnæ necessitatis, vel utilitatis noviter emergentis, & tempore editæ Constitutionis verisimiliter non cogitatæ, si infrascriptæ qualitates concurrant, nempe

120 Primo, Impedimentum, super quo Dispensatio requiritur, dispensabile sit; quia si non possit per ipsum Summum Pontificem dispensari, eo minus poterit per Episcopum, cui, eo casu, nullo modo præsumi potest concessa potestas, dum nec ipse Pontifex dispensare possit, vide Laymanum *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 6. *num.* 10.

121 Secundo, Impedimentum sit occultum; quando autem dicatur Impedimentum esse occultum, dicemus infra.

122 Tertio, Matrimonium sit bona fide publice contractum, præmissis Denunciationibus, vel illis ab Ordinario remissis.

123 Quarto, si scandalum ex Conjugum separatione timeatur, vel separatio ipsa sit futura difficilis, ut quia, v. gr. unus conjugum novit Impedimentum, quod vel probare non potest, vel saltem, ob grave propriæ, vel alienæ famæ periculum, non tenetur extra Confessionem revelare; vel si ambo conjuges Impedimentum norint, tamen probare non possunt, vel propter eorum paupertatem Dispensationem à Pontifice impetrare non valent, vel magnum incontinentiæ periculum urget, si expectetur, ut ea Dispensatio impetrata sit, vel ob similes causas.

124 Quinto, periculum sit in mora, itaut sine evidenti, & gravi peccati, vel famæ jacturæ periculo, non possit Dispensatio differri, donec Pontifex, seu alius dispensare potens adeatur.

125 Et quod concurrentibus prædictis possit Episcopus in impedimentis Matrimonium dirimentibus dispensare, expresse docent Sylvester, *V. Dispensatio d. numer.* 15. Navarrus *d. cap.* 22. *numer.* 85. Zerola *in praxi Episc. part.* 1. *verbo Dispensatio* §. 3. Sanchez *libr.* 2. *disp.* 40. *numer.* 3. Coninck *de Sacram. disp.* 33. *dub.* 3. *numer.* 32. Gutierez *de Matrimonio cap.* 49. *num.* 6. *vers. Nihilominus*; Graffius *dec. Aur. lib.* 2. *cap.* 81. *numer.* 14. Pontius *de matrim. lib.* 8. *capit.* 13. *numer.* 2. Bonaccina *de matrim. quæst.* 3. *puncto* 15. *num.* 4. Aversa *de matrim. quæst.* 19. *sect.* 2. *versic. concludendum*. Stephanus à S. Gregorio *de Vinc. Div. Piet. lib.* 3. *cap.* 112. *num.* 15. Leoncill. *de Opibus Paupertatis part.* 2. *priv.* 85. *num.* 1. Piasecius *in d. praxi loc. cit. vers. disp.* Leo *in Thes. Fori Eccl. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 43. Vivaldus *in Candelabro part.* 1. ubi *de Dispensationibus in impedimentis Matrimonii*, *numer.* 284. Sayrus *in Floribus libr.* 4. *titulo* 1. *dec.* 8. Verricell. *de Missionibus Apostolicis*, *quæst.* 146. *num.* 3. *&* 4. Barbosa *de Jure Eccl. Univ. libr. prim. cap.* 11. §. 6. *num.* 186. Salas *de Legib. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 25. Trullenck *Opera moral. libr.* 7. *cap.* 10. *dub. primo numer.* 9. *tomo* 3. Corrad. *in praxi disp. Apostol. libr.* 8. *cap.* 4. *numer.* 40. & innumeri alii, quos citat Garcia *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. §. 4. *numer.* 342. Ratio hujus Doctrinæ est, tum quia possunt Episcopi etiam à criminibus Summo Pontifici reservatis absolvere, quando non est aditus ad Pontificem, vel alium, ad id potestatem habentem, propter paupertatem, vel locorum distantiam, vel aliud legitimum impedimentum; tum etiam quia præsumitur in dicto urgenti casu necessitatis, Legislatoris voluntatem esse, ut Episcopus dispensare possit, non enim credibile est, Summum Pontificem, in casu tantæ necessitatis, & evidentis animarum periculi, velle sibi reservare Dispensationem, sed potius præsumendum est, tacite, & benigne Episcopo concessam ab ipso Pontifice potestatem eo casu dispensandi pro foro conscientiæ, si adfuerit bona fides in Conjugibus; cum necessitas nullam legem agnoscat, aut patiatur; *l. Tutor, qui repert.* 8. *ff. de administrat. tut. l. Ut gradatim* 11. §. *Quoties ff. de mun. & ho. Glossa in l. Unica* §. *Expedire*, *ff. de offic. Consul.* Lotherius *de Re Benef. l. prim. quæst.* 28. *numer.* 71. Gonzalez *ad Reg. Octavam. Cancell. Glossa* 8. *num.* 47. *&* *Glossa* 43. *num.* 62. Vivius *dec. Regni Neap. dec.* 18. *num.* 3. Leoncillus *de Opibus paupertatis part.* 2. *priv.* 14. *num.* 4. Mascard. *de probat. concl.* 1352. *num.* 20. omnemque juris dispositionem suspendat. Gamb. *de Offic. & Potestat. Legati*, *l.* 7. *num.* 192. & faciat de illicito licitum, *cap. Si quis*, 3. *de furtis*, *cap. Quod non est licitum* 4. *de Reg. Juris in sexto*. Carolus de Grassis *de Effect. Cleric. effectu* 6. *num.* 24. Leoncill. *d. part.* 2. *priv.* 177. *num.* 2. Barbos. *de Axiom. Axiom.* 157. *num.* 2. Sanchez *de priv. Ecclesiæ. Priv.* 129. *num.* 3. *pag. Mihi* 369. Sperell. *dec.* 111. *num.* 60. Vivius *l. c.* & proinde Juris rigorem remittat. Gonz. *Glossa* 8. *num.* 47. Puteus *dec.* 105. *l. pr.* & faciat, ut recedatur à regulis juris *l. Fidejussor*, *ff. Si necessaria ff. qui satis. cog.* Bossius *Moral. var. titulo* 9. §. 1. *num.* 13. & si extrema sit, auferat omne jus gentium, & civile, & redigat ad jus naturale; *cap. Exiit*, *de verb. signif. in sexto* Ludov. Carbo *de Restitut. quæst.* 80. *pag. Mihi* 566. & facit valere actum alias prohibitum. Gratian. *Discept. forens. cap.* 377. *numer.* 15. cum necessitatis casus nun- 126
quam includatur in prohibitione. Cenc. *tr. de Censibus*, *quæst.* 19. *num.* 21. Cævallos *Quæst. comm. contra comm. quæst.* 828. *num.* 234. Pelliccion. *qu. Illustr. quæst.* 41. *c.* 28. *pag. Mihi* 364. *col.* 1. *in princ.* unde possunt eo casu res immobiles Ecclesiæ, etiam non 127
modicæ, absque solemnitatibus alienari, quamvis Prælatus non alienare juraverit. Genuens. *Practicab. Fori Eccl. q.* 459. *num.* 2. Mantica, & plures alii penes ipsum.

Circa prædicta sunt aliqua hic opportune adnotanda.

Primo, nota necessitatem, ob quam præsumitur E- 128
piscopo concessa Dispensandi potestas, debere esse urgentem, & præcisam, itaut nequeat aliter opportune occurri, alias non præcisa, sed simpliciter causativa dicetur, & propterea nulla erit de ea habenda ratio. Paris. *cons.* 68. *num.* 31. *volum. pr.* Roland. *cons.* 13. *num.* 68. *lib.* 3. Lother. *de Re Benef. libr.* 2. *quæst.* 31. *numer.* 75.

Nota secundo, & dic probabiliter, posse Episco- 129
pum dispensare, etiam ante contractum Matrimonium, si urgens necessitas Dispensationem postulet, nec possit adiri Pontifex, vel alius dispensare potens, quia etiam isto casu æque præsumitur ab ipso Pontifice tacite concessa potestas Episcopo ad dispensandum, cum eadem necessitas urgeat, & gravia scandala immineant ex dilatione: ita Sanchez *l.* 2. *disp.* 40. *num.* 7. Salas *de Legibus disp.* 20. *sect.* 3. *numer.* 27. Reginald. *d. cap.* 27. *num.* 105. Barbosa *de Offic. & potestate Episcopi allegat.* 35. *numer.* 5. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 80. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 6. Coninck *disp.* 33. *num.* 32. Trullenck *d. cap.* 10. *dub.* 1. *numer.* 12. Bonacc. *de matrim. disp. prima*, *quæst.* 3. *puncto* 15. *num.* 6. Hieronym. Palma *cons.* 8. *num.* 2. Lælius Altograd. *cons.* 76. *numer.* 66. *lib. prim.* ubi enim est eadem ratio, non dicitur similitudo, sed eadem lex. Sperell. *dec.* 112. *num.* 14. & propterea debet esse eadem juris dispositio. Menoch. *cons.* 86. *num.* 16. *volum.* 1. Rota *dec.* 350. *part.* 4. *rec.* Barbosa *d. alleg.* 35. *num.* 75. Cencius *tract. de Censibus quæst.* 36. *num.* 7. *& quæst.* 101. *num.* 7. Et licet Garcia *in suo Tractatu de Benef. part.* 11. *c.* 5. *num.* 34. existimet, non posse Episcopum, præsertim ante Matrimonium contractum, dispensare, nihilominus refert à Nuncio Hispaniæ, & ab Episcopo Abulensi, de consilio plurium Theologorum, dispensatum fuisse.

Ampliat Bossius *Moral. Var. part.* 1. *tit. prim.* §. 3. *num.* 1274. ut in casu urgentissimæ necessitatis, ita- 130
ut si matrimonium dissolvatur, animarum, & corporum periculum magnum immineat, absque ulla spe remedii, & accessus ad Pontificem tardus sit, & difficilis, & manifestum periculum sit in mora, possit Episcopus etiam in Matrimonio rato, non consummato, dispensare: id tamen non mihi probatur, quia ad hoc, ut vere sit Matrimonium, & sic appellari possit, necesse est, ut fuerit in facie Ecclesiæ, coram Parocho, & Testibus, publice contractum, alias non est Matrimonium; cum ergo requiratur, ut Matrimonium sit publicum, ut de eo constet

Ec-

Ecclesiæ, & sit verum Matrimonium, nescio quo jure possit Episcopus dispensare, cujus præsumpta potestas dispensandi est restricta ad casus occultos, ut diximus, & dicemus infra.

131 Nota tertio, qui, & quales sint casus hujusmodi urgentis necessitatis, exemplificari possunt, si v. gr. Sponsa accederet ad confitendum, & inveniretur habere impedimentum dirimens, cujus manifestatio esset illis gravis infamiæ, ut quia fuisset cognita à Patre, seu Fratre Sponsi, vel aliud impedimentum, & eo mane essent parata omnia ad Nuptias, statim, vel eo die celebrandas, nec ulla adesset via evadendi infamiam, aut suspicionem delicti in Confessione manifestati, si tunc Nuptiæ non celebrarentur; vide Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 40. *num.* 7. Salas *de Legibus Disp.* 20. *sect.* 3. Reginaldum *lib.* 31. *d. capit.* 27. *numer.* 204. Alius casus erit, dum Matrimonium fuisset ante Dispensationem contractum, & non possit fœmina, absque magna sua infamia, & fortasse absque vitæ periculo, id viro detegere, nec ullo apparenti prætextu possit diu debitum viro petenti denegare, & cum distet à Roma, non possit cito Dispensationem impetrare, & interim scandala gravia timeantur, & si consentiat peccatum lethale committet; & si recuset, in alio gravi discrimine versetur, vide Avers. *de Matrim. qu.* 19. *sect.* 2. *vers. Urgentior, & forte frequentior.*

132 Nota quarto, remedia, quæ applicari possent, ad effectum, ut Matrimonii contractus, absque scandalo, differatur, donec Dispensatio legitime fa-
133 cta sit, proponunt Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 4. & Gutierez *de Matrimon. cap.* 49. *num.* 11. nempe, ut ille ex Sponsis, qui est impedimenti conscius, voveat Castitatem per aliquod tempus, ut puta per mensem, deinde dicat Consanguineis, vel aliis, se Voto Castitatis jamdiu emisso, de quo non recordabatur, esse adstrictum, sibique fuisse à Confessario mandatum, ut à matrimonio se abstineat, donec à Sede Apostolica fuerit super dicto impedimento dispensatum; caveat tamen ne dicat hujusmodi votum fuisse ad tempus emissum, quia tunc, cum, posset ab Episcopo dispensari, hæc cautela frustra fuisset adhibita. Quod si hæc, aut alia media arbitrio prudentis, attentis circumstantiis, non sufficiant, ut possit Sponsa evadere incolumis, utique credunt prædicti Doctores, posse Episcopum dispensare pro foro Conscientiæ.

134 Aliud remedium novissime docet Trullenck *Oper. Moral. tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 1. *num.* 13. ubi loquendo de præciso casu necessitatis, quo potest Episcopus, ante Matrimonii contractum, dispensare, sic ait. *Quidam Magister consulit, ut Confessarius dicat habenti, & scienti Impedimentum, ut Matrimonium contrahat (sine intentione tamen, ne peccet, & sit sacrilegus) quo quidem modo contrahens non peccat, ut insinuant* Castro Palao *Tract.* 3. *de Legib. Disp.* 2. *puncto* 11. *num.* 1. *& de Peccatis tract.* 2. *Disp.* 1. *puncto* 13. *num.* 7. & Sanchez *de Matr. libr.* 4. *disp.* 16. *num.* 6. *nullo tamen modo petat, nec reddat, dicatque se vovisse per tres, vel aliquot dies non accedere ad Conjugem*; El qual Voto hizo por lo mucho que de seva a quel Matrimonio, y paraque tenga buen fin, y fruto de Benedicion, para honra, y gloria de Dios; *& interim, Matrimonio jam contracto bona fide, saltem ex parte alterius, poterit Episcopus dispensare modo supradicto, & Matrimonium revalidari modo explicato, cap.* 4. *dub.* 4. hucusque Trullenck.

135 Aliud etiam remedium, docet Reja *Resp. Cas. Conscientiæ p.* 2. *Casu* 32. quod idem approbat Pontius *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 35. *n.* 4. Si v. g. Sponsi sint in actu proximo ad celebrationem, & superveniat notitia impedimenti dirimentis occulti, super quo Dispensatio necessaria sit, nec possint absque scandalo à celebratione desistere, nempe ut contrahant sub conditione, *si Papa dispensaverit*, animo interim cohabitandi, uti frater, & soror, quod videtur licitum, quia jure ipso præfigitur bimestre, quo durante, possunt Sponsi à copula abstinere, & interim Dispensationem impetrare; quo casu matrimonium licitum esse, nec sic Contrahentes incurrere in excommunicationem; egere tamen, pro validitate hujusmodi Matrimonii, ut Conjuges denuo consensum removent, post impetratam Dispensationem, diximus *libr. prim.* Addunt præfati Ludovicus Reja, & Pontius *ll. cc.* sic contrahentes non peccare, semoto scandalo, vel periculo infamiæ, si postea Papa non dispenset, cum sit promissio, & contractus licitus, utpote relatus ad tempus habile; ut bene Bossius *de Matrimonii Contractu cap.* 10. *numer.* 298. & nos diximus. Hoc tamen remedium, si Contrahentes sint juvenes, & urgeat periculum incontinentiæ, non est omnino tutum, & ideo caute adhibendum.

Nota quinto, ad hoc ut Episcopus dispensare pos- 136
sit, necesse esse, ut adfuerit bona fides in contrahere volentibus, quia ea cessante, nec Episcopus, nec Legatus, seu Nuncius, dispensare poterunt, quamvis in reliquis requisitæ qualitates concurrant. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 40. *num.* 4. Reginald. *dict. c.* 27. *num.* 10. *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 345. *& numer.* 346. quia ubi adest mala fides, & dolus, nunquam præsumitur voluntas Pontificis favorabilis, cum à fraudibus, & malitiis plurimum abhorreat. *l. Si cui, ibi per medias vias, ff. de servitut.* & fraudes committens debeat carere impetratis, *cap. Sedes Apostol.* 15. *cap. Ex tenore* 16. *cap. Super Literis* 20. *de rescriptis, & cap. Nobis fuit* 27. *de Simonia*. Lotherius *de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 39. *num.* 255. Mandosius *ad Reg. Cancell. Regul. de Infirmis* 39. *quæst.* 8. *numer.* 3. unde sic malitiose Contrahentes debent separari, juxta dispositionem Decreti Sacrosancti Concilii Tridentini, *sess.* 24. *de Reformat. Matrimonii capit.* 5. ubi decernitur, malitiose Contrahentes, debere carere spe Dispensationis obtinendæ, cum non sit dignus benignitatem Ecclesiæ facile experiri, qui ejus salubria præcepta temere contempsit: Et quod non possit eo casu ab Episcopo dispensari, docent Sanchez *lib.* 2. *Disput.* 40. *numer.* 4. Barbosa *de Offic. & Potest. Episcop. Alleg.* 35. *numer.* 40. Marant. *Responsi.* 40. *num.* 71. *tomo* 1. nam in omnibus Dispensationibus fraus intelligitur excepta. Gratianus *Discept. Forens. cap.* 278. *num.* 19. & propterea si Conjuges subreptitie, & cum fraude Dispensationem à Pontifice, seu à Majori Pœnitentiario impetrassent, quamvis alias, cessante dolo, & fraude, potuisset Episcopus dispensare, tamen attenta dicta fraude, & malitia, dispensare non poterit. Sanchez *Disp.* 38. *num.* 12. ubi etiam concludit, posse Episcopum dissimulare, si cognoscat Conjuges ex ignorantia invincibili impedimenti in matrimonio, per eos bona fide contracto, perseverare, si scandalum ex separatione timeatur.

At dubium est, an requiratur bona fides in utro- 137
que Conjuge, vel sufficiat eam in altero solo adfuisse. Et quidem Sanchez *d. Disp.* 40. *numer.* 4. circa medium, Reginald. *d. cap.* 27. *num.* 203. Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 4. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 79. *versic. Dicendum est igitur*, & alii plerique docent, pos- 138
se dispensari, quamvis unus fuerit in mala fide, si alter Conjugum fuerit in bona; quia cum agatur de pœna, non sit æquum puniri innocentem ob alterius delictum; quidquid tamen isti dicant, pro- 139
babilius existimo, ad hoc, ut Episcopus dispensare possit, requiri, ut ambo Conjuges fuerint in bona fide, quod idem videtur decidi ex verbis ipsis Concilii *d. cap.* 5. ubi statuens pœnas clandestine contrahentibus, dicit, *Si quis intra gradus prohibitos scienter contrahere præsumpserit*; unde pronomen *Si quis,* 140
quo usum fuit Concilium, cum sit genericum omnes comprehendit, sive masculos, sive fœminas, ut bene docent Paris. *de Confident. quæst.* 27. *num.* 23. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 37. *num.* 15. Carolus de Grassis *de Effect. Clericatus, effectu* 9. *num.* 3. Marant. *Responsi.* 51. *num.* 27. *part.* 1. sic & nobiscum sentiunt Garcia *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. §. 54. *numer.* 350. & Aversa *de Matrim. quæst.* 19. *sect.* 2. *vers. Supponi ergo debet*. At quia prima opinio, auctori- 141
tate supra citatorum, & aliorum Doctorum, qui illi adhærent, est valde probabilis, & multos scrupulos,

tollit

tollit, & per eam multa scandala obviantur, non damno eos, qui illam sequuntur.

142 Quando autem dicatur mala fides, consule Sanchez *d. Disp. 40. n. 4.* Aversa *de Matr. q. 19. d. sect. 2. vers. Suppeni ergo debet*, ubi concludunt, non satis esse scientiam speculativam, qua Conjux novit se accessisse ad Consanguineam ejus, cum qua matrimonium contrahere intendit, nisi conjungatur scientia practica, qua sciat inde oriri impedimentum ad matrimonium contrahendum, immo nec excludi bonam fidem, quamvis procedat ex lata culpa, & ignorantia culpabili, cum Concilium petat, ut scienter præsumatur; unde quævis ignorantia, quantumcunque crassa, & culpabilis
143 excusat, quia verbum, *Præsumere*, dolum, & temeritatem importat, ut bene idem Sanchez *l. c.* Marant. *Respons. 48. n. 41. part. 4.* Sperellius *decis. 129. n. 29.* Rota coram Cavalerio *decis. pr. n. 2.* Lotherius *de Re Benef. lib. 2. quæst. 14. n. 55. & lib. 3. quæst. 17. n. 324.* & ubi non est dolus, non præsumitur delictum. Sera-
144 phinus *decis. 667. n. 3.* Excipe tamen nisi ea ignorantia esset adeo crassa, ut esset ingens temeritas, quia tunc dolo æquiparatur. Sanchez *l. c.* & nos latius dicemus *lib. 3.*

145 Nec erunt in bona fide Conjuges, si matrimonium, etiam impedimentum ignorantes; contraxerint, spretis tamen denunciationibus, quia ignorantia non dicitur probabilis, dum omittuntur requisita à Jure, vel ab Ecclesia. Sanchez *lib. 3. disp. 42. nu. 1.* Bossius *de Matrimon. contractu, cap. 8. n. 46.* Achill. de Grass. *decis. pr. alias 328. n. 4. de Clandest. Desponsat.* & quod
146 non possit eo casu per Episcopum dispensari, docent Sanchez *lib. 2. disp. 40. nu. 4.* Reginaldus *d. cap. 27. n. 203.* Aversa *de Matrim. quæst. 19. sect. 2. vers. Sexto admittitur.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 79.* & eo magis dispensare non poterit, attenta Concilii dispositione *d. cap. 5.* qua decernit, eos debere carere spe Dispensationis.

147 Immo nec crediderim, posse ab Episcopo dispensari eo casu, quo per Ordinarium fuisset super ipsis Denunciationibus dispensatum; at ea Dispensatio fuisset à Conjugibus subreptitie, & fraudulenter extorta, quia cum Papa à fraudibus abhorreat, ut diximus, non debet præsumi, quod ejus voluntas sit, concedere, vel permittere Dispensationem in favorem eorum, qui fraudes commiserint.

148 Nota sexto, quando Episcopus ex sola Epicheja dispensare potest, ut in dictis casibus urgentis necessitatis, & periculi in mora, si Papa prius Dispensationem illam denegasset, non posset Episcopus dispensare, quia tunc cessat præsumptio, cui hujusmodi Epicheja nititur; si tamen Papa aliquando concedat, & aliquando deneget, tunc, cum non sit contraria voluntas, poterit Episcopus dispensare, si alia requisita concurrant. Sanch. *lib 8. disp. 14. n. 6.* Salas *de Legib. disp. 20. sect. 13. n. 106.*

149 Nota septimo, potestatem dispensandi, quæ præsumitur in hujusmodi necessitatis casibus Episcopo concessa, ita debere intelligi, ut solum dispensare possit pro conscientiæ foro, & super occultis tantum impedimentis, ut bene inter alios docent Sanchez *lib. 2. d. disp. 40. nu. 10.* Barbosa *de Offic. & Potestate Episcopi*,
150 *alleg. 35. nu. 11.* itaut si post factam ab Episcopo Dispensationem, aliquo tempore impedimentum detegatur, nova opus erit Dispensatione pro utroque foro, perinde ac de Dispensationibus à Sacra Pœnitentiaria factis diximus, quæ pari modo cum istis procedunt, cum nec major Pœnitentiarius quoad matrimonium dispensare possit, nisi super occultis, & pro solo conscientiæ foro, ut alibi, & præsertim *lib. 1. cap.*
151 *ultimo*; unde si facta per Episcopum Dispensatione, impedimentum Parocho ab aliquo denuncietur, tenebitur ipse Parochus, quamvis ipsemet sciret, Conjuges super eo impedimento fuisse pro foro conscientiæ dispensatos, rem ad Ordinarium deferre, cum ipsius Parochi partes non sint, de validitate, vel invaliditate Dispensationis cognoscere. *cap. 1. de consanguinitate, & affinitat.* Bonaccina *de Matrim. quæst. 3. punct. ultim. propos. 3. nu. 13.* Reginald. *lib. 31. cap. 33. n. 240* Gutierez *de Matrim. cap. 69. n. 2.* sed impedimento-
152 rum cognitio de Jure ad Ordinarium spectet. Coninck. *de Sacrament. disp. 27. n. 65.* Bossius *de Matrimonii contractu, cap. 7. nu. 195.* Aversa *de Matrim. quæst. 7. sect. 5.* fere in principio. Pontius *lib. 5. cap. 36. nu. 1.* Sanchez *lib. 3. disp. 65. n. 3.* Reginaldus, & Gutierez *ll. cc.* Ordinarius autem denunciato sibi à
Parocho, seu ab aliis, hujusmodi impedimento, li- 153
cet etiam alias sciret, Conjuges fuisse pro foro conscientiæ dispensatos, immo ipsemet secreto dispensasset, nihilominus, ex quo sibi, uti Judici, impedimentum denunciatur, & Dispensatio facta non prodest pro foro externo, tenetur partes Judicis assumere, justitiam ministrare, de impedimento cognoscere, & Conjuges separare, vel matrimonium interdicere, donec fuerit alia Dispensatio à Pontifice per Conjuges impetrata pro utroque foro; vide Doctores supra proxime citatos, quibus addo Navarrum *lib. 5. Consil. tit. de Privilegiis, cons. 5. in prima editione*. Pyrrhus Corrad. *in Praxi Dispensationum Apostolicarum, lib. 7. cap. 6. n. 35.*

Quando autem hoc casu dici possit impedimentum 154
esse occultum, dico quoad has Dispensationes illud impedimentum dici occultum, de quo publice non constat, nec facile constare potest, periculumque non est, ut in foro externo deregatur. Sanchez *lib. 2. disp. 37. nu. 11.* Trullenck *l. c. n. 14. in fine.*

Nota octavo, Episcopum posse in dicto casu urgen- 155
tis necessitatis, non solum per se ipsum dispensare, sed per alium quemcunque à se, quoad hoc specialiter delegandum, & deputandum, quia hæc facultas ipsi Episcopo competit ratione propriæ dignitatis, & quasi ordinaria potestate, cum sit perpetua, & concedatur ratione muneris, seu officii, quæ sunt conditiones ordinariam Jurisdictionem constituentes. *Glossa in cap. fin. de. Offic. Ordinarii.* Sanchez *lib. 2. disp. 40. n. 14.* Pontius *lib. 8. cap. 6. n. 9.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 12. vers. Notandum.* Coninck. *disp. 33. n. 33.* Bossius *Moral. Var. part. prim. titul. pr. n. 1275.* Gutierez *de Matrim. cap. 49. n. 14.* Barbosa *alleg. 35. n. 14.* Sperellius *decis. 116. nu. 73.* Jurisdictio enim ex Principis privilegio competens, non personæ, sed perpetuæ
Dignitati, vel Officio, non est delegata, sed ordina- 156
ria, Jurisdictioniique ordinariæ jura habet. Sanchez *d. n. 14. & lib. 8. disp. 2. nu. 10.* Barbosa *l. c. n. 15.* Salas *de Leg. disp. 20. sect. 13. n. 106.* Covarruv. *Var. Resol. lib. 3. cap. 20. nu. 6. & n. 9.* & sic intrat hoc casu
Regula, quod qui potest dispensare, potest ipsam Di- 157
spensationem delegare. Sanchez, & Barbosa, *uterque nu. 14.* Pontius, & Diana *ll. cc.* & quamvis Episcopus, & Vicarius unum & idem Tribunal constituant, ut alibi diximus, & præcipue dicemus *lib. 3. cap. ultimo*,
tamen quoad hujusmodi Dispensationes non poterit 158
Vicarius se ingerere, nisi in Mandato id specialiter contineatur, quia Dispensatio habetur ad instar restitutionis in integrum, quæ in generali mandato non
continetur *l. Illud. ff. de Min.* Sanchez *d. disp. 40. n.* 159
12. & cum Dispensatio sit ex arduis, non venit in generali mandato, in quo ardua non comprehenduntur. Puteus *decis. 53. nu. 2. lib. 3.* Lotherius *de Re Benef. lib. pr. quæst. 28. nu. 123.*

Immo nec dispensare poterunt in hujusmodi impedi- 160
mentis habentes privilegium dispensandi in casibus Episcopalibus, & matrimonialibus, quia dicti casus competunt Episcopo, non Jure proprio, Ordinario, sed ratione illius præcisæ, & urgentis necessitatis, ex qua præsumitur sibi concessa facultas dispensandi, ut diximus; unde non dicuntur proprie casus Episcopales, cum ex eorum institutione ad solum Pontificem spectent, licet ex quadam benigna Juris interpretatione censeantur Episcopo concessi, ut bene animadvertunt Sanchez *nu. 9.* Barbosa *nu. 92. ll. cc.* Aversa *quæst. 19. sect. 2. vers. Nono in casibus*, circa finem: Trullenck. *nu. 18. l. c.*

Nota nono, in hujusmodi impedimentis dirimenti- 161
bus non solum posse Episcopum dicto casu eveniente dispensare, sed posse etiam in illis dispensare Legatum à Latere in Provincia sibi assignata, cum habeat in illa eandem potestatem, quam habet Episcopus in suo Episcopatu, quamvis non majorem. Coninck. *d. disp. 33. dub. 3. n. 35.* Trullenck. *n. 20. l. c.* Aversa *d. q. 7. 2. vers. Hinc tandem.* Sanchez *lib. 8. disp. 6. n.*
15. unde in casibus, in quibus permittitur Episcopis 162
Dispensatio, permittitur etiam Legatis pro sua Provin-

vincia, & consequenter arbitrarium erit Dispensatione egentibus adire Legatum, vel Episcopum; si tamen
163 adesset alius, qui à Pontifice haberet expressam, & specialem potestatem dispensandi in casu illo, & in præciso impedimento, de quo agitur, & is possit adiri, tunc, cum cesset dicta necessitas, cessat etiam consequenter præsumptio mentis Pontificis, quod possit Episcopus, vel Legatus eo casu dispensare; nisi dicta potestas à Pontifice expresse delegata, restricta
164 esset ad tales circumstantias, aut conditiones, ut observari non possent, quia tunc resurgeret necessitas recurrendi ad Episcopum, vel Legatum, & ab eis obtinendi Dispensationem, ut bene prædicta docet dictus Aversa *d. sect. 2. vers. Hinc tandem*.

165 Capitulum etiam poterit, Sede Episcopali vacante, in hujusmodi impedimentis, & casibus dispensare, quia quoad hoc eandem habet auctoritatem, & potestatem, quam habet Episcopus, cum etenim hæc potestas Episcopo competat Jure Ordinario, Capitulum in ea succedit. Sperellius *decis.* 111. *nu.* 38. Trullenck. *l. c.* & nos diximus *lib. prim.* quamvis
166 alias non possit Capitulum, & eo minus ejus Vicarius, Sede Vacante, in irregularitatibus, & impedimentis occultis, vigore Concilii *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* quia id Episcopis, eorumque Vicariis specialiter Delegatis competit, non Jure ordinario, sed extraordinario, ut patet ex verbis ipsius Concilii, & animadvertunt Sperellius *decis.* 31. *nu.* 7. Suarez *tom.* 5. *de Cens. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 13. & alii.

167 Commissarius etiam Cruciatæ potest, pro conscientiæ foro dispensare cum his, qui invalide contraxerunt, cum impedimento occulto affinitatis, ortæ ex copula fornicaria in primo, vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quam rectæ, si concurrant infrascriptæ conditiones, nempe, matrimonium fuerit jam cum dicto impedimento contractum, servata forma Concilii, impedimentum sit occultum: bona fides habita, saltem ex parte unius Conjugis. Quod ignorans moneatur de nullitate matrimonii, quamvis necesse non sit ei manifestare præcisam causam nullitatis; vide Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *n.* 23. Trullenck. *l. c. nu.* 21. Pontium *lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 8. qui ulti-
168 mus dictam conditionem admonendi ignorantem non approbat, dicit tamen posse istum Commissarium legitimare solum quoad Ordines, & Beneficia, prolem ex hujusmodi matrimonio susceptam, post notitiam utriusque Conjugis de impedimento. Poterit
169 insuper iste Commissarius dispensare in impedimento orto ex affinitate superveniente, ad petendum debitum, ex Bulla Latina. Pontius *l. c. nu.* 10. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 15. *n.* 13.

170 Differt autem potestas dicti Commissarii à potestate Episcopi in multis. Primo, quia Episcopus non potest dispensare, quando est recursus ad Pontificem, vel alium, potestatem ab ipso Pontifice habentem; at Commissarius potest etiam præsente Pontifice. Secundo, quia Commissarius in solo impedimento affinitatis ex copula fornicaria provenientis dispensat, & numquam ante contractum matrimonium, & quando dispensat, tenetur alterum Conjugem de nullitate prioris consensus monere; Episcopus vero potest in omnibus impedimentis Jure Pontificio dirimentibus, & aliquando etiam ante contractum, ut diximus; nec est undequaque certum, desiderari alterum Conjugem certiorem fieri de prioris matrimonii nullitate. Tertio, potest Commissarius legitimare prolem susceptam ex matrimonio irrito propter solum impedimentum fornicariæ affinitatis, & potest eam legitimare quoad omnes Ordines, & quæcunque Beneficia Ecclesiastica; quia potestas legitimandi absolute ei conceditur: at Episcopus potest cum quocunque illegitimo dispensare ad solos Ordines minores, & unum Beneficium simplex; vide Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *à n.* 24.

171 Advertas tamen, quod si proles illegitima sit, eo quia fuit mala fides in utroque parente, ut quia ambo sciebant impedimentum, non potest a dicto Commissario legitimari, nisi dispenset etiam in matrimonio, & dictum matrimonium cum effectu contrahatur. Sanchez *d. disp.* 6. *n.* 26. quia Pontifex facultatem Commissario concedendo, id facit in gratiam matrimonii: at si Episcopus, vel Commissarius, dispensarent in matrimonio, sed non legitimarent Prolem, potest postea, vel ab eodem, qui dispensavit, vel ab altero ex eis, legitimari, quia Dispensatio, & Legitimatio sunt res diversæ; vide quæ diximus *lib. primo*.

Nuntii Hispaniæ solent etiam ipsi habere à Pon- 172
tifice facultatem dispensandi in impedimento publicæ honestatis, ex solis Sponsalibus orto, ante, & post contractum matrimonium, & prolem legitimandi, de qua facultate testatur Garcia *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. §. 4. *n.* 367. Episcopi Indiarum, ex privilegiis S. Pii V. sub die 4. Augusti 1571. & Gregorii XIII. die 25. Junii 1576. habent facultatem dispen- 173
sandi in gradibus ultra tertium, & cum Indis etiam 174
in omnibus Jure Divino non prohibitis, vel conjunctis, vel attinentibus, & aliquando etiam in im- 175
pedimentis dirimentibus, post matrimonium contractum, si occulta fuerint; vide Verricellium *de Missionib. Apostolicis*, *quæst.* 98. §. 14. *nu.* 63. & 64. *pag. mihi* 241. ubi tenorem dictorum privilegiorum adnotat. Missionarii Regulares dispensare 176
possunt cum Schismaticis, aut ab infidelitate conversis, ut remaneant in matrimonio antea contracto in gradibus Divina lege non prohibitis, vide apud dictum Verricellium *d. quæst* 98. *n.* 169. & 170. qui *n.* 176. mentionem facit de privilegiis concessis à Paulo III. Indis, ut possint contrahere in tertio, & in quarto gradu.

At privilegium à dicto Paulo III. concessum Reli- 177
giosis Societatis Jesu, ut possint dispensare cum Infidelibus ad Fidem conversis, qui in locis remotissimis existunt, & tempore infidelitatis matrimonium iniere in gradibus solo Jure humano prohibitis, ut in eo permanere valeant, est potius ad majorem abundantiam concessum, quam quod necessaria sit Dispensatio, quia matrimonium, tempore infidelitatis, contra solas leges Pontificias contractum, validum est. *cap. Gaudemus* 8. *de divortio*, & animadvertit Sanch. *lib.* 8. *disp.* 6. *n.* 29.

Nec desunt, qui asserant, Religiosos Mendicantes 178
cum aliis in privilegiis communicantes, si sint viri docti, & ad Confessiones ab Ordinario approbati, dispensare posse cum Conjugibus, qui affinitatem inter se contraxerunt, & hoc, vigore quorundam privilegiorum Julii II. & Martini V. de quibus meminerunt Sanchez *lib.* 8. *disp.* 16. *nu.* 8. & Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 11. prout & eosdem Mendicantes ex 179
privilegio à Leone X. concesso, dispensare posse cum iis, qui scienter, vel ignoranter matrimonium contraxerunt cum impedimento affinitatis, dummodo id notorium non sit, nec in Judicium deductum; de hoc tamen privilegio, an esset in usu, valde dubitant Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *n.* 28. & plures alii penes ipsum: ego vero, non modo istud, sed generaliter omnia alia privilegia Regularibus per 180
Summos Pontifices, cum clausula *Motus proprii*, ante annum 1631. concessa, nulla, & invalida censeo, cum hæc omnia de dicto anno 1631. ab Urbano VIII. Summo Pontifice revocata fuerint, ut testatur Lezana *Quæst. Regul. tom.* 3. *verbo*, *Affinitas n.* 4.

Facultas insuper antiquitus concessa quibusdam 181
Ministris Piorum Locorum, ut dispensare possent in quibusdam matrimonii impedimentis, & irregularitatibus, de anno 1562. à Pio IV. per suam peculiarem Constitutionem, quæ incipit, *De commisso*, revocata fuit.

Nota decimo, posse Episcopum, in dicto casu ne- 182
cessitatis urgentis dispensare, non solum si impedimentum sit consanguinitatis, vel affinitatis, sed posse etiam in quocunque alio (dummodo sit per Pontificem dispensabile) si supradicta requisita concurrant. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 40. *nu.* 3. & *lib.* 8. *disp.* 6. *nu.* 20. Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 3. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 71. quia cum facultas dispensandi præsumatur 183
Episcopo concessa ratione dictæ urgentis necessitatis, non est credibile, ut in casu tantæ necessitatis velit Pontifex sibi reservare Dispensationem, & Conjuges remanere remedio destitutos in tanto pe-

to periculo ; unde qualecunque sit impedimentum, dummodo dispensabile sit, præsumi debet mens Pontificis eo casu favorabilis, & benigna, nec refert si impedimentum procedat ex consanguinitate, vel affinitate, sive ex alia quacunque causa, quia cum militet in utroque casu eadem ratio, eadem dispositio, & benigna interpretatio fieri debet, *l. Si postulaverit, §. ratio, ff. de adult.*

184 Hanc doctrinam amplia, itaut dispensare possit ex consimili ratione, quamvis impedimentum esset Voti simplicis Castitatis, quod Jure Divino matrimonium impedit, si magnum incontinentiæ periculum adsit, nec possit consuli Pontifex. Sylvester *verbo Dispensatio, n.* 15. Navarrus *in Summa, cap.* 1. *num.* 86. Sanchez *lib.* 2. *dict. disp.* 40. *n.* 7.

185 Amplia secundo, ut dispensare possit, ut supra, quamvis plura essent impedimenta dirimentia, quia adhuc eo casu militant rationes supra adductæ, nec potestas dispensandi, concessa in dictis casibus Episcopo, est restricta ad unum solum impedimentum, sed concessa censetur, ut dispenset cum impedito ; & sicut extrema necessitas tollit reservationem, comparatione simplicis, ita tollit, comparatione misti. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 40. *n.* 6. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 27. *n.* 204. Pontius *lib.* 8. *c.* 13. *n.* 3. Trullenck *d. cap.* 19. *dub.* 1. *n.* 16. Aversa *q.* 19. *d. sect.* 2. *vers. Quarto admittitur*. Diana *p.* 8. *tract.* 3. *resol.* 79.

186 Amplia tertio, ut Episcopus dispensare possit, ut supra, quamvis contrahere volentes divites sint, si alia requisita concurrant, cum adhuc in eis dari possit casus urgentis necessitatis Dispensationem obtinendi, v. gr. ex distantia ab Urbe, & urgenti periculo incontinentiæ, vel ex urgenti suspicione infamiæ, & delicti confessi ; maxime si ex parte fœminæ ortum sit impedimentum. Ita Pontius *lib.* 8. *c.* 13. *d. n.* 3. Sanchez *d. disp.* 40. *n.* 5. Reginald. *d. c.* 27. *n.* 204. Diana *p.* 8. *tract.* 3. *resol.* 78. *& resol.* 96. Trullenck *d. dub.* 1. *n.* 15. *circa finem*.

187 Amplia quarto, & dic probabiliter, solam paupertatem, & inopiam esse sufficientem causam, ut Episcopus dispensare possit, si matrimonium sit bona fide contractum, impedimentum occultum, & scandalum ex separatione timeatur, Pontius *loc. cit.* Et

188 quamvis nonnulli existiment, in casu inopiæ Conjugum, Episcopum teneri erogare pecunias pro itinere faciendo, & Dispensatione impetranda, tamen longe probabilius est, non eum teneri, sed eo casu dispensare posse, ut bene docent Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 3. Leoncill. *de Opibus Paupertatis, p.* 2. *priv.* 85. *n.* 2. Merolla *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 7. *in fine* ; Reginaldus *lib.* 31. *cap.* 27. *num.* 204. Diana *p.* 8. *tract.* 3. *res.* 71. Salas *de Legib. disp.* 22. *sect.* 3. *nu.* 17. Escobar *Theol. Mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 4. *vers. Potestne &c.* quia non desunt alia opera magis proficua, & meliora, in quibus possit Episcopus suos reditus implicare.

189 Nota undecimo, quando in casibus permissis dispensatur ab Episcopo, cum hujusmodi Dispensatio pro sola conscientia fiat, & pro occultis impedimentis tantum, non est facienda coram Notario, & testibus, nec sunt explicanda nomina personarum, quibuscum dispensatur, ne impedimentum publicetur ; sed tacitis nominibus, possunt expediri Literæ, prout pro eodem conscientiæ foro à Sacra Pœnitentiaria expediuntur.

190 Immo etiam absque ullis Literis, sufficit intimare Confessario, vel Partibus, eam Dispensationem fuisse factam, ut bene docet idem Sanchez *libr.* 8. *disp.* 6. *n.* 27.

Nota demum, juxta veriorem Doctorum sententiam, non posse Episcopum in hujusmodi Dispensationibus faciendis imponere, etiam per modum commutationis, aliquam mulctam pecuniariam ; quia cum eo casu dispenset in lege Superioris, non potest ex contractu imponere obligationem pretio æstimabilem ; aliter enim redoleret Simoniam ; ita ex Castro Palao, Soto, Ludovico Lopez, & aliis, docet Diana *p.* 8. *tract.* 3. *resol.* 22. ita & Merolla *disp.* 4. *n.* 6. *dub.* 13. *num.* 217. *tom.* 2. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 14. *n.* 2. ubi excipit Dispensationem super Voto ; & tamen dicit, contrariam opinionem esse probabilem, quod idem confirmat idem Diana *loc. cit.*

CAPUT III.

De Impedimento Consanguinitatis, & an, & quando super eo dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Consanguinitas definitur, & explicatur usque ad* num. 5.
6 *Linea definitur.*
7 *Linea est nomen collectivum, comprehendens masculos, & fœminas.*
8 *Gradus definitur.*
9 *Generatio inter duos terminos versatur, videlicet, inter generantem, & generatum.*
10 *Stipite dicitur ille, à quo communiter descendunt illæ personæ, de quarum consanguinitate quæritur.*
11 *Consanguinei nomen, de Jure Canonico, intelligitur de eo, qui quoquomodo conjunctus est, vel ex parte patris, vel matris.*
12 *Cognatio, & Agnatio, in quo differant, & qui dicantur agnati, & cognati, &* n. 14.
13 *Differentia inter Agnationem, & Cognationem Jure communi sublata est.*
14 *Spurii, & vulgo quæsiti, non habent Agnationem, nec eam conservant,* n. 17.
15 *Spurii non veniunt de Jure Civili nomine consanguineorum, nec dicuntur de Familia,* n. 16.
18 *Spurii dicuntur sanguine conjuncti, & propinqui.*
19 *Illegitimi, & spurii dicuntur ex eodem sanguine procedere, inspecto Jure naturali.*
20 *Affinitas constituit impedimentum matrimonii, sive sit inter affines legitimos, vel illegitimos, absque ullo discrimine.*
21 *Spurii, & illegitimi non veniunt sub verbis, nec dicuntur de Familia, Domo, Casata, & similibus, &* n. 22.
23 *Spurii, & illegitimi veniunt sub verbis naturæ, ut conjunctus, consanguineus, pater, filius, nepos, &c.*
24 *Linea consanguinitatis est triplex, scilicet, Ascendentium, Descendentium, & Transversalium.*
25 *Linea transversalis est duplex, scilicet, æqualis, & inæqualis, & earum exempla afferuntur.*
26 *In linea recta Dispensatio concedi non potest.*
27 *Computatio graduum in linea recta quomodo fiat.*
28 *In computatione lineæ rectæ Jus Civile, & Canonicum conveniunt.*
29 *In linea transversali æquali, de Jure Canonico, computatio graduum quomodo fiat, & afferuntur exempla,* n. 30.
31 *Computatio graduum quomodo fiat, quando contrahere volentes conjuncti sint pluribus gradibus, ex diversis stipitibus,* n. 32.
33 *Consanguinitas, quando dicatur duplicata, & tunc computatio graduum quomodo fiat,* n. 34.
35 *Consanguinitas, quando dicatur quadruplicata, & computatio graduum, quomodo debeat fieri.*
36 *In linea transversali inæquali computatio quomodo sit facienda, & datur exemplum.*
37 *Dispensatio super gradibus inæqualibus, ab uno stipite descendentibus, fit super gradu remotiori, & non super proximiori.*
38 *Dispensatio in gradu proximiori non est necessaria sed in Literis declaratur, hujusmodi gradum non obstare, & de ratione,* n. 39.
40 *Literæ declaratoriæ, proximiorem graduum non obstare, an, si omittantur, invalident Dispensationem, & iterum sint expediendæ, &* n. 41. *affirmative de consuetudine,* n. 42.
43 *Si petatur Dispensatio super primo, & secundo gradu à communi stipite, hujusmodi Literæ declaratoriæ non dantur, cum in utroque requiratur Dispensatio.*

44 *In*

44 *In linea collateralium, quæ ſit differentia in computandis gradibus inter Jus Canonicum, & Civile, & quomodo in Jure Civili fiat hujuſmodi computatio, &* n. 45.
46 *Et quomodo ex Jure Canonico.*
47 *Matrimonium inter collaterales antiquitus vetitum erat uſque ad ſeptimum gradum.*
48 *Impedimentum hodie, tam conſanguinitatis, quam affinitatis, redactum eſt ad quartum gradum incluſive, & de ratione,* n. 50.
49 *In ulterioribus vero gradibus quoad alios effectus remanet ut prius.*
51 *Indi Neophitæ novi Orbis non impediuntur contrahere ultra ſecundum gradum, etiam abſque Diſpenſatione.*
52 *Diſpenſatio in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis an dari poſſit.*
53 *Impedimentum in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, an ſit de Jure Divino.*
54 *In linea recta Aſcendentium, & Deſcendentium matrimonium prohibetur in infinitum, & de ratione,* nu. 55. 56.
57 *Quod procedit de Jure Naturæ.*
58 *Et nunquam uſque adhuc in linea recta invenitur diſpenſatum.*
59 *Limita, ut de veriori opinione non habeat locum, ſed tantum reperiatur prohibitum in primo gradu conſanguinitatis dictæ lineæ, & in cæteris poteſt diſpenſari.*
50 *Filius dicitur pars patris, & una caro, & ſubſtantia cum ipſo,* n. 61.
62 *Matrimonium inter perſonas primi gradus eſt irritum, etiam inter infideles, & ab eo omnes abhorrant* nu. 63.
64 *Matrimonium in primo gradu lineæ tranverſalis, nempe inter fratrem, & ſororem, an ſit prohibitum Jure Naturæ; & an valeat diſpenſari, &* num. 65. 66. *de opinione affirmativa probabiliori,* nu. 67. 68.
69 *Pontifex, excepto primo gradu utriuſque lineæ, rectæ ſcilicet, & tranverſalis, cauſa juſta interveniente, diſpenſare poteſt in omnibus aliis gradibus.*
70 *Etiamſi in linea inæquali combinarentur primus, & ſecundus gradus, & ſic eo fortius in cæteris.*
71 *Papa diſpenſare poteſt in toto Jure Canonico.*
72 *Papa eſt æqualis Concilio, ſi in ipſo includitur, at ſi non includatur, eſt ſupra Concilium.*
73 *Papa in ſecundo gradu diſpenſare ſolet, nedum inter magnos Principes, verum etiam cum perſonis inferioris conditionis, & ex qua cauſa.*
74 *Diſpenſatio an requiratur ſi matrimonium contrahatur inter conjunctos in primo, & quinto gradu; diſtingue inter lineam rectam, & tranſverſalem,* num. 75.
76 *In tranſverſali non requiritur.*
77 *Tamen ad evitandum vulgi ignari ſcandalum, in aliquibus locis Ordinarius declarat, non requiri Diſpenſationem ex conſuetudine.*

FRequentiſſime occurrit, Diſpenſationem peti ſuper impedimento Conſanguinitatis, quapropter primo loco de hoc agam.

1 *Conſanguinitas eſt vinculum Perſonarum ab eodem Stipite propinquo deſcendentium carnali propagatione contractum.* Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *Diſp.* 50. *num.* 1. Bonaccina *de Matr. quæſt.* 3. *puncto* 5. §. 1. *propoſ.* 1. *num.* 3. Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 1. Averſa *de Matr. quæſt.* 16. *ſect.* 1. *in princ.*

2 Dicitur *Vinculum*, non formaliter, ſed quatenus Conſanguinei connectuntur in uno ſanguine.

3 Dicitur *Perſonam*, ad differentiam Brutorum, quæ non conjunguntur ob amicitiæ unitatem, ad propagationem multorum ex uno ſtipite immediate deſcendentium.

4 Additur *Ab eodem ſtipite propinquo*, cujus virtus perſeverat ſecundum quandam ſimilitudinem individuam in Deſcendentes, nam ſecundum ſtipitem remotum, & juxta ſimilitudinem ſpecificam, omnes dici poſſunt Deſcendentes Adæ.

Dicitur tandem *Carnali propagatione contractum*, 5 ad differentiam Angelorum, qui ab ipſo Deo immediate procedunt, & ad differentiam etiam Cognationis ſpiritualis, prout & legalis.

Diſtinguitur hujuſmodi Conſanguinitas per Lineas, 6 & Gradus; Linea eſt ordinata collectio Perſonarum ab uno ſtipite deſcendentium, gradus continens, & numeros diſtinguens: vide Soacium *ſuper Inſtitut. titulo* 10. *de Sponſ. part.* 2. §. *Quid ſit linea*, eſtque nomen collectivum, maſculos, & fœminas comprehendens. Carol. Marant. *Reſp. utr. Jur. reſp.* 28. *num.* 13. *part.* 3. & d. filiis incipiens Rota coram Merlino *deciſ.* 228. *numer.* 20.

Gradus eſt diſtantia unius perſonæ ad aliam, ſive 7 eſt habitudo diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quota Agnationis, ſeu Cognationis diſtantia duæ perſonæ inter ſe differant, & dicuntur gradus, ad ſimilitudinem ſcalarum, & locorum proclivium, quia ita gradimur de proximo in proximum, ſive ſurſum aſcenſuri, ſive deorſum deſcenſuri. *l. Juris Conſultus, §. Gradus, ff. de gradibus.*

Generatio inter duos terminos verſatur, ſcilicet 9 inter Generantem, & Generatum, unde, ut ſint quatuor Generationes, quinque perſonæ requiruntur. *cap. Parentelæ* 35. *qu.* 5.

Stipes dicitur ille, à quo communiter deſcendunt 11 perſonæ illæ, de quarum Conſanguinitate quæritur. Soacius *l. c.* Conſanguinei nomen, de Jure Civili, 12 multis modis ſumitur, ſed de Jure Canonico, intelligitur de eo, qui quoquo modo conjunctus eſt, vel ex parte Patris, vel Matris. Rota in poſthumis Farinacii *deciſ.* 571. *n.* 3. *& deciſ.* 616. *nu.* 3. *tomo* 2.

Cognatio, & Agnatio differunt, ſicut Genus, & 13 Species; nam omnes Agnati Cognati ſunt, at non omnes Cognati Agnati ſunt; ſed ii tantum dicuntur Agnati, qui per virilis ſexus cognationem juncti ſunt; quare idem Nomen, & eandem Familiam ſequuntur, ſive mares ſint, ſive fœminæ; & ſic Pater, & ejus filii, filiæque germani fratris ejus; fratrumque filii, & filiæ, Agnati dicuntur. *l.* 10. *ff. de gradib.* Hæc tamen differentia inter Agnationem, & Cognationem, jure communi ſublata eſt. *l. Miminimus, C. de legitimis hæredibus*; Rota coram Durano *deciſ.* 36. *num.* 34. Afflictus *deciſ.* 96. *num.* 9. Lælius Altogradi *conſ.* 51. *nu.* 5. *lib. pr.* Molfeſ. *tom.* 1. *part.* 5. *quæſt.* 11. *num.* 24.

Spurii, ſeu vulgo Quæſiti, non intelliguntur habere Agnatos, quia jus Agnationis à Patre deſcendit; jus vero Cognationis à Matre, quæ ſemper certa eſt, *ff. de gradib. l. Juris Conſultus*, §. *Nomen, & ſeqq. &* §. *Unde Cognatio*; & quamvis de jure Civili hi non veniant ſub nomine Conſanguineorum: *l. ſi ſpurius, ff. Unde Cognati*. Rota *deciſ.* 616. *num.* 1. *part.* 4. *recent.* nec dicantur de Familia. Gabr. *conſ.* 195. *num.* 5. *lib.* 1. Gratianus *Diſcept. Forenſ. cap.* 218. *num.* 18. *tomo* 2. Ludovicus *deciſ.* 433. *num.* 27. *& num.* 23. *in Addit.* Cævall. *Qu. comm.* contra *commun. quæſt.* 757. *num.* 47. *&* 48. Merolla *tom.* 3. *Diſp.* 6. *cap.* 8. *Dub.* 36. *num.* 227. nec per eos 17 Agnatio conſervetur. Mantic. *deciſ.* 319. *num.* 7. dicuntur tamen ſanguine conjuncti, & propinqui. A- 18 lex. de Nevo *conſ.* 32. *num.* 4. Rota *deciſ.* 571. *num.* 4. *dicta part.* 4. *recent.* cum non poſſit negari, quin 19 jure naturali inſpecto, etiam illegitimi, & Spurii ex eodem ſanguine procedere dicantur. Reginaldus *lib.* 31. *cap.* 20. *num* 140. Rota *inter deciſ. impreſſas per Vivianum poſt Praxi Juris Patronatus, quæ eſt in ordine* 45. *num.* 2. & proinde, quoad matrimonii im- 20 pedimentum, & neceſſitatem impetrandi Diſpenſationem, nullum diſcrimen eſt inter Affines illegitimos, & legitimos, ut pluribus probant Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſa* 5. *n.* 126. Trullenck *Oper. Mor. l.* 7. *c.* 9. *dub.* 15. alia enim ſunt verba juris, prout ſunt Fa- 21 milia, Agnatio, Cognatio, Domus, Caſata, Genus, Proſapia, Progenies, Stirps, ſeu Stipes, Sanguis, Conſanguinitas, Parentela, & ſimilia, & tunc ſpurii, & illegitimi non veniunt, quia de Jure 22 non dicuntur de Familia, Dominio, Agnatione, nec etiam de Parentela Patris. Felin. *cap. Nonnulli.* §. *Sunt & alii num.* 55. *de Reſcript.* Garcia *de*

Benef.

23 *Benef. part. 7. cap. 15. n. 40.* & plures alii penes ipsum; alia autem sunt verba naturæ, ut Conjunctus, Consanguineus, Cognatus, Pater, Filius, Nepos, Parentes, Liberi, & Descendentes, & tunc comprehenduntur spurii, & illegitimi, & ab illis descendentes; optime Garcia *l. c. n.* 43.

24 Linea Consanguinitatis triplex est; una secundum habitudinem principii ad eos, qui inde derivantur, ut Filius, Filia, Nepos, Neptis, Pronepos, Proneptis, Abnepos, Abneptis: & hæc dicitur Descendentium, altera est Ascendentium, & in hac sunt Pater, Mater, Avus, Avia, Proavus, Proavia, Abavus, Abavia; tertia est habitudo eorum, quorum neuter, at nullus ab altero, sed uterque, aut omnes ab eodem principio descendunt, ut sunt Frater, Soror, Filii duorum Fratrum, sive Patrueles, sive Filii duarum Sororum, qui Consobrini dicuntur, & eorum respective Filii, sive Filii dictorum Filiorum; & hoc, sive æqualiter descendant, sive inæqualiter, & sic duæ lineæ descendentes faciunt unam transversalem; v. gr. Filii duorum Fratrum attinent sibi in linea transversali, & tamen quilibet eorum descendit recta linea ab eorum communi Avo, licet sint in linea diversa ab alia; unde sunt in duobus lineis recte descendentibus, & in una transversali; & sic de omnibus aliis intelligi debet, tam remotioribus, quam propinquis: Hæc autem linea transversalis duplex est, 25 scilicet, æqualis, ut quando duæ Personæ æqualiter distant à stipite, ut sunt Fratres, Sorores, Patrueles, & Consobrini, & horum Filii, & Nepotes; vel est inæqualis, ut quando duæ Personæ inæqualiter distant à Stipite communi, ut sunt Fratres, vel Amita, & Fratris filii, vel Magnus Patruus, vel magna Amita, & Fratris eorum Nepotes, Magnus Propatruus, vel magna Proamita, & Fratris eorum Pronepotes; & sic etiam Avunculus, & Matertera, Magnus Avunculus, & Magna Matertera, Magnus Proavunculus, Magna Promatertera, cum Sororum Filiis, Nepotibus, aut Pronepotibus, ut facile ex schemate, quod oculis subjicitur, cerni potest.



Pro declaratione dicti Schematis animadverti debet, quod Gradus conjuctionis omnium Personarum supra in eo contentarum, intelligi debent cum ordine ad Personam Sponsi, seu Sponsæ, itaut, v. gr. Proavus ipsius Sponsi, vel Sponsæ, sit ipsi conjunctus tertio gradu, Patruus in secundo, Abnepos in quarto, & sic non poterunt Sponsi cum ullis ex descriptis in Schemate Matrimonium contrahere.

26 Pro linea recta quatuor tantummodo gradus Ascendentium, & totidem Descendentium sunt appositi pro norma, seu regula Lineæ transversalis, quæ infra quatuor Gradus habet prohibitionem ad contrahendum; non tamen quia in dicta Linea recta dispensandum sit, cum nunquam visum fuerit, vel auditum, fuisse in illa dispensatum, & probabilissimum sit, dispensari non posse, per ea, quæ infra dicemus.

27 Pro Linea recta Ascendentium, & Descendentium, quot sunt Personæ, computatis intermediis, & dempto stipite, tot sunt Gradus; exempli Gratia

Petrus
Joannes
Franciscus, &
Jacobus

Si velis scire, quoto Gradu conjuncti sint Petrus Stipes, & Jacobus, enumera Personas, quæ sunt quatuor, dempto stipite, remanent tres; tertio itaque Gradu conjuncti sunt; unde, juxta præsentem regulam, Pater, & Filius sunt in primo Gradu; Avus, & Nepos in secundo; Proavus, & Pronepos in tertio; Abavus, & Abnepos in quarto, & sic deinceps, & in hoc concordant Leges Civiles, & Canones. 28 Portius *super Instit. libr. 3. titul. 6. de Gradibus Cognationem.*

gnationum numer. 5. Tuſchus *concluſ.* 46. *numer.* 2. *Lit. G.*

Pro linea traſverſali æquali, de Jure Canonico, quoto Gradu ſingulæ Perſonæ diſtant à communi ſtipite, toto diſtant inter ſe, & in computo Graduum numerantur omnes Perſonæ, comprehenſis etiam illis, de quorum Conſanguinitate quæritur, ſolo ſtipite dempto, ut ex inſpectione Arboris infraſcriptæ.

Dominicus

Franciſcus	Paulinus
Vincentius	Joannes
Thomas	Benignus
Vincentius Sponſus	Dorothea Sponſa.

30 Unde clare dignoſcitur Franciſcum, & Paulinum, qui ſunt primo conſanguinitatis gradu conjuncti Dominico ſtipiti, primo etiam gradu eſſe inter ſe: Vincentium filium Franciſci, & Joannem, qui à ſtipite diſtant ſecundo gradu, diſtare ſimili inter ſe: & ſic Thomas, & Benignus, tertio, & Vincentius & Dorothea Sponſi, quarto conſanguinitatis gradu conjuncti ſunt; & in omnibus caſibus, dum quæritur de conſanguinitate aliquarum perſonarum, ſemper recurri debet ad communem ſtipitem, à quo ambo Sponſi communiter deſcendunt, dicendo ſic: Dominicus ſtipes habuit duos filios, Franciſcum, & Paulinum; Franciſcus genuit Vincentium, qui genuit Thomam, à quo natus eſt Vincentius Sponſus: Paulinus frater Franciſci genuit Joannem, à quo natus fuit Benignus pater Dorotheæ Sponſæ: Unde regula generalis traditur, ut ad dignoſcendum gradus conſanguinitatis inter aliquas perſonas exiſtentis, ſemper à communi ſtipite ſit inchoandum; nulla enim alia ratione perſonæ, quæ ſunt in uno latere, habent habitudinem, ſeu ordinem ad eos, qui ſunt in alio, niſi ob ſtipitem, in quo lineæ uniuntur; & dicto modo deſcendendo, æqualiter computari debet per ambas lineas, quouſque contrahere volentes occurrant, & hac ea-
31 dem regula uti poſſumus, quamvis pluribus gradibus, ex diverſis ſtipitibus provenientibus, Sponſi conjuncti ſint, quia ſemper ad communes ſtipites recurri debet. Et ad dignoſcendum, quot ſint gradus conſanguinitatis, quibus contrahere volentes impediantur, conſiderandum eſt, an à diverſis ſtipitibus impedimenta proveniant, ut in Arboribus infraſcriptis diverſimode exemplificabimus, v. gr.

Franciſcus Stipes		Petrus Stipes	
Cæſar Vir Claræ	Pompejus	Clara Uxor Cæſaris	Andreas
Franciſcus	Joannes	Franciſcus	Jacobus
Joſeph	Philippa	Joannes	Benignus
Antonius Sponſus	Eliſabeth Sponſa.	Antonius Sponſus	Eliſabeth Sponſa.

32 Ex cujus Arboris inſpectione clare dignoſcitur, Antonium, & Eliſabeth Sponſos, ultimo loco, prout ſupra poſitos, eſſe duplici quarto conſanguinitatis gradu conjunctos ex duobus ſtipitibus; quia ſub uno, ideſt Franciſco, eſt Joannes pater Antonii Sponſi, & Philippa mater Eliſabeth Sponſæ; & ſub altero ſtipite Petro, ſunt Benignus pater Eliſabeth, & Joannes pater Antonii Sponſi: dictum vero duplex impedimentum ex eo provenit, quia Cæſar, filius Franciſci ſtipitis, duxit in uxorem Claram filiam Petri alterius ſtipitis.

33 Aliquando etiam duplicatur conſanguinitatis, eo quod duo fratres acceperint in uxores duas ſorores; v.gr.

Antonius Stipes		Carolus Stipes	
Paulus Vir Franciſcæ	Franciſcus Vir Magdal.	Franciſca Uxor Pauli	Magdal. Uxor Franciſci
Jacobus	Benedictus	Jacobus	Benedictus
Rubertus	Petrus	Robertus	Petrus
Petrus Sponſus	Clara Sponſa.	Petrus Sponſus	Clara Sponſa.

34 Duplicatur inſuper conſanguinitas, ſi perſonæ, de quarum conſanguinitate quæritur, deſcendant ab uno communi ſtipite, mediantibus tribus fratribus, ſeu ſororibus, v. gr.

Antonius

Petrus	Jacobus	Joannes
Franciſca	Michael	Thaddæus
Antonia	Benignus	Thomas
Vincentius Sponſ.	Dorothea Sponſ.	Vincentius Sponſ.

Ubi eſt animadvertendum, quod pro concluſione duplicis quarti, repeti debet deſcendentia Jacobi fratris dictorum Petri, & Joannis, computando ipſum Jacobum; unde cum Antonia mater Vincentii, Benignus pater Dorotheæ, & Thomas pater Vincentii deſcendant ab Antonio eorum communi ſtipite, erunt conſequenter ipſi Vincentius, & Dorothea Sponſi, duplici quarto conſanguinitatis gradu conjuncti, & conſimili
35 modo formari poterunt quæcunque Arbores conſanguinitatis, quamvis quadruplici quarto Sponſi ſint conjuncti; cujus quadruplicis quarti Arbor hic ſubnectitur.

Joan-

Joannes		
Benignus	Franciſcus	Jacobus
Petrus	Tereſia	Magdalena
Flaminia	Benignus	Thomas
Vincentius Sponſ.	Dorothea Sponſ.	Vincentius Spōſ.

Petrus		
Philippa	Thomas	Clara
Franciſcus	Ferdinandus	Joannes
Benignus	Thomas	Philippus
Dorothea Sponſ.	Vincentius Sponſ.	Dominicus Sponſ.

Ratio hujuſmodi quadruplicis quarti eſt, quia Thomas, & Flaminius, Genitores Vincentii Sponſi, cum eſſent tertio conſanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium inter ſe, prævia Diſpenſatione contraxerunt; & ſimiliter Benignus, & Philippa, parentes Dorotheæ Sponſæ, cum eſſent tertio conſanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium inter ſe, cum Diſpenſatione, inierunt.

Quomodo autem dicti Sponſi deſcendant, jam præ oculis habemus, quod in principio harum Arborum, demptis ſtipitibus, Benignus eſt vir Philippæ, Thomas eſt vir Franciſcæ, & Jacobus eſt vir Claræ.

36 Pro linea tranſverſa inæquali diverſa regula aſſignatur, quia quoto gradu remotiores diſtant à communi ſtipite, toto diſtant inter ſe, juxta regulam traditam à Gregorio IX. *cap. Vir qui, de conſ. & affin.* exempli gratia.

Titius Stipes	
Alexander	Minerva
Sempronius	Cajus
Sejus Sponſus	Honuphrius
	Franciſca Sponſa

Et ſic, juxta traditam regulam, Sejus, & Franciſca Sponſi, diſtant inter ſe tertio, & quarto gradibus, quia Sejus diſtat à ſtipite tertio, & Franciſca ab eodem ſtipite diſtat quarto.

Quamvis tamen dicti Sponſi diſtent inter ſe tertio, & quarto gradibus, ut dictum fuit, nihilominus, quando Diſpenſatio conceditur ſuper gradibus
37 inæqualibus, ab uno communi ſtipite provenientibus ut in ſupradicta Arbore proponitur, ſuper ſolo remotiori gradu diſpenſatur; cum is tantum obſtet matrimonio, & trahat ad ſe, & imbibat proximiorem. Covarruv. *tom. prim. part. 2. cap. 6. §. 10. nu. 12.* Sanchez *lib. 8. diſp. 24. num. 24. & 25.* Gutierez *de Matr. cap. 124. num. 11.* Barboſa *in Votis Canonicis, lib. 1. vot. 3. nu. 5. & 6.* Averſa *de Matrim. quæſt. 16. ſect. prim. verſ. Secluſo*: Piaſecius *in Praxi Epiſc. part. 2. cap. 40. num. 35.* Donatus Antonius de Marinis *Reſol. Quotid. lib. 1. cap. 267. numer. 4.* Tuſchus *concluſ. 476. numer. 2. lit. D.* Marcus Antonius Genuenſ. *in Praxi Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ, c. 20. n. 10.* & faciunt dicta per Lælium Altogradi *conſ. 47. n. 25. lib. 2.* Unde ſi remotior gradus ſit extra quartum, nulla opus erit Diſpenſatione, ut dicimus infra; at ſuper propinquiori, licet
38 non diſpenſetur, cum Diſpenſatio ſuper eo neceſſaria non ſit, ut diximus, tamen dantur Literæ declaratoriæ, quod ejus diſtantia non obſtet.

Diſtantiam vero tertii conſanguinitatis gradus hujuſmodi eis non obſtare declares; & ſic expreſſe cavetur in Conſtitutione S. Pii V. incipiente *Sanctiſſimus Declaratorias Bullæ Pii IV. ſui Prædeceſſoris*, cujus tenorem ad verbum refert Pyrrhus Corradus *in Praxi Diſpenſat. Apoſt. lib. 7. num. 58.* quæ Literæ Declaratoriæ ideo fiunt, non quia propinquior gradus obſtet matrimonio, ut diximus, ſed ad tollenda ſcan-
39 dala plebis, Jura ignorantis, quæ putat non eſſe validam Diſpenſationem factam ſuper ſolo gradu remotiori, immo credit magis neceſſariam eſſe ſuper propinquiori, cum, juxta illius credulitatem, majorem proximitatem videatur inducere.

40 An autem hæ Literæ Declaratoriæ neceſſariæ ſint, itaut, illis non datis, invalida ſit Diſpenſatio, ſuper remotiori gradu conceſſa, plerique Doctores affirmant, non fuiſſe tempore antiquo neceſſarias; quicquid tamen fuerit tempore antiquo, dicendum
41 eſt, hodie ita neceſſarias eſſe ex ſtylo introducto, & ex declaratione Pontificis infra appoſita, ut ſi conceſſæ non fuerint, Diſpenſatio executioni demandari non poſſit. Bonaccina *de leg. diſput. 1. quæſt. 2. punct. 5. num. 17.* Barboſa *in Votis Canonicis, lib. 1. vot. 4. num. 16.* ubi refert, Urbanum VIII. Summum Pontificem declaraſſe nullam quandam Diſpenſationem factam à Vicario Toletano ſuper remotiori gradu, non præſentatis Literis Declaratoriis ſuper propinquiori, & copulam inter Conjuges interim habitam, inceſtuoſam fuiſſe; & filios ex tali matrimonio ſuſceptos, illegitimos, & propterea facultatem Delegato conceſſiſſe, ut ab excommunicatione, in quam Oratores incurrerunt, abſolverentur, & denuo in faciem Eccleſiæ, ac publice matrimonium contraherent, prolem legitimando &c. ut ex Literis propterea emanatis in forma Brevis, ſub Datum Tuſculi A. I. D. 1624. Nono Kal. Novembris, Pontificatus ſui anno ſecundo, quarum tenorem ad verbum refert idem Barboſa *l. c.* unde certum fit, non ſufficere in petenda Diſpenſatione, remotiorem tantum gradum exprimere, de qua re gravis ſemper fuit apud Doctores quæſtio, cum Summi Pontificis auctoritate deciſum ſit, neceſſarias eſſe hujuſmodi Literas Declaratorias, immo & neceſſe ſit exprimere in eadem Supplicatione remotiorem, & propinquiorem gradum, per ea, quæ diximus *lib. 1.*

Et ita ſe habet ſtylus Curiæ, ex quo factum eſt, 42 ut in eodem Reſcripto concedatur Diſpenſatio ſuper remotiori gradu, & dentur Literæ Declaratoriæ ſuper propinquiori, & ſi non fuiſſet facta mentio in eadem Supplicatione de proximiori, & remotiori, neceſſe eſt novas Literas expedire in forma *Perinde valere*, teſte Corrado *in d. Praxi, lib. 7. cap. 7. n. 56.* quicquid in contrarium docuerint Sanchez *libr. 8. diſp. 24. à num. 29.* Pontius *lib. 8. cap. 17. §. 5. n. 26.* Genuenſ. *d. cap. 20. n. 10.*

Si tamen petenda ſit Diſpenſatio ſuper primo, & 43 ſecundo à communi ſtipite, non dantur Literæ Declaratoriæ ſuper primo, ſed diſpenſatur ſuper utroque impedimento, ut diximus *lib. 1. cap. 4. n. 118.* quia quilibet ex dictis gradibus conſtituit impedimentum de per ſe.

Porro, quoad lineam collateralem eſt maxima dif- 44 ferentia in conſtituendis gradibus inter Canones, & Leges; quia ſecundum Canones, quos in materia Diſpenſationum matrimonialium ſequi debemus (cum Lex ſit minor Canone. Rebuffus *in Praxi Beneficiaria, Regula de Diſpenſat. in gradibus prohibitis, Gloſſa 2. prope finem, pag. mihi 374.* Sanchez *lib. 7. diſp. 50. n. 8.* Fuſarius *de Subſtitut. quæſt. 409. n. 56. & n. 96.* Bonacina *de Matrim. quæſt. 3. punct. 5. §. prim. propoſ. 2. in fine*: Barboſa *de Offic. & Poteſt. Epiſcop. alleg. 51. num. 161.*) Regulæ ſupra propoſitæ rite procedunt, ex quo, ſecundum ipſos Canones, duæ perſonæ collaterales conſtituunt unum gradum; at ſecundum Leges computari debet à perſona tranſverſali, de qua quæritur, aſcendendo uſque ad ſtipitem communem, & deſcendendo uſque ad alium tranſverſalem, & quælibet perſona in ipſis collateralibus facit unum gradum. *§. fin. Inſtit. de gradib. affin.* & ſic frater, & ſoror, qui, juxta dictum computum Canonum, ſunt in primo, ſecundum leges, ſunt in ſecundo. Patrueles nempe, duorum fratrum filii, qui per Canones conſtituuntur in ſecundo gradu, per Leges erunt in quarto, & ſic deinceps.

Aliquando etiam, ſecundum Leges gradui Cano- 45 nico adjiciuntur unus, vel plures, prout gradus diſtant; ſicut videre eſt in qualibet linea tranſverſali inæquali; unde, ſecundum leges, filius fratris diſtat à ſtipite, tertio gradu; fratris nepos, quarto; fratris pronepos, quinto: at ſecundum Canones, filius 46

fratris ab eodem ſtipite diſtat ſecundo gradu, fratris nepos tertio, & fratris pronepos quarto. Secundum Leges, fratris pronepos diſtat à ſorore ſtipitis, quinto; à dictæ ſororis filia, ſexto; & à ſororis nepte, ſeptimo: ſed per Canones, idem pronepos diſtat à qualibet dictarum perſonarum æqualiter, ſcilicet quarto gradu, ut in exemplo, ſeu Schemate ſupra deſcripto videri poteſt; & hæc omnia probantur 35. *quæſt.* 5. *cap. Ad Sedem Apoſtolicam* 2. *& per totum tit. ff. de Grad. Conſ.* vide Soacium *ſuper Inſtit. titul.* 10. *de Sponſ. part.* 2. §. *Quomodo gradus computentur, & ſeqq.* Lælium Altograd. *conſ.* 46. *&* 47. *lib.* 2. Tuſcum *concluſ.* 46. *lit. G.*

47 Cæterum, quamvis antiquo tempore matrimonium prohiberetur in collateralibus uſque ad ſeptimum gradum. *cap. Progeniem ſuam* 16. *cauſ.* 35. *quæſt.* 3. nihilominus tempore Pontificatus Innocentii Papæ III. in Concilio Lateranenſ. hujuſmodi impedimentum conſanguinitatis, prout & aliud affinitatis, quoad
48 matrimonium contrahendum, fuit univerſali lege reſtrictum ad quartum gradum incluſive, *ut cap. Non de-*
49 *bet* 8. *de conſ. & affin.* licet in ulterioribus gradibus, quoad alios effectus remaneat conſanguinitas ut prius; cum tanquam naturalis tolli non poſſit. Socius *ſuper Inſtitut. lib.* 1. *tit.* 3. §. *Sed & naturalia, n.* 3. Redenaſch. *conſ.* 53. *n.* 49. Michalor. *Tract. de Fratrib. cap.* 25. *n.* 38. *par.* 1. & ita etiam præſenti tempore obſervatur: vide Pontium *de Matr. l.* 7. *c.* 30. *n.* 1. ubi recenſet omnes Conſtitutiones, & Decreta, quibus ipſa matrimonii prohibitio inter conſanguineos emanavit; vide etiam Zerola *in Praxi Epiſc. part.* 1. *verbo Matrimonium, verſ.* 12. *ex matrimonio rato.*

50 Hujus autem reductionis rationem reddit D. Thomas *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt.* 1. *artic.* 4. nempe, quia in prima generatione evaneſcit vis primi, & ſubtiliſſimi elementi, & ſic deinceps de aliis, itaut in quarta generatione tota conſanguinitatis vis aboleatur. His adderem, nempe id factum fuiſſe, tum quia uſque ad quartum gradum facilius conſervatur memoria conjunctionis, & durare ſolet naturalis conſanguinitatis affectus, tum etiam quia multiplicitas impedimentorum, ut plurimum pericula animarum inducit, maxime quia tempore dictæ reductionis plura alia obſtabant impedimenta, nempe triplicis generis affinitatis, quod poſtmodum à Sacroſancto Concilio Tridentino prudentiſſime reſtrictum fuit ad ſolum primum genus, ut ſuo loco dicam: Et non ſolum fuit dictum impedimentum conſanguinitatis, & affinitatis reſtrictum ad quartum gradum incluſive, ut dictum fuit, ſed ex motu proprio Pauli III. Summi Pontificis, in omnibus Indorum Provinciis, In-
51 di Neophitæ novi Orbis non impediuntur contrahere ultra ſecundum gradum, ut teſtantur Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 35. & Pontius *lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *n.* 26. unde ſi hi ſint conjuncti primo, & tertio, vel ſecundo, & tertio gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, poſſunt abſque Diſpenſatione inter ſe contrahere, ut bene concludit Sanchez *l. c.*

52 Cæterum diſſident Doctores, quoad gradus conſanguinitatis, in quibus Diſpenſatio dari poſſit; & loquendo de primo, & ſecundo in linea inæquali; dubitat Rota *dec.* 746. *lib.* 3. *part.* 3. *diverſ.* an prohibeantur de Jure Divino; & tandem hanc Quæſtionem, tanquam valde difficilem, relinquit indeciſam, quia,
53 ut diximus, uterque ex dictis gradibus conſtituit ſuum proprium impedimentum, & conſequenter ſuper utroque diſpenſandum eſt, nec dantur Declaratoriæ ſuper primo, ut diximus *lib.* 1.

54 Alii ſatis probabiliter docent, in linea recta non poſſe in aliquo gradu diſpenſari; ſed in dicta linea in infinitum, eſſe matrimonium Jure naturali prohibitum; itaut ſi Adam viveret, nullam poſſet ducere uxo-
55 rem; & ducuntur, quia omnes Aſcendentes habent rationem principii, & Superioris; unde qui deſcendunt à ſtipite, ſui dicuntur; & filia, & ſtipes una caro probantur; & ſororis pronepotem quis ducere prohibetur, quia eſt ei loco parentis; & *in l. Nuptiæ conſiſtere* 53. *ff. de nupt. & Inſtit. de Nuptiis, §. Ergo ſancitur*, ut nuptiæ conſiſtere non poſſint inter perſonas illas, quæ in numero parentum, liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulterioris ſint gradus, uſque in infinitum; & in veteri Teſtamento, licet filii duorum fratrum, qui ſunt in ſecundo gradu, licite inter ſe contrahere poſſent, nihilominus inter materteram, & nepotem, qui pariter ſunt ſecundo gradu conjuncti, prohibebatur matrimonium, quia primo caſu eſt gradus tranſverſalis, in ſecundo vero eſt deſcendens, & ſecundum regulas Juris civilis, cujus filiam ducere non licet, ejus neque neptem permittitur; quod ſemper verum eſt in linea recta deſcendenti, ut Inſt. *de Nuptiis*, §. *Ejus vero mulieris, & §. Item amitam*; unde omnes illi, qui ſunt nepotes, vel neptes ſtipitis, ſui dicuntur, ut ſupra dictum fuit, & ſi contraheretur matrimonium inter Aſcendentes, & Deſcendentes, ultra inceſtum, & innumera ſcandala, & ſcelera, quæ ex hujuſmodi matrimoniis veriſimiliter orirentur, ordo naturæ confunderetur, eo quod principia generationis eſſent etiam generationis comites; hi enim eſſent parentes, & illi filii. Hæc autem prohibitio contrahendi inter 56
ſupradictos, dictatur ipſo lumine naturæ, ob reverentiam à filiis, ac deſcendentibus erga parentes, & aſcendentes debitam, cui reverentiæ repugnat actus matrimonialis, qui habet conjunctam quandam turpitudinem, & irreverentiam alterius ad alterum, omnino oppoſitam reverentiæ parentibus debitæ; & ob id etiam antiquis temporibus talia Conjugia prohibita fuerunt; & Romani ipſi, qui cæteros prudentia, & legum juſtitia facile ſuperarunt, eorum legibus expreſſe prohibuerunt, ne inter eas perſonas, quæ parentum, liberorumque locum obtinent, nuptiæ contrahi poſſent, veluti inter patrem & filiam, matrem & filium, avum & neptem, aviam & nepotem, & deinceps in infinitum, *ut l. nuptiæ, ff. de ritu nupt.* Et quod inter aſcendentes, & deſcendentes in infinitum ſit Jure naturæ prohibitum matrimonium, aperte docent Navarrus *in Summa, cap.* 57
22. *n.* 84. Sylveſter *verbo Matrimonium* 8. *quæſt.* 6. *poſt explicationem Arboris*; Coninck *de Sacramentis, diſp.* 32. *dub.* 1. *n.* 16. Bellarminus *de Matrim. tom.* 3. *Controv. cap.* 28. *in princip. verſ. Eſt autem.* Petrus de Ledeſma *de Matr. quæſt.* 54. *art.* 3. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *aſſert.* 2. Tuſchus *concluſ.* 69. *n.* 32. *lit. P.* & innumeri alii, quos refert Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 51. *num.* 12. & hanc opinionem probabiliorem exiſtimat Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *nu.* 179. & confirmatur, cum uſque adhuc nunquam auditum ſit, fuiſſe in aliquo
gradu lineæ rectæ diſpenſatum, & tamen ſatis veri- 58
ſimiliter credi poteſt, ut pluries, & ex urgentiſſimis cauſis fuerit diverſis temporibus petita Diſpenſatio in hujuſmodi linea.

Quicquid tamen ſupra dictum ſit, & quamvis dicta 59
opinio valde probabilis ſit, verior opinio eſt, ſolum Jure naturali prohibitum eſſe matrimonium in primo gradu conſanguinitatis dictæ lineæ, quo excepto, poſſe in ulterioribus gradibus diſpenſari. Ita docent Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 51. *num.* 19. Pontius *de Matrim.* 7. *cap.* 31. *n.* 4. Bonaccina *de Matrim. quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 1. *propoſ.* 3. *verſ. Sed juxta Cajetanam*; Tuſchus *concluſ.* 69. *n.* 28. *lit. I.* Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *nu.* 1. Trullenck. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 7. Averſa *de Matrim. quæſt.* 16. *ſect.* 1. *verſ. Sed communis*. Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Divin. Piet. lib.* 3. *cap.* 107. *nu.* 4. Ratio eſt, quia quilibet, ultra primum gradum, videlicet avus reſpectu nepotis, eſt principium tantum per accidens, nimirum, quatenus fuit genitor genitoris; & ſic, ſpectato Jure naturæ, quaſi per accidens ei reverentia debetur, ut bene poſſint eſſe filii ſine avo, ut fuit in Ada; unde reverentia, quæ debetur à nepte erga avum, & conjunctio, quæ inter ipſos conſideratur, ſe habet quoque velut per accidens; at in ipſo primo gradu, cum perſonæ immediate, & per ſe ipſas conjungantur, adeo ut filius dicatur pars 60
patris. Trullenck. *l. c.* Ludoviſ. *dec.* 279. *num.* 19. Lotherius *de Re Benef. lib.* 3. *quæſt.* 28. *num.* 65. 66. & una caro, & ſubſtantia cum ipſo. Rota *in Noviſſi-* 61
mis, deciſ. 62. *nu.* 42. coram Durano, eſſet naturalis indecentia contrahere inter ſe matrimonium; nec ulla

ratio

ratio inveniri potest, qua Dispensatio ad matrimonium inter parentes, & filios contrahendum, reddatur licita; & hoc non solum inter Christifideles, verum etiam inter Infideles, quia etiam inter eos, in dicto primo gradu lineæ rectæ, matrimonium est Jure naturæ irritum, quia Jus naturæ omnes comprehendit. *Cap. Gaudemus 8. de Divortiis;* Sanchez *lib. 7. disp. 51. num. 15. & seqq.* Filiuccius *tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 5. n. 181.* Trullenck *d. dub. 7. n. 8.* & proinde Paris ad Helenam apud Ovidium;

O Deus, o præsens geminorum gloria Fratrum
O Jove digna viro, ni Jove nata fores.

63 Et quidem omnes gentes liberaliter educatæ à tali conjugio, tanquam inhonesto, ac turpi, abhorrent ut animadvertunt Sanchez *lib. 8. disp. 51. num. 5.* Pontius *d. cap. 31. num. 4.* Bellarm. *lib. de Matrim. cap. 27. &* plura in proposito congerunt Lessius *de Just. lib. 4. cap. 3. dub. 11. n. 78.* Tiraquell. *de Leg. Connub. l. 7.* ubi *num. 47.* plura exempla refert de ipsis brutis, quæ parentum coitum detestata sunt; quod idem confirmat Paris. *cons. 68. n. 353. part. 4.* & testatur Valerius Maximus *lib. 2. cap. 9.* olim apud Romanos nefas fuisse, filium cum patre balneum ingredi, ne se invices nudos conspicerent; & quamvis adduci possint exempla barbararum Nationum, quæ hujusmodi conjugia permittant, non debent hæc in Christiana Republica recipi, & admitti, cum sint ritus, & exempla Barbarorum, qui Idola colunt, & verum Deum, ejusque sanctam Legem non agnoscunt, ut sunt Medi, Parthi, Ægyptii, Æthiopes, Assyrii, Britanni, Hiberni, & alii, quos refert Tiraquell. *d. l. septima*, per totam: Nec ullo modo credi, aut præsumi potest, omnipotentem Deum, naturæ Auctorem, primumque matrimonii Institutorem, qui dixit, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, &c.* Vicario suo potestatem concessisse, ut in primo gradu dictæ lineæ dispensare possit, cum universalis Ecclesiæ judicio, id matrimonium fœdum, & turpe judicetur.

64 Major autem difficultas est, an in primo gradu lineæ transversalis, nempe inter fratres, & sorores, sit irritum matrimonium Jure naturæ, de qua re est gravis quæstio inter Doctores; & quod possit dispensari, affirmant Coninck *de Sacrament. disp. 21. dub. 1. conclus. 4.* Pontius *lib. 7. cap. 32. num. 3.* Aversa *de Matr. quæst. 16. sect. 1. vers. Sed putandum* Escobar *Theol. Mor. tract. 7. exam. 9. cap. 9. vers.*
65 *Rogo, an matrimonium;* & hanc opinionem esse probabilem dicit Sanchez *d. lib. 7. disp. 52. n. 12.* & in hanc sententiam inclinant multi alii à supradictis Doctoribus relati; novissime, & innumeris citatis, huic sententiæ adhæret Verricellius *de Missionib. Apostolicis, quæst. 98. dub. 14. n. 364.* Ratio hujus
66 sententiæ est, quia prohibitio, quæ in antiqua lege in dicto gradu impediebat, per novam legem Evangelicam fuit sublata, & cessavit, & propterea docent prædicti, posse Pontificem, in dicto primo gradu lineæ transversalis dispensare, si justa, & urgens causa concurrat; immo Sylvester *in Summa V. Papa, quæst. 17.* Boerius *cons. 20. num. 26.* Paris. *cons. 68. num. 138. p. 4.* & alii referunt, Martinum V. consultis Theologis, licet tamen multi contradicerent, dispensasse cum quodam, qui cum germana contraxerat, & matrimonium consummaverat, propter mala, & scandala alias inde ventura, & in Genesi *c. 20.* Abraham loquens de Sacra uxore sua dicit, vere soror mea est, & filia patris mei, & duxi eam in uxorem: at è converso
67 Affirmant alii probabilius, esse hujusmodi matrimonium Jure naturæ irritum, & proprerea super eo dispensari non posse, & constat *d. cap. Gaudemus, de divortiis*, & expresse docent Covarruv. *in Epitom. tom. 1. part. 2. cap. 6. §. 10. num. 5.* Sotus *in 4. Dist. 40. quæst. unica, art. 4.* Ballarminus *de Controv. Fidei, tom. 3. lib. de Matrim. cap. 28. in princip. vers. Tertia propositio.* Sanchez *lib. 7. disp. 52. n. 11.* Bonaccina *de Matrim. quæst. 3. punct. 5. §. 1. propos. 3. n. 11.* Tuschus *conclus. 69. num. 33. lit. P.* Laymanus *d. cap. 6. num. 3.* Trullenck *dict. dub. 7. num. 9. & cap. 10. dub. 1. num. 6.* Filiuccius *tom. 1. tract. 10. part. 2, cap. 5. num. 182.* Ratio est, quia pleræque gentes hujusmodi matrimonium detestantur, teste Aristotele *lib. 2. Polit. num. 2.* quamobrem Abraham 68
Gen. 12. satis putavit suspicionem Conjugii à se removisse apud Ægyptios, quod Sara ejus soror esset, & re vera non soror, sed neptis ei erat, ut affirmant Trullenck & Filiuccius *ll. cc.*

Nec controverti potest, quin etiam inter fratres, & sorores sit, ob sanguinis conjunctionem, quidam, naturalis pudor, & reverentia, cui actus Conjugalis, turpitudinem alterius revelans, adversatur; accedit eos ab incunabulis simul habitantes, ad concubitum fore inflammandos, nisi Conjugia à Deo naturæ Auctore interdicta esse sibi persuaderent; unde in solo Mundi exordio licita fuisse matrimonia inter fratres, & sorores ad necessitatem propagationis Generis humani, docet Divus Augustinus de Civitate Dei *lib. 15. cap. 16.*

In cæteris vero aliis gradibus (supradicto primo 69
utriusque lineæ excepto) posse Pontificem, justa causa suadente, dispensare, nulli dubium est, & aperte constat *d. cap. Gaudemus, de divort.* Idque proce- 70
dit etiam in combinatione primi, & secundi lineæ inæqualis, & eo magis in secundo, & tertio, tam si ex uno communi, quam si ex pluribus, & diversis stipitibus proveniant impedimenta; Papa etenim 71
in toto Jure Canonico potest valide dispensare, *c. Proposuit, de Conces. Præb.* Salas *de Legib. disp. 20. sect. 3. num. 16.* Lotherius *de Re Benef. lib. 2. quæst. 43. num. 8.* qui enim potest condere, potest destruere, *cap. Inferior Sedes 4. dist. 21.* Farinaccius *Cons. Crimin. lib. 1. cons. 85. num. 88.* Lælius Altograd. *cons. 1. num. 14.* Diana *part. 8. tract. 3. resol. 3. lib. 2.* & Papa, quoad suos Antecessores est illis æqualis, prout etiam æqualis est ipsi Concilio, includenti ipsum Pontificem; & si illum non includat, est supra Concilium; vide Salas *l. c.* & in omnibus dictis gradibus 72
multas Dispensationes fuisse concessas omnes practici Curiales sciunt.

Et quamvis Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrimonii*, disponat, quod in secundo 73
Gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam, tamen adhuc solet Pontifex cum Personis inferioris conditionis, etiam ob eorum privatum bonum, (id quod indirecte ad bonum commune attinet) dispensare; quia inter divites, & potentes, pax & concordia ad bonum publicum maxime confert, ut animadvertunt Sanchez *lib. 8. Disp. 19. num. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6. num. 8.* Diana *part. 8. tract. 3. ref. 92.*

At quia diximus *n. 37.* super solo Gradu remo- 74
tiori Lineæ inæqualis dispensari, occurrit dubitari, an in primo, & quinto Gradibus necessaria sit Dispensatio ad contrahendum; & videtur necessaria, maxime attenta Constitutione S. Pii V. edita de Anno 1569. incipiente *Romanum*, qua expresse cavetur, 75
faciendam esse mentionem propinquioris Gradus, si is primus sit, nec sufficere expressionem solius remotioris, & quod necessaria sit eo casu Dispensatio, docet Hostiensis *in Summa lib. 4. de Consang. & Affin. vers. Usque ad quotum*: Tu tamen distingue inter lineam rectam, & transversalem, quia in illa, si dari posset casus, ut Ascendentes, & Descendentes essent in tali ætate, ut matrimonium inter se contrahere vellent in dictis Gradibus, adhuc eis non licere, nec posse Dispensationem concedi probabilissimum est, *ut diximus num. 54.* at in ista transversali nullum esse in dictis Gradibus primo, & quinto Impedimentum ad contrahendum, & proinde nullam requiri Dispensationem, quia quintus Gradus, super quo, tanquam remotiori, requireretur Dispensatio, non impedit matrimonium, *cap. Non debet 8. de Consanguin. & Affin.* & cum dictus quintus sit remotior, & super eo solo necessaria sit Dispensatio, *c. fin. de Cons. & Affin.* & nos dicimus *n. 37.* certum est, nullum eo casu esse impedimentum, nullamque requiri Dispensationem. Nec obstat dicta Constitutio S. Pii V. quia illa loquitur in casibus, in quibus necessaria sit Dispensatio, ut bene animadvertunt Sanchez *lib. 7. Disp. 53. num. 5. & lib. 8. Disp. 24.*

num. 35. Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *num.* 26. referens sic fuisse à Sacra Congregatione decisum. Corradus *in Praxi disp. Apost. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 27.

77 Quamvis tamen Dispensatio his casibus necessaria non sit, nihilominus, quia Vulgus, Jurium ignarum, sumit scandalum ex matrimoniis in dictis Gradibus absque Dispensatione contractis, in nonnullis locis introductum est, ut Ordinarius declaret, nullum in d. casu adesse Impedimentum, ut testatur Corrad. *d. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 63.

CAPUT IV.

Quid, & quotuplex sit Jus Divinum, & an, & quando in illo dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Jus Divinum est duplex, naturale scilicet, & positivum.*
2 *Jus Divinum unde dictum.*
3 *Jus divinum naturale quale sit, & cur dicatur naturale, n.* 6.
4 *Jus Divinum naturale dicitur inconcussum, & immutabile.*
5 *Jus Gentium, & Civile profluunt à Jure Divino.*
6 *Jus Divinum positivum quale sit.*
7 *Jus, quod non proficiscitur à Natura, non dicitur jus, sed injuria.*
8 *Papa in jure Divino naturali dispensare directe, aut indirecte non valet.*
9 *Quia jus naturale proficiscitur immediate ab ipso Deo; & ideo Papa, tanquam inferior, non potest dispensare in Lege Superioris.*
10 *Jus Divinum positivum, quale dicatur à Theologis, & quale à Jurisconsultis, & n.* 17. 18.
11 *In quibus præceptis consistat hujusmodi jus Divinum positivum, & quid, late, aut stricte sumpta significatione, n.* 12. 13. 14. 15. 17. 18.
16 *Multa in Lege Dei antiqua scripta sunt, quæ hodie non obtinent, & quæ?*
19 *Præcepta aliqua Ecclesiastica ad jus humanum pertinent, & quæ? & in eis Papa auctoritate propria dispensat, n.* 28.
20 *Papa in jure Divino positivo, ex causa dispensare potest aliquem ab ejus observantia, non tamen in totum tollere, num.* 21. 22. *exceptis Fidei articulis,* 25.
Potest tamen illud interpretari, limitare, declarare, & moderare, ibid.
23 *Clericus potest aliquando dispensari, ut matrimonium contrahat.*
24 *Clerici Beneficiati non possunt dispensari universaliter ab obligatione recitandi Horas Canonicas, tamen aliquis eorum, cum causa, dispensatur.*
26 *Papa dispensando in jure Divino positivo, facit, non auctoritate humana, sed potestate sibi à Deo tradita.*
27 *Dispensatio facta à Papa in jure Divino positivo, absque justa causa, est illicita, & non valet.*
28 *Pontifex potest dispensare ab omnibus Legibus, quas Apostoli, auctoritate à Christo accepta, tradiderunt, non tamen dispensat ab illis Canonibus, quos acceptos à Christo, veluti Ministri promulgaverunt, num.* 29.
30 *Papa non dispensat, ubi Dispensatione induceretur peccatum.*
31 *Papa directe dispensare non potest in iis, quæ sunt de jure Gentium, & Civili, nisi id tenderet ad bonum universale Christianorum, n.* 34.
32 *Jus Gentium, in quantum innititur rationi, non simpliciter politicæ, quæ solum communem utilitatem respicit, dicitur Jus Naturale, & Divinum.*
33 *Leges humanæ in quibus discernantur à Divinis.*
35 *Papa dispensare potest ad commune bonum spirituale in Lege cujusque Principis Sæcularis, si adsit necessitas.*
36 *Papa, quando agitur de materia peccati, & animæ salute habet potestatem absolute in omnes Laicos.*
37 *Papa Jus Gentium dispensat in iis, quæ veniunt in consequentiam Juris Canonici, in quo dispensare valet.*
38 *Papa potest legitimare Prolem ortam ex matrimonio clandestino, etiam in præjudicium succedere debentis, si Proles non fuisset legitimata, quando dispensat ab impedimento matrimonii.*
39 *Papa dispensare non potest in impedimentis matrimonii jure naturali Divino prohibitis ex sola ratione, & non ex voluntate humana.*
40 *In primo Gradu Consanguinitatis in linea recta, & transversali dispensare non potest.*
41 *In Matrimonio contracto, ut dissolvatur, dispensare non potest Papa.*
42 *Quod intelligendum saltem de matrimonio consummato.*
43 *Super impedimento perpetuæ impotentiæ ad coeundum dispensare Papa non potest.*
44 *Super impedimento erroris personæ, & defectus consensus dispensari non potest à Pontifice, ut quis arctetur contrahere invitus cum persona, cum qua non intendit contrahere.*
45 *Pluralitatis Conjugum, & maritorum respective Dispensatio est prohibita.*

QUandoquidem plura impedimenta, super quibus Dispensatio petitur ad Matrimonium contrahendum, de Jure Divino procedunt, ideo antequam ad ulteriora procedamus, valde opportunum erit aliqua de dicto Jure Divino breviter attingere, ad hoc, ut dignosci possit, an, & quomodo possit in illo per Pontificem dispensari.

Diximus *Cap. præced. num.* 1. triplici jure considerari posse impedimenta matrimonii, nempe Jure Divino naturali, Jure Divino positivo, & Jure Humano.

Nunc dicendum est Jus Divinum duplex esse, natu- 1
rale scilicet, & positivum; & dici Divinum, quia per seipsum Deum, in Legibus Divinis, vel per Divi- 2
nas revelationes, fuit ordinatum.

Jus Divinum naturale est, quod lumini intelle- 3
ctus humani naturaliter subjicitur, sive est, quod, positis terminis, & materia, naturalis ratio dictat esse faciendum, verb. grat. Cognito adesse Deum, naturalis ratio dictat, esse colendum; posita institutione Sacramentorum, eadem ratio dictat esse veneranda; & appellatur Jus absolutum, eo quod aliquo facto humano non consurgat; ideo autem dicitur Divinum naturale, quia ipse Deus homini naturaliter inseruit principia quædam, quibus constat, illudque Deus immediate promovet & nedum hominibus, verum etiam cæteris Animantibus (circumscripto lumine intellectus, quo amplius 4
Homo illustratur) commune efficit, & propterea dicitur Jus inconcussum, & immutabile, §. *Sed naturalia, eodem tit. Institut. de Jure naturali, gentium, & civili.* Paris. *cons.* 68. *num.* 32. Cencius *tractat. de Censib. quæst.* 40. *num.* 2. Nicasius *super Institut. lib.* 1. *tit.* 2. *de Jure naturali, gentium, & civili,* §. *Sed & naturalia* Maranta *in Spec. Aureo part.* 3. *principali n.* 40. Rota *in Novissimis dec.* 62. *num.* 22. coram Durano.

Et quidem ab isto Jure Divino etiam Jus Gentium, 5
& ipsum Civile profluunt, & nisi cum illo consentiant, non merentur Juris nomen; & ideo Philosophus 5. Et hic *cap.* 7. *in princ.* dividit Jus in naturale, hoc est à natura inditum, & positivum, scilicet 6
à Lege positum, quem sequitur D. Thomas *sec. secundæ, q.* 57. *art.* 2. *in conclus. & latius in pr. secundæ quæst.* 95. *art.* 2. *per totum*; Qualecunque autem sit 7
Jus, nisi à natura profectum, non dicitur Jus, sed injuria. Cicero *lib. pr. de leg.* Lother. *de Re Benefic. lib.* 1. *q.* 4. *num.* 8. Et in hoc Jure Divino 8
natu-

naturali non potest Papa directe, vel indirecte, seu ex consequenti, dispensare, quia Inferior in Lege Superioris non dispensat. *Clem. ne Romani* 4. *de Electione cap. Inferior.* 4. *Dist.* 21. Capyc. Latro *decis.* 155. *n.* 12. Paris. *cons.* 68. *n.* 24. *part.* 4. Reginaldus *lib.* 31. *cap.* 26. *n.* 193. Ratio est, quia ipsemet Deus, cum sit ipsius Juris naturalis auctor, &
9 istud ab ipso Deo, & ejus arbitrio absoluto immediate procedat, nec aliquo modo ab Hominum consensu dependeat, non potest Papa, qui est inferior, in hujusmodi Lege Divina dispensare; nec credi, aut præsumi potest, Deum suæ Ecclesiæ potestatem in illo dispensandi relinquere voluisse, ut prædicta bene docent Sotus 4. *Dist.* 40. *quæst. unica Art.* 3. *vers. In capite ergo*. Navarrus *in Summa cap.* 22. *n.* 84. Sylvestr. *verbo Papa*, *quæst.* 17. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *n.* 6. Bonaccina *de legib. Disp.* 1. *q.* 1. *part.* 2. *num.* 12. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 4. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 301. Rota *int. decis. impressas* per Cencium *post tract. de Censibus decis.* 155. *num.* 7.

10 Jus autem Divinum positivum quod proprie sit, dissident Doctores, & in hoc maxime discordant Theologi à Juris Consultis: Illi enim pro Jure Divino nil aliud intelligunt, quam ipsum præceptum Dei, in sacris Literis sic expresse præcipientis; Juris Consulti vero non solum id, verum etiam totum, & quicquid ab exemplis, vel testimoniis veteris, vel novi Testamenti, per quandam similitudinem, deduci potest, jus Divinum appellant, ut advertit Bellarminus *Controv. Cathol. tom. sec. Controv. gener. lib.* 1. *titulo de Clericis Cap.* 8. *Propos.* 5.

11 Nonnulli tamen existimant Jus Divinum positivum proprie consistere in ipsis tam novi, quam veteris Testamenti præceptis; ita inter alios Paris. *cons.* 68. *num.* 8. *part.* 4. Molina *de Just. & Jure lib.* 1. *disp.* 3.

12 Alii jus Divinum constituunt in omnibus Præceptis Legis Hebraicæ, & Christianæ, traditæ per Apostolos, & Evangelistas, & Discipulos, immo Præpositus *in Can. pr. dist. pr. vers. Appellatione Juris Divini*, & Marant. *de ordine Judic. part.* 3.
13 *num.* 80. ajunt, Appellatione Juris Divini positivi stricta significatione comprehendi tantum Legem Mosaicam, & Evangelicam; large autem jus legale, & politicum, quemadmodum, & jus Evangelicum, & Apostolicum, atque ita quicquid continetur in novo, & in veteri Testamento, ac in quatuor principalioribus Conciliis, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, & Calcedonico, quæ, sicut quatuor S. Evangelii Libros, recipere, & venerari debemus, ut disponitur *cap. Sicut Sancti*, 2. *Dist.* 15. & largius, & improprie idem sentiendum est de jure ipso Canonico, ut continetur *cap. Quicumque*, *primo*, & ibi *Glossa in verbo Divino causa* 23. *quæst.* 7.

14 Nec desunt, qui existiment, quod quamvis large omne jus positivum dicatur Divinum, tamen
15 proprie illud dici debeat Divinum, quod in Divinis Scripturis est revelatum, *Ita Glossa in cap.* 2. *de Privil. in* 6. *§. Videlicet*; Divus Thomas 2. 2. q. 70. *art.* 2. *in fine*.

16 Alii limitant, & restringunt Jus Divinum positivum ad illud solum, quod ex Divinis Scripturis hodie obtinet, nam multa in Lege Dei antiqua scripta sunt, quæ hodie non obtinent, ut Cæremonialia, & Judicialia, *C. Translato*, *de Constit. cap. pr. de Purificatione post partum*, *& habetur* 5. *dist. in princip.* Divus Thomas *vol.* 4. *quæst.* 14. Gamb. *de Off. & Pot. Legati lib.* 10. *num.* 370.

17 At secundum alios illud est Jus Divinum positivum, quod à Deo immediate positum est, itaut non illius sanctio, sed illius promulgatio attribuatur ipsius Dei Ministris, quibus revelatum fuit; & sic, juxta istorum sententiam, illud totum sub hoc nomine continebitur, quod non solum in Decalogo, verum etiam ex revelationibus sibi factis, tanquam ex ipsiusmet Dei ore enunciarunt Moyses, & Prophetæ in Lege veteri, & Dominus noster Jesus Christus, & ejus Apostoli, & Ministri, in nova; cum etiam Christiana sapientia, quam Theologiam vocant, ab ipsis principiis revelatis pendeat, vide Bellarmin. *d. Canone pr. cap.* 8. *Dist.* 1. Divum Thomam *in Summa part.* 1. *quæst.* 1. *artic. primo*, *cum sex seqq.*

Alii tandem (& meo judicio satis bene) distin- 18
guunt inter illa Decreta, quæ Apostoli decreverunt ut Apostoli, Spiritus Sancti Prophetico impulsu, quo Sacram condebant Scripturam, & alia, quæ ipsi, ut Pastores, & Ecclesiarum Prælati statuerunt, ut in Actis Apostolicis *cap.* 15. vel dederunt consilia, ut in Epist. pr. ad Corinth. vel alia Circa Dei Ministros, & Ecclesiæ Catholicæ gubernium decreverunt, quia quæ Spiritus Sancti prophetico impulsu primo casu decreverunt, Jus Divinum positivum affirmant; cætera vero, ut sunt præcepta de je- 19
junio quadragesimali, de observatione diei Dominicæ, de Bigamo non ordinando, & alia hujusmodi, ad Jus humanum pertinere ajunt. Ita bene Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 16. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *art.* 1. Sayrus *in Thes. Cas. Consc. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 21. & faciunt dicta per Bonacc. *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *n.* 8. Barbos. *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 125.

In hoc Jure Divino positivo, juxta probabilio- 20
rem Doctorum sententiam, quamvis non possit Papa directe dispensare, potest tamen, justa causa suadente, indirecte, & per consequens, ratione actuum humanorum, qui variationi subjiciuntur, & super quos ipse potestatem habet; non tamen dictum jus in totum tollendo, vel abrogando, sed tantummodo interpretando, limitando, declarando, vel moderando; *cap. A' Nobis* 14. *de Decimis*, Sylvester *V. Papa quæst.* 13. Franciscus Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. Maranta *in Speculo de Ordine Judic. part.* 3. *num.* 79. Gambar. *de Off. & Potest. Legati lib.* 10. *num.* 362. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 26. *num.* 193. Bonaccina *de Legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *puncto* 2. *num.* 12. Gratianus *discept. forens. cap.* 457. *num.* 2. Barbosa *de Jure Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 121. Tunc autem, juxta veriorem Doctorum sententiam, proprie non dispensat in Jure Divino, sed tantum tollit obligationem, quam 21
Homo actu humano sibi imposuit, qua sublata, evanescit obligatio Juris Divini circa illud Impedimentum. Sotus 4. *Dist.* 18. *quæst. prim. Art. prim. ad pr.* Sylvest. *verbo Papa*, *quæst.* 16. *&* 17. Covarruv. 4. *Decret. tomo pr. secunda part. cap.* 6. *§.* 9. *num.* 4. Maranta *de Ord. Judic. part.* 3. *num.* 4. *& num.* 5. *& num.* 72. & alii plures, quos refert Sanchez *dicta Disp.* 6. *num.* 4. Licet enim Pontifex non possit generaliter statuere, v. gr. ut omnes Clerici contrahant matrimonium, quia id esset contra Legem Divinam; Ægidius Bellam. *cons.* 16. *num.* 12. Tuschus *conclus.* 69. *num.* 9. *lit. P.* ne Festa serven- 22
tur, quia in Præceptis Decalogi præcipitur, *Sabbata sanctifices*, *cap. Omnes dies*, *de Feriis*; ne solvantur Decimæ, cum sint Jure Divino constitutæ: Nihilominus poterit ex justa causa dispensare, ut aliqua Festa non serventur. Abb. *in cap. Literas*, *in quinto not. de restitutione spoliat.* ut ex causa justa aliqui Clerici matrimonium contrahant, ut diximus 23
præsenti lib. & pariter, ut aliquæ Decimæ non solvantur. Tuschus *d. conclus.* 60. *n.* 10. prout nec poterit Papa sua generali Constitutione decernere, ut non teneantur omnes Beneficiati, & Clerici in Sacris Ordin. constituti recitare Horas Canonicas, cum ad illas teneantur jure Divino, poterit tamen ex 24
causa cum aliquibus dispensare, ut Horas non recitent. Fælinus *cap. fin. de Major. & Obed.* Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæst.* 9. Suarez *de Horis Canon. cap.* 27. *num.* 37. Sanchez *lib.* 7. *Consil. cap.* 2. *num.* 53. vide Paris. *cons.* 68. *num.* 140. *& sequen. p.* 4. Et sic, quamvis de Jure Divino Sacramentum Confirmationis ministrari debeat per Episcopum, tamen multoties ex justa causa concedit, ut simplex Sacerdos in illo ministret; aliquando etiam ex causa dispensat in Matrimonio rato, non consumato in voto etiam solemni, in Residentia Episco- 25
porum, & tandem, si causa justa adsit in toto jure Divino positivo, modo quo supra, dispensat, exce-

ceptis Fidei Articulis. Fœlinus *cap. Quæ in Eccl. de conſtitut. num.* 15. *& num.* 20. Diana *part.* 8. *tractat.* 3. *reſol.* 2.

26 Intellige tamen, ut prædicta facere poſſit, non auctoritate humana, quæ circa Divinam Legem nihil poteſt, ſed poteſtate à Deo tradita, in nonnullis caſibus, cum veriſimile non ſit, Deum voluiſſe ita arctam Legem populo ſuo dare, quin, ſubſiſtente juſta cauſa, poſſit per Vicarium ſuum moderari, ut bene ponderat Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 6. *n.* 4. Averſa *de matr. qu.* 19. *ſect.* 1. *in princ.* Diana *d. reſol.* 2. Pariſ. *d. conſ.* 68. *n.* 121.

27 Dixi poſſe Pontificem in hujuſmodi Jure Divino poſitivo diſpenſare, ſi juſta cauſa adſit; quia hac non exiſtente, Diſpenſatio, non ſolum illicita, ſed invalida erit, per ea, quæ diximus *libr.* 3. *capit. prim.*

28 Poterit quidem Pontifex auctoritate propria diſpenſare in omnibus Legibus, quas Apoſtoli, tanquam Eccleſiarum Præſides, poteſtate à Chriſto accepta, condiderunt de Jejunio Quadrageſimali, de obſervatione Feſtorum, & ſimilibus, quia quamvis Apoſtolorum dignitas magna fuerit, & in aliis prærogativis, & gratiis fuerint excellentiores, tamen in poteſtate Juriſdictionis, Pontifex non eſt inferior illis, nec Petro, cujus ipſe verus eſt ſucceſſor. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 2. Palaus *tomo* 1. *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 4. *volum.* 2. Diana *d. reſol.* 3. *in fine*. Salas *de Leg. diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 16. *in fi-*

29 *ne*. Non tamen diſpenſari poterit in iis Canonibus, quos Apoſtoli ab ipſo Chriſto acceptos, veluti Miniſtri promulgarunt, ac condiderunt, v. gr. Parvulorum Baptiſmate; Baptizatorum Confirmatione; Matrimonii rite, ac legitime contracti, & conſummati indiſſolubili vinculo; Mortuorum ſuffragio, & ſimilibus, de quibus apud Azorium *tomo prim. libr.* 5. *cap.* 15. *quæſt.* 4. Laymanum *Theol. Mor. lib. prim. tract.* 4. *cap.* 32. *num.* 3. *Coroll. prim.* Bonacc. *de Leg. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 6. *prim. num.* 8. nec pa-

30 riter diſpenſare poteſt, ubi ex Diſpenſatione induceretur peccatum, v. gr. ut quis mechari, fornicari poſſit, quia iſta non poſſunt fieri abſque corruptione debiti ordinis ad Deum. Tuſch. *concl.* 458.

31 *num.* 24. *lit. D.* prout nec directe diſpenſare poterit in Jure Gentium, & Civili, & eorum effectibus, ut ſi diſpenſare vellet cum infante, ut valide profiteretur; quia cum de Jure Naturali, & Gentium, is profiteri non poſſit, Diſpenſatio Papæ non operatur. Gamb. *de Offic. & Poteſtat. Legati libr.* 10. *num.* 390. Pyrrhus Corrad. *in Praxi Diſp. Apoſtol. libr.* 8. *cap.* 3. *num.* 58. in quantum enim Jus Gen-

32 tium innititur rationi non ſimpliciter politicæ, quæ communem dumtaxat utilitatem contempletur, ſed rationi naturali, cujuſmodi eſt Religio, & ejus reverentia, dicitur Jus Naturale, & Divinum. *Cap. Primo, & cap. Jus naturale, diſt. prima*. Lother. *de Re Benef. lib. prim. quæſt.* 13. *numer.* 13. ubi plura de

33 hac materia bene congerit: Et quidem nullo alio diſcrimine Leges Humanæ à Divinis ſeparantur, quam

34 hoc ipſo, an illarum cauſa efficiens humana ſit, vel potius Divina, ſeu ſupernaturalis, & immediata, cum aliter omnes humanæ Leges poſſent videri à Deo proceſſiſſe, mediante lumine naturali, Hominum mentibus per ipſum Deum impreſſo, & ſic cum Divinis confundi; ut bene animadvertit Bellarmin. *Controv. Cath. tomo prim. lib.* 3. *de Verbi Dei interpretatione, cap.* 9. *verſ. Neque obſtat*, quia lumen illud rationis, quo humanus illuſtratur intellectus, Divinum quidem eſt; ſed operatio hominis ſecundum illud, non eſt Divina, ex quo incipit habere cauſam immediatam humanam, cum etiam homo abſtinere poſſit à recto illius luminis uſu, vel ratione cognita abuti.

At ſi bonum ſpirituale animarum expediret, Chriſtianos omnes, vel aliquos, ab aliquo Jure gentium eximi, & proinde illud abrogari, & diſpenſari utique poſſet; habet enim Papa poteſtatem indirectam in omnes baptizatos, in quantum ad omne Jus humanum, quod ipſos adſtringit; & à fortiori poſſet

35 Papa, in ordine ad commune bonum ſpirituale, in lege cujuſcunque Principis ſæcularis diſpenſare, ſi valde neceſſaria ſit hujuſmodi Diſpenſatio, vide Salas *de Legib. diſp.* 20. *ſect.* 3. *numer.* 12. *prope finem*; Verricellium *de Miſſionib. Apoſtolicis* 37. *quæſt.* 182. *ſect.* 5. *num.* 62. Suarez penes ipſum; quia ubicunque agitur de peccato, vel materia peccati, & 36
de ſalute animæ, abſolute habet auctoritatem in omnes Laicos. Tuſchus *concl.* 65. *num.* 3. & 4. Poterit inſuper in hujuſmodi Jure Gentium diſpenſare, ubi, & quando ea, quæ ſunt de Jure Gentium, veniunt 37
in conſequentiam Juris Eccleſiaſtici, in quo Papa diſpenſare poteſt, ut ſunt exempla *in cap. Ex multiplici* 3. *de decimis*; & etiam in radice matrimonii alias irriti, legitimando prolem ex matrimonio clandeſti- 38
no ortam, in præjudicium etiam eorum, qui, ſi hujuſmodi proles legitimata non fuiſſet, ab inteſtato ſucceſſiſſent, quia matrimonii impedimenta ab ipſa Eccleſia conſtituta ſunt; & Papa, in iis diſpenſando, utitur jure ſuo, cum totum Jus Canonicum ſit in ejus manu. Lotherius *de Re Benef. libr.* 2. *quæſt.* 43. *num.* 8. & ejus eſt deſtruere, cujus eſt condere. *Vulg. l. fin. C. de legib. cap. Inferior ſedes* 4. *diſt.* 21. Gomeſius *ad Reg. Cancell. Regul. de non tollendo jure quæſito, quæſt.* 15. *liter. D.* Lælius Altogradi *conſ.* 1. *num.* 14. *lib.* 2. Farinac. *Conſ. Crim. libr.* 1. *conſ.* 85. *num.* 88. Pontius *de matr. l.* 8. *c.* 5. *num.* 1. Alphonſ. à Vera Cruce *in Speculo, part.* 2. *art.* 27. *conſiderat.* 3. vide quæ diximus ſupra de poteſtate hujuſmodi prolem legitimandi.

His itaque tanquam regulis generalibus præmiſſis, 39
concludimus, diſpenſari non poſſe in infraſcriptis matrimonii impedimentis, tanquam Jure Divino naturali impedientibus, cum ex pura ratione, & natura, & non ex voluntate humana pendeant, teſte Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 6. *n.* 10.

Et primo diſpenſari non poterit in primo gradu 40
conſanguinitatis, tam lineæ rectæ, quam tranſverſalis, cum in illis nullus alius caſus excogitari poſſit, quod hæc Diſpenſatio conveniret, niſi quando ſoli, pater & filia, ſeu mater & filius, vel ſoli frater & ſoror, ad generationem apti ſupereſſent in Mundo; ſed quia Deus diſpoſuit, ut nec unquam hic caſus contingat, inutile fuiſſet hujuſmodi poteſtatem diſpenſandi in his gradibus Eccleſiæ reliquiſſe; & ipſe Deus, ſi vellet, tunc immediate diſpenſaret.

Secundo, nec diſpenſari poteſt in matrimonio ri- 4
te, & legitime contracto, & conſummato, cum ejus vinculum ſit omnino indiſſolubile, tum quia ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, tum quia ejus vinculi indiſſolubilitas ex ipſius Chriſti Domini præcepto ſtatuta eſt, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19. & ut dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *His, qui matrimonio conjuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non recedere*; Et ad Romanos 7. *Mulier, vivente viro, alligata eſt legi*; quæ omnia ſaltem de matrimonio conſumma- 41
to intelligenda ſunt Goffred. *in Summa*, ubi *de Reſcriptis, cap.* 9. *nu.* 7. Garcia *de Benefic. part.* 7. *cap.* 10. *num* 85.

Tertio, nec diſpenſari poterit in impedimento im- 43
potentiæ perpetuæ ad coeundum, ſi cum tali impedimento matrimonium contractum, vel contrahendum ſit; cum hujuſmodi Diſpenſatio, nec utilis, nec neceſſaria, nec rationabilis eſſe poſſit, immo innumera ex hujuſmodi matrimoniis, ſi diſpenſari poſſent, pullularent ſcandala, & peccata.

Quarto, nec diſpenſari poterit ſuper impedimento 44
erroris perſonæ, ac defectus conſenſus, quia nec poteſt, nec convenit diſpenſari, ut quis arctetur invitus ad matrimonium ineundum cum perſona, quam ducere non intendit, cum ipſum matrimonium ſolo conſenſu perficiatur, ut dicimus infra

Nec tandem diſpenſari poterit ſuper pluralitate uxo- 45
rum, vel maritorum ſimul; quamvis enim antiquo tempore ſuper pluralitate uxorum fuerint diſpenſatum, tamen poſt Eccleſiam, & novam legem à Chriſto Domino inſtitutam, melius fuit hanc poteſtatem ſuper hujuſmodi pluralitate diſpenſandi fuiſſe Eccleſiæ ſublatam, ob mala, & inconvenien-

tia,

tia, quæ ex hujusmodi Dispensatione, si fieret, oriri possent.

De quibus omnibus infra suis locis fusius agemus, & hic repetere superfluum esset.

CAPUT V.

De Impedimento cognationis spiritualis, & an, & quando super ea dispensetur.

SUMMARIUM.

1 *Cognatio spiritualis quid sit.*
2 *Cognatio spiritualis est major cognatione carnali, & in quibus conformentur*, n. 3.
4 *Sponsalia contracta per cognationem spiritualem dissolvuntur, ita ut non obligent, nec absque Dispensatione Apostolica adimpleri valent.*
5 *Cognatio spiritualis non extinguitur, nec etiam morte personæ, qua mediante contracta fuit.*
6 *Cognationis spiritualis impedimentum oritur ex mero Jure Ecclesiastico, & non Divino, aut naturali.*
7 *Cognatio spiritualis hodie inter quos contrahatur, & quid antiquitus observaretur*, & n. 9.
8 *Cognatio hujusmodi contrahitur, tam ex Sacramento Baptismi, quam Confirmationis.*
10 *Patrinorum numerus est unius, tam in Mare, quam in Fœmina, nec potest augeri.*
11 *Episcopus dispensare non poterit, ut major numerus Patrinorum adhibeatur, nec quod sint duo ejusdem sexus.*
12 *Patrini non de essentia Sacramenti.*
13 *Parochus, si adhibeat Patrinos, ultra designatos ab iis, ad quos spectat eligere puerum de fonte levari, cognationem spiritualem an omnes contrahant*, & n. 14. & 16.
15 *Et quid, si non admittat designatos à parentibus, sed alios eligat.*
17 *Parochus non potest repellere Patrinos à parentibus baptizandi designatos, & alios eligere, nisi faciat cum causa.*
18 *Religiosi claustrales non possunt esse Patrini, nisi fuerint ad Dignitatem Episcopalem promoti*, & num. 19.
20 *Patrini inter se cognationem spiritualem non contrahunt.*
21 *Vir, & uxor, alienum puerum levantes, non contrahunt; nec filii suscipientis cum baptizato.*
22 *Baptizatus, vel confirmatus, cum filia, vel uxore relicta baptizantis, vel suscipientis cognationem non contrahit. Deferens puerum baptizandum ad Ecclesiam, ut illum Compatri consignet, non contrahit cognationem hujusmodi.*
23 *Parentes adoptivi pueri baptizati non contrahunt cognationem, sed tantum naturales, licet sint illegitimi.*
24 *Patrini non contrahunt d. cognationem, si puer domi valide baptizatus fuerit, licet in Ecclesia suscipiant, ut cæremoniæ supplerentur.*
25 *Cognatio spiritualis ex cathechizatione sublata censetur per Concil. Trid.*
26 *Cognatio contracta ab uno ex Conjugibus, in alium non transfunditur.*
27 *Confessor cum Pœnitentibus cognationem spiritualem non contrahit.*
28 *Quia cognatio spiritualis non consurgit ex collatione Sacramentorum præter Baptismum, & Confirmationem*, & n. 29.
30 *Fidelis suscipiens, seu baptizans filium infidelium, cum parentibus infidelibus cognationem non contrahit*, & n. 46.
Si vero postea baptizentur tunc oritur cognatio, num. 47.
31 *Patrinus suscipiens puerum per Procaratorem, an contrahat cognationem spiritualem*, & nu. 32. & 33.
34 *Procurator, Patrini nomine suscipiens, non contrahit cognationem, & supra*, n. 31. *& seq.*
Et quid si Procurator revocatus fuisset, antequam susciperet, nec illi innotuisset, & n. 36.
35 *Patrini ad quid teneantur erga Baptizatos, & Confirmatos, ab ipsis susceptos.*
37 *Universitas, quæ per Procuratorem, Infantem suscepit, an dicatur contrahere cognationem spiritualem, & quid uti singuli*, n. 38.
39 *Baptizans, cujuscumque gradus, & sexus existat, & baptizet solemniter, sive non, semper contrahit cognationem.*
40 *Extende, etiamsi in casu necessitatis baptizet.*
41 *Patrini suscipientes in privato baptismo, non contrahunt, quanquam haberent animum vere exercendi munus Patrini*, n. 42.
43 *Cognatio spiritualis augetur suscipiendo prolem invicem, vel in diversis Sacramentis, & quibusvis aliis in casibus; non tamen augetur suscipiendo diversos filios ejusdem personæ ex eodem Sacramento.*
44 *Patrinus ad hoc, ut contrahatur cognatio ex susceptione baptizati, debet esse, & ipse baptizatus, & in confirmatione, debet esse confirmatus, alias non contrahitur cognatio spiritualis.*
Amplia, etiamsi infidelis esset cathecumenus, numer. 46.
45 *Puer, etiam minor septennio, potest esse Patrinus, dummodo capax sit rationis, & intendat gerere munus spiritualis patris.*
48 *Pontifex difficiliter, immo vix, aut nunquam, dispensat à cognatione spirituali paternitatis.*
49 *Patrini debent suscipere baptizatum de manu Baptizantis, & non de manu alterius ex eis, ad hoc ut oriatur cognatio.*
50 *Sufficit tamen, ut porrigant Baptizanti, licet postea non susciperent.*
51 *Patrinus debet tenere puerum, nec sufficit, ut assistat, vel pro eo respondeat, aut pauliſper digito tangat, nec si puerum ante baptismum super fontem teneat.*
52 *Sufficit ut illum tangat, licet vestibus contectus sit.*
53 *Nec requiritur, quod respondeat.*
54 *Intentio expressa, vel tacita, præstandi munus Patrini, & suscipiendi requiritur, alias non oritur cognatio.*
55 *Intentionem habente Patrino agendi id quod Ecclasia facit, licet non haberet intentionem, ut non efficiatur Compater, nihilominus cognatio oritur.*
56 *Suscipiens filium Petri, putans fuisse filium Pauli, cum neutro contrahitur cognatio.*
57 *Debiti petitionem cognatio spiritualis non impedit, si alter ex Conjugibus contrahat ex ignorantia facti, aut Juris, secus si ignorantia non adsit.*
58 *Debiti petitio non impeditur, si alter ex Conjugibus filium communem, vel alterius tantum baptizet, vel suscipiat, in casu necessitatis*, & num. 59. 60. & 61. *Secus si faciat extra casum necessitatis*, n. 63. 64.
62 *Necessitatis articulus quando dicatur adesse.*
65 *Limita tamen, ut impediatur per hujusmodi cognationem ignoranter contractam, quando adesset aliqua alia causa ex lege, qua non teneretur reddere, veluti bimestre post Desponsationem.*
66 *Pœna privationis petitionis debiti non indiget Judicis declaratoria, & de ratione*, n. 67.
68 *Si alter ex Conjugibus malitiose cognationem contraxisset, ut alterum in debiti redditione defraudaret, non sunt eo casu Conjuges separandi*, num. 70.
69 *Et quid si ambo consentirent in susceptione filii, an sint separandi.*
71 *Ab impedimento petendi debitum, orto ex cognatione spirituali, Episcopus dispensare potest.*
72 *Ab impedimento cognationis, ex Compaternitate orto, Summus Pontifex, ex aliqua justa causa facile dispensat, etiam levi.*
73 *Ab impedimento paternitatis, vel maternitatis*

dispensat difficillime, scilicet, ut contrahatur cum filio levato ex sacro fonte, vel in confirmatione tento, & de ratione, sed in casu urgenti conceditur Dispensatio, n. 74.

75 *Occidens patrem Spiritualem punitur, ac si patrem naturalem occidisset.*

76 *Pater Spiritualis non potest vocari in Jus sine venia.*

77 *Pater Spiritualis tenetur alimentare filium Spiritualem, & è contra.*

78 *In Dispensatione super impedimento paternitatis servantur solemnitates servari solitæ in Dispensatione super primo, & secundo gradu consanguinitatis, & quæ sint*, & n. 80.

79 *Dispensatio in forma* Pauperum, *quando concedatur, & quæ debet servare petens.*

80 *Causæ impedimenti sunt exprimendæ in Supplicatione petitionis Dispensationis.*

81 *Si esset dubium, utrum adsit, necne impedimentum cognationis hujusmodi, quid sit exprimendum in Supplicatione, & Dispensatione.*

82 *Impedimentum si sit occultum.*

1 COgnatio spiritualis est quædam personarum propinquitas, ex statuto Ecclesiæ consurgens, per susceptionem Sacramentorum Baptismatis, & Confirmationis, matrimonium impediens, & contractum dirimens, quatenus ante illud contracta sit; *cap. Veniens 6. de Cognat. Spir. in 6. Glossa, in capit. Nedum primo, eodem titul. verbo, Spiritualem*; Sanchez *libr. 7. disp. 54. à numer. 1. usque ad numer.* 8. Laymanus *Theolog. Moral. libr. 5. tract. 10. part. 4. cap. 8. numer. 1.* Trullenck *libr. 7. cap. 9. dub. 8.* 2 *numer. 4. tom. 3.* Estque major, & fortior cognatione carnali; *cap. Pitatium 2. causa 30. quæst. 3. Glossa in d. cap. 1. de Cognat. Spirit. in 6. dict. §. Spiritualem*; & cum ista spiritualis debeat, in quantum po- 3 test, conformari cum cognatione naturali, & carnali, sicut per naturalem generationem homo formatur, & nascitur, & postea corporaliter roboratur; ita per Sacramentum Baptismi homo reformatur, & renascitur, & per Confirmationis Sacramentum roboratur, & adeo afficit, ut per hujusmodi cognationem sponsalia antea contracta dissolvantur, itaut nec 4 obligent, nec possit absque Dispensatione Apostolica adimpleri. Laymanus *d. c. 8. n. 6.* Sanchez *d. disp. 54. numer. 5.* Aversa *de matr. quæst. 16. sect. 2. vers. Habet consequenter*; immo nec morte personæ, qua 5 mediante, contracta fuit, extinguatur. Sanchez *loc. c. num. 8.*

Dixi, ex statuto Ecclesiæ consurgens, quia hoc im- 6 pedimentum non oritur Jure naturali, aut Divino, seu ex ipsa dictorum Sacramentorum institutione, sed ex mero Jure Ecclesiastico, ob reverentiam, quæ debetur Baptizanti, ac Patrinis, qui patres spirituales dicuntur; & fuit primo institutum in Concilio Niceno, *Can. 21.* & creditur ex Apostolorum traditione dimanatum, & fuit postea ab aliis Pontificibus, & Conciliis confirmatum, & habetur in Jure Canonico per plura Capita, & præcipue *tota causa 30. q. 1. de cognat. spir. & lib. 4. tit. 3.* vide Covarruv. *tom. 1. part. 2. c. 6. §. 4. n. 1.*

Antiquo tempore inter plures personas hæc cogna- 7 tio contrahebatur, quia ultra paternitatem, & compaternitatem, quæ adhuc vigent, erat etiam fraternitas; & si per unum ex conjugibus contracta fuisset cognatio, in alium transfundebatur; at per Concilium Tridentinum, *sess. 24. c. 2. de Reformat. Matr.* fraternitas sublata fuit, & ita restrictum cognationis spiritualis impedimentum, ut inter alias personas non contrahatur, nisi inter solos Baptizantem, & Baptizatum, & inter ipsum Baptizatum, & Patrinos; & hæc Paternitas est: Et ulterius inter Patrem & Matrem Baptizati, & Baptizantem, & inter ipsos Parentes carnales Baptizati, & Patrinos; & hæc Compaternitas dicitur. Et idem procedit, sive ex Baptismo, sive ex 8 Confirmatione contrahatur, ut in infrascripta figura exemplificatur.



9 At quia, post dictum Concilium, adhuc super intelligentia dicti Decreti plura oriebantur dubia, ob quæ innumeris scrupulis Christifidelium mentes angebantur, Sanctæ Memoriæ S. Pius V. per suam peculiarem Constitutionem, quæ incipit, *Cum illius vicem*, Datam Romæ apud S. Petrum anno Salutis Dom. 1566. quarto Kal. Decembris declaravit, inter alias personas in Decreto Concilii non expressas, cognationem non contrahi, ut ex ipsius Constitutionis tenore, qui hic subjicitur.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam;

Cum illius vicem, licet minime suffragantibus meritis, geramus in terris, de cujus vultu prodit judicium, & vident oculi æquitatem, officii nostri debitam prosequimur actionem, sic obscuros Sacrorum Canonum sensus ita aperire studemus, ut piis Christifidelium mentibus nullam dubitandi occasio relinquatur. Sane licet ex eo, quod in Concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui baptizatum suscipiunt de Baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem; necnon baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem; in reliquis personis, quæ per antiquos Canones, occasione cognationis hujusmodi, contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videatur, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an saltem impedimentum cognationis spiritualis hujusmodi, inter maritum, vel uxorem suscipientis, & baptizatum, nec non inter maritum, vel uxorem suscipientis, & patrem, ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de uno Conjuge, de altero etiam prohibitum esse videa-

videatur . Nos piarum mentium quieti , & matrimonii favori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes , à præcisis verbis Concilii minime discedendum in præmissis esse censuimus , & propterea nullum amplius impedimentum , ratione cognationis hujusmodi , subesse decernimus , & declaramus , quominus inter dictos maritum , vel uxorem suscipientis , & baptizatum , baptizatique patrem , & matrem , & quascunque alias personas , tam ex parte suscipientis , quam baptizantis , & baptizati , in d. Concilio nominatim non expressas , matrimonium libere , & licite contrahi possit , & ita ab omnibus judicari debere mandamus , atque statuimus : Decernentes irritum , & inane , si quid secus à quoquam , quacunque Dignitate , Auctoritate , & Potestate , prædicta contigerit judicari . Non obstantibus Constitutionibus , & Ordinationibus Apostolicis , aliisque contrariis quibuscunque . Volumus autem , quod præsentes Literæ in Cancellaria nostra Apostolica , & Acie Campi Floræ , de more publicentur , & inter Constitutiones perpetuo valituras describantur . Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque Loca deferri , quod earum transumptis manu alicujus Notarii subscriptis , & Sigillo alicujus Prælati munitis , eadem prorsus fides adhibeatur , quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ , vel ostensæ . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Declarationis , Decreti , Mandati , Statuti , & Voluntatis infringere , vel ei ausu temerario contraire . Si quis autem hoc attentare præsumpserit , indignationem omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri , & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum . Datum Romæ apud S. Petrum , Anno Incarnationis Domini 1566. Quarto Kalendas Decemb. Pontificatus nostri Anno I.

10 Insuper , ne hujusmodi cognatio nimis propagaretur , idem Concilium *l. c.* refrænando numerum patrinorum statuit , ut unus tantum sive vir , sive fœmina , juxta Canonum instituta , vel ad summum , unus , & una baptizatum de fonte suscipiant ; quia cum hæc spiritualis cognatio , in quantum potest , conformari debeat cum cognatione naturali , sive corporali , sicut homo generari potest nisi ex uno mare , & ex una fœmina , sic suscipere prohibentur plures viri prout & plures fœminæ . Zerola *in Praxi Episc. verbo , Baptismus , numer. 5.* Unde
11 cum ita sit à Concilio dispositum , non poterit Episcopus , tanquam inferior dispensare , ut duo , vel plures viri , seu fœminæ possint simul suscipere . Sanchez *lib. 7. disp. 57. num. 7.* Reginald. *lib. 31. cap. 20. num. 154.* Bonaccina *de Matrim. quæst. 3. punct. 5. §. 2. n. 33.* Trullenck *lib. 7. cap. 9. dub. 8. n. 25.* prout nec dispensare poterit , ut adhibeantur patrini plures duobus diversi sexus , ut bene
12 idem Reginald. *l. c.* Ipsi tamen Patrini non sunt de essentia Sacramenti . Sotus 4. *Distinct. 7. quæst. unica art. 10.* Barbosa *de Off. & Potest. Episcop. alleg. 30. num. 33.* Aversa *de Matrim. quæst. 16. sect. 2. versic. Videtur* , quamvis non sine peccato omitti doceat idem Barbosa *in Collect. super Conc. ad sess. 24. cap. 2. num. 9.*

Statuit itidem idem Concilium *l. c.* Parochum baptizaturum debere diligenter scisciari ab iis , ad
13 quos spectabit , quem , vel quos , ad puerum de fonte suscipiendum elegerit , eumque , vel eos tantum admittat ; quod si alii , ultra designatos , baptizatum tetigerint , cognationem spiritualem non contrahant.
14 Ex dictis infertur primo , non contrahere cognationem eos , qui , ultra designatos à Parentibus & à Parocho , puerum susciperentur , quia hi designati non sunt , immo ultra designatorum numerum sunt . Sanch. *lib. 7. disp. 57. num. 8. & 12.* Gutierez *de Matr. cap. 100. num. 7.* Coninck *de Sacrament. tom. 2. quæst. 32. num. 38.*
15 Quod si Parochus designatos à Parentibus non admitteret , sed alios designaret , licet casu prætereuntes , hi cognationem contrahent ; sic re mature , ac docte discussa respondet Ludovicus Beja *in Resp. Cas. Conscient. part. 2. cas. 4.* qui est primus ex propositis die 25. Januarii Anni 1583.
16 At eo casu , quo parentes , vel alii , ad quos pueri cura incumbit , duos Patrinos designassent , & Parochus eos , una cum aliis admitteret , omnesque simul puerum tangerent , probabilius est solos designatos à Parentibus contrahere , si & ipsi puerum tetigerint ; ita docent Sanchez *d. disp. 57. n. 16.* Bonaccina *de Matrim. quæst. 3. punct. 5. §. 2. num. 27.* Trullenck *d. dub. 8. num. 22.* quia Parochi officium non est designare Patrinos , quando Parentes , vel
17 alii , ad quos spectat , designarunt , nisi tamen Parochus dictos Patrinos repelleret juste , ut quia essent pœnitentes publici , donec peracta pœnitentia , fuerint reconciliati . Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 37. num. 5.* vel Apostatæ , Hæretici , Facinorosi , moribus infames . Layman. *lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 2.* Barbosa *in Collect. Concilii ad sess. 24. de Reform. Matrimon. cap. 2. num. 13.* vel muti , *cap. Parvuli 74. de Consecratione , dist. 4.* Barbosa *l. c.* vel Abbates,
18 aut Monaci , seu Religiosi claustrales , *cap. non licet Abbati , 103. de Consecrat. dist. 4.* Sanchez *lib. 7. disp. 60. num. 21.* Bonaccina *l. c. n. 23.* Pontius , & Laymanus *ll. cc.* Excipe tamen Religiosos Claustrales , qui ad Dignitatem Episcopalem promoti essent . Sanchez *in Præceptis Decalogi , tom. 2 lib. 6. cap. 6. num. 24.* Barbos. *in d. Collectanea , loc. cit. num. 14.* quia prædicti omnes (his ultimis exceptis) licite tenere prohibentur , quamvis , si teneant , cognationem contrahant ; unde cum sint prohibiti suscipere,
19 habentur perinde ac si designati non fuissent , & juste repelli possunt . Sanchez , Bonaccina , & Trullenck *ll. cc.*

Infertur secundo , non contrahere inter se cogna-
20 tionem ipsos Patrinos . Sanchez *lib. 7. disp. 54. num. 12.* Bonaccina *d. §. 3. num. 4.* Trullenck *dict. dub. 8. num. 5.*

Tertio , vir & uxor , qui alienum puerum simul
21 suscipiunt , cognationem non contrahunt . Sanchez *lib. 7. disp. 57. n. 5.* Bonaccina *de Matrim. d. punct. 5. §. 2. n. 6.* Coninck *de Sacram. d. disp. 32. dub. 2. concl. 2. n. 24.* Trullenck *l. c.* quia Patrini inter se cognationem non contrahunt .

Quarto , nec filii suscipientis cum baptizato ; & sic fuisse à Sacra Congregatione decisum , refert Barbosa *d. alleg. 30. n. 56.*

Quinto , nec baptizatus , vel confirmatus cum filia ,
22 vel uxore relicta baptizantis , suscipientis , vel confirmantis. Laymanus *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 8. n. 1.* ubi concludit , posse patrem baptizati eandem relictam ducere in uxorem .

Sexto , nec mulier , quæ puerum baptizandum defert ad Ecclesiam , ut illum Compatri consignet , nec in actu baptismi puerum tangit . Barbosa *in Coll. Concill. sess. 24. cap. 3. n. 44.* ubi refert , sic fuisse à S. Congretione decisum .

Septimo , nec parentes adoptivi , sed tantum pa-
23 rentes naturales baptizati , quamvis hi illegitimi sint , cognationem contrahunt . Sanchez *d. disp. 54. n. 16.* Reginaldus *l. c. num. 150.* Barbosa *d. alleg. 30. num. 54.*

Octavo , nec Patrinus , qui puerum , jam domi
24 valide baptizatum , in Ecclesia suscipit . Sanchez *lib. 7. disp. 62. n. 5.* Bonaccina *de Matrim. quæst. 3. punct. 5. §. 2. n. 9.* Coninck *disp. 30. dub. 3. num. 24.* & per Decretum Concilii supra relatum , censeri sublatum Cathechismum , nempe cognationem quandam
25 spiritualem ex cathechizatione ortam , affirmant Jo. Valerus *Diff. Var. Fori , verbo Baptismus , diff. 2. n. 3.* Sanchez *lib. 7. disp. 10. num. 10.* & plures alii , quos refert Trullenck *d. dub. 8. n. 29.* Si tamen dubitaretur , an primus Baptismus validus esset , aliter dicendum foret per ea , quæ subjungemus ; tenetur tamen Parochus adnotare in libro , quod Patrini fuerint in solo Cathechismo , eo quod puer fuit domi baptizatus , juxta doctrinam Sanchez *n. 13. l. c.*

Nono , nec cognatio contracta ab uno Conju-
26 gum , transfundetur in alterum , ut diximus , & docent Sanchez *lib. 7. disp. 54. n. 11.* Barbosa *alleg. 30. num. 56.*

Decimo , nec contrahit Confessor cum pœniten-
27 tibus suis ; licet etenim *cap. Omnes 8. caus. 30. quæst. 1.* habeantur verba Simmachi Papæ : *Omnes ,*

quos

quos in pœnitentia accipimus, ita filii noſtri ſunt, ſicut quos, vel nobis ſuſcipientibus, vel trinæ merſionis vocabulo mergentibus unda Sacri Baptiſmatis regeneravit. Et cap. *Non debet* 10. *d. quæſt.* 1. refertur ex Cœleſtino Papa: *Epiſcopus, vel Presbyter, qui commiſcetur cum mulieribus, quæ ei ſua peccata confeſſæ fuerunt, ſi forte (quod abſit) contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali. Epiſcopus quindecim annis, Presbyter duodecim, & deponatur, ſi tamen in conſcientiam populi*
28 *devenerit*; nihilominus certum eſt, hujuſmodi cognationem ſpiritualem non inſurgere ex collatione aliorum Sacramentorum, præter Baptiſmum, & Confirmationem; idque aperte colligitur ex cap. *Quamvis, ultimo, de cognatione ſpirituali, in* 6. & late probat Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 8. *n.* 9. & noviſſime Verricell. *de Miſſionib. Apoſtolic. qu.* 162. *dub.* 5. *num.* 37. ubi expreſſe docet, quod, quam-
29 vis antiquo tempore hujuſmodi ſpiritualis cognatio adeſſet, tamen ex generali conſuetudine eſſe jam abolitam.

30 Nec Fidelis baptizans, vel ſuſcipiens filium Infidelium, cum ipſis parentibus Infidelibus contrahet Cognationem. Sanchez *lib.* 7. *Diſp.* 60. *n.* 14. Barboſa *in d. Coll. Concilii ad d. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *n.* 24. & nos infra latius dicemus.

31 Magna eſt & valde difficilis quæſtio inter Doctores, an Patrinus Cognationem contrahat per Procuratorem, & quis ex ipſis, an ſcilicet Principalis, vel Procurator illam contrahat; in qua re plerique ſentiunt, nec Principali, nec Procuratori acquiri; ita Sotus 4. *Sent. diſt.* 42. *art.* 2. *col. ult.* Covarruv. *tom.* 1. 2. *parte, cap.* 6. §. 4. *num.* 6. Navarrus *lib.* 4. *conſil. Titulo de Cognat. Spir. conſ.* 2. *in prima edit.* Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 1. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 59. *n.* 4. Reginaldus *d. cap.* 20. *num.* 156. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 5. *num.* 192. & alii, quos refert Trullenck *loc. cit. num.* 33. Ratio eſt, quia ad contra-
32 hendam hujuſmodi ſpiritualem Cognationem neceſſaria eſt realis actio tangendi Baptizatum, quæ tunc non fit per Principalem, ſed per Procuratorem; qui tamen, quamvis tangat, non ſuo nomine tangit, nec intendit nomine ſuo exercere Patrini munus; unde nec ſibi, nec Principali Cognationem acquiri, ſentiunt præcitati Doctores.

33 His tamen non obſtantibus probabilius exiſtimo, principali Cognationem acquiri; ita expreſſe docent Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 39. *n.* 10. Leo *in Theſ. Fori Eccleſ. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 63. *&* *num.* 64. Coninck *de Sacramentis diſp.* 32. *dub.* 2. *num.* 40. Laymanus *Theol. moral. d. cap.* 8. *num.* 6. Marius Antoninus *var. reſol. lib.* 1. *reſol. fin.* 112. *caſu* 25. Bonaccina *de Matrim. quæſt.* 3. *punct.* 5. §. 2. *n.* 34. Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Div. Piet. cap.* 105. *num.* 9. Zerola *in Praxi Epiſc. verbo Baptiſmus, num.* 4. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 23. *tom.* 3. *loc. cit.* & plures alii, quos refert Sanch. *d. diſp.* 59. *num.* 12. & ſic fuiſſe à S. Congregatione deciſum, referunt Franciſcus Leo, Pontius, & Bonacc. *ll. cc.* Ratio eſt, quia is, cujus nomine alter è ſacro Fonte ſuſcipitur, vere Patrinus efficitur ex communi Fidelium perſuaſione, & conſuetudine; item & quia Eccleſia non permitteret iſtum modum ſuſcipiendi per Procuratorem, nec Baptiſmum ſine vero Patrino adminiſtrari; item quia omnis actus per Procuratorem præſtari poteſt, niſi expreſſe prohibeatur, *l. prima* §. *Rurſus, ff. de Procurat.* & qui per alium facit, perinde eſt ac ſi per ſe ipſum faceret, *Regula, Qui facit* 72. *de reg. Juris in* 6. Rota coram Pænia *deci.* 15. *num.* 25. Pariſ. *de Reſignat. Benef. lib.* 7. *quæſt.* 1. *num.* 58. *&* *de Confid. quæſt.* 28. *n.* 83. Mandoſius *ad Reg. Cancell. Regula* 30. *de Idiom.*
34 *quæſt.* 1. *num.* 11. nec poteſt ſubſiſtere, ut Procurator, qui alieno nomine ſuſcipit, contrahat ipſe Cognationem, quia cum non intendat ſuo nomine ſuſcipere, actus non operatur ultra intentionem agentis *l. non omnis ff. Si certum petatur, cap. Quemadmodum* 25. *de Jur. Jur.* Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 800. *num.* 12. Salas *de Legib. diſp.* 20. *ſect.* 6. *num.* 67. *verſ. Quarto probat*, Mantica *de Conject. lib.* 4. *titul.* 2. *num.* 4. Donatus Antonius de Marinis *Reſol. quotid. lib.* 1. *cap.* 431. *num.* 7. Addo Patrinum fieri fidejuſſorem Baptizati apud Deum, & teneri 35
eundem Baptizatum admonere, ut caſtitatem cuſtodiat, Juſtitiam diligat, charitatem teneat, necnon ipſum Orationem Dominicam, & Symbolum Fidei edocere, ut diſponitur *cap. Vos ante omnia* 105. *de Conſecr. diſt.* 4. & fidejuſſio per Procuratorem præſtari poteſt. Bartol. *in l. Si fraudator, n.* 1. *ff. de his, quæ in fraudem Credit.* Si tamen, ante- 36
quam Procurator ſuſcepiſſet, fuiſſet à Principali revocatus, quamvis dicta revocatio Procuratori non innotuiſſet, docet Sanchez *l. c. num.* 8. non contrahi Cognationem à dicto Principali, quia conſenſus in iſtis actibus requiritur, ut ſit verus, perſeverans, & non fictus.

An autem contrahatur Cognatio ab Univerſitate, ſi 37
conſtituat Procuratorem ad ſuſcipiendum, dicendum eſt, uti Univerſitatem, contrahere non poſſe, quia eſt perſona ficta, & incerta, & propterea eſt hujuſmodi Cognationis expers, ut bene Sanchez mox citandus; an vero Conſtituentes contrahant, uti 38
ſinguli ſunt opiniones; ſed verius eſt, nec uti ſingulos contrahere, ut pluribus citatis, docent Sanch. *d. Diſp.* 59. *n.* 7. Merolla *tom.* 3. *Diſp.* 6. *cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 154. & faciunt dicta per Donat. Ant. de Marinis *Reſp. quotid. lib.* 1. *cap.* 96. *n.* 4.

Porro maxima eſt differentia inter Baptizantem, & 39
Patrinos; ille etenim, ſive ſit maſculus, ſive fœmina, ſive Clericus, ſive Laicus, ſive baptizet ſo- 40
lemniter, ſive non ſolemniter, & quamvis in caſu neceſſitatis baptizet. Cognationem ſemper contrahit. Navarrus *in Man. cap.* 22. *num.* 40. *verſ. Interrogatus*. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 57. *n.* 10. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 8. *n.* 5. *q.* 3. Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Div. Piet. lib.* 3. *cap.* 105. *num.* 7. Bonac. *de Matr. quæſt.* 3. *puncto* 5. §. 2. *n.* 11. Trullenck *d. dub.* 8. *num.* 11. Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 197. quia Jura, quæ Cognationem inducunt, abſolute loquuntur de Baptizante, nullum excipiendo; Patrini vero Cognationem tan- 41
tum contrahunt in Baptiſmo ſolemni in Eccleſia facto; unde ſi puer domi baptizaretur, & deinde cæremoniæ ſupplerentur in Eccleſia, nullam contraherent Cognationem. Rebuff. *in Praxi Benef. Regul. de Diſpenſ. in gradib. prohib. Gloſſa* 5. *num.* 24. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 62. *n.* 14. Bonaccina *n.* 9. *&* 10. Filiuccius *d. num.* 197. Stephanus à S. Greg. & Trullenck *ll. cc.* Pontius *lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 1. 2. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 260. *verſ. Sed ego*. Averſa *de Matr. quæſt.* 10. *ſect.* 3. *verſ. Sed tandem*, & ſic fuiſſe à Sacra Congregatione deciſum, referunt Franciſcus Leo *in Theſ. Fori Eccleſ. part.* 2. *cap.* 9. 70. & Pyrrhus Corrad. *in Prax. Diſpenſ. Apoſt. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 6. quicquid in contrarium doceat Garcia *de Benef. part.* 8. *cap.* 6. *à num.* 46.

Amplia, ut nec Cognationem contrahat ſuſci- 42
piens in privato Baptiſmo, quamvis vere habuiſſet animum exercendi munus Patrini, quia, ut bene docent Sanchez, & Trullenck *ll. cc.* illa intentio non efficit, ut actus ille ſit cæremonialis; ſi tamen dubium eſſet, an Baptiſmus fuiſſet validus, unde ſub conditione iteraretur, præſumi deberet pro Impedimento, quia cum non conſtet primum fuiſſe validum, immo in eo dubio iteratus fuerit ſub conditione, poteſt eſſe, ut non primus, ſed ſecundus validus ſit, & proinde in eo dubio præſumi debet, fuiſſe ortum impedimentum, ita Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 62. *num.* 6. Bonacc. *d.* §. 2. *nu.* 10. Trullenck *d. dub.* 8. *num.* 27.

Et ſicut Cognatio carnalis ex multiplici gradu au- 43
getur, ita hæc ſpiritualis; quia ſi alter alterius prolem invicem ſuſcipiant, vel in diverſis Sacramentis, nempe Baptiſmi, & Confirmationis, eundem, vel alterum ejuſdem perſonæ filium, qui ſuſcipiat, duplicabitur Cognatio; at, ſi quis plures ejuſdem perſonæ ſucceſſive filios in eodem Sacramento teneret, non augeretur Cognatio, ſicut nec Conſanguinitas augeretur ex copula cum eadem perſona pluries repetita; vide Garcia *de Benef. p.* 8. *cap.* 3. *nu.* 78. Pyrrhum Corradum *d. c.* 8. *num.* 16. & propterea ſtylus

Curiæ

Curiæ ita se habet, ut si quando petatur Dispensatio super compaternitate, sufficiat exprimi, quod Orator Oratricis prolem, ex alio viro susceptam, tenuit; denotando expresse per illud verbum Prolem, quod, quotcunque fuerint filii, quos Orator tenuit, unicum insurgit Impedimentum.

Cæterum ad hoc, ut spiritualis hæc Cognatio contrahatur, plura necessaria sunt.

44 Primo enim requiritur, ut Patrinus, qui adhibetur in Baptismo, sit baptizatus; &, si suscipiat in Confirmatione, sit ipse confirmatus; ita Sanchez *lib. 7. disp. 60. num. 7. & num. 20.* Coninck *Disp. 32. dub. 2. concluſ. 3. num. 25.* Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 40. num. 2.* Bonaccina *de Matrim. quæſt. 3. puncto 5. §. 2. num. 19.* Laymanus *Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 8. num. 2.* Barbosa *de Off. & Poteſt. Epiſc. alleg. 3. num. 34.* & quamvis Patrinus sit puer, etiam

45 septennio minor, suscipere potest, dummodo usum rationis ad mortale peccatum committendum habeat, & intendat munus spiritualis Patris gerere, secundum Ecclesiæ consuetudinem. Sanchez *lib. 7. disp. 61. à num. 3.* Bonaccina *loc. cit. num. 17.* Barbosa *d. Alleg. 30. num. 38.* Stephanus à S. Gregorio *d. cap. 105. num. 10.* nec refert si Patrinus sit minor ætate Baptizati. Sayrus *in Floribus tit. de Cognat. Spirit. deciſ. 3.* Sanchez *lib. 7. Disp. 61. num. 3.* Barbosa *in d. Coll. l. c. num. 16.* unde cum requiratur, ut Patrinus sit baptizatus, vel respective confirmatus, sequitur, quod Infidelis, suscipiendo, vel baptizando, nullam contrahit Cognationem, quia non subjicitur Ecclesiæ, ex cujus lege, & intentione Cognatio contrahitur, ut concludunt Sanchez *d. disp. 60.* Bonaccina *n. 19.* & alii præcitati Doctores *ll. cc.* Idque verum

46 est, quamvis Infidelis esset Cathecumenus, quia adhuc non est baptizatus, nec Ecclesiasticis Constitutionibus obligatus, ut bene Sanchez *l. c. n. 9.* immo (ut diximus *num. 30.*) si Fidelis baptizet, aut suscipiat filium Infidelium, nullam cum Parentibus Baptizati, vel Sescepti contrahit Cognationem. Sanchez *Disp. 60. num. 14.* Barbosa *in Collect. Concilii ad ſeſſ. 24. de Reformat. Matrimonii cap. 2. num. 24.* Laymanus *d. cap. 8. num. 2.* Ratio est, quia spiritualis Cognatio esse debet intra duos terminos, quorum uterque hujus relationis capax sit; cum itaque non baptizatus nequeat esse Compater, sive Cognatus spritualis, ita nec Fidelis, filium Infidelium bapti-

47 zans, Cognatus eis censeri potest; quod si Parens Prolis baptizatæ postea Sacramentum Baptismi suscipiat, probabilius est contrahere Cognationem, quia impedietur à Nuptiis cum Persona baptizante, vel confirmante, & Patrinis filii sui, juxta doctrinam Coninck *loc. cit. num. 27.* Layman. *loc. cit.* Ratio est, quia secundum Juris dispositionem, spiritualis Cognatio, immediate quidem contrahitur tantum inter Baptizantem, & Baptizatum; mediate vero, ac consequenter, spectato Jure antiquo, redundat in carnales filios Baptizantis, & jure etiam novo, in carnales parentes Baptizati, cum primum hi hujus

48 Cognationis sint capaces; & ob id longe difficilius, immo vix, aut nunquam Pontifex dispensat in spirituali Cognatione Paternitatis; ut bene animadvertunt Coninck *Disp. 33. dub. 5. num. 44.* & Laymanus *l. c. n. 3.*

49 Secundo requiritur, ut Patrini puerum suscipiant de manu Baptizantis, nam si Compater eum de manu Commatris, vel Commater de manu Compatris susciperent, Cognationem non contraherent, quia non susciperent è sacro Fonte, ut bene Sanchez *lib. 7. disp. 56. num. 3.* Stephanus à S. Gregorio *d. cap. 105. n. 8.* Trullenck. *l. c. n. 10.* Si quis tamen, cum fuerit à Parentibus designatus, ipsum infantem

50 Sacerdoti porrigat, ut in sacrum Fontem mergat, vel post ipsam immersionem, puerum è manu Sacerdotis protinus suscipiat, etiamsi in ipso actu Baptismi puerum non tangat, nihilominus Cognationem contrahit, quia eadem ratio militat in porrigente, ac in suscipiente, dummodo immediate in ipso actu, vel ante, vel post actum Baptismi, illico tangatur, videtur enim, per hujusmodi continuationem unicus actus; & ita fuisse à Sac. Congregatione decisum die 27. Septembris 1601. refert idem Barbosa *in collect. Concilii, verbo Cognatio Spiritualis ad ſeſſ. 24. cap. 2. n. 43.* vide Pirrhum Corrad. *in d. Praxi l. c. n. 8.*

Tertio requiritur, ut Patrinus puerum formaliter, 51
ac vere teneat, seu tangat, unde non sufficit si assistat, vel pro puero simpliciter respondeat, nec si puerum ante Baptismum super Fonte teneat, vel per actum momentaneum, cum extremitate digiti illum tangat; quia ad hoc, ut Cognationem contrahat, necesse est, ut formaliter, ac vere tangat. Sanchez *lib. 7. d. disp. 56. numer. 4.* Bonaccina *d. §. 2. num. 14.* Barbosa *de Off. & Poteſt. Epiſc. Alleg. 30. nu. 47.* sufficiet quidem si eum tangat, quamvis vestibus contectus sit. 52
Sanchez *d. Disp. 56. n. 6.* Pontius *lib. 7. cap. 39. num.* 9. & quamvis non respondeat pro Puero in Cathe- 53
chismo, tamen si puerum teneat, ut supra, contrahet Cognationem, Sanchez, & Pontius *ll. cc.*

Quarto requiritur, ut Patrinus habeat intentionem 54
expressam, vel saltem tacitam præstandi munus Patrini, & suscipiendi de sacro Fonte. Sanchez *lib. 7. disp. 58. à num. 1. usque ad numer. 5.* Bonaccina *de Matrim. quæſt. 3. puncto 5. §. 2. num. 15.* Quod si 55
puerum teneret ea intentione, ut non efficiatur Compater, nec Cognationem contrahat, & tamen, in munere, quod agit, intendat agere id quod facit Ecclesia, Cognationem contrahet; quia Cognatio non pendet ex ejus voluntate, sed est accessoria actui Baptismi, seu Confirmationis. Stephanus à S. Gregorio *nu. 8.* Bonaccina *num. 15. ll. cc.* unde satis est, ut intendat facere quod in eo actu intendit Ecclesia. At si per errorem levaret Filium Petri, putans esse Fi- 56
lium Pauli, docent Sanchez *lib. 7. Disp. 58. num. 7.* Trullenck *l. c. num. 11.* & latius *num. 26.* Bonaccina *de Matrim. qu. 3. puncto 5. §. 2. num. 18.* non contrahere nec cum Petro, nec cum Paulo, quod idem affirmat Sylvester, *verbo Matrimonium 8. qu. 7.* & probabile ait Diana *part. 3. tract. 4. resol. 16.*, quia non contrahit cum Petro, quia non intendit exercere officium Patrini cum filio Petri, & cum non suscipiat filium Pauli, nec contrahit cum ipso Paulo.

Hæc, quæ hucusque dicta sunt, rite procedunt quoad Cognationem, quæ, ne Matrimonium valide, ac licite contrahatur, impedit; est quod nunc aliqua subjiciamus de Cognatione illa, quæ, Matrimonio jam valide contracto, supervenit, unde debiti petitio aliquando prohibetur, ut dignosci possit, an, & quando Dispensatio requiratur, & à quo concedi possit.

Præmitto, non impediri petitionem debiti, si al- 57
ter Conjugum ignoranter Cognationem contrahat, idque pari modo procedere, sive ignorantia sit facti, eo quia nesciret Baptizatum, sive Confirmatum esse filium suum, vel Conjugis sui, sive sit Juris, nempe quia nesciebat esse Legem Ecclesiasticam prohibentem Conjugi hujusmodi actionem. Constat *ex cap. Si vir 2. de Cognat. ſpirit.* & docent Sanchez *lib. 9. disp. 32. num. 43.* Pontius *lib. 10. cap. 6. à num.* 8. Laymanus *lib. 5. tract. 10. part. 4. d. cap. 8. num. 8.* Aversa *de Matr. quæſt. 16. ſect. 3. verſ. Similiter non impediri*, quia cum hæc prohibitio in solo Jure Ecclesiastico fundata sit, qui illam ignorat, sicuti excusatur à culpa, ita excusatur à pœna.

Addo nec impediri debiti petitionem, si in arti- 58
culo necessitatis Parens communem filium, vel baptizavit, vel suscepit, quia non est verus susceptor, sed materialiter. Sanchez *lib. 9. Disp. 26. num. 4.* Aversa *d. quæſt. 16. ſect. 2. verſ. Nec quando.* Cævallos *quæſt. comm. contra comm. 271.* Laymanus *d. cap. 8. num. 7.* Reginald. *lib. 31. cap. 39. num. 291.* ubi ampliat, nec privari, quamvis non communem, 59
sed ipsius sui Conjugis prolem in dicto casu necessitatis baptizet; ratio est, quia inculpabile est id, ad quod necessitas impulit, ut definitur *in cap. ad limina 7. cauſa 30. quæſt. 1.* unde cum impedimentum ad petendum debitum à sacris Canonibus in pœnam delicti statutum sit, parens hoc necessitatis casu nihil delinquit, si filii sui, vel filii Conjugis sui Patrinus existat, dum alius adesse nequit; & quam- 60
vis Sponsus, in casu necessitatis baptizans Prolem

ex

ex Sponsa susceptam, impedimentum contrahat ad matrimonium cum ea contrahendum, ut docent Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 62. *num.* 10. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 8. *nu.* 6. 7. aliter tamen est dicendum de Conjugibus, quibus, post nuptias legitime contractas, acquisitum fuit jus petendi, & exigendi debitum, & propterea illum hoc jure privare, esset pœna, non debet hoc casu ei pœna imponi, si absque culpa, sed ne filius moriatur absque Baptismo, illum baptizat, cum non sit æquum eum punire si non præcessit culpa. *cap. Discretionem 6. de eo qui duxit*; & faciunt dicta de urgenti necessitate.

61 At inter Sponsos nondum matrimonio conjuctos est diversa ratio, quia illos privare matrimonio futuro non censetur pœna, sed moralis inhabilitas ad matrimonium ex Canonum jure inflicta, quæ inhabilitas etiam absque culpa incurri potest. Laymanus *d. cap.* 8. *num.* 7. & faciunt dicta per Sanchez *l. c.*

62 Articulus necessitatis tunc dicitur, quando non adest, nec Clericus, nec alius, & datur periculum moriendi absque Baptismo, ut declarat Laymanus *d. cap.* 8. *num.* 5. *vers. Quæro* 3. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 26. *nu.* 2.

At si quis filium suum, extra casum necessitatis,
63 scienter baptizaret, vel teneret in Baptismo, seu Confirmatione, ut Patrinus fieret, peccaret, & jure petendi debitum privaretur, & nihilominus reddere teneretur, sive id fecisset ex certa scientia, sive ex malitia, in matrimonii fraudem: colligitur *ex d. cap. Si vir*, & docent Sanchez *l. c. n.* 8. Aversa *l.*
64 *c. vers. Rursus*, & alii communiter, quia non debet sua malitia alicui patrocinari, maxime in præjudicium alterius Conjugis innocentis, qui privari non debet suo jure petendi, & exigendi, dum sibi jure competit. Sanchez, & Aversa *ll. cc.*

65 Dixi ex proposito, dum jure sibi competit, quia si ob aliam causam, ut, puta, ob adulterium commissum, jus hujusmodi sibi non competeret, si esset infra bimestre post contractum, sed nondum consumatum matrimonium, quo durante, non tenetur reddere; aliter esset dicendum, & teneretur eo casu non consumati matrimonii, dicto bimestre durante, Cognationem servare, licet illam non servando non peccaret, nisi in prima copula, & deinceps teneretur absolute reddere, non obstante Cognatione per eum scienter contracta; vide Sanchez *lib.* 9. *Disp.* 6. *n.* 14. Aversa *quæst.* 16. *sect.* 2. *d. vers. Rursus.*

66 Id tamen singulare est, quod dicta pœna privationis nulla eget declaratione Judicis, sed ipso facto incurritur, quamvis sit pœna, ut animadvertunt dicti Sanchez *lib.* 9. *disp.* 30. *num.* 2. Aversa *d. sect.* 2. *vers. Saltem tamen*; quæ autem sit ratio, ut hujus-
67 modi privatio, cum pœna sit, incurratur ante Judicis sententiam, fatetur Sanchez *l. c.* non invenisse, nec percepisse, cum rationes omnes, quæ adduci possent, sint reprobatæ.

68 At difficultas est, si alter Conjux consensisset actioni, ob quam alter, ministrando in Sacramento, cognationem contraxisset; & quidem hic casus est expressus in *cap. De eo*, 5. *caus.* 30. *quæst.* 1. ubi dicitur: *Si Conjuges legitimi, unus, aut ambo, ex indu-*
69 *stria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, & simul maneant;* unde dum absolute conceditur, ut simul maneant, videtur utrique Conjugi absolute permitti matrimonii usus, etiam quoad petitionem, quod idem clarius deciditur *in pr. c. Si vir, de cognat. spir.* ubi habetur, *Nobis videtur, quod si ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sint ab invicem separandi, nec alter alteri debitum subtrahere debeat*: & per hos Canones, qui posteriores sunt, correcti fuerunt, & revocati priores, qui contrarium statuebant, ut bene concludit Coninck. *disp.* 34. *dub.* 8. *per tot.* ubi *n.* 66. asserit, se mirarum fuisse de nonnullis Viris doctissimis, qui, absque solido fundamento contrarium docuerunt; ita etiam docent Sanchez *lib.* 9. *disp.* 28. *num.* 6. Pontius *lib.* 10. *cap.* 6. *nu.* 4. Aversa *d. quæst.* 16. *sect.* 2. *vers. Saltem tamen*; ampliat Pontius *l. c.*
70 ut nec impediatur Conjugium, quamvis unus ex Conjugibus scienter, & ex admissa fraude, & ea præcisa intentione usum Conjugii impediendi, in Sacramento ministravit, quia alioquin molestissimum esset, & innumeris peccatis expositum cohabitare, & in eodem lecto cum Conjuge dormire, & non posse petere debitum.

Qui autem possit super hac inhabilitate dispensare, 71
quicquid in contrarium doceant Pontius *lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 10. & alii; dicendum est posse dispensare Episcopum; ita expresse docent Sanchez *lib.* 8. *disp.* 12. *n.* 15. Trullenck. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 16. *n.* 24. *tom.* 3. Graffius *Decis. Aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 83. *n.* 13. Ledesma, Veracrux, Valentia, sic & plures alii, quos propterea citat Sanchez *l. c.* Navarrus *in Summa, cap.* 16. *num.* 34. ita etiam Divus Antoninus.

Deveniendo nunc ad praxim obtinendæ Dispensa-
tionis super hujusmodi impedimento cognationis spi-
ritualis, sciendum est, quod in compaternitate tam 72
simplici, quam duplici, Summus Pontifex non diffi-
cile dispensat si aliqua justa causa adsit; immo, quo
ad hoc, sufficiet aliqua ex levioribus causis, quæ suf-
ficere solent ad impetrandam Dispensationem in gra-
dibus remotioribus: erit tamen necesse exprimere in
Supplicatione provenientiam hujusmodi impedimenti,
ad hoc, ut sciri possit, an super compaternitate, vel
paternitate, petatur Dispensatio; quia si super pater-
nitate petatur, Dispensatio denegatur, vel difficilime,
& cum multis modificationibus conceditur; cum in- 73
decentius sit contrahere cum filia spirituali, quam quis
è sacro fonte levavit, vel in Sacramento Confirma-
tionis tenuit, quam cum Compatre, seu Commatre:
ista enim regeneratio spiritualis, ex qua hujusmodi
filiatio consurgit, assimilatur generationi carnali,
ex qua filiatio naturalis oritur; & sicut indecentissi-
mum esset inter parentes, & filios naturales ad matri-
monium dispensare, ita inter patres, & filios spirituales,
ut bene animadvertit Sanch. *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 15. te-
stans se nunquam audisse, nec legisse, quod fuerit su-
per hujusmodi paternitate dispensatum; & quod non
soleat super ea dispensari, testatur inter alios Ma-
jolus *de Irregularitate*, *cap.* 39. *n.* 3. & Donatus An-
tonius de Marinis *d. cap.* 96. *n.* 8. Et quamvis Pontius 74
de Matr. lib. 8. *cap.* 17. *§.* 5. *nu.* 18. referat singula-
rem casum Dispensationis super dicta paternitate, factæ
per Gregorium IX. refert etiam infelicissimum exi-
tum matrimonii inde secuti; tanta etenim est vis hu- 75
jus paternitatis, ut si quis occideret patrem spiritua-
lem, puniretur perinde ac si occidisset naturalem,
ut bene Donatus Antonius de Marinis *Resol. Quotid.*
cap. 96. *nu.* 4. *lib.* 1. nec potest pater spiritualis vo- 76
cari à filio spirituali in jus, absque venia. Donatus
Antonius de Marinis *l. c. nu.* 7., ubi *num.* 9. con-
cludit, teneri patrem spiritualem alimentare filium 77
spiritualem, & è contra Compatri competit jus que-
relandi de occisione filii spiritualis, deficientibus con-
sanguineis, ut bene Paschalis *de Viribus Patriæ Po-*
testatis, *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 78., si tamen urgentis-
simæ causæ adessent, ex quibus necessaria videretur 78
Dispensatio, tunc in concedenda Dispensatione super
hujusmodi filiatione, de stylo Cutiæ servatur idem,
quod servari solet in Dispensatione super primo, &
secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus,
& cum eisdem clausulis, & qualitatibus; unde Li-
teræ Dispensationis expediuntur per Breve, sub An-
nulo Piscatoris; nec sufficiet eo casu exprimere, quòd,
nisi matrimonium contraheretur, timeantur scanda-
la, & quod mulier diffamata, & innupta remane-
ret, sicut in Dispensationibus, quæ super gradibus
remotioribus conceduntur, exprimi solet; sed requi-
ritur, ut scandala prædicta gravia sint, & ut Ora-
trix graviter diffamata remaneret, & ulterius, peri-
culum vitæ utrique Oratori immineat, nisi matri-
monium contrahatur, prout in propinquioribus gra-
dibus, nempe infra secundum practicari solet: Et si
Dispensatio hujusmodi in forma *Pauperum* sit conce- 79
denda, Orator teneretur omnino accedere ad Ur-
bem pro conferendo operam suam Fabricæ, quamvis
claudus, & debilis sit, alias Dispensatio in dicta for-
ma non concederetur; unde necesse est exponere pro- 80
venientiam impedimenti, ut supra diximus, ad hoc,
ut dignoscatur quale sit impedimentum; videlicet,
Quod Oratores ex tali causa cupiunt invicem matrimo-
niali-

nialiter copulari; sed quia dictus Orator alias Oratricis prolem, ex alio viro conceptam, de sacro fonte levavit, vel in Sacramento Confirmationis tenuit, vel dictam Oratricem suscepit, &c. pro ut res se vere habet, *desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; Quare &c.* Et tunc Papa committere solet Delegato, ut *Si preces veritate niti repererit &c. quod impedimento spiritualis cognationis hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere &c. libere, & licite valeant &c. prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando &c.*

81 Contingit aliquando dubitari, an inter contrahere volentes, cognatio vere contracta fuerit, necne, ut quando dubitatur, an Baptismus domi collatus validus fuerit, si postea in Ecclesia repetitus sit sub conditione: & tunc, si Oratores ob id scrupulis tangantur, & propterea supplicare intendant ad Sanctissimum pro Dispensatione, narrari debet factum, prout se vere habet; quo casu rescribi solet per Sanctissimum Delegato, ut, *Si legitimis probationibus compererit, dictum filium fuisse prius vere baptizatum, nullum spiritualis cognationis impedimentum contractum fuisse declaret*; vide Diana *part.* 3. *tractat* 4. *resol.* 260. Pyrrhum Corradum *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 7.

Et in quibuscunque casibus, in quibus dubitatur, an cognatio contracta sit, solet res deferri ad Sacram Congregationem Concilii, quæ causa cognita decidit prout justitia exposcit.

82 At si impedimentum Cognationis occultum sit, recurritur ad Sacram Pœnitentiariam, ut diximus *lib.* 1. *cap. ultimo*, ubi apposuimus formulas Dispensationis, tam pro matrimonio contracto, quam pro contrahendo.

Nec erit necesse in Dispensatione super hujusmodi cognatione impetranda, fieri mentionem de copula inter impeditos præhabita, si alia causa allegetur pro Dispensatione, per ea, quæ diximus *d. lib.* 1.

CAPUT VI.

De Cognatione legali; & an, & quando matrimonio obstet.

SUMMARIUM.

1 *Cognatio legalis, quid sit, secundum Theologos.*
2 *Et quid secundum Juristas.*
3 *Adoptans uxorem habere debet.*
4 *Cognatio legalis unde dicta; & ejus definitio explicatur*, & nu. 6.
5 *Adoptari non potest pater à filio, vel frater, quia debet esse extraneus.*
7 *Adoptans debet esse paterfamilias.*
8 *Et major annis* 25.
9 *Adoptans debet esse vir, & mulier adoptare nequit, nisi ex privilegio, & ex qua causa.*
10 *Fœmina adoptari potest.*
11 *Adoptans, ut possit valide adoptare, requiritur, ut non sit naturaliter impeditus, licet esse ex accidenti.*
12 *Adoptans debet excedere saltem* 18. *annis adoptatum, ut ex dicta ætate possit ejusdem esse pater naturalis.*
13 *Adoptari nemo potest à pluribus, nisi consensu omnium de parentela.*
14 *Ut adoptio sit valida, requiritur quod tam adoptans, quam adoptatus, tempore adoptionis actu sint præsentes.*
15 *Adoptionis actus non potest per Procuratorem expleri.*
16 *Cognatio legalis quotuplex sit.*
17 *Cognatio legalis perfecta, quæ dicatur. Arrogatio, quæ dicatur*, ibidem.
18 *Cognatio legalis imperfecta, quæ sit.*
19 *Adoptari qui possint*, & num. 26.
20 *Quæ sit differentia inter arrogationem, & adoptionem*, & num. seqq.
21 *Adoptatus simpliciter, & imperfecte, non transit in potestatem adoptantis, sed remanet in potestate patris, vel avi. Distingue, aut adoptatur ab extraneo, vel ab aliquo ascendente*, num. 84. 85.
22 *Non fit hæres ex testamento necessarius, sed habet Jus succedendi ab intestato eidem adoptanti.*
23 *Arrogatus cum liberis, & omnibus rebus, transit in potestatem arrogantis.*
24 *Et fit ejus hæres necessarius, tam ab intestato, quam ex testamento. Et habet querelam contra testamentum*, nu. 83.
25 *Quod procedit, tam in loco filii, quam nepotis arrogato.*
27 *Adoptio fieri potest auctoritate cujuslibet Judicis competentis.*
28 *Arrogatio vero fieri debet auctoritate Principis.*
29 *In adoptante requiritur ætas annorum* 25. *tantum.*
31 *In arrogante requiritur* 60. *annorum ætas, quod tamen potest fieri etiam post* 40. *cum causa*, & num. 32.
33 *In arrogatione impuberis, quæ sint observanda.*
34 *Cognatio legalis imperfecta non impedit, nec dirimit matrimonium ex communi opinione.*
35 *Arrogans tenetur cavere de bonis arrogati restituendis, quæ fidejussio durat, quousque arrogatus non pervenerit ad pubertatem, nam facto pubere, expirat obligatio*, num. 36.
37 *Ad perficiendam arrogationem, quæ verba sint exprimenda ab utroque, & an habeant locum in adoptione.*
38 *Infans adoptari potest, dummodo naturalis ejus pater consentiat; arrogari vero nequit, & quid, si adsit Principis Rescriptum*, num. 39.
40 *Adoptio legitime contracta inducit impedimentum impeditivum, & dirimens matrimonium, tam in linea recta, quam collaterali, etiam de Jure Canonico*, nu. 41. 42.
43 *In linea recta adoptionis, qui veniant in cognatione.*
44 *Matrimonium in linea recta adoptionis, infra quartum gradum, prohibitum censetur ex Jure Civili.*
45 *De Jure Canonico vero in infinitum prohibetur.*
46 *Extende, ut etiam dirimat contractum, licet dissoluta fuerit.*
47 *Adoptans contrahere potest matrimonium cum filiabus adoptati, quæ in ejus potestate tempore adoptionis non erant.*
48 *In linea collaterali arrogationis, matrimonium impeditur inter illos, qui sunt in potestate adoptantis, & ipsum adoptatum*, & num. 60.
49 *Impedimentum cognationis legalis, in linea collaterali durat, quousque durat adoptio.*
50 *Et ideo raro Dispensatio in ea petitur, cum adsit modus cognationem finiendi, videlicet per emancipationem*, nu. 87.
51 *Cognatio legalis non contrahitur cum filiis illegitimis adoptantis, & inter eos matrimonium contrahi potest* nu. 62.
52 *Filii adoptivi inter se non contrahunt cognationem, nec prohibentur contrahere matrimonium, quando sunt ex diversa familia*; & num. 61.
53 *Cognatio legalis contrahitur inter uxorem adoptati, & adoptantem, & inter uxorem adoptantis, & adoptatum.*
54 *Et hæc durat, quandiu illi, qui eam contraxerunt, vivunt, quamvis adoptio dissolvatur.*
55 *Matrimonium, an dirimatur per cognationem legalem, tam perfectam, quam imperfectam, & quod sola perfecta dirimat, concluditur* nu. 56. *& de ratione*, n. 57. & 58. *& imperfecta tantum impedit*, nu. 59.
63 *Filius illegitimus non dicitur esse in patris potestate.*
64 *Adoptans potest ducere in uxorem filiam illegitimam filii adoptati, absque Dispensatione.*

65 *Ado-*

65 *Adoptans non impeditur contrahere cum parentibus filii adoptivi.*
66 *Pater adoptans non prohibetur contrahere cum filia filiæ adoptatæ.*
67 *Fœmina neminem habere potest sub potestate.*
68 *Filia filiæ adoptatæ non censetur adoptata à patre adoptante.*
69 *Filii legitimi adoptantis contrahere possunt cum adoptivis post mortem patris, vel eo vivente, si aliquis eorum fuerit emancipatus.*
70 *Filii duorum fratrum adoptivum possunt inter se contrahere absque Dispensatione, quia nulla inter eos adest cognatio.*
71 *Vinculum adoptionis tam perfectæ, quam imperfectæ, pluribus modis solvitur.*
72 *Per emancipationem solvitur adoptio.*
73 *Emancipatio fieri potest, tam si emancipandus est præsens, quam absens, dummodo adsit Principis auctoritas, & de ratione, num. 74.*
75 *Pater potest cogi ad filium emancipandum pluribus ex causis, & quæ sint causæ.*
76 *Adoptio solvitur morte naturali, si tamen adoptans tempore mortis adoptati sit sui Juris.*
77 *Solvitur etiam morte civili.*
78 *Et per delictum, etiam sine amissione Civitatis veluti si quis contraxit incestuosas nuptias.*
79 *Solvitur adoptio per Dignitatem adeptam ab adoptato, & quæ sint hujusmodi Dignitates dirimentes.*
80 *Solvitur itidem, si feratur sententia contra patrem petentem filium, quia licet hoc casu remaneat in potestate, tamen pro emancipato habetur.*
81 *Adoptio, licet per supradictas causas dissolvatur, non tamen tollitur impedimentum matrimonii in linea recta.*
82 *Sed tantum in linea transversali.*
86 *Super cognatione legali raro accidit Dispensatio, & de ratione.*
88 *Contrahentes matrimonium scienter cum impedimento cognationis legalis, vel spiritualis, non incurrunt excommunicationem, quam incurrunt contrahentes cum impedimento consanguinitatis.*

1 COgnatio legalis, secundum Theologos, est *extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio.* Divus Thomas 4. *Sent. dist.* 42. *quæst.* 2. *art.* 1. Alphons. à Vera Cruce *in Specul. Conjug. part.* 1. *art.* 59. *in princip.* Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *Disp.* 62. *num.* 1. Coninck *de Sacram. disp.* 32. *dub.* 3. *num.* 42. Bonaccina *de Matrimon. quæst.* 3. *punct.* 5. §. 3. *num.* 2. Nomine *extraneæ personæ*, hoc casu intelligitur quicunque etiam consanguineus, dummodo non sit ex descendentibus, seu hæredibus, ut notant Laymanus *Theol. Moral. lib.* 11. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 7. *num.* 1. Stephanus à S. Gregorio *Univers. Tract. de Vinc. Div. Piet. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 11. & alii communiter.

2 At secundum Juristas, est *Actus legitimus, per quem, qui non est, fit filius, aut nepos, pene naturam imitans, ff. Eo. l. pr. & instit. Eo. §. Minorem*; Nicasius *super Instit.* ubi *de adoption. tit.* 11. §. *Adoptio, num.* 2. Sanchez *l. c.* Et est quædam generationis imitatio, & actio legalis, inventa ad solatium eorum, qui liberos non habent, *l.* 1. *ff. de Adopt.* Romani enim, antiqui Legum conditores, & alii soliciti fuerunt, ne quis sine hærede decederet, ne defunctus afficeretur injuria, ut *Instit. Qui, & quibus causis man. non poss.* §. 1. sic & curarunt, ut qui filios naturales habere non poterant, saltem legales haberent, *ff. eo, l. si Pater, §. ult. & l. Sequenti, l. Si ei, §.* 3. & quamvis etiam adoptare possit is, qui filios habet, *arg. ff. de postul. l.* 1. §. *Sextum, verbo Origo*; Nicasius *super Institut.* ubi *de Adopt. tit.* 11. §. *Minorem natu, num.* 2. dici tamen posset
3 contra naturam, si adoptans uxorem non habeat, quia, ut dictum fuit, pene naturam imitatur. *Instit. Eo.* §. *Licet, & ff. Eo. l. qui in adopt. & l. Qui uxores*; sicut enim per generationem carnalem causatur, quædam propinquitas, quæ consanguinitas dicitur, ita ex ista ficta generatione causatur quædam propinquitas legalis, vide Alphons. à Vera Cruce *l. c.*

Dicitur *Cognatio legalis*, eo quod sit à lege introducta; dicitur proximitas, ob similitudinem cognationis carnalis; dicitur ex adoptione proveniens, ad 4
significandum ejus causam, & differentiam à cognatione carnali. Dicitur *extraneæ personæ assumptio in filium, vel nepotem, seu filiam, vel neptem, & deinceps*, quia non potest quis adoptari in fratrem, vel parentem; cum etenim adoptio habeat naturam ducem, non est consentaneum ipsius naturæ legibus, ut frater à fratre procreetur, & eo magis pater à filio, ut bene 5
Mynsingerius *super Instit. lib.* 1. *tit.* 11. *de adopt.* §. *Etiamsi filium, num.* 2.

Dicitur tandem *legitima assumptio*, quia fuit legibus 6
Civilibus instituta, & Canonicis approbata, *cap. Ita diligere, primo, caus.* 30. *quæst.* 3. *& cap. Per adoptionem*, 6. *ead. quæst.* 3. & docent Sanchez *lib.* 7. *disp.* 63. *num.* 17. Guttierez *de Matr. cap.* 102. *n.* 7. immo nisi legitime fiat, idest servata forma à Legibus, & Canonibus præscripta nulla erit, & consequenter matrimonio non obstabit, nec ulla tunc opus erit Dispensatione.

Ad hoc autem ut legitime fiat, plura de Jure communi concurrere debent.

Primo, quod adoptans sit pater familias, & sui ju- 7
ris. Sanchez *dict. disp.* 63. *num.* 3. Bonaccina, & Laymanus *ll. cc.* Stephanus à S. Greg. *d. cap.* 105. *num.* 13. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 9. *num.* 5. *tom.* 3. Palaus *tom.* 5. *disp.* 4. *punct.* 9. *num.* 4.

Secundo, quod sit major annis 25. quia, si non 8
sit sui Juris, & major dicta ætate, non potest bona sua administrare. Fragosius *de Regimin. Christ. Reip. part.* 1. *lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 108. Sanchez, Laymanus, Palaus, Stephanus à S. Gregorio, & Trullenk *ll. cc.*

Tertio requiritur, ut adoptans sit vir, quia mu- 9
lier, eo quod filios carnales non habet sub potestate adoptare non potest, nisi ex speciali privilegio, & Principis Rescripto fuerit eidem concessum ad solatium præsertim filiorum in bello peremptorum, vel pro Fide Catholica amissorum, *ff. eo, l. Nam & fœminæ, & Instit. Eo*, §. *Fœminæ*, Trullenck & Palaus *ll. cc.* Leo *in Praxi Sacræ Pœnitent. part.* 2. ubi *de Impedim. diriment. vers. Adoptati*: Mynsingerius *super Instit. titul.* 11. *de adoption.* §. *Fœmina per totum*. Poterit tamen etiam fœmina adoptari, dummodo præsens sit; *ff. eo*, Sanchez. *l. c. num.* 3. *in fine*: Fragosius *l. c. num.* 111.

Quarto requiritur, ut adoptans non sit naturali- 10
ter impeditus ad generandum; si tamen esset ex accidenti, ut quia genitalia sibi gladio abscissa, poterit utique adoptare. *De frigid. & malef.* §. *Impotentia*, quia adoptio instituta fuit ad supplendum liberorum defectum, & ideo illis solis conceditur, qui naturaliter generare possunt. Bonaccina *d.* §. 3. *n.* 3. Stephanus à S. Gregorio, Palaus, Marc. Paulus Leo, & Trullenck *ll. cc.* & alii communiter; unde Clericus, & Sacerdos, cum alias ad generandum potentes sint, adoptare possunt. Sanchez, Bonaccina, Stephanus, & Trullenck *ll. cc.* Nicasius *super Instit.* ubi *de adopt. titulo* 11. §. *Minorem natu num.* 9.

Quinto, ut adoptans, saltem octodecim annis 11
adoptatum excedat, & sic in tali ætate sit, ut posset ejus pater naturalis esse, quia, ut docet Minsingerius §. *Minorem natu, Instit. de adopt.* Adoptio naturam imitatur, unde monstrum esset, ut Pater non esset major Filio, ea præcipue ætate, quæ apta sit ad constituendum Patrem; & id aperte habetur *Institut. de adopt.* §. *Minorem natu*, & docent Angelus *verbo Adoptio num.* 6. Sylvester *eodem titulo num.* 5. Fragosius *num.* 109. Palaus *ll. cc.* Sanchez, Stephanus, & Trullenck *ll. cc.* Laymanus *d. cap.* 7. *num.* 1. Pat. Leo *l. c. vers. Primo, ut adoptans*. Nicasius *l. c. n.* 2. Et quoniam nemo potest plurium 12
Virorum, nec plurium Fœminarum esse filius, ideo non potest quis à pluribus adoptari, nisi de consensu omnium de Parentela facta fuisset adoptio. Mas-

sobrius

sobrius *de Concursu præbend. 7. dub. 20. num. 74. & 75.* Lambertinus *de Jurepatronatus à dict. Massobrio relatus.*

14 Requiritur tandem ad hunc actum legalem legitime perficiendum, ut tam adoptans, quam adoptatus, tempore stipulationis dicti Actus, sint præsentes, quia absens, nec adoptare, nec adoptari potest; 15 prout nec potest hic actus per Procuratorem expleri. *l. Post mortem*, §. *Neque*, *ff. de adopt.* Sylvester *n.* 3. Sanchez, & Stephanus à S. Gregorio, & Palaus *d. n.* 4. Fragosius *n.* 112. *ll. cc.*

16 Duplex autem est legalis ista Cognatio: alia perfecta, alia imperfecta.

17 Cognatio perfecta, dicitur Arrogatio, eaque mediante, arrogantur Patresfamilias, & illi, qui sui juris sunt; & dicitur Arrogatio, quia in ea rogari solent, tam Adoptans, num velit adoptandum filium sibi legitimum fore, quam Adoptatus, an id fieri consentiat. *l. 2. ff. de adopt.* & notat Glossa, *Instit. eo. ff.* 1. *verbo Interrog.*

18 Imperfecta vero dicitur simpliciter adoptio, & per illam adoptantur filii familias, & alii, qui alienæ potestati sunt subjecti. Unde versus. *Arrogo qui suus* 19 *est, sed habet meus esse necesse, Patris adopto suum, nec patris desinit esse.* vide Minsingerium *loc. cit. in rubr. tit.* 11.

20 Porro maxima est inter has Adoptiones differentia. Primo namque differunt, quia per simplicem, & imperfectam adoptionem, adoptans non transit in 21 potestatem adoptantis, sed remanet sub potestate sui patris, vel avi, nec fit Patris adoptantis necessarius, 22 hæres ex testamento, sed ab intestato jus habet succedendi; at per Arrogationem, arrogatus ipse, & 23 res suæ, & Liberi, qui in sua potestate erant, Patris arrogantis statim potestati subjiciuntur, *ff. eo: Si Pa-* 24 *ter*, & ad instar filii naturalis, fit ejusdem Patris arrogantis necessarius hæres, tam ab intestato, quam ex testamento, in quarta bonorum parte. Peregrin. *de Fideicomm. lib. 4. cons. 5. num.* 10. Merlin. *de Legitima lib. 1. titulo 2. quæst. 2. num. 6. & 10.* Sanchez *lib. 7. disp. 63. num.* 3. Laymanus *num.* 1. Trullenck *num. 4. ll. cc.* Et prædicta locum habent tam si loco 25 filii, quam si loco nepotis, fuerit arrogatus, *ut ff. Eo. Si arrogator.*

26 Differunt secundo, quia, ut diximus, filii familias, & alii, qui non sunt sui juris, possunt quidem adoptari imperfecte, sed non arrogari. *l. 2. §. ult. ff. de Adoption.* quia cum maneant sub potestate unius, non possunt se tradere sub alterius potestate.

27 Tertio differunt, quia simplex Adoptio fieri potest auctoritate cujuslibet Judicis competentis, plenam 28 actionem habentis; in arrogatione vero requiritur solius Principis supremi auctoritas. *l. prima C. de adopt. & instit. eo. titulo in princ.* Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 31. cap. 20. sect. 4. num.* 158. Minsingerius *super instit. lib. 1. titulo 11. de adopt.* §. *Adoptio n.* 4. Palaus *l. c. n.* 5.

29 Quarto differunt, quia in adoptione sufficit ætas 30 25. annorum in adoptante, at in Arrogante requiruntur anni 60. ut *ff. eo: l. 2. §. illud, & l. Si pater,* §. *ultimo, & l. sequenti Instit. eo.* §. *Sed illud*, & licet 31 etiam ante dictam ætatem quis possit arrogare, dummodo sit major annis 40. & octodecim saltem annis major sit arrogato, ut *Instit. de adopt.* Sylvester *verbo Adoptio, quæst.* 5. Reginaldus *num.* 159. Palaus, 32 & Stephanus à S. Greg. *ll. cc.* tamen id non poterit, nisi causa cognita, *ff. eo. l. 2. §. Illud*, & *l. si Pater*, §. *ultimo*; unde infertur, quod si arrogetur impubes, 33 considerandæ sunt, primo, ætas Arrogantis; an velit arrogare plures, quia non permittitur liberum alienum, vel majorem se, vel eum, qui fuit in tutela sua, vel divitem, cum ipse arrogans sit pauper, vel inhonestæ vitæ arrogare; quia in casibus prædictis arrogatio non conceditur; sed principaliter debet inspici, & considerari finis, qui movet arrogantem, & an pura, & sancta affectione ad id procedere videatur.

34 Quinto differunt, quia Cognatio imperfecta, juxta probabiliorem opinionem, non impedit, nec dirimit matrimonium; perfecta vero sic, ut latius infra dicam.

35 Sexto, quia in sola arrogatione debet Arrogans cavere de Bonis arrogati restituendis hæredibus legitimis ipsius Arrogati, vel directis, vel substitutis, & legatariis, ac fideicommissarii, qui, mortuo arrogagato, agere possunt, ut *ff. Eodem, Si Pater*, §. *ultimo, & l. sequenti, l. non aliter, & l. nec ei*, §. *fin. ff.* 36 *de Adopt.* Intellige tamen, ut restituenda sint bona pupilli, ut diximus, si is moriatur ante pubertatem, quia ubi primum arrogatus factus sit pubes, statim obligatio fidejussorum cessat, *Instit. de adopt.* §. *Cum autem Impubes, l. c. n.* 106.

37 Septimo differunt, quia in Adoptione non requiritur verbum utriusque expressum, in Arrogatione vero requiritur omnino, ut Princeps interroget arrogantem, utrum habere velit illum, quem arrogat, in filium, vel nepotem, vel pronepotem (prout in suo casu arrogabitur) & dictus arrogans respondeat: *Volo*; & pariter arrogatum interroget, an velit habere arrogantem in Patrem, vel avum, seu proavum, qui dicat se id velle; & deinde Princeps ipse exprimat id sibi placere, ut prædicta videri possunt *Instit. eo. l. in adopt. l. 2. ff. de Adopt. l. Regia 7. part. 4.* Fragos. *de Regim. Reip. Christianæ part. 1. l. 3. Disp. 6. num.* 105.

38 Ultimo differunt, quia infans, quamvis adoptari possit, & satis sit, si pro eo pater naturalis consentiat. Fragosius *loc. c.* non tamen potest arrogari. *l. in Adopt. & l. Etiam Infante.* Sanchez *d. disp. 63. num. 2. in fine*, Christ. Porc. *super Inst. lib. 1. tit. 11. de adopt. num.* 11. Fragosius *l. c. num.* 106. Si tamen 39 sit minor septennio, poterit impubes, ex Principis rescripto, & præmisso diligenti examine, & solemnitatibus rite factis ante Arrogationem. Fragosius *d. n.* 106. *in fine.*

40 Cæterum sicut in naturali, & carnali Cognatione, contrahitur impedimentum ad matrimonium contrahendum in linea recta, & in collaterali, ita per adoptionem legitime contractam, oritur impedimentum matrimonium impediens, & contractum dirimens; ut habetur, tum ex jure Civili, *Instit. de Adopt. l. adoptivus, ff. de ritu nupt.* verum etiam, & præcipue 41 in Jure Canonico, ad quod spectat matrimonii impedimenta statuere; & constat *cap. Ita diligere, primo cap. per adopt. 6. causa 30. quæst. 3. & cap. unico, de Cognat. legali*; & sicut etiam per affinitatem ex car- 42 nali copula provenientem, impeditur, & dirimitur matrimonium, ita in hac legali Cognatione, ut infra dicam.

43 Linea recta comprehendit adoptantem, & adoptatum, ipsiusque adoptati filios, & Descendentes legitimos, & naturales, qui tempore adoptionis erant in ipsius adoptati potestate, vel postea, durante adoptione, nati sunt, *l. Quin etiam, ff. de ritu nupt.* Sanchez *loc. c. num. 6. & num.* 34. Laymanus *d. cap. 7. num.* 3. Fragosius *num.* 118. *l. c.* Palaus *d. puncto 9. num.* 14.

44 At quousque in ista linea recta impediatur, & dirimatur matrimonium, dissident Doctores. Nonnulli existimant, matrimonium dirimi infra solum quartum gradum; hujus sententiæ sunt, Sotus 4. *Dist. 42. quæst. 2. art. 2. concl. 2.* Bonaccina *de matr. quæst. 3. puncto 5. §. 3. num.* 5. Pontius *de matrim. libr. 7. cap. 41. num.* 3. Filiuccius *tomo 1. tract. 10. part. 2. cap. 5. num.* 204. Stephanus à S. Gregorio *d. c.* 105. *num.* 18. & ducuntur, quia ad instar consanguinitatis, eo ipso quod Jure Canonico contracta fuit Cognatio naturalis, pariter determinata sit legalis. Alii probabilius docent, in dicta linea recta, intelligen- 45 do tantum de Ascendentibus adoptantibus, & de Adoptatis, & ipsorum filiis, & descendentibus, impediri in infinitum, sicut probabilissimum est impediri in consanguinitate; ita docent Sanchez *libr. 7. dict. disp. 63. num.* 34. Coninck *Disp. 32. dub. 30. num.* 43. Fragosius *loc. c. num.* 115. *& num.* 120. & inclinat Aversa *de matrim. quæst. 36. sect. 3. vers. Cognatio autem.*

Amplia, ut in dicta linea, non solum impediatur matrimonium contrahendum, sed dirimatur contractum (si ante illud contracta sit hujusmodi Cogna- 46 tio, sive dissoluta sit: constat ex *l. Adoptivus, l. quin*

etiam,

etiam, *& §. Non omnes*, *inſt. de ritu nupt. d. cap. Ita diligere 6. cauſa* 30. *qu. pr.* Coninck, & Bonaccina *ll. cc.* Laymanus *d. cap. 7. n.* 3. ſive etiam quis adoptatus ſit in filium, ſive in nepotem, vel proneporem.

47 Dixi, contrahi Cognationem cum filiis, & Deſcendentibus, qui tempore adoptionis erant ſub poteſtate adoptati, vel poſtea, adoptione durante, nati ſunt; unde è converſo infertur, poſſe adoptantem Cum Filiabus, aut neptibus ejus filii adoptivi, qui, tempore adoptionis, non erant ſub dicta poteſtate ipſius adoptati, contrahere matrimonium, ut bene animadvertit Filiuccius *l. c. n.* 204. *in fine*. Fragoſius *n.* 116. *l. c.*

In linea collaterali (loquendo de adoptione per-
48 fecta) contrahitur impedimentum ad contrahendum matrimonium, inter ipſum adoptatum, & illos quibus agnaſcitur, ideſt, qui ſunt in poteſtate ipſius adoptantis, ipſi adoptato ex latere venientes, ut filii naturales, & legitimi ipſius adoptantis, vel alii arrogati, *ut ff. eo. Qui in adopt. Inſtit. de nuptiis*, §. *Inter ea*, *& l. per adoptionem* 27. *ff. de ritu nupt.* & in Jure Canonico ex dictis *cap. unico*, *de cognat. legal. & cap. per adoptionem* 30. *quæſt.* 3. In hac ta-
49 men linea tamdiu durat impedimentum, quandiu adoptatus manet in poteſtate adoptantis, itaut in caſu mortis, vel emancipationis Patris, vel Filiorum, vel ipſius adoptati, vel alio modo, adoptione diſſoluta, poſſit inter illos licite, & valide, abſque ulla Diſpenſatione, matrimonium iniri, cum, dictis caſibus; Cognatio inter eos diſſoluta fuerit. Bonaccina *d.* §. 3. *n. 5. verſ. Tertio invalidum*. Trullenck *n.* 8. *l. c.* Palaus *d. puncto 9. n.* 15. unde in hac linea collaterali raro petitur Diſpenſatio ad con-
50 trahendum, cum alias ſit modus facilis efficiendi, ut Filius adoptatus cum Filia carnali adoptantis abſque Diſpenſatione contrahere poſſit nempe alterutrum eorum emancipando, ut bene ponderat Sanchez *d. Diſp. 63. n.* 24.

Dixi contrahi Impedimentum inter adoptatum, & Filios legitimos, & naturales adoptatis, quia
51 cum illegitimis hæc Cognatio minime contrahitur, cum hi non cenſeantur eſſe in poteſtate Patris ſui, juxta §. *Ultimum. Inſtit. de nuptiis*. Sanchez *d. Diſp. 63. num.* 30. Coninck *Diſp.* 32. *Dub.* 3. *num.* 44. Laymanus *num.* 3. & Trullenck *ll. cc.* prout nec contrahitur ab adoptivis liberis inter ſe; unde Fra-
52 tres, & Sorores adoptivi, ſi ex diverſa familia, ſint, nec aliud obſtet impedimentum, nullo Jure inter ſe contrahere prohibentur. Laymanus *num.* 3. Sanchez *n.* 28. Bonaccina *n.* 8. & Trullenck *ll. cc.* prout nec contrahere prohibentur inter ſe aliæ perſonæ, quas infra adnotabimus.

Contrahitur inſuper hæc legalis Cognatio per mo-
53 dum Affinitatis, nempe inter adoptantem, & uxorem adoptati, prout inter adoptatum ipſum, & uxorem adoptantis. *ff. eo l. Qui in adoptionem*, *& l. Adoptivus* 14. *ff. de ritu nupt.* Laymanus *d. cap. 7. n.* 3. Averſa *d. quæſt.* 16. *ſect.* 3. *in fine*. Trullenck *l. c. num.* 10. Frogoſius *n.* 118. *l. c.* & hæc Cognatio durat ſemper, ideſt, quandiu vivunt illi, qui
54 eam contraxerunt, quamvis etiam alias adoptio diſſoluta ſit, ut de linea recta diximus; conſtat, ex Juribus ſupra proxime adductis, & docent Doctores præcitati.

Difficilis quæſtio eſt, an ſola adoptio perfecta,
55 vel utraque earum, irritet matrimonium: & quidem non deſunt, qui exiſtiment, utramque adoptionem irritare, ut ſentiunt Gutierez *de Matrim. cap.* 102. *n.* 5. Navarrus *in Summa cap.* 22. *num.* 44. Pontius *de Matrim. lib. 7. cap.* 41. *num.* 2. Stephanus à S. Gregorio *d. cap.* 105. *num.* 16. Palaus *d. Puncto* 9. *nu.* 8. late Fragoſ. *de Regim. Reip. Chriſtianæ part.* 1. *lib.* 3. *diſp. 6. n.* 123. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 7. Coninck *Diſp.* 32. *dub.* 3. & probabile ait Sanchez *lib. 7. Diſp.* 63. *num.* 8. & moventur præcitati Doctores ex diſpoſitione *Textus in cap. Ita diligere*, *primo*, *cauſa* 30. *quæſt.* 3. ubi Nicolaus Papa ait, *Quandoquidem nec inter eos*, *qui adoptione filii ſunt*, *venerandæ Romanæ Leges matrimonium contrahere permittunt*; & propterea, cum Textus indiſtincte loquatur de adoptione, videtur utramque comprehendere; ultra quam quod, licet imperfecte adoptatus non tranſeat omnino in poteſtatem adoptantis, acquiruntur tamen ei aliqua Jura, quæ, ſi non emancipetur, remanent intacta. *l. Penultima*, §. *penult. ff. de adoption.*

Quicquid tamen iſti ſentiant, verius eſt, ſolam perfectam adoptionem irritare matrimonium; ita expreſſe docet Sanchez *d. Diſp.* 63. *n.* 9. Coninck *Diſp.* 32. *Dub.* 3. *num.* 44. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 20. *ſect.* 4. *num.* 158. Bonaccina *de Matrim. quæſt.* 3. *puncto* 5. §. 3. *Propoſ. pr. num.* 2. *circa finem*. Laymanus *l. c. verſ. Dubium vero eſt*; Filiuccius *tomo pr. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 199. *&* 200. Trullenck *l. c. n.* 7. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 120. Ratio eſt, quia cum hujuſmodi Cognationis impedimentum introductum ſit ob ſimilitudinem, quam filii adoptivi gerunt cum legitime natis, ejuſdem ſimilitudinem proprie non gerunt imperfecte adoptati, eo quod in poteſtatem, & Familiam Patris adoptivi non adſciſcuntur; & Jura, quæ loquuntur de impedimento legalis Cognationis matrimonium dirimentis, concludunt tale eſſe, ut matrimonium dirimat inter adoptivos, & natos legitimos adoptantis, quod non poteſt habere locum in adoptione imperfecta, per quam filius adoptivus non tranſit in poteſtatem Patris adoptantis, niſi eſſemus in caſu, ut adoptans ſit Avus paternus, ſeu maternus, ut dicemus infra, inter quas perſonas, ex fortiori vinculo, adeſt impedimentum ad contrahendum. Addo quod cum matrimonium ſit materia favorabilis, unicuique ex Jure Divino permiſſum, ut probavimus *lib.* 1. impedimenta debet potius reſtringi, quam prorogari, ut ibi diximus; ultra quamquod, cum principale motivum, quo hoc impedimentum fuit inſtitutum, ſit periculum incontinentiæ, quod ex cohabitatione immineret, id non procedit in imperfecta adoptione, qua adoptatus ſub ſui Patris naturalis poteſtate remanet, & conſequenter in domo adoptantis cohabitare non tenetur.

At quamvis ex imperfecta adoptione non oriatur
impedimentum dirimens, ut diximus, oritur quidem impediens tantum; quia, ſicut per Baptiſmi Catechiſmum contrahitur quædam Cognatio ſpiritualis, matrimonium impediens, unde fit diſpoſitio ad Baptiſmum, per quem poſtea contrahitur impedimentum dirimens; ſimili modo, quia adoptio imperfecta eſt diſpoſitio ad perfectam, contrahitur impedimentum tantum impediens, ut bene animadvertit Filiuccius *d. cap. 5. num. 199. in fine*.

Ex dictis infertur, primo, quod inter filios adoptantis cum ipſo adoptato, tamdiu durat impedimentum, quamdiu ſub patris adoptantis poteſtate illi manent; unde in caſu emancipationis, quæ fieret de ipſo adoptato, vel de ejus filiis, vinculum hujus Cognationis ſolvitur, ut diximus *num.* 48.

Secundo infertur, ſi quis plures in filios adoptaret, poſſe ipſos adoptatos, abſque Diſpenſatione, inter ſe matrimonium contrahere, cum nullo Cognationis impedimento adſtringantur. Sanchez *n.* 28. Filiuccius *n.* 203. Bonaccina *nu.* 7. Trullenck. *n.* 10. Fragoſius *de Regim. Chriſt. Reip. part. pr. lib.* 3. *diſp.* 6. *nu.* 122. Stephanus à S. Gregorio *n.* 18. *ll. cc.* Pontius *lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 4. quia Jura locuta ſunt ſolum inter filium naturalem, & filiam adoptivam, & è converſo, non autem inter ambos adoptivos.

Tertio, poterit adoptatus, abſque ulla Diſpenſatione, matrimonium contrahere cum filia illegitima adoptantis. *Inſtit. de nuptiis*, §. *ultimo*. Sanchez *num.* 30. *l. c.* Stephanus *d. num.* 18. Trullenck *n.* 8. *ll. cc.* Bonaccina *d. §.* 3. *num.* 8. Filiuccius *num.* 203. *ll. cc.* Coninck. *Diſp.* 32. *dub.* 3. *nu.* 44. quia, ut diximus, illegitimus non cenſetur eſſe in poteſtate. *Inſtit. de patria poteſtate* Soacius *ſuper Inſtit. lib.* 1. *pr. tit.* 9. §. *Quid ſit patria poteſtas*, *n.* 5. *& conſ.* 84. *n.* 6. licet ſecus ſit in Cognatione ſpirituali, quæ fortior eſt; *cap. Ita diligere* 4. *cauſa* 30. *quæſt.* 3. & ex eadem ratione poterit adoptans filiam illegitimam filii adoptivi, abſque Diſpenſatione, ducere. Sanchez *l. c. n.* 36.

Quarto, ſi adoptans ipſe velit contrahere cum
paren-

patentibus filii adoptivi, nulla ob id egebit Diſpenſatione. Navarrus *in Summa cap.* 22. *num.* 45. Pontius *l. c.* Filiuccius *n.* 203. *ll. cc.* quia nullo jure cavetur inter predictos contrahi Cognationem.

66 Quinto, nec pariter prohibebitur adoptans contrahere cum filia filiæ adoptivæ, *ff. de adoptio. l. Si pater*, quia fœmina neminem habere poteſt in ſua
67 poteſtate. §. *Fœminæ*, *Inſtit. de adopt.* unde impedimentum non extenditur ultra ipſam adoptatam;
68 & eadem ratione filia filiæ adoptivæ non cenſetur adoptata à patre adoptante. Sylveſter *V. Matrimonium* 8. *quæſt.* 8. *dict.* 5. Sanchez *loc. cit. num.* 35. Trullenck *num.* 8. *ll. cc.*

69 Sexto, inſuper filii legitimi adoptantis contrahere poterunt cum adoptivis poſt parentis adoptantis mortem, vel etiam, ipſo patre vivente, ſi filii legitimi, aut adoptivi, emancipati fuerint. Sanchez ubi ſupra *n.* 27. quia Cognatio tranſverſa, inter has Perſonas exiſtens, morte, vel emancipatione ſolvitur, ut diximus.

70 Septimo dicendum eſt, poſſe filios duorum fratrum adoptivorum, inter ſe, abſque Diſpenſatione, contrahere, quia inter eos nulla Cognatio adeſt. Filiuccius *d. cap.* 5. *num.* 203. Sylveſter *dicto num.* 2. Sanchez *num.* 29. *ll. cc.* & habetur *Inſtit. de nuptiis*, §. *Inter eas quoque*.

71 Pluribus autem modis vinculum adoptionis, tam perfectæ, quam imperfectæ, diſſolvitur.

72 Et primo, per emancipationem; per illam enim patria poteſtas relaxatur. Inſtit. *Quibus modis Jus patriæ poteſtatis ſolvatur*, §. *Præterea*; & poteſt quis emancipari, tam ſi præſens ſit, quam abſens dum-
73 modo emancipatio auctoritate Principis fiat. *C. de*
74 *emancipat.* quia cum ad conſtituendam hujuſmodi Cognationem requirantur ſolemnitates, ſic ad illam diſſolvendam hæ neceſſariæ ſunt; cum omnis res per quas cauſas ortum habet, per eaſdem diſſolvatur; regula *Omnis res*, *de reg. Jur. in* 6. alioquin, nec tolletur patria poteſtas, nec impedimentum matrimonium dirimens. Fragoſius *l. c. nu.* 113.
75 Cogitur autem pater eamncipare filium in pluribus caſibus. Primo, ſi filius, tempore arrogationis erat impubes, & deinde pubes factus, roborat ſibi non expedire, arrogatum eſſe: ſi filium male, & contra pietatem afficiat verberibus: ſi compellat eum in corpus ſuum peccare: ſi pater agnovit legatum ſibi tali modo relictum, ut filium ſuum emanciparet, ut *ff. Si quis à parente &c. l. Diutius*, *de condition. & demonſtrat.*

76 Solvitur itidem adoptio morte naturali, ſi adoptans, tempore mortis filii adoptati fuiſſet ſui juris, alias remanet in poteſtate illius, in cujus erat pater. *Inſtit. Quibus modis Jus patriæ poteſtatis ſolvatur*, §. 1. & *ff. eo*, *ſi pater*.

77 Tertio, ſolvitur morte civili, ſcilicet, ſi pater damnatus ſit in metallum, vel in opus meralli deportatus in Inſulam; quia ſi ſolum relegaretur, nihilominus retineret liberos in poteſtate. *Inſtit. Quibus modis Jus patriæ poteſtatis ſolvatur*, §. *Cum autem*, & §. *Pœnæ*.

78 Quarto, ſolvitur per delictum, etiam ſine amiſſione Civitatis, ut ſi contraxiſſet, inceſtuoſas nuptias. Authent. *de inceſtuoſis nuptiis*, §. *Sancimus*.

79 Quinto, ſolvitur ob Dignitatem, quæ liberaret Curialem à curiali conditione, ut ſi fiat Patricius, Conſul, Præfectus Prætorio, Præfectus Urbis, Præfectus Orientis, Quæſtor, Magiſter Militum, Patronus Fiſci, vel Epiſcopus. *C. de Decurionibus*, *l. ultima*, *lib.* 10. & *in Authent. Conſtitut. Quæ Dignitat.* §. *penult. col.* 7. & *Inſtit. Quibus modis Jus patriæ poteſtatis ſolvitur*, §. *Filius familias*.

80 Diſſolvitur tandem, ſi feratur ſententia contra patrem petentem filium; quia hoc caſu, licet remaneat in poteſtate, habetur tamen pro emancipato, *ff. de condit. indebiti*, *l. Juliam*; vide pro prædictis Hoſtienſem *in Summa*, *lib.* 4. ubi *de cognat. legali*, §. *Et qualiter diſſolvatur*, *num.* 10.

81 Prædicta tamen ita intelligas, ut licet per ſupra dicta diſſolvatur adoptio, non ideo ſublatum ſit impedimentum ad contrahendum matrimonium in linea recta, nec inter affines legales, nempe inter filium adoptatum, & uxorem adoptantis, & inter uxorem adoptati, & adoptantem, ut ſupra diximus; ſed ſolum erit ſublatum impedimentum in linea tranſverſali, quia inter perſonas in hac linea comprehenſas tamdiu durat cognatio, quamdiu durat adoptio, *cap. Per adoptionem*, 6. *cauſ.* 30. *quæſt.* 3. *cap. Si qua per adoption. unico*, *de cognatione legali*, & *cap. Poſt ſuſceptum*, 5. *dict. cauſ.* 30. *quæſt.* 4. & nos ſupra diximus.

Cæterum, tanta eſt hujuſmodi legalis cognationis vis, ut per eam acquiratur filiatio ab adoptato, & patria poteſtas ab adoptante; unde filius adoptatus 82
ſuccedit patri adoptanti, cum hac differentia, quod ſi perfecte fuit adoptatus, ſcilicet per arrogationem, non ſolum eidem ab inteſtato ſuccedat, ſed contra 83
teſtamentum querelam habeat. *C. Eo. cum in Adoptivis*, §. *ultimo*, & *l. Sancimus*, §. *ultimo*, & *Inſtit. de inoff. teſtam.* §. *Cauſam autem*; at ſi fuit 84
imperfecte adoptatus, tunc eſt diſtinguendum, quia ſi adoptetur ab extraneo, non tranſit in poteſtatem adoptantis, ſed remanet in poteſtate ſui patris, vel avi naturalis, nec quicquam ei tunc prodeſt adoptio, niſi quia ab inteſtato Jura ſucceſſionis habet, *ut Inſtit. eo.* §. *Sed hodie*, & *C. eo. Cum in Adoptivis*, §. *Sed ſi quis*; ſi vero adoptetur ab avo pa 85
terno, vel materno, ſeu à proavo, vel alio ſuperiori, à quo recte deſcendit, tunc cum naturalia, & civilia concurrant, idem Jus erit ac de arrogato; quia tranſit in poteſtatem, quoad inſtitutionem, & alimentorum præſtationem, & alia omnia, quæ hinc inde debentur. *Inſtit. eo.* §. *Si vero*, & *C. Eo. cum in Adoptivis*, §. *Si vero*.

Et hæc circa hanc cognationem veloci calamo per- 86
curriſſe ſufficiat, cum raro ſuper ea Diſpenſatio concedatur; non quia Diſpenſatio neceſſaria non eſſet ad matrimonium, contrahendum, vel quia à Pontifice concedi non poſſit, ſed quia in linea recta Papa difficillime, & nonniſi ex cauſa gravi diſpenſat; in tranſverſali vero raro recurritur ad Pontificem, cum alias per emancipationem diſſolvatur, ut diximus, & ſic poſſit abſque Diſpenſatione iniri matrimonium 87
quod idem animadvertit Rebuff. *in Praxi Benef. Regul. de Diſpenſ. in gradibus prohibitis*, *Gloſſ.* 5. *n.* 25.

Addo tandem cognatos legales, prout & ſpirituales 88
ſcienter contrahentes matrimonium cum dictis impedimentis, non incurrere excommunicationem, quam incurrunt conſanguinei, in gradibus prohibitis matrimonium ſcienter contrahentes, quia nullum extat Jus: & in pœnis non habet locum extenſio ad caſum ſimilem, ut bene Pontius *d. cap.* 41. *in fine*, & nos late diximus *lib.* 1.

Tandem pro concluſione hujus Capitis dicendum eſt cum Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 63. *n.* 19. Fragoſ. *n.* 129. *l. c.* hanc cognationem legalem matrimonio ſupervenientem non impedire Conjugibus uſum matrimonii, quia id non eſt aliquo Jure cautum.

CAPUT VII.

De Impedimento Affinitatis, & an ſuper eo diſpenſari poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Affinitas ſecundum Canones, quid ſit.*
2 *Affinitas dicitur, quaſi duorum, ad unum finem, unitas.*
3 *Contrahitur per quamcunque copulam perfectam intra vas, ſive ſit voluntaria, ſive coacta, ſive licita, vel illicita.*
Item, nec refert, quod habita fuerit cum muliere conſentiente, vel invita, dormiente, ebria, inſana, vel ſenſibus deſtituta; quia ſufficit, ut ſemen intra vas effundatur, num. 5.
4 *Affinitas ſive publice, ſive occulte, contracta ſit, inducit impedimentum ad contrahendum.*
6 *Affinitas proveniens ex copula licita*, ex Concil.

Trident. *inducit impedimentum usque ad quartum gradum ; si vero proveniat ex copula illicita, impedit, & dirimit intra secundum gradum tantum.*

7 *Fornicariæ copulæ nomine comprehenditur quælibet copula non conjugalis*, & n. 8.

9 *Matrimonium dicitur consummatum per penetrationem vasis, etiam absque eo quod semen in illo effundatur.*

10 *Affinitas ut contrahatur ad impedimentum inducendum, non sufficit penetratio vasis, sed requiritur effusio seminis virilis in eo, sufficiens ad prolis generationem*, & n. 12.

11 *Ideo non contrahitur affinitas per alios actus venereos, & impudicos, & effusionem seminis extra vas.*

13 *Affinitas contrahitur per virilis seminis effusionem, licet mulier non seminet ; non tamen è converso.*

14 *Spadones, & eunuchi, licet in vase seminent tamen affinitatem non contrahunt, cum eorum semen non sit aptum ad generandum.*

15 *Semen verum, quando dici, & esse possit, licet testes non apparent.*

16 *Affinitas an contrahatur casu quo virile semen, Dæmonis ministerio, in vas subintret ; negative tenet*, nu. 17.

18 *Dispensatione opus est ad contrahendum, si per viri nixum ad copulam, aut per appropinquationem carnis, ante penetrationem exiliat virile semen in vas, quia cum per hoc gigni possit proles, erit contracta Affinitas.*

19 *Affines in secundo & tertio, immo primo & tertio gradibus, à communibus stipitibus provenientibus, non prohibentur, absque Dispensatione, contrahere cum consanguinea personæ a se fornicarie cognitæ ; quia solus remotior gradus attenditur.*

20 *Affinitas est duplex, & quæ*, & n. 30.

21 *Affinitas propria impedit, & dirimit matrimonium, & duret etiam post mortem personæ, qua mediante contracta fuit*, & n. 65.

22 *Affinitas, quæ per accidens orta est inter personas, quarum neutra per copulam carnalem affinitatis per se causam dedit, matrimonii impedimentum non extat, & hujus affinitatis exempla afferuntur*, n. 24. 25. usque ad 30.

24 *Et ratio est, quia affinitas affinitatem non parit*, & num. 29.

31 *Affinitas nullos habet gradus affinitatis, sed regulatur prout in consanguinitate, tam in linea recta, quam collaterali, quia quoto gradu quis est mihi consanguineus, toto gradu est uxori meæ affinis*, n. 33. & 38.

32 *Stipes affinitatis sunt personæ, quæ per carnalem copulam commiscentur.*

34 *Linea affinitatis est triplex, sicut linea consanguinitatis, nempe, Ascendentium, Descendentium, & Collateralium ; & qui comprehendantur in dictis lineis respective exarantur*, num. 35. & seqq.

36 *Affinitatis genera antiquitus erant tria, impedientia, & dirimentia matrimonium.*

37 *Primum genus, ita dictum, quia per primam carnis copulam, sive, una sola persona tantum mediante, contrahitur, & adhuc viget hujusmodi genus.*

39 *Primum genus affinitatis, tempore antiquo, si ex matrimonio insurrexisset usque ad septimum gradum, & si ex copula fornicaria usque ad quartum, dirimebat.*

40 *Hodie ex copula licita non transcendit quartum gradum, & sic ex illicita solum infra primum, & secundum.*

41 *Secundum genus affinitatis secundum dicebatur, quia per secundam carnis copulam, sive duabus personis mediantibus contrahebatur ; & hujusmodi impedimentum usque ad quartum gradum extendebatur, quod hodie sublatum est.*

42 *In isto tamen quarto gradu matrimonium jam contractum non dirimebat, sed tantum in secundo, & tertio.*

43 *Exempla secundi generis affinitatis afferuntur.*

44 *Tertium genus affinitatis impediebat, & irritum reddebat matrimonium usque ad secundum gradum tantum, quod pariter hodie sublatum est.*

45 *Exemplum secundi gradus affinitatis affertur.*

46 *Duo genera affinitatis, videlicet primum, & secundum hodie sublata sunt, & primum tantum viget, & de ratione*, n. 47.

47 *Affinitatem tantum contrahunt personæ copulam habentes cum consanguineis personæ à se cognitæ.*

48 *Dispensatio in omnibus gradibus affinitatis, orta ex copula illicita, concedi potest.*

49 *Et in hujusmodi affinitatis primo gradu Dispensatio sæpissime conceditur tam à S. Pontifice pro foro externo, quam à Pœnitentiario pro foro interno.*

50 *In primo gradu affinitatis, contractæ ex copula matrimoniali, an matrimonium prohibitum sit Jure naturæ, adeout nequeat dispensari, affirmativam nonnulli tenent, ut* n. 52.

Immo in linea recta extendunt prohibitionem in infinitum, n. 53.

54 *Tamen probabilior opinio est posse dispensari, nedum in ulterioribus gradibus, verum & in primo, & de ratione*, n. 55.

56 *In linea transversalis affinitatis matrimonium Jure naturæ nullo in gradu reperitur prohibitum.*

57 *Et in ea, in primo gradu pluries Pontifices dispensarunt, & exempla afferuntur.*

58 *Affinitas non oritur ex matrimonio rato, sed tantum consummato.*

59 *Impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato proveniens, in Dataria solent appellare affinitatem, non quia proprie sit affinitas, sed ut Oratores gravioribus expensis affecti, retrahantur à petitione hujusmodi Dispensationis.*

60 *Dispensatio super affinitate regulatur, ac si super consanguinitate peteretur, & solvitur duplex compositio, & majores causæ requiruntur.*

61 *Cognoscens consanguineam uxoris nondum à se cognitæ, non incurrit excommunicationem.*

62 *Publicæ honestatis impedimentum, proveniens ex matrimonio rato non consummato, dirimit, & impedit usque ad quartum gradum, prout affinitas ; ex sponsalibus vero proveniens, sublatum est.*

63 *A Jure antiquo non est recedendum, nisi quatenus aliter decernatur à Jure novo.*

64 *Ex matrimonio ex quacumque causa invalido, dummodo non sit invalidum ratione consensus, oritur dictum impedimenuum usque ad quartum gradum.*

66 *Affinitas inter infideles non contrahitur, nec Infidelis post baptismum susceptum, eget Dispensatione, si velit contrahere cum consanguinea mulieris infidelis, quam cognovit tempore infidelitatis.*

67 *Fidelis, habens copulam cum fœmina infideli, si postea velit ducere in uxorem sororem fidelem dictæ infidelis cognitæ, indiget Dispensatione, quia contracta fuit affinitas, ex eo quia utrumque extremum subjacet Ecclesiæ legibus.*

68 *Fidelis cognoscens carnaliter infidelem, si illa infidelis postea facta fidelis concipiat ex alio filiam, illam etiam filia contrahit impedimentum, cum sufficiat unum ex fornicatoribus esse baptizatum, & consanguineum alterius, cum quo contrahenda est.*

69 *Fidelis, qui cognovit fœminam infidelem, cujus soror deinde baptizetur, si velit cum dicto viro contrahere, indigebit Dispensatione, quia per baptismum postea susceptum reputatur affinis.*

70 *Quia si fidelis habeat copulam cum infideli, quandocumque baptizetur, oritur affinitas ex Ecclesiæ consuetudine, eo quia fidelis tempore copulæ, subjacet Ecclesiæ legibus.*

71 *Affinitas, quæ supervenit matrimonio contracto, ex quo alter ex Conjugibus cognovit consanguineam*

neam intra ſecundum gradum alterius Conjugis, non inducit impedimentum dirimens, ſed tamen inter ipſos Conjuges impedit debiti petitionem, ſive copula ſit occulta, ſive publica, & num. 72.

73 *Inceſtus dicitur copula carnalis inter eas perſonas, inter quas matrimonium conſiſtere nequit.*

74 *Affinitatis impedimentum non contrahitur, nec Jure petendi debitum privatur, qui, dum habuit copulam cum conſanguinea Conjugis, ignorabat illam eſſe ſibi conſanguineam, dummodo ignorantia non ſit affectata, & eſt communior ſententia.*

75 *Quod procedit etiam, quando quis cognovit, ſciens eſſe conſanguineam ſui Conjugis, ſed putabat eſſe in tertio, vel ulteriori, licet revera eſſet in ſecundo, quia tunc non oritur impedimentum.*

76 *Conjux habens copulam ſcienter cum conſanguinea alterius Conjugis, ſed ignorans adeſſe ſpecialem prohibitionem ab Eccleſia factam, contra hanc prohibitionem non videtur delinquere, ideo non incurrit pœnam, & excuſatur ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto.*

77 *Conjux, qui ex ſua culpa contraxit impedimentum, licet abſque Diſpenſatione non poſſit exigere, tenetur tamen alteri Conjugi debitum reddere, quia non poteſt illi officere, nec ſuo Jure privare.*

78 *Etiamſi poſtea Conjux ſciverit alterum Conjugem tale impedimentum contraxiſſe, quia non impeditur in petitione.*

79 *Sed ſi alter Conjux fuiſſet particeps delicti, & conſenſiſſet, nec ipſe poterit debitum petere.*

80 *Si uterque Conjux data opera, & crimine admiſſo, eo fine, ut à debito conjugali ſe eximerent, inceſtum commiſiſſent, & in illum conſenſiſſent, probabilius eſt, Conjuges peccare petendo debitum, ſed teneri reddere.*

81 *Fœmina per vim abſolutam cognita per conſanguineum mariti, & ipſa non conſentiente, non impeditur petere debitum.*

82 *At ſi gravi metu adigatur, & propterea conſenſit in copulam, probabilius eſt incurrere impedimentum, quia eam non explodit.*

83 *Conjux conſentiens, ut ſua uxor, vel præciſa vi opprimatur, vel gravi metu in lapſum inducatur, impedimentum incurrit.*

84 *Conjux, qui poſt delictum conſummatum, cognovit uxoris conſanguineam poſt matrimonium ratum, tenetur matrimonium conſummare, & reddere, ſed non petere poteſt, ex veriori opinione.*

85 *Jus petendi debitum non amittitur ob adulterium cum affine Conjugis, nec ob inceſtum cum propria conſanguinea patratum.*

86 *Pœna privationis petitionis debiti incurritur ipſo Jure poſt delictum, abſque Judicis declaratoria, & tenetur ex ſe ipſo ceſſare à petitione debiti,* & num. 87.

88 *Super affinitate, matrimonio ſuperveniente, Epiſcopus, ex conſuetudine immemorabili, diſpenſare poteſt.*

89 *Immo etiam Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare poteſt.*

90 *Religioſi Mendicantes, ſi ſint viri docti, & ad Confeſſiones audiendas approbati ab Ordinario, poterunt, ex commiſſione Provincialis, diſpenſare pro foro conſcientiæ ſuper impedimento inceſtus, ſuperveniente matrimonio; vide tamen declarationem ibidem allatam.*

91 *Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut inceſtuoſus, qui vere habuit copulam cum conſanguineis uxoris poſt matrimonium initum, aliud matrimonium ineat, ratione juventutis inceſtuoſi.*

92 *Interfector uxoris, licet non poſſit aliud matrimonium inire, excipitur tamen, ſi interfector ſit juvenis.*

93 *Quando in Curia Romana fit mentio de affinitate, intelligitur de ea, quæ orta ſit ex matrimonio, & non de fornicaria, & illicita.*

94 *Et affinitas, ex copula illicita orta, eſt exprimenda in Supplicatione.*

95 *Pro Diſpenſatione ſuper affinitate, ex copula illicita proveniente, non ſolvitur compoſitio, ſed dantur Literæ clauſæ, & quoad expeditionem tantum taxantur, ac ſi eſſent apertæ.*

96 *Taxa pro Diſpenſatione, tam in affinitate, quam in conſanguinitate, eadem ſolvitur.*

97 *Affinitas eſt minus vinculum conſanguinitate, quia.*

98 *Prohibitio æqualiter procedit ex impedimento in primo gradu affinitatis, ac ſecundo conſanguinitatis.*

AFfinitas, ſecundum Canones, eſt perſonarum proximitas, ex coitu proveniens, omni carens parentela, *l. Non facile*, §. *Affines*, *ff. de grad. affinit.* Franc. Leo *in Theſ. Fori Eccl. p. 2. cap. 9. n. 101.* Sanch. *de Matr. lib. 7. diſp. 64. n. 1.* Steph. à S. Gregor. *Univ. tract. de Vinculis Div. Piet. lib. 3. c. 101. n. 1.* Dicitur Affinitas, quaſi duorum ad unum finem unitas, eo quod duæ Cognationes diverſæ per nuptias, ſecundum Leges, vel per coitum, ſecundum Canones, copulantur, altera ad alterius Cognationis fines accedit, *ff. de extraord. Cognat. d. l. Non facile* §. *Affines*; *Gloſſa in cap. ult. de conſ. & affinit. in Arbore Affinitatis*, & contrahitur per quamcunque copulam perfectam intra vas, ſive ſit voluntaria, ſive coacta, ſive licita, ſive illicita, *cap. Diſcretionem*, §. *Sed nec affines*, *lib. 7. diſp. 64. n. 16.* Corrad. *Reſp. Caſ. Conſc. 2. par. q. 367.* Averſa *de Matr. q. 17. ſect. prima, verſ. Non oriri*; nec refert, ad impedimentum contrahendum, an copula fuerit publica, vel occulta. Filiucc. *qq. Moral. tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. nu. 209.* Layman. *Theol. mor. lib. 5. tract. 10. cap. 5. n. 3.* quia Jura in hoc non diſtinguunt; prout nec refert, ſi habita ſit cum muliere conſentiente, vel invita, dormiente, ebria, inſana, vel ſenſibus deſtituta, quia ſat eſt, ſi intra vas virile ſemen effundatur. Sanchez, & Filiuccius *ll. cc.* Bonaccina *de Matrim. quæſt. 3. propoſ. 3. num. 16.* Trullenck *lib. 7. cap. 9. dub. 16. num 5. tom. 3.* & quamvis antiquo tempore hujuſmodi Affinitas intra plures gradus impediret, & dirimeret matrimonium, ut infra dicemus, tamen per Concilium ita fuit reſtrictum impedimentum, ut, ſi hujuſmodi Affinitas ex copula licita proveniat, non excedat quartum gradum, prout Conſanguinitas; at ſi ex copula illicita, & fornicaria, non impediat, nec dirimat ultra ſecundum conſtat ex Decreto ipſius Concilii *ſeſſ. 24. de Reformat. Matrim. cap. 4.* Nomine copulæ fornicariæ intelligi debet quælibet copula non conjugalis, ſive per adulterium, ſive per Stuprum, ſeu ſacrilegium habita ſit. Coninck *de Sacrament. Diſp. 32. Dub. 4. num. 56. in fine.* Reginald. *lib. 31. num. 147.* Filiuccius *dict. cap. 6. num. 213.* Averſa *de Matrim. quæſt. 17. ſect. 2. verſ. Et per fornicationem*; quia ratio, quæ movit Concilium, eadem militat pro omni copula inceſtuoſa, dummodo completa ſit per ſeminis effuſionem intra vas, *cap. Extraordinaria 35. quæſt. 3.* Sanchez *lib. 7. Diſp. 54. n. 8.* Corrad. *Reſp. Caſ. Conſc. part. 1. quæſt. 142.* Steph. à S. Gregorio *l. c.* Quamvis enim penetrando vas, abſque ſeminis in illo effuſione, intelligatur conſummatum matrimonium, ut inter alios docet idem Corrad. *part. 1. quæſt. 328.* ad contrahendum tamen impedimentum Affinitatis, non ſufficit penetrare vas, ſed requiritur omnino virilis ſeminis in ipſo vaſe effuſo, ut bene Sanchez, Corrad. & Steph. à S. Gregorio *ll. cc.* & late probat Leo *in Praxi Sacræ Pœnitent. part. 2.* ubi *de Impedim. dirim. verſ. Ut autem inſurgat, pag. Mihi 216.* Cum etenim, non niſi per copulam perfectam, & conſummatam, vir, & fœmina efficiantur una caro, ſequitur, ut non per ſimplicem actum fornicarium, ſeu per ſolam vaſis penetrationem, nec per quamlibet aliam ſodomiticam copulam, nec actus impudicos, & tactus venereos, & laſcivos (etiam ſi ob illos ſemen extra vas effunderetur) Affinitas contrahatur, ſed requiritur veri ſeminis virilis in vaſe effu-

effusio, quæ sit ad prolis generationem sufficiens, ut habetur expresse *in c. lex Divinæ Constitutionis* 18. *causa* 27. *quæst.* 2. *cap. Extraordinaria* 11. *causa* 35. *quæst.* 2. & 3. & docent Viguerius *Instit. moral. cap.* 16. *§.* 7. *vers.* 9. *Impedimento* 6. Toletus *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 3. Vivaldus *in Candelabro* 1. *part.* ubi *de Matrim. num.* 198. Navarr. *lib.* 4. *Consil. titulo de Consangu. & Affinit. cons.* 8. *num.* 5. *in prima edit.* Petrus Cenedus *in Collect. part.* 2. *Collect.* 19. *num.* 1. Corrad. *d. part.* 1. *quæst.* 51. *quæst.* 142. & *quæst.* 328. Bonaccina *de Matr. quæst.* 3. *puncto* 12. *propos.* 3. *num.* 11. & *seqq.* Reginald. *lib.* 31. *cap.* 20. *num.* 147. Coninck *dicta disp.* 32. *num.* 46. Aversa *quæst.* 17. *sect.* 1. *vers. Debet tamen*. Fragos. *de Regim. Christ. Reip. part.* 1. *lib.* 2. *Disp.* 4. *num.* 240. Trullenck *Oper. moral. lib.* 7. *cap.* 9. *Dub.* 16. *num.* 3. *tom.* 3. Cap. Tolosana *quæst.* 96. *n.* 2. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 64. *n.* 8. innumeros alios pro hac Doctrina referens.

13 Dixi, requiri de necessitate seminis virilis effusionem, quia probabilissimum est, non requiri ad generationem fœmineum semen; unde, quamvis fœmina non seminet, sed solus vir, contrahitur Affinitas; non tamen è converso contrahitur, si sola fœmina seminet, & non vir; vide Sanchez *l. c. num.* 10. Sylvestrum *verbo Matrimonium* 8. *quæst.* 15. *dict.* 2. Bonaccina *num.* 12. & Trullenck *num.* 4. *ll. cit.* Aversa *l. c. vers. Dubitatur*; intellige tamen de
14 vero virili semine, quia ex congressu Spadonum, & Eunuchorum, utroque teste carentium, quamvis & in vase seminent, non contrahitur Affinitas, cum horum semen sit ad generationem ineptum. Sanchez *dicta disp.* 64. *num.* 11. Bonaccina *num.* 14. Stephanus à S. Gregorio *num.* 2. & Trullenck *n.* 4. *ll. cc.* Dixi si verum semen non emittant, quia si verum semen emitterent signum esset, quod testi-
15 bus non carerent, sed essent latentes, unde matrimonium valeret; id, quod pluribus probat Verricellius *de Missionibus Apostol. quæst.* 197. *sect.* 7. *n.* 70. omnino videndus.

16 At displicet Doctrina Sanchez *l. c. n.* 15. Pat. Leonis *l. c.* & aliorum, qui docent, contrahi Affinitatem eo casu, quo virile semen Dæmonis ministerio in vas subintret, idque non puto verum, cum Affinitas non contrahatur, nisi per copulam carna-
17 lem, & carnis commistionem, qua mediante, in ipso vase semen emittatur, ut bene animadvertunt Pontius *de Matr. lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 2. Jo. Jacob. Canis *inter consilia matrimonialia*, Zilett. *cons.* 19. *num.* 1. *vol.* 1. & in hanc sententiam inclinant Aversa *de Matrim. d. sect.* 2. *vers. Dubitari etiam potest*, & Filiuc. *d. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 209. alioquin si dicta altera opinio vera esset, injiceret innumeros scrupulos; posset enim sæpissime dubitari, an virile semen raptum fuisset à Dæmone, & in fæmineum uterum translatum, & consequenter contracta Affinitas:
18 erit quidem opus Dispensatione ad contrahendum, si per nixum viri ad copulam, aut per appropinquationem carnis, ante penetrationem, exiliat virile semen in vas, quia cum per hoc gigni possit proles, erit contracta Affinitas. Filiuccius *d. cap.* 6. *num.* 209. Sylvester *loc. cit. quæst.* 15. *dict.* 2. Aversa *loc. citat.*

19 Ex dictis infertur, Affines in secundo, & tertio, immo in primo, & tertio, à communibus stipitibus provenientibus gradibus, non comprehendi in prohibitione, nec impediri quominus possint, absque Dispensatione, contrahere cum Consanguinea personæ à se fornicarie cognitæ, quia cum solus remotior gradus obstet Matrimonio, is solus debet attendi; vide quæ infra dicemus; etiam Donat. Anton. de Marinis *Resol. quotid. lib.* 1. *cap.* 267. *num.* 8. Pirrhum Corradum *in Praxi Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 27. ubi testatur, sic fuisse à S. Congregatione decisum; adest præterea declaratio S. Pii V. facta de Anno 1566. per suam peculiarem Constitutionem infrascripti tenoris.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Romanum Pontificem spectat Canonicas Sanctiones, quæ expressiorem sensum postulare videntur, re diligenter perspecta, ita declarare, & alias providere, ut omnis dupietas de piis Christifidelium mentibus evellatur. Sane postquam ex eo, quod Tridentino Synodus Impedimentum Affinitatis, ex fornicatione proveniens, per quod, non solum Matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam post factum dirimitur, ad eos tantum restrinxit, qui primo & secundo gradu conjunguntur; in ulterioribus vero gradibus statuit, Matrimonium postea factum non dirimi, à pluribus Christifidelibus, ut accepimus, est dubitatum, an licet in ulterioribus gradibus hujusmodi Matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen, juxta antiquos Canones, contrahi prohibeatur; & propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac Matrimonii libertati, quantum cum Deo possumus, contribuere volentes, Declaramus, & Apostolica Auctoritate decernimus, nullum hodie remanere Impedimentum, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi, libere; & licite Matrimonium contrahi possit, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus. Decernentes irritum, & inane, si quid, à quoquam, quacunque Dignitate, Auctoritate, & Potestate prædito, contigerit judicari, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod præsentes Literæ in Cancellaria Nostra Apostolica, & in Acie Campi Floræ de more publicentur, & inter Constitutiones perpetuo valituras describantur; & quia difficile foret eas ad singula quaque loca deferri, quod earum Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, ac Sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si fuerint exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ Declarationis, Decreti, Mandati, Statuti, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum A. I. D. 1566. Quarto Kal. Decembris, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Cæs. Glorierius.

Pro intelligentia, majorique hujusmodi Affinitatis Impedimenti declaratione sciendum est, duplicem esse Affinitatem, aliam nempe esse proprie, & hanc impedire, & dirimere matrimonium, ut supra dictum fuit, & adeo afficere, ut duret etiam post mortem personæ, qua mediante contracta fuit; ita habetur *cap. Fraternitatis vestræ, primo, causa* 35. *quæst.* 10. ubi dicitur, *Porro, uno defuncto, in superstite Affinitas non deletur, nec alia copula conjugalis Affinitatem prioris copulæ solvere potest*, & docent Sanchez *lib.* 7. *disp.* 64. *numer.* 2. Gutierez *de Matrim. quæst.* 99. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 3. *cap.* 20. *sect.* 2. *num.* 144. Massobrius *de Concursu Requis.* 7. *dub.* 28. *num.* 2. nec deletur, etsi matrimonium dissolvatur. Paris. *cons.* 68. *num.* 14. *part.* 4.

Alia Affinitas est per accidens, & hæc matrimo- 22
nium nec dirimit, nec impedit, & de ea est textus *in cap. Non debet* 8. *de consang. & affin.* & intervenit inter personas, quarum neutra, per co- 23
pulam carnalem, Affinitati per se causam præbuit, & proinde hujusmodi Affinitas, etiam inter virgines, & personas omnis copulæ carnalis expertes, consistere potest: v. gr. Petrus, & Matthæa carnaliter copulantur, ratione hujus copulæ, ideoque per accidens, consanguinei Petri Affinitatem contrahunt cum consanguineis ipsius Matthææ; hæc tamen Affinitas, cum sit per accidens, Matrimonium inter ipsos, nec dirimit, nec impedit, juxta regulam, quod Affinitas aliam Affinitatem non pa- 24
rit *d. cap. Non debet, de cons. & affin.* Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 67. *num.* 2. & concludunt communiter Doctores; quare consanguinei uxoris, licet efficiantur affines mariti; & è contra nulla tamen inter consanguineos mariti oritur Affinitas, nisi per accidens, quæ ut dictum fuit, nullo modo obstat Matrimonio, immo nec ullum inter affines per eam oritur vinculum cum quacunque alia persona,

ſona, & proinde filia uxoris ex alio Matrimonio,
25 aut ex fornicatione cum altera concepta, poteſt nubere fratri, aut filio ipſius mariti, Pater ſponſi ducere poteſt matrem, vel filiam ſponſæ nec duabus ſororibus prohibetur, quin duobus fratribus licite, & valide nubant, *cap. Quod ſuper his 5. de conſ. & affin.* Simili modo poteſt quis, mortua uxore, ducere relictam à fratre ſuæ uxoris; prout poteſt quis
26 diverſis temporibus plures fœminas ſibi in uxores accipere, quæ cum pluribus fratribus matrimonium contraxerunt, ut prædicta clarius explicantur in caſibus, & exemplis infraſcriptis.

27 Joanna, & Maria, ad invicem non conjunctæ, nupſere duobus fratribus, poteſt quis Joannam viduam effectam in uxorem ducere; & ſi iſta moriatur, poterit etiam habere Mariam, ſi vidua ſit.

28 Matthæus frater Virginiæ, ducit Mariam, & Virginia nubit Petro; ſi ambo dicti fratres, Matthæus, & Virginia moriantur, poſſunt Petrus, & Maria, abſque ulla Diſpenſatione matrimonialiter copulari, quia Petrus per copulam cum Virginia habitam, factus eſt affinis cum conſanguineis Virginiæ; Maria vero non eſt conſanguinea Virginiæ, ſed affinis; & conſequenter, ſi mortui ſint Matthæus, & Virginia, non impediuntur Petrus, & Maria quin poſſint matrimonialiter copulari, quia, ut bene inter alios docet Alphonſ. à Vera Cruce *in Spec. Conjug. p. 2. art. 27.*
29 *verſ. Ex omnibus his*, non eſt affinitas niſi propter conſanguinitatem; cum ergo iſti ambo ſint affines, intrat dicta concluſio, quod affinitas affinitatem non parit; dum etenim Petrus duxit Virginiam, contraxit quidem proprie, & per ſe affinitatem cum Matthæo, per accidens vero cum Maria, & proinde cum ea non contraxit impedimentum: Et propterea ad
30 dignoſcendum, an affinitas ſit proprie, vel per accidens, traditur iſta Regula, ſi neque vir carnaliter cognovit conſanguineam mulieris, cum qua ipſemet contrahere intendit, neque mulier ipſa carnaliter cognovit conſanguineum ejuſdem viri, nulla inter ipſos orta fuit affinitas, niſi per accidens; unde non impediuntur ob id matrimonialiter copulari; vide pro prædictis Laymanum *Thol. Mor. lib. 5. tract. 10. p. 4. c. 5. præſertim à nu. 4.* Hermanum Buſemb. *in Medulla Theol. Mor. lib. 6. tract. 6. c. 3. dub. 2. verſ. Dicitur duodecimo, pag. mihi 456.* Filiuccium *QQ. Moral. tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 6. nu. 219.* Sanchez *lib. 7. diſp. 67. n. 2.* Bonac. *de Matrim. q. 3. punct. 12. propoſ. 1. n. 2.* Trullenck *tom. 3. lib. 7. c. 9. dub. 16. nu. 7. Gloſſam in Arborem Affinitatis.*

Id tamen te monitum velim, quod affinitas nul- 31
los habet gradus, ſed regulatur prout in conſanguinitate, tam in linea recta, quam in collaterali, quia quoto gradu quis eſt mihi conſanguineus, eo gradu eſt uxori meæ affinis; & ſic ſtipes affinitatis ſunt illæ eædem perſonæ, quæ per carnalem copulam commiſcentur; quamvis enim ipſæ non fiant inter ſe 32
affines, cum ſe habeant ut una caro, tamen ſunt origo Affinitatis aliorum. Sanchez ubi ſupra *à n. 1. uſque ad n. 5.* Filiucc. *d. cap. 6. n. 207.* Bonac. *de Matrim. quæſt. 3. punct. 12. propoſ. 2. in fine*; unde cum de aliquorum Affinitate quæritur, ad dignoſcendum, 33
quo gradu diſtent inter ſe, recurrendum eſt ad perſonam illam, qua mediante, Affinitas contracta fuit, & quæri debet, ac inſpici quoto conſanguinitatis gradu hæc diſtet ab illa perſona, de qua quæritur, quia quoto gradu iſta diſtare invenitur in Conſanguinitate, eo diſtabit in Affinitate, v. gr. Titius, & Berta ſunt affines, eo quod Sempronius, primus maritus Bertæ, erat ipſi Titio conſanguineus; volunt dicti Titius, & Berta ſimul, poſt obtentam Diſpenſationem; contrahere: ad dignoſcendum præciſum gradum, quo diſtant in Affinitate, oportebit formare Arborem Conſanguinitatis, quo conjuncti erant Titius, & Sempronius; exempli gratia.

Antonius Stipes

Jacobus	Petrus
Joanna	Paulus
Franciſcus	Joannes
Sempronius pr. Marit. Bertæ	Titius Sponſus

Ex cujus Arboris inſpectione clare dignoſcitur, Titium, & Bertam, ſponſos', quarto Affinitatis gradu ſe attingere, eo quod quarto conſanguinitatis dicti Titius, & Sempronius primus vir Bertæ, conjuncti erant; & ſic ſervando hanc regulam facillime haberi poterit, quo gradu Affinitatis ſe attingant contrahere volentes.

34 Et quemadmodum Linea Conſanguinitatis triplex eſt, nempe Aſcendentium, Deſcendentium, & Collateralium, ita pariter eſt in Affinitate.

35 In linea recta ſunt Aſcendentes, & Deſcendentes illius perſonæ, quacum habita fuit copula.

Aſcendentes ſunt.	*Deſcendentes ſunt.*
Socer, ideſt pater uxoris meæ;	Gener, maritus filiæ meæ;
Vitricus, maritus matris meæ;	Nurus, uxor filii mei;
Socrus, mater uxoris meæ, &	Privignus, filius uxoris meæ, ex alio viro conceptus.
Noverca, uxor patris mei, non tamen mater mea.	Privigna, filia d. modo ejuſdem meæ uxoris.

In collaterali linea ſunt mihi affines omnes illi, qui uxori meæ conſanguinei ſunt, & in eiſdem gradibus, in quibus ipſi ſunt dictæ uxori meæ conſanguinei, ut dictum fuit.

Vide Arborem affinitatis in primo genere, quam hic ſubnectere placuit.

Uxor Fratris olim relicta	Frater	*Primus Gradus*	Soror	Vir Sororis olim relictus
Uxor Filii Fratris	Fratris Filius	*Secundus Gradus*	Sororis Filia	Vir Filiæ Sororis
Uxor Nepotis Fratris	Fratris Nepos	*Tertius Gradus*	Sororis Neptis	Vir Neptis Sororis
Uxor Pronepotis Fratris	Fratris Pronepos	*Quartus Gradus*	Sororis Proneptis	Vir Proneptis Sororis

Tria, antiquo tempore, designata fuerunt Affinitatis
36 genera, & ea omnia matrimonium impediebant, & dirimebant, *cauſ.* 35. *tota q.* 10.

37 Primum genus, (quod adhuc viget) ideo dicitur primum, quia per primam carnis copulam, ſive una ſola perſona mediante, contrahitur, & eſt inter ipſam fœminam cognitam, & conſanguineos viri, qui illam cognovit; prout è contra inter ipſum virum, & conſanguineos ejuſdem fœminæ cognitæ; unde ſequitur, quod perſona ſociata perſonæ per carnis copulam, mutat genus, ſed non gradum, juxta illud

Mutat Nupta genus, ſed generata gradus.

Exempli gratia, ego, & ſoror mea conjuncti ſumus in primo gradu generis conſanguinitatis; dicta mea ſoror nubit Antonio, & cum eo matrimonium conſumat; ex hoc fit, ut perſona Antonii, ſociata perſonæ ſororis meæ per carnis copulam, fiant una caro; iſta igitur carnis copula mutat genus attinentiæ; alio namque genere, ſcilicet Conſanguinitatis, attinet mihi ſoror mea, & alio Antonius, ſcilicet Affinitatis, ſed non mutat gradum, quia in ipſo gradu Conſanguinitatis, in quo ego ſum ſorori meæ, in eodem Affinitatis ſum Antonio; & quod dixi de ſorore mea, idem intelligas de quacunque mea conſanguinea in quocunque gradu, quia omnes mariti conſanguinearum mearum ſunt mihi affines in primo genere, & in ipſis gradibus Affinitatis, in quibus eorum uxores mihi conjunctæ ſunt in Conſanguini-
38 tate, & ſic de ſingulis; gradus enim inter affines computari debent, ut reſpectu conſanguinitatis, *c. Porrò, 3. de conſanguinitate, cauſ.* 35. *quæſt.* 5. & nos diximus ſupra; & quod dictum fuit de maritis conſanguinearum mearum, idem intelligas de uxoribus conſanguineorum meorum, quæ ſunt mihi affines in primo genere Affinitatis, & in illis gradibus, in quibus earum mariti ſunt mihi conſanguinei; & ſic omnes conſanguinei uxoris meæ ſunt mihi affines in primo genere affinitatis, & in diverſis gradibus juxta diverſitatem graduum Conſanguinitatis, quibus uxori meæ conjuncti ſunt; pari modo omnes conſanguinei mei ſunt affines uxoris meæ in eiſdem gradibus, in quibus mecum ipſi conjuncti ſunt; non tamen conſanguinei mei ſunt affines conſanguineis uxoris meæ; & ideo pater, & filius poſſunt contrahere cum matre, & filia; duo cognati cum duabus cognatis; avunculus, & nepos cum duabus ſororibus, ut hæc omnia habentur *c. Quod ſuper his 5. de conſang. & affinit. cap. Sane* 14. *cauſ.* 35. *q.* 2. & de his late Gloſſa in *Arbore Affinitat.*

39 Et licet, antiquo tempore, iſtud primum genus Affinitatis, ſi ex matrimonio inſurrexiſſet, uſque ad ſeptimum gradum, & ſi ex copula fornicaria, uſque ad quartum dirimeret, *ut cap. Nullum 7. cauſa* 35. *quæſt.* 2. *&* 3. hodie tamen, attenta reductione facta per Concilium Lateranenſe, ſub Innocentio
40 III. Summo Pontifice, non traſcendit quartum gradum, ſi ex copula licita proveniat Affinitas, *cap. Non debet, de conſ. & affin.* & ſi ex illicita ſolum, infra primum, & ſecundum dirimit, ſic diſponente Sacroſancto Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *n.* 4.

41 Secundum genus, (quod hodie ſublatum eſt) ideo dicebatur ſecundum, quia per ſecundam carnis copulam, ſive, duabus perſonis mediantibus, contrahebatur; & hujuſmodi Impedimentum uſque ad quartum gradum extendebatur, itaut non liceret cum Affine ſecundi generis, infra dictos gradus, contrahere; in ipſo tamen quarto gradu, matrimo-
42 nium, ſi jam fuiſſet contractum, non ſeparabatur, ſed ſolum in ſecundo, ſeu tertio, *ut cap. de propinquis* 3. *cauſa* 35. *quæſt.* 2. *&* 3. Iſtud autem ſecun-
43 dum genus ita procedebat, v. gr. mea ſoror, quæ eſt mihi in primo genere, & in primo gradu Conſanguinitatis, nubebat Petro, & ſic dictus Petrus attinebat mihi in primo genere, & in primo gradu Affinitatis. Mortua mea ſorore, ſi ipſe Petrus aliam duxiſſet, tunc, quia hæc fuerat ſororio meo per carnis copulam ſociata, mutabat genus, quia attinebat mihi in primo quidem gradu, ſed ſecundi generis Affinitatis; unde, mortuo Petro, inter me, & hanc uxorem Petri, Matrimonium conſiſtere non poterat, quia contractum fuerat ſecundum genus Affinitatis, quamvis ex una parte tantum, & aliquando etiam ex utroque latere contrahebatur, verb. grat. Matthæus, & Virginia erant fratres; Virginia nupſerat Petro, & Matthæus, qui ipſi Petro primo genere Affinitatis attinebat, duxerat Annam; iſta Anna, & dictus Petrus, erant Affines in ſecundo genere, & primo gradu, & ex utroque latere contrahebatur Affinitas, quia Matthæus, & Virginia ambo contrahebant; & idem erat inter uxorem meam, & maritum ſororis meæ, item inter duos maritos duarum ſororum, vel duarum Conſanguinearum, & inter uxores ipſorum duorum Conſanguineorum.

Tertium genus, (quod pariter fuit ſublatum) impe-
diebat, & irritum reddebat Matrimonium, uſque ad 44
ſecundum gradum tantum; *cap. Et hoc quoque* 12. *cauſa* 35. *quæſt.* 3. Et ideo dicebatur Tertium, quia per tertiam carnis copulam, ſive tribus perſonis mediantibus, reſultabat, verb. grat. duo Conſanguinei erant ſecundo gradu invicem conjuncti, hic ducebat Annam, ille Teclam; hæ mulieres attinebant ſibi in 45
ſecundo genere, & in ſecundo gradu, unde ſi, mortuo marito Teclæ, ipſa nupſiſſet Petro, iſte Petrus attinebat dictæ Annæ in tertio genere, quare, mortua Tecla, non poterat idem Petrus contrahere cum Anna, quæ ſibi attinebat in tertio genere, & ſecundo gradu Affinitatis.

Hæc tamen duo ultima genera Affinitatis hodie 46
ſunt ſublata, ut diximus, & ſolum primum genus in ſuo robore, & vigore relictum, eo quod per tam multa Impedimenta, Fidelium animæ innumeris peccatis illaquearentur, ut ex verbis Concilii Tridentini *dict. cap.* 4. colligitur; unde ſolæ illæ perſonæ, quæ copulam habuerunt, Affinitatem contrahunt cum Conſanguineis perſonæ à ſe cognitæ, ut bene 47
animadvertit Reginald. *d. cap.* 20. *ſect.* 2. *n.* 145. & nos late diximus ſupra.

Sed dubium eſt, an in omnibus Affinitatis gradi- 48
bus diſpenſari poſſit; & quidem, quoad Affinitatem ex copula illicita ortam, nullum dubium eſſe poteſt, quin in omnibus gradibus diſpenſetur, ut bene docent Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 66. *num.* 3. Bonaccina de *Matrimon. quæſt.* 3. *puncto* 12. *propoſ.* 3. *num.* 1. & alii communiter; nec de hoc dubitari poteſt, ma- 49
xime quia non ſolum à Pontifice, pro foro externo, ſed à Summo Pœnitentiario pro Foro Conſcientiæ, ſæpiſſime conceduntur Brevia Diſpenſationum in primo gradu hujuſmodi Affinitatis, ut teſtatur Marcus Ant. Genuen. *in Praxi Curiæ Archiepiſc. Neap. cap.* 20. *num.* 9. *in Additionibus*; quia ex hujuſmodi Affinitate non inducitur vinculum naturale, nec inter fœminam cognitam, & conſanguineos viri, qui illam cognovit, ulla oritur amicitia naturalis, ſed potius oriuntur, ut plurimum, odia, & inimicitiæ, ut animadvertit Filiucc. *dict. cap.* 6. *num.* 216. At loquendo de Affinitate, quæ ex copula 50
matrimoniali provenit, non deſunt qui exiſtiment, in primo gradu lineæ rectæ matrimonium eſſe Jure naturæ irritum, & conſequenter ſuper eo diſpenſari non poſſe, quia hic gradus proxime accedit ad primum Conſanguinitatis gradum ejuſdem lineæ, cum ſit fundamentum cujuſdam conjunctionis, & naturalis amicitiæ, ad quam denotandam impoſita ſunt nomina Soceri, Socrus, Privigni, Nurus, &c. Et facit quod in Concilio Avernenſi, celebrato ſub Virgilio Papa, *cap.* 11. poſt prohibitionem ibi factam, de Matrimonio cum Privigna, adduntur hæc verba, *Qui ſecus auſu ſacrilego auctoritatem Divinæ legis, & jura naturæ perrumpere &c.* & in Levitico *ad cap.* 18. habetur, *Turpitudinem matris tuæ, & uxoris patris tui ne diſcooperias; turpitudinem nurus tuæ non revelabis; turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis*; & Divus Paulus primo ad Corinth. ait, *Omnino audiatur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, itaut uxorem patris ſui aliquis habeat*; & in Geneſi 49. acriter reprehenditur Ruben, eo quod cum uxore patris ſui dormierit. Facit ulterius dictum Divi Auguſtini contra Fauſtum *lib.* 22. *cap.* 61. *Si* 51

vir,

vir, & uxor, non duæ, sed una caro sunt non aliter est reputanda nurus, quam filia; & quidem eadem reverentia debetur illis Affinibus, qui naturaliter superioritatem habent, ac ipsis naturalibus Parentibus debeatur; unde filius eandem fere reverentiam debet Novercæ, & Vitrico, qui naturaliter habent superioritatem, ac ipsis naturalibus Parentibus debeat, cum Pater, & Noverca, Vitricus, & Mater, per Matrimonium effecti sint una caro, unde Ovidius de Ponto

Nam tibi, quæ conjux, eadem mihi filia pene est.

52 Facit tandem quod pleræque Nationes hujusmodi Matrimonia abhorrere videantur; & confirmatur, cum nunquam auditum sit, fuisse in hac linea hucusque dispensatum, unde in dicto primo gradu lineæ rectæ Matrimonium esse jure naturæ irritum, constanter defendunt Sylvester *V. Papa, quæst.* 17. Coninck *Disp.* 32. *dub.* 4. *conclus.* 3. *num.* 53. Filiuccius *tomo* 1. *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 217. Sotus 4. *dist.* 41. *quæst. unica, art.* 1. Vivaldus *in Candelabro* 1. *parte*, ubi de Matrimonio, *n.* 204. Bellarminus *de Controv. fidei tomo* 3. *cap.* 28. *controversia* 5. *lib. unico in principio*. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *num.* 5. & plures alii, relati à Sanchez *lib.* 7. *disp.* 66. *num.* 6. & à Diana *part.* 4.
53 *tract.* 4. *in Miscell. resol.* 93. immo sunt alii, qui putent, non solum in dicto primo lineæ rectæ, verum etiam in ulterioribus ejusdem lineæ gradibus in infinitum, jure naturæ matrimonium prohiberi, & propterea dispensari non posse, vide Coninck *loc. citat. num.* 48.

54 Quamvis autem ista opinio satis probabilis sit, tamen probabilius existimo, non solum in ulterioribus gradibus, sed etiam in ipso primo lineæ rectæ, Matrimonium non prohiberi jure naturæ, sed tantum jure Ecclesiastico, ut bene docent Sanchez *d. disp.* 66. *num.* 7. Alphonsus à Vera Cruce *in Speculo Conjug. part.* 2. *art.* 27. *vers. Ex omnibus his*; Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 5. Bonaccina *de Matrim. quæst.* 3. *puncto* 12. *propos.* 37. *n.* 7. *vers. Secunda sententia*. Gutierez *de Matrim. cap.* 99. *num.* 9. Diana *d. Resol.* 91. Aversa *de Matrim. d. sect.* 2. *vers. Dicendum tamen*; Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Divin. Piet. lib.* 3. *cap.* 106. *num.* 5. Trullenck *l. c. num.* 15. Ricciullus *de Jure Personar. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 2. Ratio est quia relatio naturalis super-
55 rioritatis, ex qua oritur naturalis reverentia, Superiori debita, fundatur solum inter eas personas, quæ dant, & accipiunt esse naturale per generationem naturalem.

Ex dictis infertur, in linea transversali Affinitatis,
56 cujus vinculum minus afficit, in nullo gradu prohibitum esse matrimonium jure naturæ; licet enim aliqui aliter sentiant, nullatenus sunt audiendi tum quia in ista linea non videtur ex hac Affinitate oriri tantam indecentiam, & irreverentiam, prout in primo gradu lineæ rectæ, tum etiam quia multories in primo gradu hujus transversalis lineæ Summi
57 Pontifices dispensarunt, omnibus namque notæ sunt Dispensationes Alexandri VI. cum Rege Lusitaniæ; Julii II. cum Henrico VIII. & Catharina Austriaca Angliæ Regibus, quam ultimam Dispensationem Clemens VII. immediatus dicti Julii in Pontificatu Successor, consultis Theologis, & habito super hoc maturo consilio, validam fuisse declaravit. Alia innumera exempla hujusmodi Dispensationum referuntur quæ hic singillatim recensere longum esset. Plura etiam Matrimonia fuerunt in dicto primo gradu hujus lineæ contracta in Lege veteri, quæ cum omnibus Sacræ Scripturæ Professoribus nota sint, superfluum esset hic repetere, & legi possunt penes Aversa *de Matrim. d. sect.* 2. & alios Doctores, & quod in dicto primo gradu lineæ transversalis matrimonium non sit jure naturæ irritum, expresse docent Bonaccina *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 12. *num.* 7. Bellarminus *d. cap.* 28. *in princ. vers. Secundo loco*. Pontius *lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 3. Filiuccius *num.* 218. *l. c.* Gratianus *Discep. forens. cap.* 457. *n.* 7. *tomo* 3. & plures alii, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 66. *num.* 7. & 11.

Cæterum ne adhæreas opinioni Doctorum asserentium, ex matrimonio tantum rato oriri Affinitatem, 58
quia id falsum est, cum eo tantum proprie oriatur Affinitas, quod per copulam perfectam, & consummatam vir, & mulier efficiantur una caro; unde non Affinitatis, sed publicæ Honestatis eo casu orietur impedimentum; ita expresse docent Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 93. Navarrus *lib.* 4. *Consilio. titulo de Spons. cons.* 33. *num.* 1. *pr. edit.* Covaruv. 4. *Decret. tomo* 1. *sec. part. cap.* 6. §. 7. *num.* 3. Cenedus *in Collect. ad Decretales part.* 2. *Collect.* 19. *num.* 1. Toletus *in Summa lib.* 7. *in addit. ad cap.* 15. *in fine*; Vivaldus *in Candelabro*, 1. *parte*, ubi *de Matrim. num.* 197. & 198. Sanchez *lib.* 7. *Disp.* 64. *num.* 25. Laymanus *lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 9. *num.* 5. Trullenck *tomo* 3. *lib.* 7. *cap.* 9. *Dub.* 15. *num.* 11. & *Dub.* 16. *num.* 2. *in fine*, & *num.* 9. Pontius *lib.* 7. *cap.* 35. *in princip.* Bonaccina *de Matr. quæst.* 3. *puncto* 9. *Propos.* 2. *num.* 9. Coninck *Disp.* 32. *Dub.* 4. *num.* 46. Filiuccius *tomo* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. Barbos. *de Off. & Pot. Episcopi, Alleg.* 51. *num.* 175. Pirrhus Corrad. *in Praxi Disp. Apost. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 15. Donatus Antonius de Marinis *Resol. Quotid. lib.* 1. *c.* 38. *n.* 12. Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 25. ubi refert, sic fuisse à S. Congregatione decisum; unde quoad hoc audiendi non sunt Sotus 4. *dist.* 41. *quæst. unica, art.* 2. *ad finem*. Viguer. *Instit. Mor. cap.* 16. §. 7. Petrus de Ledesma *de magno Matrimonii Sacramento, in Addit. ad* 3. *part.* D. Thomæ *quæst.* 55. *art.* 1. *vers. In cujus rei expositione*. Bellarmin. *lib.* 1. *de Matr. cap.* 24. *in fine*. Sylvestr. *V. Matrimonium, & quæst.* 14. *dicto n.* 2. & alii contrarium sentientes.

Nec facit id, quod aliqui dicunt de stylo Datariæ 59
Apostolicæ, quæ, si Dispensatio petatur super hujusmodi Impedimento publicæ Honestatis, ex matrimonio rato provenientis, illud vocare solet, Affinitatem; quia id facit, non quod proprie sit Affinitas, sed ut Oratores gravioribus expensis afficiantur, & ob id deterriti, à petitione hujusmodi Dispensationum retrahantur, ut animadvertit Pirrhus Corradus *in Praxi Dispensat. Apost. d. cap.* 7. *num.* 20. dum etenim Dispensatio petitur super Affini-
tate, solvitur compositio duplex, & majores caus- 60
sæ requiruntur, & eodem modo regulatur, ac si dispensandum esset super Consanguinitate, unde, quod sit Affinitas, vel publica Honestas, non est quæstio solum de nomine, ut nonnulli perperam arbitrantur, cum utraque impediat, & dirimat Matrimonium usque ad quartum gradum: quia, ut animadvertit Diana *d. resol.* 25. est differentia; tum quia, ut diximus, pro Affinitate solvitur duplum, & majores causæ requiruntur; tum etiam quia si quis co- 61
gnosceret Consanguineam uxoris nondum à se cognitæ, non incurreret excommunicationem, *Clementinæ unicæ, de consanguinitate*, quia propinquitas sanguinis verbis dicitur, sed non efficitur, quod idem confirmat Aversa *de Matrim. quæst.* 17. *sect.* 1. *vers. Non ex sola copula*.

Porro licet Honestas, ex Sponsalibus invalidis 62
proveniens, sublata fuerit per Sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform. Matrimonii*, ea tamen, quæ ex matrimonio rato insurgit, cum restricta non fuerit, matrimonium impedit, & dirimit usque ad quartum gradum, prout Affinitas ex matrimonio consummato orta, quia non 63
est recedendum à Jure antiquo, nisi quatenus aliter decernatur Jure novo, *l. Præcipimus C. de appellat.* Pontius *lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 11. Bonaccina *de Matr. quæst.* 3. *puncto* 5. §. 2. *num.* 24. At Jure antiquo *cap. Unico, de Sponsal. in* 6. hoc Impedimentum durabat usque ad illos gradus, ad quos extendebatur Consanguinitas, & postmodum ex dispositione *cap. Non debet* 8. *de consang. & affin.* & *cap. Accessit* 5. *de sponsal. impub.* restricta fuit ad quartum gradum inclusive; unde, cum ex quocunque matrimonio, quavis 64
causa invalido (dummodo invalidum non esset ex defectu consensus) oriretur Honestas, & cum prædicta non fuerit correcta, remanent in eorum antiquo vigore: vide Sanchez *lib.* 7. *disp.* 64. *num* 25.

& disp. 70. num. 5. Bonaccin. *de Matr. quæst. 3. puncto 11. nu. 19. & puncto 12. num. 6.* Coninck *Disp. 32. dub. 4. conclus. 4 num. 56.* Filiucc. *d. cap. 6. num. 212* Averſ. *l. c.* nec de hoc dubitari poteſt, cum ita declaratum fuerit à S. Pio V. Summo Pontifice, ut diximus.

65 Et quoniam Impedimentum Affinitatis, jure Eccleſiaſtico, matrimonium irritat, Sanchez *lib. 7. Disp. 66. num. 7.* Pontius *lib. 7. cap. 24. num. 5.* Filiuccius *d. cap. 6. num. 215.* & nos diximus ſupra, conſequi-
66 tur, non eſſe opus Diſpenſatione, ſi infidelis, qui cum fœmina infideli fornicatus fuit, velit, poſt Baptiſmum ſuſceptum, ducere conſanguineam in gradu prohibito conjunctam fœminæ à ſe cognitæ; quia cum ea Affinitas non ſit vinculum naturale tempore infidelitatis, non fuit contracta. Sanchez *lib. 7. diſp. 65. num. 10.* Filiucc. *l. c. n. 216.* Trullenck *l. c. n. 16.* Stephanus à S. Gregorio *d. c. 106. num. 6.* E contra Diſpenſatio neceſſaria erit, ſi fidelis, qui
67 copulam habuiſſet cum fœmina infideli, ducere vellet ſororem fidelem dictæ fœminæ, quia jam inter eos contracta fuit Affinitas, cum utrumque extremum ſubjaceat legibus Eccleſiaſticis, ut dicit Sanchez *l. c. num. 12.* ubi *n. 13.* docet, contrahi Affinitatem,
68 ſi fidelis cognoſcat carnaliter fœminam infidelem, & hæc fiat fidelis, & eo quod copulam habeat cum altero, concipiat, & pariat filiam; quia etiam filia contraxit impedimentum, cum ad illud contrahendum ſufficiat unum ex fornicatoribus eſſe baptizatum, & conſanguineum alterius, cum quo contrahendum eſt, vel tunc eſſe fidelem, vel poſt, ut docent idem Sanchez, & Stephanus à S. Gregorio *ll. cc.*

69 Erit quidem neceſſaria Diſpenſatio, ſi fidelis cognovit fœminam infidelem, cujus ſoror deinde baptizaretur, & vellet cum dicto viro contrahere, quia per Baptiſmum poſtea ſuſceptum reputatur Affinis; quamvis enim cum ea ſorore infideli non fuerit contracta Affinitas, non tamen conſequitur, quod
70 poſſit dictus fidelis illam ducere, ſi baptizetur, quia fidelis ille, tempore habitæ copulæ, ſubjacebat legibus Eccleſiæ, ſtatuentibus, per eam copulam contrahi Affinitatem cum conſanguineis alterius, quandocumque baptizati fuerint, ut habetur ex Eccleſiæ conſuetudine, & docent Sanchez *dict. Diſput. 65. num. 12.* Filiuccius *l. c. n. 16.*

Eſt quod modo nonnulla breviter adnotemus de Affinitate, quæ ſupervenit Matrimonio jam contracto, dum alter ex Conjugibus carnaliter commiſcetur cum conſanguinea ſui Conjugis infra ſecundum
71 gradum; licet enim matrimonium propter hoc dirimi non poſſit, reſultat tamen inter ipſos Conjuges impedimentum ad petendum debitum, ut docent Sanchez *lib. 7. Diſp. 15. n. 4.* Bonaccina *d. quæſt. 3. puncto 12. n. 19.* Trullenck *n. 17. l. c.* ſive copula ſit occulta, ſive publica, quia æque impedimentum contrahitur, ut dicemus.

72 Et primo ſciendum eſt, non impediri uſum Conjugii ex copula fornicaria, habita cum conſanguinea alterius Conjugis ultra ſecundum gradum: ita Navarrus *lib. 4. conſil. titulo de Conſ. & Affinit. conſ. 30. num. 3. in prima edit.* Sanchez *lib. 9. diſp. 27. nu. 13.* Bonaccina *l. c.* Averſa *dicta quæſt. 17. ſect. 3. in fine.* Laymanus *lib. 5. tractat. 10. part. 4. cap. 5. Aſſer. 3. num. 3.* Filiuccius *d. cap. 6. num. 214.* Trullenck *d. Dub. 16. num. 21.* Garcia *de Benef. part. 8. cap. 3. num. 75. & num. 76.* Pontius *lib. 7. cap. 33. numer. 6.* ubi teſtatur ſic fuiſſe à Sacra Congregatione deciſum, & à S. Pio V. & Gregorio XIII. Summis Pon-
73 tificibus declaratum. Ratio eſt, quia inceſtus proprie dicitur carnalis illa copula, quæ inter eas perſonas habetur, inter quas matrimonium conſiſtere nequit. *C. de inceſt. & inutil. nupt.* Laymanus *d. nu. 3. in fine.* Filiuccius *d. cap. 6. num. 214.* & ita intelligendum eſt dictum Decretum Concilii, ut hoc Impedimentum Affinitatis, ex illicita copula proveniens, dum reſtrictum fuit in ordine ad Matrimonium contrahendum, pariter reſtrictum fuerit in ordine ad petendum debitum, ut ſic à S. Congregatione, & pluribus Summis Pontificibus declaratum fuiſſe teſtatur idem Averſa *l. c.*

Secundo, adnotandum eſt, hujuſmodi Affinitatis 74
Impedimentum non contrahere, nec jure debitum petendi privari illum, qui dum habuit copulam cum Conjugis conſanguinea, ignorabat illam eſſe ſibi conſanguineam, dummodo ea ignorantia non fuerit affectata; & quidquid alii contradicant, tamen hæc opinio verior, & probabilior eſt eamque egregie defendunt Sanchez *lib. 9. tota Diſput. 32. & præſertim num. 9.* Averſa *d. quæſt. 17. ſect. 3. verſ. Rurſus.* Reginald. *lib. 31. cap. 39. num. 297. in fine*; & colligitur *ex cap. Si quis, primo, De eo, qui cognovit*, ubi expreſſe habetur: *Si quis ſcienter fornicatus fuerit*; unde dum adfuit ignorantia, non incurritur 75
pœna; quod idem rite procedit eo etiam caſu, quo quis ſciviſſet quidem perſonam à ſe cognitam eſſe conſanguineam ſui Conjugis, ſed putaſſet eſſet in tertio, vel ulteriori gradu, licet vere eſſe in ſecundo. Sanchez *lib. 9. diſp. 32. num. 29. & num. 36.* Averſa, & Reginald. *ll. cc.* immo nec videtur incurrere dictam pœnam, delinquenti ſcienter impoſi- 76
tam, ille, qui operaretur cum ignorantia Juris, id eſt ignoraret ſpecialem prohibitionem, ab Eccleſia factam de copula cum conſanguineis ſuæ Conjugis, quia adhuc iſto caſu contra hanc prohibitionem ſcienter non præſumitur delinquere, & ignorantia invincibilis juris, vel facti excuſat delinquentem ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto; vide Averſ. *l. c.* Reginald. *n. 298.* Sanchez, & Trullenck *ll. cc.* Bonaccin. *de Matr. quæſt. 4. puncto 2. ad finem*, Diana *part. 3. tract. 5. Reſol. 12.* Meroll. *tom. 1. diſp. 5. cap. 2. num. 34.*

Tertio adnotandum, Conjugem, cujus culpa con- 77
tractum eſt Impedimentum, licet abſque Diſpenſatione non poſſit exigere, teneri tamen Conjugi innocenti reddere debitum, *cap. Diſcretionem 6. De eo, qui cognovit conſanguineam uxori ſuæ*; ubi redditur ratio, nempe, quia Affinitas, inique poſt matrimonium contracta, non debet officere ei, qui iniquitatis hujuſmodi particeps non extitit, cum nemo debeat ſuo jure abſque culpa privari; ita expreſſe docent Reginald. *lib. 31. cap. 39. num. 92.* Bonaccina *de Matrim. loc. cit. num. 19. verſ. Advertendum.* Laymanus *d. cap. 5. num. 3.* & hoc rite proce- 78
dit, quamvis Conjux innocens poſtea ſciverit, alterum Conjugem contraxiſſe cum ipſo innocente Affinitatem; quia ad hanc pœnam privationis incurrendam, nil refert, an inceſtus occulte, vel publice, commiſſus fuerit, quia jura non diſtinguunt, ſed utroque caſu pœnam privationis delinquenti infligunt, & Affinitas oritur. Sanchez *lib. 9. diſp. 27. numer. 2.* Filiuccius *tomo 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. num. 349.* Reginaldus *lib. 31. cap. 39. num. 292.* Bonaccina *dicto puncto 12. nu. 22.* Quod ſi alter Con- 79
jux fuiſſet particeps delicti, & in ipſum conſenſiſſet, nec ipſe poterit debitum petere abſque Diſpenſatione. Reginaldus *l. c.* Bonaccina *d. puncto 12. nu. 20.* Sanchez *l. c. num. 3.* Averſa *quæſt. 17. ſect. 3. verſ. Inducit autem.* Trullenck *num. 24.* & Laymanus *ll. cc.* quia jus relinquit poteſtatem petendi ſoli Conjugi innocenti; unde ſi ambo conjuges inceſtum committant, adhuc docent Bonaccina, & Averſa, *verſ. Præterea, ll. cc.* neutrum, abſque Diſpenſatione, pe- 80
tere poſſe, quia uterque remanſit hujuſmodi jure privatus; ſi tamen uterque Conjux data opera, & crimine admiſſo, eoque fine, & fraude, ut à debito conjugali ſe eximerent, inceſtum commiſſiſſent, vel in illum conſenſiſſent (quamvis quæſtionis ſolutio difficilis ſit, ob varias Doctorum opiniones) probabilius eſt, peccare Conjuges petendo debitum, ſed teneri reddere; quia cum hæc pœna privationis ſolo jure poſitivo inflicta ſit, poteſt ex eodem Jure moderari, & reſtringi, prout moderatur *ex cap. Si vir 2. de cognat. ſpirit.* ubi deciditur, tales Conjuges teneri ſibi reddere, & hic caſus æquiparatur caſui, quo id per ignorantiam factum ſit; ita Sanchez *lib. 9. Diſp. 28. num. 6.* Reginald. *d. cap. 39. nu. 293.* Bonaccina *d. puncto 12. num. 20.* Ratio eſt, quia malitia, & fraus non debet eis patrocinari, ne commodum ex ipſa fraude reportent.

Quarto adnotandum, non incurrere hujuſmodi

pri-

privationem juris debitum exigendi, fœminam, quæ
81 per vim absolutam, & ipsa non consentiente, fuisset ab aliquo sui viri consanguineo oppressa; constat *cap. Discretionem 6. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ*, & docent expresse Aversa *d. quæst. 17. sect. 3. vers. Quod si fœmina*. Reginald. *l. c. n.* 295. Layman. *d. cap. 5. Assert. 3. num. 3.* Trullenck *d. Dub. 16. num. 18.* & concludunt Doctores communiter, quia ubi non est culpa non est inferenda pœna. Ricciullus *de Jure Personar. lib. 2. cap. 44. nu. 4.* & nos alibi diximus.

82 At si gravi metu adigatur, & propterea consentiat in copulam, probabilius est, incurrere Impedimentum, sicut colligitur *ex capitulo Sacris 5. de his, quæ vi, & metu, &c.* ubi decernitur, quod licet metus attenuet culpam, quia tamen eam prorsus non explodit (cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere) excommunicationis labe credimus inquinari; ita etiam docent Sanchez *lib. 9. disp. 31. num. 4.* Pontius *lib. 10. cap. 6. num. 6.* Reginaldus *l. c.* quia debet quis potius vitam exponere, quam
83 in peccatum mortale consentire; & si alter Conjux consentiret, ut sua uxor, vel præcisa vi opprimeretur, vel gravi metu in lapsum induceretur, impedimentum incurreret, ut docent Bonaccina *de Matr. quæst. 4. puncto 2. num. 20.* Aversa *de Matr. d. quæst. 17. sect. 3. vers. Quod si fœmina*.

84 Quinto adnotandum, non teneri Religionem ingredi incestuosum, qui, post matrimonium ratum, sed nondum consummatum, cognovisset uxoris consanguineam, sed teneri matrimonium consummare reddendo, sed non petendo; quamvis enim non desint, qui doceant, non posse consummare, sed teneri Religionem ingredi, ne cogi possit ad illud consummandum, & debitum reddendum, ut inter alios existimant Corrad. *Resp. Cas. Consc. part. 1. quæst. 81. & quæst. 151. in addit.* & Sylvest. *V. Matrimonium 8. quæst. 15. D. septimo*, tamen verior est, & probabilior nostra opinio, quam egregie defendit Sanchez *lib. 9. disp. 29. nu. 2.* quia Conjux innocens non debet, absque culpa suo Jure privari.

85 Sexto adnotandum, non incurri hujusmodi juris petendi privationem ob adulterium cum affine conjugis, prout nec ob incestum cum propria Consanguinea patratum, quia cum, his casibus, jura dictam pœnam non imponant, non est ad alios casus extendenda; unde, cum privatio, quæ ex iniqua Affinitate contrahitur, solum imposita sit ob adulterium cum consanguinea uxoris infra secundum gradum, non debet ad alios casus non comprehensos extendi, cum simus in odiosis, & pœnalibus, *Regul. in pœnis 49. de Regulis Juris in 6. Glossa in cap. Finali, de Jure Patronatus. cap. Is, qui in Ecclesia 18. de sententia excomm. in sexto*; vide Reginald. *lib. 31. cap. 39. num. 292.*

86 Septimo adnotandum, nullam requiri declaratoriam, seu sententiam Judicis, ad hanc pœnam privationis incurrendam, sed statim post delictum privari delinquentem suo Jure, & teneri in conscientia, ex seipso, à petendo debito cessare: ita Sanchez *lib. 9. disp. 30. num. 2.* Reginal. *lib. 31. num. 294.* Bonaccina *de Matr. quæst. 3. puncto 12. num. 22.* Aversa *d. quæst. 17. sect. 3. vers. Inducit autem*. Quæ
87 autem sit vera ratio, qua hæ pœnæ, cum privativæ sint, declaratione non egeant, affirmat Sanchez *l. c.* se nunquam percipere potuisse, nisi quia jam fuerit usu receptum, & declaratum, quod non requiratur sententia.

Tandem adnotandum, quod quamvis Garzia *de Beneficiis part. 11. cap. 5. §. 4. num. 355.* & Pirrhus Corrad. *in Praxi Dis. Apost. lib. 8. cap. 1. num. 55.*
88 constantissime asserant, Dispensationem super hujusmodi Affinitate, Matrimonio superveniente, ad solum Pontificem spectare; nihilominus dicendum est, Episcopos etiam dispensare posse, attenta immemorabili consuetudine, quia hujusmodi Jurisdictio eis tributa fuit, ut bene docet Sanchez *lib. 8. cap. 12. num. 13.* Pontius *lib. 8. cap. 13. num. 9.* Bonaccina *d. qu. 3. puncto 15. num. 5.* Aversa *de Matrim. qu. 19. sect. 3. vers. Communis tamen*. Trullenck *d. Dub. 16. num. 28.* Filiuccius *tomo 1. tract. 10. part. 3. cap. 10. num. 308.* Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 1. num. 15.* Lezana *in Summa, tomo 3. V. Affinitas, num. 3.* Alphonsus à vera Cruce *in Speculo Conjug. part. 1. Art. 23. Concluf. 2.* testans de communi Doctorum, Theologorum, & Juristarum 89
sententia; immo non solum potest Episcopus in hujusmodi Affinitate superveniente dispensare, sed etiam dispensare potest Commissarius Cruciatæ, vigore facultatis sibi concessæ ex Bulla Latina, ut probant Sanchez *lib. 8. disp. 15. num. 13.* Aversa *d. sectione 3. vers. Potest insuper*. Religiosi Mendicantes, si sint 90
Viri docti, & ad Confessiones audiendas ab Ordinario approbati, etiam poterunt, ex Commissione Provincialis, super eodem impedimento pro Conscientiæ foro dispensare, sicuti notant Sanchez *lib. 8. Disp. 16. n. 8.* Aversa *l. c.* Sunt tamen considerandæ, quæ diximus, ubi adnotavimus, omnia Privilegia à Pontificibus concessa cum clausula, *Motu proprio*, Regularibus fuisse sublata per Urbanum VIII. Summum Pontificem.

Limitat Sanchez *lib. 7. Disp. 17. num. 10.* ut non possit Episcopus dispensare in incestu vero, hoc est, commisso cum consanguineis uxoris, à se post matri- 91
monium initum, cognitæ, ut possit incestuosus à-liud matrimonium inire, nisi ratione juventutis excusetur, quo casu, etiam Episcopus dispensare poterit *Cap. Si duo, in fine 33. quæst. 6.* Immo nec incestuosos Juvenes egere Dispensatione ad contrahen- 92
dum, quia à *cap. Interfectores 33. quæst. 3.* statuente, interfectores uxoris non posse aliud matrimonium inire, excipiuntur Juvenes: vide Sanchez *l. c. n. 11.* ubi etiam ex Gutierez, & Corduba docet, juvenes appellari, qui sexagenarii non sunt; at melius *n. 12.* concludit, requiri Dispensationem Episcopi.

Quod attinet ad praxim impetrandi Dispensationem super hujusmodi Affinitatis Impedimento, videnda sunt, quæ diximus *lib. primo*.

Sciendum est etiam, quod quando in Curia Roma- 93
na fit mentio simpliciter de Affinitate, intelligitur de ea, quæ orta sit ex matrimonio, & non de fornicaria, & illicita, quia in dubio non præsumitur delictum. *l. Merito ff. pro socio*; unde si Affinitas procedat ex 94
illicita copula, debebit in Supplicatione porrigenda id exprimi, ut docet Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. lib. 7. cap. pr. num. 13. prope finem*, quod idem, ante illum, docuerant Covarruv. *tomo primo 2. part. cap. 6. §. 7. num. 5.* & Sanchez *lib. 8. disp. 24. n. 36.* Advertit Rebuffus *in Praxi Benef. Reg. de Dispensat. in gradibus prohibitis, Glossa 4.* pro Affinitate, ex illicita copula proveniente, non solvi com- 95
positionem, sed dari Literas clausas, & quoad expeditionem, tantum taxari ac si essent apertæ: ego tamen nunquam vidi hujusmodi Literas exhibitas, fortasse quia raro accidit, ut pro hujusmodi Dispensationibus, quæ, si publice fiant, infamiam Oratoribus, & eorum Consanguineis, & Agnatis irrogant, Dispensatio pro externo Foro petatur à Pontifice, sed quia ut plurimum, hæc Impedimenta sunt occulta, recurritur secreto ad Sacram Pœnitentiariam, à qua gratis Literæ Dispensationum conceduntur, ut diximus *lib. pr. cap. 8.*

Quamvis autem Pontifex facilius dispenset in Af- 96
finitate, quam in Consanguinitate, cum illud sit minus vinculum, tamen pro expeditione Dispensationum, eadem taxa, quæ servatur pro Dispensatione super gradibus Consanguinitatis, eadem servatur pro iisdem gradibus Affinitatis.

Dixi Affinitatem esse minus vinculum Consanguini- 97
tate, quia regulariter æqualis prohibitio videtur respectu impedimenti primi gradus Affinitatis, & se- 98
cundi Consanguinitatis, ut bene animadvertit Genuens. *in Praxi Archiepiscopalis Curiæ Neapolitanæ in Addit. ad cap. 20. num. 5.* nec desunt, qui probabiliter opinentur, strictius esse vinculum inter Consanguineos in secundo gradu lineæ transversalis, quam inter Affines ejusdem lineæ, quia illi Jure naturali, & ab intrinseco conjuncti sunt; isti vero ab extrinseco, ut bene animadvertit Filiuccius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. n. 218.* At licet Consanguinitas

sit for-

sit fortius vinculum, ut diximus, non tamen consequitur, quod, si petenda sit Dispensatio super Affinitate, & petatur super Consanguinitate, valida sit hujusmodi Dispensatio, quia cum Affinitas, & Consanguinitas sint impedimenta diversa, dispensando in uno, non dispensatur in alio, ut late probavimus *lib.* 1.

CAPUT VIII.

De impedimento publicæ Honestatis, & Justitiæ, & an, & quando super eo dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Publica Honestas quid sit, & num.* 3.
2 *Unde procedat.*
4 *Publica Honestas Matrimonium non dirimit Jure naturæ, sed Jure Ecclesiastico.*
5 *Impedimentum publicæ Honestatis, ortæ ex Matrimonio rato cum consanguineis, durat, quamquam moriatur persona illa, qua mediante fuit contractum.*
6 *Sicut per Matrimonium contrahitur Affinitas, quæ subsequentes nuptias dirimit, ita ex sponsalibus oritur vinculum impediens matrimonium, quod impedit, & dirimit cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu.*
7 *Impedimentum publicæ Honestatis contrahitur cum consanguineis alterius sponsi, & non ad affines extenditur, & è contra.*
8 *Impedimentum honestatis insurgens ex sponsalibus, per verba de futuro rite contractis, non excedit primum gradum, tam in linea recta, quam transversali,* nu. 10.
9 *Impedimentum vero consurgens ex matrimonio rato, durat usque ad quartum gradum,* & n. 12.
11 *Sponsalia, quavis de causa irrita, non inducunt impedimentum publicæ honestatis, dummodo non sint nulla ex defectu consensus.*
Declara in impedimentis externis, non de internis tantum, nu. 14. & 26.
13 *Ex matrimonio clandestine celebrato absque præsentia Parochi, & Testium, non oritur impedimentum publicæ Honestatis.*
15 *Impedimento dirimenti impeditus, veluti Monachus si contrahat absque Dispensatione, matrimonium invalide contrahit, sed tamen remanebit Honestatis impedimentum usque in quartum gradum.*
16 *Impedimentum publicæ honestatis oritur, si alter ex Conjugibus, post matrimonium ratum, intra bimestre Religionem ingrediatur, & profiteatur, licet tunc matrimonium dissolvatur.*
17 *Impedimentum prædictum oritur, si matrimonium contrahatur sub conditione impossibili, quamvis matrimonium sit irritum.*
18 *Ex matrimonio rato tantum non dissolvuntur priora sponsalia valida.*
19 *Casus frequentiores in Curia Romana, in quibus opus est Dispensatione ab impedimento Honestatis, orto ex invaliditate sponsalium, explicantur,* & num. seqq.
20 *Sponsalia contracta ante requisitam ætatem annorum septem, nisi malitia suppleat ætatem, sunt invalida.*
21 *Matrimonium contractum ante ætatem nubilem resolvitur in sponsalia.*
22 *Et impedimentum Honestatis in primo tantum gradu obstabit.*
23 *Sponsalia, & matrimonium contractum ab impubere, si sit irritum ob aliud impedimentum, non inducit honestatem, nisi malitia suppleat.*
24 *Impedimentum Honestatis oritur per sponsalia publica, & invalida, eo quod sint contracta post votum castitatis, si de voto exterius constet.*
25 *Sed si de voto non constet in foro externo, valida censentur.*
26 *Honestatis impedimentum oritur per sponsalia invalida ex defectu consensus, si dictus defectus sit occultus.*
27 *Honestatis impedimentum fuit ab Ecclesia statutum, ut evitentur scandala.*
28 *Impedimentum honestatis oritur ex sponsalibus nullis defectu consensus, quando defectus est internus.*
29 *At si defectus esset externus, ut in furioso, infante, mentecapto, non oritur.*
30 *Amplia, ut non oriatur publica Honestas, etiamsi impedimentum occultum probaretur falsis testibus.*
31 *Sponsalia sunt invalida, si contracta sint cum persona incerta, v. gr. cum una ex filiabus Petri.*
32 *Item sunt invalida, si contrahantur sub conditione, ante ejus eventum.*
33 *Ante conditionis adimplementum, non oritur Honestatis impedimentum, & poterit contrahi cum altera sorore sponsæ absque Dispensatione,* numer. 39.
34 *Limita, si conditiones essent turpes, vel impossibiles, quia tunc in favorem matrimonii habentur pro non appositis.*
35 *Honestatis publicæ impedimentum non oritur per sponsalia contracta inter eos, qui sint impediti aliquo impedimento dirimenti, veluti carnalis cognationis.*
37 *Honestatis impedimentum non oritur ex sponsalibus per parentes contractis nomine filiorum absentium, donec isti non consenserint, & sponsalia ratificaverint.*
38 *Si tamen sint præsentes, & doli capaces, & taceant, vel non contradicant; valida præsumuntur sponsalia, & oritur honestas.*
40 *Si quis contrahat sponsalia cum aliqua persona sub conditione, & pendente conditione, alia sponsalia contrahat cum sorore sponsa, ista secunda sponsalia erunt nulla, cum teneatur expectare adimplementum conditionis, & ex his non incurritur honestatis impedimentum.*
41 *Ex sponsalibus ortis sub conditione de præterito, vel de præsenti, statim oritur impedimentum Honestatis.*
42 *Conditiones generales, & quæ naturaliter insunt, non suspendunt matrimonium, & quæ sint hujusmodi conditiones.*
43 *Conditio,* si Deo placuerit, *apposita in contractu matrimonii, an, & quando illud suspendat, & quid importet, & an honestatis impedimentum inducat.*
44 *Sponsalia contracta sub conditione, nempe,* si fornicaveris, *dicuntur conditionalia, & consequenter nulla, & ante conditionis eventum nullum oritur Honestatis impedimentum.*
45 *Promittens sub conditione ducere Bertam, & non eveniente conditione, promittens ducere Bertæ sororem, per non adimplementum conditionis secunda sponsalia censentur purificata, adeoque impediatur ulterius ducere Bertam ratione publicæ Honestatis.*
46 *Si quis, post contracta sponsalia, cognoscat carnaliter sororem sponsæ, tunc neutram ducere poterit, non primam, ob impedimentum Affinitatis; nec secundam ob impedimentum publicæ Honestatis.*
47 *Si Julius contrahat sponsalia cum Joanna, quam postea Augustinus Julii frater duxit, sed non consummavit matrimonium, licet hoc casu Julius invitus non teneatur, si tamen voluerit, poterit cum ea contrahere, quia secundum matrimonium non potest impedire, quin cum Julio contrahat, verum si secundus matrimonium consummasset, neuter potest eam fœminam ducere.*
48 *Si quis, post contracta sponsalia de futuro, contraheret per verba de præsenti cum fœmina primæ sponsæ conjuncta in primo gradu, sed non con-*

consummasset, teneretur servare priora sponsalia, & secundum matrimonium esset invalidum, ob priora sponsalia.

49 *Si tamen cum secunda matrimonium consummasset, neutram ducere posset.*

Et Dispensationem petens debet utrumque impedimentum narrare, num. 63.

50 *Impedimentum publicæ Honestatis an remaneat dissolutis sponsalibus morte alterius sponsi, vel mutuo eorum dissensu, opinio affirmativa*, n. 51, *refertur, & contraria*, num. 52.

53 *Resolutio affertur, nempe impedimentum remanere, quando post mortem alterius sponsalia dissolvuntur, si fuerint legitime contracta, quia in eadem voluntate præsumitur decessisse.*

54 *Nec remanet impedimentum, si communi consensu dissolvantur, & de ratione.*

55 *Infideles possunt post Baptismum valide prioris sponsæ matrem, vel sororem ducere, quia tempore infidelitatis, legibus Ecclesiasticis non subdebantur, & proinde Honestatis impedimentum non fuit contractum.*

56 *Pontifex facilius dispensat super impedimento Honestatis ortæ ex sponsalibus, quam ex matrimonio rato, & majores causæ requiruntur in hoc casu, quam in primo*, num. 57.

58 *Petens Dispensationem super Honestate, orta ex solis sponsalibus, quæ exprimere teneatur in Supplicatione.*

59 *Si impedimentum proveniat ex matrimonio rato, non tamen consummato, hujusmodi qualitas est narranda.*

60 *Si inter sponsos secuta esset carnis copula, & peteretur Dispensatio super impedimento Honestatis, esset nulla Dispensatio, si non peteretur Dispensatio super affinitate orta, saltem per viam Sacræ Pœnitentiariæ.*

61 *Dispensatione petita super impedimento affinitatis, cessat obligatio mentionem faciendi de publica Honestate.*

62 *Affinitatis, & publicæ honestatis impedimentum, sunt ambo exprimenda in petitione Dispensationis, quando ex diversa causa proveniant, v. gr. si sponsalia contraxero cum Berta, & postmodum dispensari peterem ad ducendum Dorotheam, mihi tertio affinitatis gradu, & Bertæ primo consanguinitatis conjunctam.*

64 *Quando peteretur Dispensatio ultra primum gradum in publica Honestate, non esset opus exprimere, unde orta sit.*

65 *Pontifex potest dispensare super honestate orta ex matrimonio rato, attenta etiam copula subsecuta inter contrahere volentes, & adsit periculum necis &c. & exempla Dispensationum concessarum afferuntur*, num. 66. & 67.

68 *Concilium Tridentinum prohibens in secundo gradu Dispensationem, nisi inter Magnos Principes, non comprehendit impedimentum publicæ Honestatis, etiam in primo gradu, quia hoc est multo minus impedimentum.*

1 PUblica Honestas est propinquitas quædam ex matrimonio rato, & non consummato, vel ex sponsalibus rite contractis proveniens, ab Ecclesiæ institutione robur trahens ob ejus honestatem. Ita Filiuccius *QQ. Mor. tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. num. 220.* Aversa *de Matrim. quæst. 17. sect. 4. in princip.* & de hoc impedimento habemus textum *in cap. Literas, 4. de desponsat. impub. cap. Juvenis, 3. cap. Ad audientiam, 4. cap. Sponsam, 8. de sponsa. & matr. & cap. unico, eodem titulo in 6.* Nec pro-
2 cedit ex consanguinitate, sed ex quadam Honestate, quæ in matrimonio consideratur, in quo considerari debet non solum quod licet, sed etiam quod honestum est, juxta textum *in l. semper, ff. de ritu nup-*
3 *tiar.*, & in Jure appellatur Justitia publicæ Honestatis, tanquam convenientia quædam talis modestiæ, itaut non deceat in Ecclesia, neque justum sit, hujusmodi matrimonia contrahi cum personis taliter conjunctis: Nec aliquo gradu matrimonium dirimit Jure naturæ, sed Jure Ecclesiastico, ut dictum fuit, & docent Sanchez *lib. 7. disp. 70. nu. 2.* 4
Bonaccina *de Matr. quæst. 3. punct. 11. num. 2.* Aversa *l. c.* Leo *in Praxi Pœnitentiariæ, part. 2.* ubi de Impedimentis dirimentibus, *vers. Undecimum impedimentum;* & quamvis moriatur persona illa, qua mediante Honestas cum ejus consanguineis fuit inducta, adhuc remanet Honestatis impedimentum, 5
ut bene Sanchez *lib. 7. disp. 68. num. 20.* Laymanus *Theol. Mor. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 9. num. 3.* Aversa *l. c.* Idque procedit eo etiam casu, quo matrimonium per Procuratorem contractum fuisset, Aversa *dicta sect. 4. vers. Et ex utroque capite.*

Et sicut per matrimonium contrahitur affinitas, quæ subsequentes nuptias dirimit, ita ex sponsalibus oritur aliud vinculum conjunctionis, licet affinitate minus perfectum, quod pariter matrimonium cum 6
consanguineis alterius sponsi in primo gradu impedit, & dirimit, ut mox dicemus, & probant Sanchez *lib. 7. disp. 68. nu. 1.* Bonaccina *de Matrim. quæst. 3. punct. 11. propos. 1. n. 2.* Aversa *d. quæst. 19. sect. 4. in princip.* Trullenck *lib. 7. cap. 9. dub. 15. nu. 3. tom. 3.*

Dixi, contrahi impedimentum cum consanguineis 7
alterius sponsi, quia non extenditur ad affines sponsi, vel è contra; & proinde, si quis contraxisset sponsalia cum Berta, & postmodum matrimonium cum affine Bertæ in primo gradu, is cum ea, quæ fuit uxor fratris Bertæ, valide contrahet, juxta doctrinam Sanchez *d. disp. 68. n. 3.* Bonacc. *l. c. nu. 2. circa finem*, & Trullenck *l. c.* Et nomine consanguineorum veniunt etiam illegitimi. Trullenck, & Sanchez *ll. cc.* vide quæ propterea diximus præsenti Libro.

Quamvis autem Honestatis impedimentum contrahatur, tam per sponsalia rite per verba de futuro facta, quam per matrimonium ratum, ut diximus, nihilominus, quoad effectum est maxima differentia, quia, primo casu impedimentum non excedit pri- 8
mum gradum; at dum provenit ex matrimonio rato, durat usque ad quartum inclusive, perinde ac con- 9
sanguinitas, vel affinitas ex copula licita insurgens & cum ante Concilium Tridentinum ex quibuscunque sponsalibus certis, & absolutis, licet alias irritis (dummodo irrita non essent ex defectu consensus) impedimentum proveniret, & ad illos gradus protraheretur, ad quos extendebatur consanguinitas, prudentissime fuit per dictum Concilium hujusmodi impedimentum restrictum, itaut, si ex sponsalibus 10
procedat, primum gradum tam in linea recta, quam transversali non excedat; & ulterius declaratum, ut si sponsalia sint quavis de causa irrita, impedimen- 11
tum non producant, ut constat ex Decreto ipsius Concilii, *sess. 24. cap. 3. de Reformat. matrimon.* Et cum postea adhuc dubitaretur, an Honestas ex 12
matrimonio rato derivans, comprehenderetur in dicta restrictione, S. Memoriæ Pius V. per suam peculiarem Constitutionem, quæ incipit, *Ad Romanum*, declaravit non comprehendi quod idem fuisse per Sacram Congregationem declaratum, affirmat, Leo *in Thes. Fori Ecclesiastici, part. 2. cap. 9. n. 92.* Unde cum Honestas, ex matrimonio rato insurgens, non fuerit restricta, extenditur usque ad quartum gradum, prout ante Concilium *cap. Sponsam, 8. de sponsal.* & proinde, quamvis matrimonium contractum quavis causa sit nullum (dummodo non ex defectu consensus) orietur impedimentum. Sanchez *lib. 7. disp. 70. nu. 5.* Bonaccina *d. punct. 11. nu. 11.* Filiucc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. nu. 223.* Tuschus *conclus. 140. in fine, lit. M.*

Limita tamen, ut non oriatur impedimentum ex 13
matrimonio clandestine celebrato absque præsentia Parochi, & testium, quia hoc non potest vocari matrimonium, cum non habeat formam, & figuram matrimonii, attenta dispositione Concilii *l. c.* & docet Sanhez *d. disp. 70. num. 13.* Coninck *de Sacram. disp. 32. dub. 5. in fine.* Stephanus à S. Gregorio *de Vinc. Divin. Piet. cap. 106. in fine.* Filiucc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 7. num. 224.* Barbos. *de Offic. & Potest. Episcopi, allegat. 51. num. 181.*

ubi

ubi propterea affert Decisionem Sacræ Congregationis.

14 Quod dixi, oriri impedimentum ex matrimonio quacumque causa nullo, præterquam ex defectu consensus, intellige de defectu, qui externe appareat, ut in impubere, furioso, mentecapto, vel ratione metus gravis, vel erroris personæ, quia si hujusmodi defectus esset solum internus, nec de eo constaret exterius, probabilius est oriri impedimentum, ut docent Filiuccius, & alii Doctores præcitati, & nos infra *n.* 26. latius dicemus.

15 Ex dictis infertur, quod si Monachus, vel alius, impedimento dirimenti impeditus, absque legitima Dispensatione matrimonium contrahat, invalide quidem contrahet, sed tamen remanebit Honestatis impedimentum, itaut fœmina, cum qua contraxit, ab aliquo ipsius viri consanguineo infra quartum gradum duci non possit, ratio est, quia licet, quoad Sponsalia Jus commune fuerit correctum, manet tamen illæsum quoad matrimonium.

Infertur secundo, quod si post matrimonium ratum, & infra bimestre, Sponsus ingrediatur Reli-
16 gionem, & profiteatur, quamvis matrimonium per dictum ingressum quoad vinculum dissolvatur, ut diximus infra, tamen impedimentum Honestatis remanebit, ut docet Aversa *d. sect.* 4. *vers. Et ex utroque capite*.

Infertur tertio, quod si matrimonium contractum fuisset sub conditione impossibili, adhuc remaneret
17 impedimentum Honestatis. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 70. *num.* 20.

18 Infertur quarto, ex matrimonio rato invalido non dissolvi priora Sponsalia valida, ita bene Navarr. *in Man. cap.* 22. *numer.* 57. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 68. *numer.* 24. Coninck *disp.* 32. *numer.* 62. Bonac. *de matrim. quæst.* 3. *punct.* 11. *numer.* 20. Sperell. *decis.* 95. *numer.* 25. An autem ex matrimonio rato oriatur Affinitas, vel Honestas, & qualis sit differentia inter utriusque effectus, diximus *cap. præcedenti*, *num.* 58.

19 At quoniam multoties dubitari contingit de validitate, vel invaliditate Sponsalium; & proinde an sit contractum, vel non contractum Honestatis impedimentum, ideo hic subnectere placuit præcipuos casus, in quibus Sponsalia censentur invalida, nec propterea opus sit Dispensatione; & licet alii etiam casus occurrere possint, tamen placuit adnotare infrascriptos, tanquam frequentiores, & in Romana Curia usu receptos, teste Corrado *in praxi Disp. Apost. lib.* 8. *c.* 7. *n.* 10.

20 Primo, invalida sunt sponsalia, si contracta sint ante ætatem in illis requisitam, nempe septem annorum, nisi malitia suppleret ætatem, Sanchez *libr.* 7. *disp.* 8. *num.* 4. Bonaccina *dict. puncto* 11. *numer.* 17. Pyrrhus Corradus *loc. c.* Immo si ante ætatem nubilem contractum fuisset matrimonium, resolveretur
21 in sponsalia; unde, quoad inductionem impedimenti erit idem, perinde ac si sola sponsalia contracta
22 fuissent, & proinde in primo solo gradu obstabit. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 70. *num.* 8. Pontius *de matrim. libr.* 7. *cap.* 36. *num.* 8. Navarr. *in Man. cap.* 22. *numer.* 57. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 15. *numer.* 14. *in fine*. Bonac. *l. c. num.* 17. & aperte colligitur *ex capit. Si infantes*, *unico*, *de sponsa. & capit. Tuæ nobis*, 14. *de desp. impub.* Immo, nedum
23 Sponsalia, sed etiam matrimonium ab impubere contractum, dato quod irritum esset ob aliud impedimentum, non inducet Honestatem, nisi malitia suppleat ætatem, quia is contractus Juris interpretatione resolvitur in Sponsalia de futuro, ut diximus.

24 Secundo, invalida sunt Sponsalia, post votum Castitatis, vel Religionis contracta, si de hujusmodi voto constet exterius; quod si ea vota occulta sint, & Sponsalia publica, orietur Honestas;
25 quia cum de Sponsalibus constet in foro externo, ab Ecclesia censentur valida, cum non constet de impedimento voti; vide Sanchez *citat. disp.* 68. *numer.* 14.

26 Ob eandem rationem, si Sponsalia invalida sint ex solo defectu consensus, & dictus defectus occultus sit, & internus, orietur Honestas; quia Decretum Consilii decernens, non oriri impedimentum ex Sponsalibus, quavis de causa irritis, intelligi debet de irritis ex quacunque causa externa, & apparenti, cum Ecclesia non judicet de occultis, *cap. Sicut tuis*, *in fine*, *de Simonia*; & cum Honestatis impedimen- 27
tum fuerit ab Ecclesia statutum, ut evitentur scandala, & ob publicam honestatem. *cap. Juvenis*, 3. *de Sponsa.* ideo cum defectus interni consensus universos lateat, judicabitur pro foro externo fuisse or-
tum impedimentum, cum exinde tanta resultaret in- 28
honestas, & tantum scandalum esset, ac si vero consensu Sponsalia contracta forent. Sanchez *dict. disp.* 68. *num.* 14. Pontius *lib.* 7. *cap.* 36. *num.* 10. Coninck *disp.* 32. *dub.* 5. *num.* 69. Laymanus *d. cap.* 9. *numer.* 2. Aversa *d. sect.* 5. *vers. Si autem defectus*. Barb. *dict. allegat.* 51. *num.* 187. Bonac. *l. c. num.* 13. At si defectus esset externus, ut in furioso, infan-
te, mentecapto &c. non orietur impedimentum, ut 29
bene Filiuccius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *n.* 220. Pyrrhus Corrad. *loc. c.* & alii Doctores supra proxime citati.

Ampliat Sanchez *dict. disp.* 60. *numer.* 17. ut nec oriatur Honestas, si impedimentum occultum, pro- 30
pter quod Sponsalia nulla erant, probaretur falsis testibus.

Tertio, Sponsalia sunt invalida, si contracta sint 31
cum persona incerta, ut v. gr. cum una ex filiabus Petri. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 60. *num.* 3. Aversa *d. sect.* 5. *vers. Si vero*. Bonaccina *de matrim. d. punct.* 11. *num.* 15. Trullenck *d. dub.* 15. *num.* 6. *&* 13. Pyrrhus Corradus *l. c.*

Quarto, invalida etiam erunt, si contracta fuissent 32
sub conditione, ante ejus conditionis eventum; quia cum conditio interim suspendat consensum. Barb. *in praxi exigendi pensionem*, *part.* 1. *quæst.* 2. *numer.* 3. Lotherius *de Re Benef. lib.* 1. *quæst.* 38. *numer.* 16. *&* 17. ante adimplementum conditionis non orietur 33
Honestatis impedimentum, ut colligitur ex *cap. Unico*, *de Sponsa. in* 6. & docent Leo *in praxi Sacræ pœnit. part.* 2. ubi de impedimentis dirimentibus, *vers. Oritur ex Sponsalib.* Trullenck *loc. citat. num.* 7. & Pyrrhus Corradus *loc. citat.* Tuschus *concl.* 961. *numer.* 2. *lit. P.*

Excipe, nisi conditio sit turpis, vel impossibilis, 34
quia hæ in favorem matrimonii habentur pro non appositis. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 70. *num.* 20. Corradus *d. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 1. *l. c.* Reginald. *lib.* 31. *cap.* 18. *num.* 129. Filiucc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *capit.* 4. *num.* 140. Mantica *de conject. lib.* 11. *tit.* 16. *num.* 12. & proinde dictis conditionibus non obstantibus impedimentum orietur. Leo *in Thes. Fori Eccl. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 108. Angelus *in Summa*, *verbo*, *Matrimonium*, 3. *impedim.* 14. *in princ. vers. Secundus casus*. Sylvest. *verb. matrim.* 8. *quæst.* 14. *dict. num.* 7. Leo *in praxi Sacræ Pœnit. part.* 2. ubi de impedimentis dirimentibus, *vers. Si autem matrimonium contrahatur*, *pag. mihi* 219. asserens id esse speciale in matrimonio.

Quinto, si illi, qui Sponsalia contraxerunt, sint 35
impediti aliquo impedimento dirimenti, v. gr. cognatione carnali, vel spirituali, seu sint affines, itaut absque Dispensatione non possint matrimonium 36
inter se contrahere, cum ea Sponsalia sint nulla, nullum oritur Honestatis impedimentum. Laymanus *Theol. Moral. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 9. Navarr. *in Summa*, *cap.* 22. *nu.* 58. Pontius *de Matr. lib.* 7. *cap.* 36. *n.* 5.

Sexto, nec inducitur honestatis impedimentum ex 37
sponsalibus per parentes contractis, nomine filiorum absentium, donec isti non consenserint, & sponsalia ratificent. Navarrus *in Summa*, *cap.* 22. *nu.* 58. Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 36. *num.* 8. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 23. *num.* 17. Corradus *in d. praxi loc. c.* Barbosa *allegat.* 51. *num.* 186. Si tamen parentes nomine filiorum sponsalia contrahant, & hi sint præ-
sentes, & doli capaces, & taceant, vel non contra- 38
dicant, præsumitur pro validitate sponsalium, & proinde honestas orietur; Ecclesia enim præsumit eo

casu

casu validitatem sponsalium, ut concludunt præcitati Doctores.

Septimo, an dissolutis sponsalibus, mutuo sponsorum consensu, vel morte alterius remaneat impedimentum publicæ honestatis, dicemus infra.

Porro contingit sæpissime dubitari de validitate, vel invaliditate sponsalium, sub conditione contractorum, & an & quando ex illis ortum sit impedimentum, & requiratur Dispensatio; & cum multa dubia ex infrascriptis tollantur, operæ pretium duxi, infrascripta exemplа adnotare; & primo, sciendum, 39 quod si quis contraxisset sponsalia cum Berta, sub conditione aliqua, & ante conditionis eventum contraheret matrimonium per verba de præsenti cum sorore Bertæ, valide contraheret, nec ulla propterea opus esset Dispensatione, cum impedimentum non fuerit contractum. Sanchez *lib. 7. disp. 69. num. 2. & 3.* Bonaccina *d. puncto 11. propos. 1. num. 5.* Aversa *d. sect. 4. vers. Si vero.* Layman. *d. cap. 9. numer. 3.* Steph. à S. Gregor. *d. cap. 106. num. 8.* At si post sponsalia, sub conditione contracta cum Berta, non ex- 40 pectato conditionis eventu, contraheret alia sponsalia absoluta cum dicta sorore Bertæ, non inducent hæc secunda sponsalia honestatis impedimentum, cum sint irrita, tanquam contra priorem promissionem contracta; tenebatur enim expectare, ut conditio impleretur, si erat de futuro licita, & possibilis. Sylvester, *verbo Matrimonium, 8. quæst. 14. d. n. 7.* Sotus *4. dist. 41. quæst. unica, art. 2.* Navarrus *c. 22. n. 57. d. disp. 69. n. 3. & 4.*

41 Dixi, si ea conditio erat de futuro, quia si fuisset de præterito, vel de præsenti, eaque vera esset, statim oriretur impedimentum. Sanchez *loc. citat. numer. 4.* Stephan. à S. Gregor. *loc. citat.* & alii communiter.

Dixi patiter, si conditio erat licita, & possibilis, quia si esset turpis, seu impossibilis, dum non sit contra matrimonii substantiam, haberetur pro non apposita, ut diximus.

Immo non solum dictæ conditiones turpes, & impossibiles, habentur pro non appositis, sed nec habentur in consideratione aliæ conditiones generales, 42 ut si quis diceret, *ducam te, si vixero, si tu consenseris, si non es consanguinea, si Deo, & Ecclesiæ placuerit*, & similia, quia, cum hujusmodi conditiones sint generales, non magis contractum suspendunt, quam si non exprimantur, & propterea cum tacite insint, nihil operantur; *l. conditiones, quæ intrinsecus, ff. de condit. & demonstr.*

Intelligo dum dixi, *si Deo placuerit*, de voluntate, 43 qua Deus omnia, quæ fiunt, vult, aut permittit, quia ex hac conditione, cum sit generalis, non oritur honestas; si tamen hæc conditio apposita fuisset, quia non intendat quis contrahere, nisi id tuta conscientia facere possit, vel intendat contrahere, nisi talis contractus Deo, & Ecclesiæ displicuerit, aliter esset dicendum; cum etenim prius videri, & dignosci debeat, an tuta conscientia initi possit, non est conditio generalis, sed vere consensum suspendit; & si deinde aliquod impedimentum reperiatur, dicta sponsalia nulla erunt, & nullum ex illis impedimentum consurget; vide Sanchez *libr. 5. disp. 1. numer. 11.*

44 Quod si Sponsalia contracta fuissent sub conditione, nempe, *si fornicationem admiseris*, adhuc videntur conditionalia, & consequenter nullum, ante conditionis eventum, procedet Honestatis impedimentum, ut animadvertit Sanchez *libr. 7. disp. 69. numer. 10.*

45 At si quis, promissione jam sub conditione facta Bertæ, promiserit ducere Cajam ejusdem Bertæ sororem, eo casu, quo conditio priorum Sponsalium non eveniat, tunc non eveniente ea conditione, posteriora purificantur, & proinde non poterit ducere Bertam, propter publicæ Honestatis impedimentum; ita Laymanus *d. c. 9. n. 4.*

46 Si quis autem post sponsalia legitime contracta cum Berta, haberet copulam cum consanguinea ipsius Bertæ in primo gradu, neutram absque Dispensatione ducere posset, quia, quoad primam, obstaret impedimentum affinitatis cum ea contractæ; & quoad secundam, obstaret impedimentum publicæ Honestatis. Navarrus *in Summa, capit. 22. numer. 57.* Sanchez *lib. 7. disp. 68. num. 24.* Layman. *l. c. num. 6.* Aversa *d. sect. 5. in fin.* Bonac. *d. punct. 11. propos. 1. in fine.*

Casum infrascriptum adnotat Layman. *l. c. num.* 47 *6.* Julius contraxit sponsalia cum Joanna; hanc postea duxit Augustus frater Julii, sed matrimonium non consummavit; licet, hoc casu, Julius non teneatur nuptias cum Joanna celebrare, quippe quæ fidem sponsaliorum violavit; si tamen illam ducere velit non prohibetur, quia jura nolunt, ut si sponsalia præcedentia posterius matrimonium infirmarunt, ab eodem vicissim infirmentur, ne inter duas desponsationes detur quasi mutua reactio, à qua etiam natura abhorret; unde cum secundum matrimonium nullum fuerit propter impedimentum publicæ Honestatis, ex prioribus sponsalibus cum fratre ortum, non potuit hoc matrimonium irritum inducere impedimentum publicæ Honestatis, quod præcedentibus Sponsalibus cum fratre præjudicaret; quod si secundus matrimonium consummasset, neuter posset eam fœminam ducere: vide etiam Sanchez *libr. 7. disp. 68. n. 25.* Bonaccin. *d. punct. 11. n. 20.*

Cæterum, si quis, post Sponsalia de futuro cum 48 Berta contracta, matrimonium per verba de præsenti contraheret cum fœmina ipsi Bertæ in primo gradu conjuncta, sed non consummasset, teneretur servare priora sponsalia, quia matrimonium cum secunda contractum est invalidum, ob priora Sponsalia rite facta, ut habetur ex *cap. Unico, de spons. in 6.* & docent Sanchez *lib. 7. disp. 68. num. 24.* Laymanus *d. c. 9. num. 3.* Aversa *de matr. quæst. 17. sect. 5. vers. Alia tandem exceptio:* Trullenck *d. dub. 15. num. 9.* Si tamen matrimonium cum secunda consummasset, 49 neutram ducere posset. Sanchez *d. disp. 68. num. 24.* Trullenck *l. c.*

At difficultas est, an dissolutis Sponsalibus per 50 mortem alterius ex sponsis, seu per mutuum eorum consensum, remaneat impedimentum publicæ Honestatis, de qua re dissident Doctores, & quidem difficilis est resolutio, tum ob diversas Doctorum sententias, tum etiam quia diversæ super hac eadem materia allegantur Sacr. Congregationis Decisiones.

Remanere utroque casu impedimentum, docent 51 Sotus, *4. dist. 41. quæst. unic. artic. 2. vers. Secunda conclusio, pag. mihi* 397. Gutierez *de matrim. cap. 51. num. 11.* Piasecius *in Praxi Episc. part. 2. c. 4. num. 33.* Sanchez *lib. 7. disp. 68. num. 21.* Aversa *de matr. d. quæst. 17. sect. 5. vers. Addit etiam.* Layman. *dict. cap. 9. num. 3.* Bonac. *de matrim. quæst. 3. punct. 11. num. 7.* ubi postquam aliam Decisionem S. Congregationis contrariam citavit refert sic fuisse ab eadem noviter decisum; ratio hujus sententiæ est, quia sponsi sponsalia valida contrahendo, impedimentum quidem contraxerunt; at non est in eorum potestate illud dissolvere, quamvis mutuo consensu utriusque, vel alterius morte dissolvantur, cum hujusmodi impedimentum ita perpetuum sit, ut nec alterius morte dissolvatur.

Alii è contra constanter asserunt, ex sponsalibus, 52 mutuo consensu dissolutis, nullum remanere impedimentum; sic Gutierez *de matrim. c. 103. numer. 11. vers. Quinto similiter:* Pontius *de matr. lib. 7. c. 36. numer. 9.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 222.* Donatus Antonius de Marinis *Resol. Quotid. lib. 1. c. 267. numer. 15.* Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. 10. num. 9.* ubi refert *Decis. S. Congregationis;* Barbosa *de Off. & Potest. Episc. allegat. 51. num. 188.* Rota apud Gregor. XV. *dec. 376. à numer. 4.* & quod ex sententia Sacræ Congregationis Concilii hujusmodi Sponsalia reputentur invalida, & sic comprehendantur in dispositione Concilii *sess. 24. de Reformat. Matrimonii, capit. 3.* testatur idem Gutierez *de matrim. c. 109. n. 11.* & sic fuisse ab eadem Sacra Congregatione decisum, refert Pyrrhus *in Praxi Dispensat. Apostol. libro 8. cap. 7. numer. 13.* & Donat. Anton. de Marinis *loc. c.*

At no-

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

At nobis semper valde displicuit opinio eorum, qui æque sentiunt remanere impedimentum, tam si mutuo consensu, quam si per mortem alterius sponsalia dissoluta sint; & quidem non est par ratio:
53 quia, si rite sponsalia contracta sint, remanebit impedimentum post mortem alterius, cum præsumatur in eadem voluntate decessisse, si in vita non dissolvit, ut bene animadvertunt Pontius, & Diana *ll. cc.* cum mutatio voluntatis non præsumatur. Vivius *Decis. Regni Neap. decis.* 98. *num.* 4. Alex. de Nevo, & Ricciull. quos propterea *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 528. citavimus.

54 Si dissoluta sint mutuo partium consensu, non tamen remanebit impedimentum, quia causa præcipua, ob quam Concilium hoc impedimentum statuit, fuit ob gravem injuriam, quæ sponsæ, vel sponso repudiatis inferebatur, & ad tollenda scandala, quæ inde oriri poterant; unde, si in dissolutione sponsalium adsit mutuus sponsorum consensus, cessant omnia prædicta; immo præsumi debet, quod hujusmodi sponsalium dissolutio ideo communi consensu facta sit, quia inter sponsos dissensiones, & rixæ ortæ sint, & proinde scandala futura, & majores dissensiones timeantur, quæ ne sequantur, Ecclesia semper invigilat; nec debet permittere, ut inviti ad matrimonium cogantur, *cap. Præterea, secundo, de spons.*, quia matrimonia coacta infelices exitus habere solent, *cap. Requisivit* 17. *de spons. cap.* 1.

55 Ex eo quod diximus, hoc publicæ Honestatis impedimentum fuisse solo Jure Ecclesiastico inductum, nec in aliquo gradu lineæ rectæ, seu transversæ, matrimonium Jure Divino, aut naturali dirimere, sequitur, quod infideles possunt valide prioris sponsæ matrem, vel sororem ducere. Filiuc. *QQ. Mor. rom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 221. Bonaccina *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 11. *propos.* 1. *num.* 6. Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 36. *nu.* 11. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 65. *n.* 7. *& disp.* 68. *n.* 2. quia legibus Ecclesiasticis infideles non subdantur, & proinde eo tempore infidelitatis sic contrahendo non ligantur, quin possint post Baptismum, si aliud non obstet, cum dictis consanguineis conjugis, vel sponsæ, seu concubinæ, matrimonium contrahere.

Quod attinet ad praxim petendæ, & impetrandæ Dispensationis in Romana Curia super hujusmodi Honestatis impedimento, in primis sciendum est, longe facilius per Pontificem dispensari, si honestas
56 proveniat ex solis sponsalibus, quam si ex matrimonio rato insurgat; & sic se habet notorius, Curiæ stylus, & docet Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 16. &
57 propterea majores causæ requiruntur ad impetrandam Dispensationem super hac, quam super illa.

Si Dispensatio petatur super Honestate ex solis sponsalibus proveniente, debet exprimi in Supplica-
58 tione factum, prout se vere habet, nempe quod in locis originis Oratorum (si hæc causa adducatur) ob illorum angustiam Oratrix virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequit, & propterea cupiunt invicem matrimonialiter copulari; sed quia alias dictus Orator sponsalia per verba de præsenti cum Oratricis sorore prædefuncta contraxit, & dicta Oratricis soror ab eodem Oratore intacta, & in nullo penitus attentata remansit, propterea supplicant, quod impedimento publicæ Honestatis justitiæ ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante, matrimonium inter sese publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere &c. libere, & licite valeant, &c. prolem, &c.

59 Nec sufficiet exprimere Oratores esse impeditos impedimento publicæ Honestatis, sed necesse erit exprimere provenientiam impedimenti; quia, ut diximus satis difficilius conceditur, si proveniat ex matrimonio rato, unde si hinc insurgat, narrari debet, quod Orator alias matrimonium, per verba de præsenti, cum Oratricis sorore ad præsens defuncta publice, & in facie Ecclesiæ, servata forma Concilii Tridentini, contraxit, illud tamen carnali copula non consummavit; qua quidem Oratricis sorore ab eodem Oratore intacta, & in nullo penitus attentata remanente, ab humanis decessit &c. Si aliud impedimentum inter contrahere volentes adsit, prout si aliud impedimentum fuisset inter sponsum, & uxorem præmortuam, totum id exprimi debet in eadem Supplicatione, per ea, quæ diximus *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 7. Si tamen aliqua ex his occulta sint, vide quæ *d. cap.* 4. *nu.* 369. diximus.

Advertant tamen contrahere volentes, ne inter
60 eos, quorum causa ortum fuit impedimentum, secuta fuisset ante matrimonium contractum copula carnalis, quia si hæc secuta fuisset, obstaret affinitatis impedimentum; unde si taceretur, vel si secreta fuisset, saltem per viam Sacræ Pœnitentiariæ non haberetur Dispensatio, gratia super Honestate petita, esset subreptitia, & nulla.

Si tamen Dispensatio peteretur super affinitate ex
61 copula licita proveniente, cessat obligatio mentionem faciendi de publica Honestate, quia dum petitur Dispensatio super affinitate, quæ ex matrimonio, & copula licita insurgit, sufficienter declaratur, saltem implicite adesse impedimentum publicæ Honestatis, quia si illa fuit uxor, fuit etiam sponsa. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *n.* 36. Pyrrhus Corradus *ind. Praxi Dispens. Apost. lib.* 8. *cap.* 7. *nu.* 24.

Et tamen potest evenire casus, quo affinitas, &
62 publica Honestas sint de necessitate exprimendæ, ut v. gr. si ego contraxissem sponsalia per verba de futuro cum Berta, & postmodum peterem Dispensationem ad ducendam Dorotheam, mihi tertio affinitatis, ipsique Bertæ primo consanguinitatis gradu conjunctam; sic pariter, si contraxissem sponsalia cum Berta, & postea habuissem copulam cum ejus sorore, erit utrumque impedimentum exprimendum, cum neutram possim absque Dispensatione ducere:
63 non enim possum ducere sororem Bertæ propter impedimentum publicæ Honestatis, ex sponsalibus cum Berta celebratis, contractum, & matrimonium dirimens cum consanguineis Bertæ in primo gradu: non Bertam propter affinitatem ortam ex copula cum sorore, matrimonium dirimentem usque ad secundum gradum; vide Doctores supra *num.* 49. citatos, vide etiam Bonac. *d. punct.* 11. *propos.* 1. *in fine.* Trullenck. *dub.* 15. *nu.* 9. *in fine*; unde his casibus erit utriusque impedimenti facienda mentio, alias Dispensatio erit subreptitia, & nulla.

Quando tamen, ultra primum gradum peteretur
64 Dispensatio in publica Honestate, non esset opus exprimere unde orta sit, quia post Concilium non potest extendi Honestas ex sponsalibus proveniens ultra primum gradum; vide Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 16. Pontium *lib.* 8. *cap.* 27. §. 5. *num.* 29.

Tandem, pro conclusione, duo sunt adnotanda: Primum, quod si causa justa adsit, possit Pontifex
65 super Honestate ex matrimonio rato dispensare, & proinde pluries dispensatum fuisse scimus, & præsertim cum Henrico Octavo, & Catharina Austriaca, Angliæ Regibus, post mortem Arturi fratris germani ipsius Henrici, ut referunt Covarruv. 4. *Decr. part.* 2. *cap.* 6. §. 10. *num.* 7. Pontius *l. c.* & alii plerique, & ex Aldano refert Barbos. *in Collect. Concilii ad sess.* 24. *de Reform. Matr.* 6. *cap.* 3. *sub n.* 15. per Summum Pontificem Urbanum VIII. die 17. Jul. 1629. dispensatum fuisse cum aliquibus, ut
66 non obstante impedimento justitiæ publicæ Honestatis in primo gradu matrimonium inter se contrahere possent, attenta copula subsecuta, propter quam mulier diffamata remanebat, & stante, quod ad copulam non fuerat deventum cum spe faciliorem reddendi Dispensationem Pontificis; *& nu.* 16. ex eodem Aldano refert, per eundem Summum Pontificem
67 die 17. Novembris dicti Anni 1629. concessam fuisse Dispensationem pro matrimonio mulieris cum fratre mariti defuncti, stante matrimonio rato, & non consummato, & quod mulier post mortem viri cognita fuit, prægnans reddita, cum periculo necis, & infamiæ, & absque spe reddendi Pontificem faciliorem ad gratiam concedendam. Secundum, quod dum Concilium Tridentinum prohibuit in secundo gradu dispensari, nisi inter magnos Principes, non com-

comprehenditur in hac prohibitione impedimentum publicæ Honestatis, etiam in primo gradu, quia hoc est multo minus impedimentum ; vide Sanchez *lib.* 8. *disp.* 19. *nu.* 3. Et hæc de impedimento publicæ Honestatis dixisse sufficiat.

CAPUT IX.

De Impedimento Ligaminis, & an super pluralitate uxorum, vel maritorum simul, dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium definitur.*
2 *Vir non potest eodem tempore plures ducere fœminas, nec fœmina plures mares.*
3 *In Lege Veteri pluralitas uxorum fuit aliquando permissa, ex ipsius Dei dispensatione.*
4 *In Lege Evangelica nulla adest in Ecclesia potestas dispensandi super pluralitate uxorum simul*, num. 6.
5 *Pluralitas uxorum est prohibita, nedum Jure Ecclesiastico, sed etiam ex Jure Divino, immo est contra Jus Naturale secundarium.*
7 *Inter Infideles etiam poligamia est illicita, quia licet cum pluribus contrahant, cum prima tantum matrimonium tenet.*
8 *Pluralitatem uxorum si quis prohibitam esse negaret, de Fide male sentiret.*
9 *Pluralitas uxorum est adeo detestabilis, ut nulla consuetudine in Republica Christiana effici possit licita.*
10 *Consuetudo non potest prævalere contra Jus Naturale, & Divinum positivum, sed solum contra humanum.*
11 *Pluralitas maritorum venit sub prohibitione pluralitatis uxorum, & à fortiori, & prohibitio insurgit ex Jure Naturali Divino.*
12 *Nec in hujusmodi poligamia ab Orbe condito invenitur fuisse dispensatum, cum ob id generatio impediatur.*
13 *Nec ipse Deus potest dispensare in hujusmodi poligamia unius uxoris cum pluribus maritis, cum repugnet omnibus finibus matrimonii.*
14 *Mortuo altero ex Conjugibus, superstes potest secundas, & ulteriores nuptias inire, toties quoties mortis casus eveniet.*
15 *Et contrarium asserere est hæreticale.*
16 *Mulier, quæ viginti duos successive maritos habuit; & deinde nupsit viro, qui viginti uxores sepelierat, & superstes remansit eidem mulieri, unde à populo Romano fuit coactus abstinere à lugubri funere, & lauro, & palma coronatus, cadaver mulieris ad tumulum associavit.*
17 *Nuptiæ secundæ dicuntur, quæ post primas celebrantur, quanquam, pluries soluto matrimonio, tertias, & ulteriores celebraverit.*
18 *Ordinarii in suis Diœcesibus non possunt permittere Denunciationes matrimoniorum contrahendorum per Forenses, nisi prius de eorum libero statu constet.*
19 *Forma interrogandi, & examinandi testes super statu libero alicujus, Decreta à S. Congregatione super generali Inquisitione.*
20 *Si contrahentes sint vagi, non conceditur licentia contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos.*
21 *Fides, aliaque documenta super statu libero, quæ de partibus producuntur, non admittuntur, nisi sint munita Sigillo, & Legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita per testes, qui saltem habeant notam manum, vel sigillum.*
22 *Pro testibus in hac materia debent recipi potius consanguinei, quam extranei, & potius cives, quam exteri.*
23 *Declarationes plures factæ fuerunt à S. Congregatione supradicta*, & num. seq. *referuntur iidem casus.*
24 *Si aliquis ex contrahere volentibus sit in articulo mortis constitutus, non est necesse, ut servet formam Literarum de statu libero; secus tamen, si postea convalescat, quo casu, antequam conveniant diligentias supradictas explere debet.*
25 *Attestationes hujusmodi non requiruntur pro exteris, qui discesserunt ab eorum infantia, vel tempore non nubili, & pervenerunt ad locum, ubi matrimonium contrahere cupiunt, ibique continue permanserunt.*
26 *Attestatio hujusmodi requiritur pro exteris, qui per decem annos, & ultra, domicilium acquisiverunt in loco, ubi sunt matrimonium contracturi, etiamsi eorum status liber probetur per testes fide dignos tam originis, quam domicilii.*
27 *Attestatio prædicta requiritur pro illis exteris, qui unicam, vel plures uxores duxerunt, & è contra, si mortuæ fuerint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem à d. loco non discesserunt.*
28 *Interrogatoria supradicta, ob eorum difficultatem, in practica fuerunt restricta in pluribus Curiis, etiam de consensu ipsius S. Congregationis.*
29 *Poligami infamiam incurrunt.*
30 *Et sunt de fide vehementer suspecti.*
31 *Et uti hæretici possunt puniri, cum hujusmodi casus spectet ad S. Inquisitionem.*
32 *Si Laici præveniant in poligamorum captura, solet Officium S. Inquisitionis de manu Laicorum recipere, & eos interrogare, quomodo de Fide sentiant; & si catholice respondeant, remittuntur puniendi ab ipsis Laicis.*
33 *Poligamorum pœnam nonnulli docent esse publicationem dimidiæ partis bonorum.*
34 *Alii dicunt ferro ardenti imprimendam esse in fronte Poligami literam Q., & ita servari in Hispania.*
35 *Alii tenent Poligamos esse publice fustigandos, & deinde in perpetuum exilium mittendos, & ita Lucæ observatum.*
36 *Fœminis vero, quæ eodem tempore pluribus viris nupserunt, de Jure Canonico debent incidi capilli, & panni ante, & post.*

MAtrimonium est maris, & fœminæ legitima conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens; *Institut. de patria potest* §. *Nuptiæ*. Maris (inquam) & fœminæ, in numero singulari; quia nec unus mas plures fœminas simul ducere, nec una fœmina pluribus viris eodem tempore nubere possunt; cum etenim matrimonium consummatum significet unionem Christi Domini cum Ecclesia sua Sponsa, sicut unus est Christus, & una est Ecclesia, ita inter unum virum, & unam fœminam, uno eodemque tempore debet matrimonium consistere; *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; Matth. cap. 19. Unde Innocentius Tertius, *cap. Gaudemus* 8. *de Divortiis*, ait, *si conjuges debent esse duo in carne una, si unus vir plures uxores, sive una uxor plures maritos habeat, non erunt duo in carne una, sed potius divisio in plures carnes*. Et licet in Lege Veteri, ex particulari ipsius Dei dispensatione, fuerit aliquando permissa uxorum pluralitas: Sanchez *lib.* 7. *disp.* 80. *num.* 12. Bellarminus *lib.* 1. *de Matrimon. cap.* 11. *propos.* 3. & 4. Bonaccina *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 10. *num.* 4. certum tamen est, in Lege Evangelica, in qua matrimonium ad statum Sacramenti fuit elevatum, cassatam fuisse eam dispensationem à Domino nostro Jesu Christo, & proinde nullam esse in Ecclesia potestatem super dicta pluralitate uxorum simul dispensandi. Conclusio ista est communissima Catholicorum, tam Theologorum, quam Juristarum, necnon Moralium Auctorum, & Sacræ Scripturæ Expositorum, & contra hæreticos Scriptores, & constat perpetua traditione, & praxi totius Ecclesiæ; colligitur expresse

cap.

cap. Videtur nobis, 2. *cauſ.* 35. *quæſt.* 6. *cap. Cum per bellicam*, *prim. cauſ.* 34. *quæſt.* 1. *d. cap. Gaudemus*, 8. *de divort. cap. Tuas dudum*, *finali*, *& cap. Licet* 3. *de ſponſ. duorum*, & innumeris aliis in locis, & docent expreſſe Sotus 4. *quæſt.* 1. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 80. *n.* 1. Bonaccina *de Matrim. quæſt.* 3. *punct.* 10. *num.* 4. Gutierez *de Matrim. cap.* 96. Coninck *de Sacrament. diſp.* 26. *dub.* 1. *num.* 2. *&* 3. Layman. *Theol. Moral. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 8. Pontius *de Matr. lib.* 7. *cap.* 49. *n.* 3. Averſa *de Matrim. q.* 14. *ſect.* 1. *verſ. Certum tamen*, & latius *quæſt.* 2. *ſect.* 4. *verſ. Certum*. Bellarmin. *de Controv. Fid. tom.* 3. *lib. unic. de Matrim. controverſ.* 3. *c.* 10. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 14. *n.* 5. Stephanus à S. Gregorio *de Vinculis Divinæ Pietatis*, *cap.* 109. *n.* 2. Paccin. *de Viſitat. part. prim. qu.* 10. *n.* 31. & alii communiter; nec de hoc dubitari poteſt cum fuerit ita definitum à Tridentino Concilio *ſeſſ.* 24. *de Matrim. can.* 30. his verbis, *Si quis dixerit*, *licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores*, *& hoc nulla Lege Divina prohibitum*, *anathema ſit*; unde
5 certum eſt, pluralitatem iſtam, non ſolum Jure Eccleſiaſtico, ſed Jure Divino prohibitam eſſe,
6 immo eſſe contra Jus Naturale, non tamen primarium, ſed ſecundarium. Bellarminus *l. c.* Sanchez *d. diſp.* 80. *n.* 8. Filiucc. *QQ. Mor. tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 162. *&* 169. Trullenck *d. dub.* 14. *n.* 3. qui *n.* 6. opportune animadvertit, etiam inter Infideles illicitam eſſe hujuſmodi poligamiam, quia
7 licet cum pluribus contrahant, tamen cum ſola prima matrimonium tenet; quod idem confirmant plures Doctores *cap. ſequenti citati*, & propterea non poſſe ſuper hujuſmodi pluralitate à Pontifice diſpenſari, expreſſe docent Sanchez *num.* 9. Bonac. *num.* 4. Pontius *num.* 4. Filiuccius *num.* 164. *ll. cc.* quia tum lege Naturali, tum lege Chriſti Domini,
8 ob veram Sacramenti ſignificationem, interdicta eſt dicta uxorum pluralitas; & ſi quis aliter ſentiret, male ſentiret de Fide. Simanchas *de Cathol. Inſtit. cap.* 40. relatus à Bonaccin. *l. c. n.* 3. Immo lutheranizaret, impiamque, & damnatam Lutheri, Eraſmi, & Annabaptiſtarum pravitatem ſequeretur: Et licet aliquæ Barbararum Nationum plures uxores ſimul admittant, ut Tiraquell. *de Leg. Connub. l.* 7. *n.* 20. 22. 29. 30. 50. *&* 53. refert de Mauris, Maurutiis, Medis, Paonibus, Parthis, Ægyptiis, Garamanthis, Agatirſiis, Arabis, Azoris, Auxibus, Britannis, Civenaicis, Herulis, Gelonibus, Indis, Judæis, Trogloditis; & Socrates *lib.* 4. *Hiſtoriar.* aſſerat, Valentinianum Imperatorem, ut ultra Severam uxorem, ducere poſſet Juſtinam, univerſali lege ſtatuiſſe, ut unicuique liceret duas uxores legitimas ſimul habere. Hæc tamen Infidelium exempla non debent inter Chriſtianos admitti, qui Deum verum colunt, ejuſque ſanctiſſima Præcepta ſervare tenentur; Immo apud Romanos *l. Neminem Cod. de inceſtuoſis nupt.* prohibitum erat plures uxores ſimul habere; vide Cironium ſuper Decretalibus *lib.* 4. *tit.* 4. Eſt autem
9 iſta Conjugum pluralitas ita deteſtabilis, ut non ſolum illicita ſit, ut diximus, ſed nulla conſuetudine fieri poſſit, ut in Chriſtiana Republica efficiatur licita, ut bene docent Covar. 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 7. §. 3. *n.* 1. Sanch. *d. diſp.* 80. *n.* 10. Bonaccina *de Matr. q.* 3. *punct.* 10. *propoſ. unic. n.* 10. Molfeſ. *tom.* 1. *p.* 1. *q.* 5. *n.* 65.
10 quia conſuetudo non poteſt prævalere contra Jus Naturale, & Divinum poſitivum, ſed ſolum contra humanum, *cap. Cum tanto*, *final. de conſuetud.* Sanchez *l. c.*

Quæ huc uſque dicta ſunt de pluralitate uxorum ſimul, rite etiam procedunt, immo & multo fortius
11 de pluralitate maritorum ſimul; quod enim Concilium Tridentinum, & alii Doctores de pluralitate uxorum ſimul mentionem faciant, nec de maritorum pluralitate dicant, id evenit, quia cum jam in Lege Veteri fuiſſet pluries in pluralitate uxorum ſimul diſpenſatum, ad hoc ut Chriſtifideles certi eſſent, quod in Lege Nova hujuſmodi Diſpenſatio caſſata fuiſſet, neceſſe fuit, ut Concilium ſic expreſſe declararet; nec opus fuit de prohibita maritorum pluralitate aliquid commiſcri, tanquam Jure Divino naturali inſurgente. Sanchez *dict. diſp.* 80. *num.* 4. Coninck *diſp.* 26. *dub.* 2. Bonaccina *d. punct.* 10. *n.* 9. Filiucc. *d. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 164. Averſa *quæſt.* 2. *ſect.* 4. *verſ. Dicendum tamen*. Michalorius *tract. de Fratrib. part.* 3. *cap.* 18. *num.* 21. cum certum, & indubium ſit, hujuſmodi poligamiam prohibitam eſſe, ita ut nec ab Orbe condito in ea diſpenſatum fuiſſe audiatur, cum ob id impediri generationem, & innumera inconvenientia ſequi, affirment
12 præcitati Doctores; immo Bellarminus *d. tom.* 3. *lib. de Matrim. cap.* 11. *lit. A.* concludit, nec ipſum Deum poſſe diſpenſare in hujuſmodi poligamia unius
13 uxoris cum pluribus maritis, cum repugnet omnibus finibus matrimonii.

Prædicta tamen ita intelligas, ut non liceat uño
14 eodemque tempore plures viros, vel plures uxores habere, quia, ſi mortua Conjuge, ſuperſtes velit ſecundas nuptias inire, id ei licebit toties quoties caſus mortis eveniat, ſi aliud canonicum impedimentum non obſtet, conſtat *cap. Aperiant* 11. *cauſ.* 31. *q.* 1. & docent Averſa *de Matr. q.* 14. *ſect.* 2. *verſ. Exploratum*. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 81. *nu.* 2. Bonaccina *d. punct.* 10. *n.* 10. Steph. à S. Gregor. *cap.* 109. *nu.* 3. *in fine*, & ita de fide tenendum, probat Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 6. & contrarium aſſerere eſſe hæ-
15 reticale, affirmat D. Auguſtinus *lib. de Hereſibus*, *c.* 26. & conſtat ex *cap.* 7. *ad Romanos*, ubi dicitur, *Quæ ſub viro eſt mulier*, *obligata eſt legi*; *ſi autem mortuus fuerit vir ejus*, *ſoluta eſt à lege viri*, *ut non ſit adultera*, *ſi fuerit cum alio viro*; & 1. ad Corinth. *Si dormierit vir ejus*, *liberata eſt*, *cui vult nubat*, & ita viget univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, & teſtantur Cænedus *in Collect. part.* 2. *collect.* 49. *num.* 2. Majolus *de Irregul. lib.* 1. *cap.* 33. *in fine*, & Corrad. *in Praxi Diſpenſat. Apoſtol. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 81. de quadam
16 muliere, quæ viginti duos ſucceſſive habuit maritos, & deinde nupſit viro, qui viginti ſepelierat uxores, qui poſtmodum vincens, ſuperſtes remanſit, & addit Majolus *l. c.* quod populus Romanus coegit eundem virum abſtinere à lugubri funere, ſed eundem lauro coronatum, palma in manibus tenta tanquam victorem, uxoris cadaver ad tumulum aſſociare juſſit.

Quod dixi, poſſe ſecundas nuptias iniri, intelli-
17 ge de quibuſcunque nuptiis, poſt primas, initis, quia omnes nupriæ poſt primas, ſecundæ dicuntur, quamvis decies, vel pluries fuerint, ſoluto matrimonio, ſucceſſive celebratæ, ut bene Rolandus *conſ.* 72. *vol.* 1. *num.* 31. Cened. *d. collect.* 49. *num.* 2. Menochius *conſ.* 97. *num.* 18. *vol.* 1. Molf. *tom.* 2. *part.* 9. *quæſt.* 3. *num.* 2.

Porro poligamiæ crimen ita deteſtabile eſt, ut ne-
18 ceſſe fuerit ad illud extirpandum, per Sacram Congregationem Generalis Inquiſitionis de Urbe, ſaluberrimo Decreto provideri, mandando, & interdicendo, prout anno 1637. mandavit, & interdixit omnibus locorum Ordinariis, ne in eorum Civitatibus, & Diœceſibus permittant fieri Denunciationes matrimoniorum, quæ contrahi deberent à Forenſibus, niſi Parocho, ad quem ſpectat matrimonii celebratio, conſtet per authenticam Fidem Ordinarii ipſorum Forenſium, de eorum ſtatu libero, ipſis inſuper Ordinariis præſcripta forma, ut antequam fidem dicti liberi ſtatus faciant, teſtes fide dignos ſuper Inſtructione ab eadem Sacra Congregatione generaliter tranſmiſſa, examinent, qui ex certa ſcientia ſtatum liberum contrahere volentium affirment, cujus Inſtructionis tenor infra ſequitur.

Inſtructio pro examine illorum teſtium, *qui inducuntur* 19
pro contrahendis matrimoniis tam in Curia Eminentiſs. Dom. Cardinalis Vicarii Urbis, *quam in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum*.

In primis, *teſtis moneatur de gravitate Juramenti*, *in hoc præſertim negotio pertimeſcendi*, *in quo Divina ſimul*, *& humana Majeſtas læditur ob rei*, *de qua tractatur*, *importantiam*, *& gravitatem*.

Interrogetur de Nomine, *Cognomine*, *Patria*, *Aetate*, *Exercitio*, *& Habitatione*.

Interrogetur an ſit civis, *vel exterus*, *à quanto tempore eſt in loco*, *in quo teſtis ipſe deponit*.

Inter-

Interrogetur, an ad examen accesserit sponte, vel requisitus: si dixerit, accessisse sponte, à nemine requisitus: Interrogetur an sciat, adesse aliquod Impedimentum inter contrahere volentes; & si responderit negative, testis dimittatur, quia præsumitur mendax. Si vero dixerit accessisse requisitus,

Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum, à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, & qua occasione; cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si respondeat negative; testis dimittatur; si vero affirmative,

Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri; si respondeat esse exteros,

Interrogetur, à quanto tempore accesserint ad hanc Urbem, unde venerint, an venerint simul, vel separatim.

Si responderit, venisse de recenti, vel simul, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per Literas eorum Ordinarii, ac loci, à quo Contrahentes discesserunt, doceatur, inter ipsos Contrahentes non adesse Impedimentum, & mulierem non esse raptam. Si vero responderit; à multo tempore citra venisse, vel Contrahentes esse cives,

Interrogetur, sub qua Parochia hactenus Contrahentes habitarunt, vel habitent de præsenti.

Interrogetur, an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel virum. Si responderit affirmative, non procedatur ad licentiam; nisi producantur authenticæ, & legales attestationes, vel testes fide digni, & verisimiliter informati de obitu Conjugis defuncti.

Si vero testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum,

Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, & quod ipse testis nesciat. Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probabiliter concludatur, non habuisse uxorem, vel virum.

Si responderit negative, interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde Judex colligere poterit, an testi sit danda fides, vel ne.

Si responderit, Contrahentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos,

Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat, eos esse mortuos.

Item, interrogetur, an post mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative,

Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, vel ne.

20 *Si Contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum, eos esse liberos,* & in aliis servata forma Concilii Tridentini *in cap. Multi, sess. 24.*

21 *Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita Sigillo, & Legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per Testes, qui habeant notam Manum, vel Sigillum.*

22 *Pro Testibus in hac materia recipiantur potius consanguinei, quam extranei, quia præsumuntur melius informati; & cives potius, quam exteri.*

23 Sciendum tamen, quod, post emanatas ab eadem Sacra Congregatione prædictas Instructiones, cum, secundum casuum contingentiam, de nonnullis adhuc dubitaretur, & propterea ad ipsam Sacram Congregationem recursum sit, fuerunt factæ infrascriptæ declarationes, teste Pyrrho Corrado *in praxi Disp. Apost. lib. 7. c. 6. n. 23.*

24 Primo, petitum fuit, an præfatarum Literarum forma servanda sit in casu necessitatis, ut si aliquis ex contrahere volentibus sit in articulo mortis.

Respondit, non esse servandam in articulo mortis, intra quem, scilicet, probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias; cum hoc etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiæ juxta Instructionem, antequam simul conveniant.

Secundo, an attestatio Ordinarii requiratur pro 25
Exteris, qui discesserunt ab eorum infantia, vel tempore non nubili, & pervenerunt ad locum, ubi Matrimonium contrahere cupiunt, ibique continuo permanserunt.

Resp. eam, ut jacet, non requiri.

Tertio, an requiratur pariter dicta attestatio pro 26
Exteris, qui per decem annos, & ultra, domicilium acquisiverunt in loco, ubi sunt matrimonium contracturi, si eorum status liber proberur per Testes fide dignos, tam originis, quam domicilii.

Resp. requiri.

Quarto, an requiratur dicta attestatio pro illis 27
Exteris, qui unicam, vel plures Uxores duxerunt, & è contra, si mortuæ fuerint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac amplius, post mortem, à dicto loco non discesserunt.

Resp. requiri.

Sciendum insuper, quod prædicta Interrogatoria, 28
ob eorum difficultatem in practica, fuerunt restricta in pluribus Curiis etiam de consensu ipsius S. Congregationis, ut testatur Ventrigl. *in praxi annot. 3. §. 3. n. 50. in fin.*

Cæterum quod attinet ad pœnas contra Poligamos Jure statutas, in primis adnotandum est, istos Poligamos pœnam infamiæ incurrere, Fælinus *cap.* 29
Ex tenore, vers. Cæterum, in princip. de rescriptis. Lælius de Zanchis *de privileg. Ecclesiæ privileg. 134. num. 12.* insuper, esse de fide vehementer suspectos. 30
Piasecius *in Praxi Episc. part. 2. capit. 4. de Hæret. numer. 41. vers. Aliquando defertur.* Leo *in Thesauro Fori Eccl. part. 3. capit. 6. numer. 36.* Alphons. à vera Cruce *in spec. conjug. part. prim. art. 42. in* 31
fine, & posse uti Hæreticos puniri, cum hic casus spectet ad Sanctam Inquisitionem. Riccius *in Praxi For. Eccl. Resolut. 37. numer. 1.* Simancas *in tract. de Catholica Instit. titulo 40. de Matrim.* Hurtado *Tractat. Var. part. prima tractat. 5. capit. 2. resolut. 4. numer. 33. & 38.* Tuschus *Conclus. 144. numer. 3. Lit. M.* & ideo Teste Sella *in Select. Can. capit. 45. numer. 12.* si Laici præveniant in Poligamorum captura, solet Officium S. Inquisitionis de 32
manu Laicorum istos reos recipere, eosque interrogare, quomodo sentiant de Fide; quod si catholice super hoc respondeant, remittuntur puniendi ab ipsis Laicis.

At quibus pœnis sint puniendi, sunt qui doceant, 33
esse puniendos pœna stupri, quæ est publicatio dimidiæ partis bonorum. Tusch. *l. c. numer. 4.* & sic in facti contingentia consuluit Alex. *cons. 156. libr. 7.* Alii docent, in fronte Poligami, ferro ardenti, im- 34
primendam esse literam Q. & sic servari in Hispania referunt, Clarus *libr. 5. Sent. §. Fornicatio, numer. 31.* Lælius de Zanchis *de privil. Ecclesiæ, privileg. 134. numer. 14.* Alii tandem concludunt, pu- 35
blice fustigandos esse, & deinde in perpetuum exilium mittendos, & ita in nostra Civitate Lucana fuit servatum contra quendam Nuncium publicum, qui duas simul uxores in eadem Civitate duxerat: De Jure Canonico, fœminis, quæ pluribus viris eo- 36
dem tempore nupserunt, debent incidi capilli, & panni, ante, & post, *capit. de benedicto, causa 32. quæst. 1.*

CAPUT X.

An, & quando Matrimonium legitime contractum possit Dispensatione dissolvi.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium aliud est legitimum, & ratum aliud ratum, & non legitimum; aliud legitimum, & non ratum; aliud ratum, & consummatum; & aliud ratum, & non consummatum.*

2 *Matrimonium legitimum, & ratum est, quod legitimo consensu, juxta formam S. Concilii Tridentini, contractum est.*

3 *Matrimonium ratum, & non legitimum est, si Fideles, omnibus Ecclesiæ Solemnitatibus omissis, solo affectu invicem contrahant.*

4 *Tamen, cum sit irritum, & reprobatum, non meretur nomen matrimonii, sed potius concubinatus.*

5 *Matrimonium, ut sit validum, debet contrahi coram Parocho, vel alio Sacerdote, ab eodem Parocho, vel Ordinario deputato, & duobus saltem Testibus, ex dispositione S. Concilii Tridentini, alias est irritum.*

6 *Matrimonium legitimum, & non ratum est, quod inter Infideles, ex legali Institutione, vel more Regionis contrahitur, & non est ratum, quia non est firmum, eo quod, dato repudio, licet recedere, & aliis copulari.*

Et super eo durante infidelitate Conjugum, Papa dispensare non potest, num. 12.

7 *Licet Infideles matrimonium contrahant cum pluribus fœminis, simul, tamen validum non erit, nisi quoad primam.*

Et si ad Fidem postmodum convertatur, debebit cum prima tantum remanere, si ea, absque injuria Creatoris, remanere voluerit, nec poterit aliam ducere.

9 *Sed si omnes convertantur, præter primam, cum neutra in rigore tenetur permanere, quia nulla ex eis est conjux.*

10 *Matrimonium ratum, sed non consummatum est, quod per verba de præsenti rite contrahitur, sed per copulam carnalem nondum consummatur.*

11 *Matrimonium ratum, & consummatum, est quod fuit legitime contractum, & carnali copula subsequenter perfectum.*

12 *Dictæ Matrimonii species ad tres tantum reducuntur, & quæ.*

13 *Dispensatio super dissolutione matrimonii rati, & non consummati, an possit concedi, alii negant, ut* num. 14.

15 *Sed contrarium resolvitur, dummodo adsit justa causa*, num. 16. 17.

18 *In hujusmodi Matrimonio rato nedum Papa dispensare potest, sed etiam Major Pœnitentiarius, & casus dispensati afferuntur*, num. 19.

20 *Et quid sit servandum, quando alter ex Conjugibus nesciret aliud matrimonium ab altero Conjuge contractum fuisse.*

21 *Causæ justæ dispensandi in matrimonio rato, quæ sint, non potest certa regula assignari, sed debent esse graves, & urgentes.*

22 *Prima est Lepra alteri Conjugi superveniens, vel aliud malum contagiosum, quod impediret conjugii usum.*

23 *Secunda est, timor gravis magni scandali futuri, vel ob fornicationis timorem, & quando conjuges sunt genio valde difformes, & exinde inimicitiæ oriri possent.*

24 *Tertia est disparitas notabilis conjugum in qualitate, & quando quadam cæca affectione, & lenitate ducti sunt ad contrahendum.*

25 *Quarta est, quando alter conjugum asserit, se non habuisse animum contrahendi, nec potest induci ad illum habendum, nisi cum periculo magnæ inimicitiæ, & mali exitus.*

26 *Quinta est, quando Vir omni conatu quærit Uxorem repellere, absque spe probabili sanioris mentis, & perpetuæ discordiæ, & scandala timerentur.*

27 *Sexta causa est, si Vir fuisset promotus ad Episcopatum, dum hujusmodi promotio esset valde utilis, & necessaria ad bonum commune.*

28 *Septima est magna discordia, & conjuges mutuo consensu Dispensationem peterent.*

29 *Alia causa est, si Hermaphroditus, qui prævalebat in sexu fœmineo, matrimonium, ut fœmina contraxit, & antequam consummasset, prævaleret in sexu virili.*

30 *Periculum perversionis, ut quis contraxisset cum Hæretico.*

31 *Aliæ possent addi causæ, quarum prima est, si ageretur de pace servanda, & valde conferret ad unionem, & felicem statum spiritualem, & temporalem alicujus nationis, & publicum bonum.*

32 *Secunda, si quis, post Matrimonium ratum, cum una contractum, cum altera contraxisset, & consummasset, si exinde evitarentur scandala, & innumera peccata*, num. 33.

33 *Tertia causa est, quando ambo Conjuges sunt teneræ ætatis, quia cum facile decipi possint, & jam incipiant sibi displicere.*

34 *Potentia, & Nobilitas faciliorem reddit Dispensationem supradictam, ad evitandas rixas, & pacem componendam.*

35 *Quando dubitatur, an causa sit dispensandi, necne, super Matrimonio rato, recurritur ad S. Congregationem.*

36 *Matrimonium fuit per S. Congregationem declaratum ratum, & non consummatum, quia postquam fuit contractum, non intercesserat copula, licet ante pluries fuissent fornicati.*

37 *Matrimonium ratum, & non consummatum, licet regulariter dissolvatur per Religionis ingressum, tamen quo ad Jesuitas non dissolvitur, cum non nisi post longum tempus, Professionem emittant, & conjux tamdiu expectare cogatur, & negans per ingressum Religionis non dissolvi est anathema*, num. 38. & 42.

39 *Matrimonium ratum dissolvitur, ne dum per ingressum, & Professionis emissionem in Religionem claustralem approbatam, verum etiam per Professionem Equitum Hyerosolimitanorum.*

40 *Equites Hyerosolimitani Professionem solemnem emittunt, & comprehenduntur sub Decreto Concilii Tridentini sess. 25. cap. 15. de Regular. &c.*

41 *Non tamen rumpitur Matrimonium ratum per vota solemnia Equitum Militiarum Calatravæ, Alchantaræ, S. Jacobi, & similium, & de ratione.*

42 *Matrimonium ratum non dirimitur per susceptionem Ordinis Sacri, nec per promotionem ad Episcopatum.*

43 *Matrimonium non dicitur consummatum, sed ratum, si post illius contractum non fuerit secuta copula, quamvis antea pluries inter eos fuerit habita, ut dictum fuit supra* n. 36.

44 *Matrimonium inter Fideles, & rite, & valide contractum, ratum, & consummatum, dissolvi nequit, neque super ejus dissolutione dispensari potest, cum nullus in terris potestatem habeat.*

Et solum morte finitur n. 84.

45 *Nec per alium posse dissolvi, quam per ipsum Deum.*

46 *Et qui dixerit, propter Hæresim, molestam cohabitationem, aut affectatam abstinentiam, posse dissolvi, anathema erit.*

47 *Pariter, qui dixerit, per Adulterium Matrimonium dissolvi, anathema erit, ex Concilio Tridentino.*

48 *Conjuges, licet per divortium separentur, tamen adhuc conjuges erunt.*

49 *Si unus ex conjugibus, de consensu alterius Religionem ingrediatur, & profiteatur, post Matrimonium con-*

consummatum, nihilominus adhuc durabit inter eos vinculum, & erunt veri Conjuges.

50 *Matrimonium, licet, quoad vinculum, dissolvi non possit, tamen quoad habitationem, authoritate Judicis Ecclesiastici, ex certa causa, & quoad Thorum, communi consensu, separari possunt.*

51 *Matrimonium contractum cum impedimento dirimenti, absque Apostolica Dispensatione, est nullum, & si Conjuges, eo detecto, perseveraverint in copula, non Matrimonium, sed Concubinarius erit.*

52 *Infideles, qui tempore Infidelitatis Matrimonium contraxerunt, & consummaverunt, si fiant Fideles, & baptizentur, & post Baptismum copulam non habuerint, poterunt per Papam super eodem Matrimonio dispensari.*

53 *Matrimonium ratum Fidelium, est fortius Matrimonio consummato Infidelium, quod nullam aliam firmitatem habet, quam Contractus naturalis, & cum Papa dispenset super Matrimonio rato Fidelium, eo magis super consummato Infidelium dispensabit.*

54 *Matrimonium consummatum inter Fideles, ut dissolvatur, requiruntur concludentissimæ probationes de Impedimento.*

Nec statur assertioni simplici Conjugum, n. 77.

55 *Testes, contra validitatem Matrimonii deponentes, debent esse omni exceptione majores.*

56 *Ad dirimendum Matrimonium non conjunguntur duæ, vel plures præsumptiones, ad plenam probationem faciendam.*

57 *Numerus Testium, licet regulariter suppleat eorum fidem, tamen fallit, quando agitur de Matrimonio dissolvendo.*

58 *Nec sufficit fama ad illud dissolvendum.*

59 *Etiamsi concurrat confessio Conjugum instantium pro dissolutione.*

60 *Nec sufficit solius Matris testimonium de impedimento.*

61 *Quando agitur de dissolutione Matrimonii, omnis diligentia, & cautela est adhibenda.*

62 *Limita, quando Impedimentum esset super defectu consensus in Conjugibus, vel altero illorum, quia tunc omnes Testes admittuntur.*

63 *Limita secundo, quando ageretur de dissolvendo Matrimonio cum impedimento perpetuo.*

64 *Limitatur tertio, nisi esset super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, quia tunc admittuntur testes potius consanguinei, quam extranei.*

65 *Debent tamen eo casu Testes deponere, quod viderint Personas omnes, in consanguinitate distinguendo gradus ex utroque latere, vel saltem aliquas personas in gradibus, alias non probant.*

66 *Quia, quando Consanguinitas est probanda in gradu certo, Testes debent de gradu, & stipite deponere.*

67 *Debent insuper jurare, quod ad Testimonium ferendum non procedunt, odio, amore, timore, vel præmio, seu commodo.*

68 *Testes omni exceptione majores dicuntur ii, qui nulla, vel minima, etiam momenti, exceptione repelli possunt, & nihil ad eorum fidem minuendam opponi valet.*

69 *Testes idonei ii dicuntur, qui sunt probatæ vitæ, & bonæ opinionis, & fide ordinaria digni, à lege non reprobati, sed probati.*

70 *Alii Testes dicuntur inhabiles, qui repelli possunt veluti impuberes, infames, & similes.*

71 *In casibus, in quibus requiritur, ut Testes sint omni exceptione majores, hujusmodi qualitas probanda est, alias, si opponatur, non esse omni exceptione majores, non probant.*

72 *Testis quilibet, licet præsumatur idoneus, non tamen idoneus præsumitur omni exceptione major.*

73 *Exceptio prædicta si opponatur, omnes Testes admittuntur, licet consanguinei, vel affines sint etiam pater, & mater.*

74 *Conjugibus consentientibus dissolutioni Matrimonii, & deponentibus contra Matrimonium, non creditur.*

De Justis de Dispens. Matrim.

75 *In dissolutione Matrimonii debet citari Promotor Curiæ Episcopalis, ad evitandas collusiones, & fraudes.*

76 *Dissolutio Matrimonii dicitur res gravissima.*

77 *In dubio, an adsit impedimentum, Conjuges non sunt separandi.*

79 *Causarum matrimonialium, tamquam gravissimarum, cognitionem Ecclesia sibi reservavit, ut recta justitia tractentur.*

80 *Et qui dixerit, ad eam non spectare, anathema erit.*

81 *In causis matrimonialibus proceditur summarie.*

82 *Et in eis, etiam post publicatas attestationes possunt recipi Testes super eisdem articulis, tam in prima, quam in secunda instantia.*

83 *Nec super eis potest transigi, aut compromitti.*

85 *Si Conjux mortuus miraculose resuscitaret, non posset ad Conjugium redire, post resurrectionem, nisi iterum contraheret.*

86 *Servitus personalis, quæ debetur à Persona, ratione ipsius personæ, morte extinguitur.*

87 *Religiosus mortuus miraculose resurgens, non tenetur ad Religionis observantiam.*

88 *Sicut Episcopus, & Prælatus resurgentes, absque Dispensatione, non retinebunt Ecclesiam, cum eidem, uti eorum Sponsæ mortui fuerint.*

89 *Retinerent tamen characterem, qui est indelebilis, & propterea, post resurrectionem, reordinandi, vel rebaptizandi non sunt.*

90 *Mortuus resurgens, si decesserit testatus, recuperat sua bona.*

91 *Quod procedit etiam in donatione causa mortis, quæ revocatur per resurrectionem Donantis.*

92 *Extende, ut revocetur hæreditas, etiam ab intestato delata.*

93 *Etiamsi, ob defectum hæredum, in Fiscum fuisset translata.*

94 *Dissoluto Matrimonio per mortem alterius Conjugis, si is resurgeret, & iterum contrahere vellent, non indigerent nova Dispensatione, licet in primo Matrimonio necessaria fuisset, & n. 95. 96.*

97 *Resuscitatus, de novo contrahens cum sua Uxore, non fit bigamus, nec egebit Dispensatione, si postea vellet promoveri ad Sacros Ordines.*

98 *Matrimonium rite contractum dicitur consummatum, quamvis copula fuerit per vim, & metum extorta, adeout fuerit factum indissolubile.*

99 *Matrimonium, quamvis solummodo ratum, & rite contractum sit, non dissolvitur per aliud Matrimonium, postea cum alio contractum, & consummatum, quia cum primum fuerit validum, non potuit, nisi per Religionis ingressum, vel Pontificis Dispensationem, rescindi,* & n. 100.

MAtrimonium aliud est legitimum, & ratum; aliud ratum, & non legitimum; aliud legitimum, & non ratum, aliud tandem ratum, & consummatum; & aliud ratum & non consummatum. 1

2 Matrimonium legitimum, & ratum est, quod, legitimo consensu, juxta formam à Sacrosancto Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de Reformatione* traditam, contractum est. Matrimonium ratum, & non legitimum est, si Fideles, omnibus Ecclesiæ solemnitatibus omissis, solo affectu, invicem contrahant, de quo matrimonio habetur *in cap. fin. caus. 28. quæst. 1.* Hoc tamen matrimonium, tanquam irritum, & reprobatum, non meretur matrimonii nomen, sed potius concubinatus, ut bene animadvertunt Leo, & Pyrrhus Corradus *ll. cc.* sic disponente Concilio Tridentino *sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.* ubi expresse habetur: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii, licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum, inhabiles reddit, & hujusmodi Contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos, præsenti Decreto irritos facit, & annullat.* 2

Legitimum, & non ratum est, quod inter Infideles ex legali institutione, vel de more Regionis contrahitur; & non est ratum, quia non est firmum, 6

ſed violabile, dato etenim Libello repudii, licet Infidelibus ab invicem recedere, & aliis copulari lege Fori, non lege Poli, quam non ſequuntur, vide Franciſc. Leonem *in Theſ. Fori Eccleſ. par. 2. cap. 9. num.* 34. Pyrrhum Corrad. *in Praxi Diſpenſat. Apoſt. lib. 8. cap. 7. num. 29.* licet tamen Infidelis contrahat matrimonium cum pluribus fœminis ſi-
7 mul, dum eorum legibus permiſſum ſit, non tamen hujuſmodi matrimonia valida erunt, niſi primum. *cap. Gaudemus, 8. de divortiis*, & docent Sanchez *lib. 7. diſp. 80. num.* 14. Bonaccina *de Matrim. qu. 3.*
8 *punct. 10. propoſ. unic. num. 6.* unde, ſi poſtmodum convertatur ad Fidem, debebit permanere cum ſola prima, ſi ipſa cum eo, abſque injuria Creatoris, remanere voluerit, nec poterit aliam ducere, præter primam, ſi aliæ omnes uxores remaneant in infidelitate, cum adſit impedimentum diſparitatis cultus, matrimonium dirimens: At ſi omnes aliæ uxores, quas vir tempore infidelitatis habebat, converterentur ad Fidem, & prima remaneret in infidelitate,
9 & nollet cum viro permanere, abſque injuria Creatoris, vir non tenetur, in rigore loquendo, ullam ex Converſis ducere, quia nulla ex iſtis eſt ejus Conjux, excepta prima. Sanch. & Bonac. *ll. cc.* vide, quæ ſuperius diximus.

10 Matrimonium ratum, ſed non conſummatum eſt, quod tantummodo, per verba de præſenti, in faciem Eccleſiæ, rite contractum eſt, non tamen per copulam carnalem conſummatum, nec perfectum.

11 Matrimonium ratum, & conſummatum eſt, quod, cum fuerit legitime contractum, carnali copula ſubſequuta perfectum eſt.

12 Dempta ſpecie matrimonii, tertio loco, ut ſupra deſcripti, nempe legitimi, & non rati, quod contrahitur inter Infideles, extra gremium Eccleſiæ, ſuper quo, durante Conjugum infidelitate, Papa diſpenſare non poteſt, aliæ dictæ matrimonii ſpecies reducuntur ad tres.

Prima eſt, matrimonii clandeſtine, & proinde nulliter celebrati.

Secunda eſt, matrimonii rati, & non conſummati.

Tertia, matrimonii legitime contracti, & conſummati.

Circa primam ſpeciem diffuſe agemus inferius præſenti Libro.

Remanet nunc diſcutiendum, quoad matrimonium ratum & non conſummatum, & quoad ratum, & conſummatum.

13 Quod attinet ad matrimonium ratum, & non conſummatum, ſunt, qui putent, non poſſe ſuper ejus diſſolutione diſpenſari; ducuntur primo, quia ex Lege Divina, matrimonium indiſſolubile ſit, & proinde non poſſit per Eccleſiam diſpenſari. Secundo, quia Eccleſia non poſſit Sacramenta mutare;
14 unde, cum matrimonium, ex Chriſti inſtitutione, Sacramentum ſit, ſequitur juxta opinionem iſtorum, quod non poſſit auctoritate Eccleſiæ ſolvi, & immutari: Referuntur propterea plura exempla Summorum Pontificum, & præcipue Innocentii VIII. qui requiſitus pro quadam Diſpenſatione in matrimonio rato, reſpondit ſe non poſſe diſpenſare; teſte Panormitano in *cap. Ex publico, de converſ. Conjug.* Adriani VI. & S. Pii V. qui pariter eandem Diſpenſationem denegarunt; & faciunt pro hac ſententia, verba quibus utitur Concilium *d. ſeſſ. 24. in princip.* nempe, *Perpetuum, indiſſolubilemque matrimonii nexum*, quæ, tanquam generalia, de omni matrimonio intelligi poſſunt; & Alphonſus à Vera Cruce *in Speculo Conjug. 2. art. 8. concluſ. 9. in fine*, ait, tempore Pauli IV. Summi Pontificis, hunc caſum fuiſſe Romæ diſputatum, & nil definitum: id, quod eodem modo indefinitum fuerat relictum tempore Adriani VI.

15 Nihilominus, quicquid iſti dicant, in contrarium eſt veritas, & indubitanter tenendum eſt, poſſe Pontificem, ex juſta cauſa ſuper diſſolutione matrimonii rati diſpenſare; conſtat *cap. Ex publico, de converſ. Conjug.* & ibi *Gloſſa fin.* & docent Navarr. *in Summa, cap. 22. num. 21.* Jo. Valerius *Diff. utr. Fori, diff. 6. num. 4.* Sanchez *lib. 2. diſp. 14. num. 2.* Coninck *diſp. 26. dub. 3. concluſ. 1. n. 33.* Bonaccina *de Matrim. quæſt. 2. punct. 11. num. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 6. num. 4.* Averſa *de Matr. quæſt. 2. ſect. 6. verſ. tertio ulterius.* Steph. à S. Gregor. *de Vinculis Divinæ Pietatis, cap. 93. n. 3.* Cævall. *QQ. comm. contra comm. qu. 343.* Trullenck *lib. 7. cap. 4. dub. 2. n. 1. tom. 3.* Eſcobar. *Theol. Mor. tract. 7. exam. 9. cap. 1. num. 75. in fine.* Tuſchus *concluſ. 153. num. 1. lit. M.* Barboſa *de Jure Eccl. Univ. lib. 1. cap. 7. num. 192.* & innumeris citatis probat Gracia *de Benef. par. 7. cap. 10. n. 83.* Ratio eſt, quia, ſi Papæ auctorita- 16
te diſſolvi, & quaſi evinci poteſt vinculum Religioſæ Profeſſionis (ut infra probabimus) per quod ſolvitur, & quaſi evincitur matrimonium ratum, ſequitur eadem Pontificis auctoritate, idem matrimonium diſſolvi poſſe; & ad illud, quod dicitur, Pontifices denegaſſe Diſpenſationem, & dixiſſe, ſe non poſſe diſpenſare, reſpondetur ita dixiſſe, non quia diſpenſare non potuiſſent valide, ſed potius quia, cum in caſibus, pro quibus Diſpenſatio petebatur, non adeſſet juſta cauſa, non poterant licite diſpenſa- 17
re. At exiſtente cauſa, certum eſt poſſe Pontificem valide, & licite diſpenſare, prout pluries diſpenſavit. Divus Antoninus *Tert. part. titul. 1. cap. 21. §. 3.* affirmat, ſe vidiſſe hujus diſpenſationis Bullas, à Martino V. & Eugenio IV. expeditas. Navarrus *in Summa cap. 22. num. 21.* refert, ad petitionem ſuam, Paulum III. & Pium IV. diſpenſaſſe. Cajetan. *in Opuſc. tom. 1. tract. 28. de Matrimon.* refert, ſuo tempore, fuiſſe ſuper hujuſmodi matrimonio diſpenſatum Henriquez *lib. 11. de Matr. cap. 8. num. 11. in Gloſſ. lit. F.* aſſerit, Gregorium XIII. unica die, cum undecim Oratoribus diſpenſaſſe. Menoch. *conſ. 385.* refert, ab eodem, Pontifice cauſam ſimilis Diſpenſationis cuidam Ordinario commiſſam fuiſſe. Innumeras alias Diſpenſationes refert Valer. *Diff. utr. Fori, diff. 6. num. 4.* & Urbanus VIII. conceſſit Mandatum de diſpenſando ſuper diſſolutione matrimonii rati, & non conſummati, inter DD. Michaelem Blancum; & Joannam filiam Principis de Conca cujus Mandati tenorem, ad verbum, refert Pyrrhus Corradus *in Praxi Diſp. Apoſt. lib. 8. cap. 7. n. 35.* & eſt infraſcriptus.

A' tergo;

Venerabili Fr. Archiepiſcopo Neapolitano;

Intus vero:

Urbanus Papa VIII. Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem; Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Princeps, & Principiſſa de Concha Neapolitani; Quod, pro conſervatione eorum Statuum, & Familia cupiunt, Joannam illorum filiam unigenitam cum aliquo viro ex dicta familia matrimonialiter copulari; Verum quia dicta Joanna, tunc in decimotertio ſuæ ætatis anno conſtituta, matrimonium cum dilecto filio Michaele Blanco, per Procuratorem, per verba de rato, contraxit, & quod ratione hujuſmodi matrimonii graves lites, & inimicitiæ ortæ jam ſint, & majores fuiſſent, niſi auctoritate, & providentia dilecti filii nobilis viri Comitis de Monte Rey Proregis Neapolitani proviſum fuiſſet; Nos &c. Fraternitati tuæ committimus, & mandamus, quod matrimonium hujuſmodi ſic factum, & non conſummatum, ſtante etiam conſenſu partium, nullum, & invalidum, ad effectum, ut dictus Michael cum alia muliere, dicta vero Joanna cum alio viro de dicta familia, præcedente tamen Diſpenſatione Apoſtolica ſuper conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu, quatenus opus ſit, libere, & licite conjungi valeant, Apoſtolica Auctoritate declares; Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſcunque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis.

Datum Romæ.

Et non ſolum Summi Pontifices poſſunt, & ſolent 18
in hujuſmodi matrimonio rato, ſecundum caſuum contingentiam diſpenſare, ſed etiam Major Pœnitentiarius in occultis diſpenſat, prout Literas ſimilis

Diſpen-

Dispensationis ab ipso commissa fuisse; testatur idem Conrad. *d. cap. 7. n. 35. in casu infrascripto*.

19 Postquam mulier quædam matrimonium cum uno juvene contraxerat, nulla inter eos sequuta copula carnali, matrimonium cum alio viro, præmissorum ignaro, contraxit, ex quo matrimonio filiam suscepit, & cum ignoraretur, ubi primus juvenis reperiretur, & Oratores ipsi separari nequirent, ipseque Orator non posset se alio transferre ob paupertatem, & adultæ filiæ periculum, nec ulterius, absque evidente periculo, valerent insimul habitare, commissum fuit Confessario, ut imposita eis gravi, & longa pœnitentia salutari, ipsos absolveret, & si dictum primum matrimonium occultum esset, Oratores vero invicem, servatis servandis contraxerint, itaut publice pro veris Conjugibus haberentur, & sine gravi scandalo separari nequirent, nec ulla ratio obviandi scandalis aptior, & opportunior inveniretur, super quo ipsius Confessarii conscientia onerabatur, aliudque Canonicum non obstaret impedimentum, matrimonium primo contractum, Apostolica auctoritate dissolveret, ac cum ipsis Oratoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se de novo secrete contrahere valerent, dispensaret. 16 17

20 Quod si alter Oratorum sit facti inscius, mandari solet Confessario, ut Conjuge inscio prius de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita caute, ut Oratricis delictum nusquam detegatur, ut de novo secrete, ut supra, contrahere &c. valeant, dispenser.

21 Quæ autem, & quales sint justæ causæ ad dispensandum in matrimonio rato, non potest dari certa regula; debent tamen esse graves, & urgentes.

22 Aliquas adnotat Sanchez *lib. 2. disp. 16.* ex quibus prima est, lepra alteri Conjugi superveniens, vel aliud malum contagiosum, quod impediret Conjugii usum.

23 Secunda est gravis timor magni scandali futuri, quia id cedit in grave damnum commune; nam rixæ, & graves discordiæ, ac neces inde oriri solent; cum maxime hujusmodi scandala evenire possunt, vel ob fornicationis timorem, quando Conjuges sunt genio difformes, & sibi valde displicent, vel ob inimicitias, quæ inter eorum consanguineos, vel cognatos, probabiliter timentur.

24 Tertia est notabilis Conjugum disparitas in qualitate, ut quando Contrahentes sunt notabiliter conditione dispares, & quadam affectione, seu levitate ducti, matrimonium contraxerunt.

25 Quarta est, dum alter Conjugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi, nec potest induci ad illum habendum, nisi cum magno inimicitiarum periculo, vel mali exitus matrimonii.

26 Quinta est, quando vir, omni conatu, quærit uxorem repellere, absque sanioris mentis probabili spe, & cum sibi maxime displiceat, majora scandala secutura timentur, & perpetuæ discordiæ.

27 Sexta est, si vir fuisset promotus ad Episcopatum, dum hujusmodi promotio esset valde utilis, & necessaria ad bonum commune.

28 Septima est, si Conjuges essent inter se valde discordes, & mutuo consensu Dispensationem peterent; vide Sanchez *loc. cit.* Trullenck *tom. 3. lib. 7. cap. 4. dub. 4. n. 8.* Stephanum à S. Gregorio *d. cap. 93. num. 3.* Rotam inter impressas post secund. Volum. Consil. Farinacii, *decis. 86. n. 1.* Vide etiam Tusch. *conclus. 477. lit. D.* ubi concludit hujusmodi causas esse bonum pacis, evitationem scandalorum, prolem susceptam, & necessitatem.

29 Aliam causam addit Verricell. *de Missionib. Apost. quæst. 196. dub. 11. num. 89.* nempe si Hermaphroditus, qui prævalebat in fœmineo sexu, matrimonium, ut fœmina contraxisset, sed, antequam consummasset, prævaleret in sexu virili.

Aliam insuper causam adducunt Gutierez *cap. 54. n. 3.* & Bellarmin. *de controv. Fidei, lib. 2. de Monacis, cap. 38.* nempe periculum perversionis, ut, si quæ cum 18
30 Hæretico matrimonium contraxisset, quia morbida facta pecus totum corrumpit ovile.

Tres alias causas adderem ego. Primam, pro pace servanda, quia pax, & unio ad felicem spiritualis, & 31
temporalis gubernationis statum maxime decent, & tanquam necessarium fundamentum sunt *l. Congruentius, Cod. de Patrit. Potest.* & inimicitias sedari semper in publicum, & commune bonum tendit, cum propter discordias quies publica violetur. Afflictus *dec. 149. num. 7.* & nos late dicemus *lib. 3. cap. 5.*

Secundam, si quis, post matrimonium ratum, cum 32
una contractum, sed non consummatum, aliud matrimonium cum alia contraxisset, & consummasset; colligitur ex *cap. finali, de sponsa. duorum*, & in casu simili, per Sacram Pœnitentiariam dispensatum fuisse, diximus supra *num. 91.* vide Boerium *cons. 20. n. 4.* Paccin. *de Visit. part. 1. quæst. 9. num. 31.* quamvis enim matrimonium ratum, rite contractum, non possit dissolvi per matrimonium cum alia contractum, & consummatum, *cap. Licet, 3. & cap. fin. de sponsa. duor. & cap. Si inter, 31. de Sponsa. & Matr.* Leo *in Praxi Sac. Pœnitent. p. 2. formula de rato non consummato, vers. Primum matrimonium, pag. mihi 322.* & alii communiter; nihilominus ad evitanda scandala, & 33
innumera peccata, quæ inde sequerentur, juste movetur Pontifex ad dispensandum.

Tertiam, quando ambo Conjuges sunt teneræ ætatis, quia, cum facile decipi possint, & jam incipiant sibi displicere, infelices exitus, ut plurimum hæc matrimonia habent.

Et in omni casu faciliorem reddit Dispensationem 34
Oratorum nobilitas, & potentia; sicut enim nobilitas, & potentia Magnatum & mutua inter homines amicitia, & benevolentia, summopere conducit ad Reipublicæ pacem, & concordiam perpetuandam, ita cum ex Conjugum dispari genio, & mutua displicentia, animentur rixæ, inimicitiæ, & scandala, tales Dispensationes semper Reipublicæ Christianæ favorabiles visæ sunt, ut animadvertunt Sanchez *lib. 8. disp. 19. num. 5.* Zerola *in Praxi Episc. verbo Dispens. §. 2. part. 1.*

Quando in aliquo casu dubitari contingit, an su- 35
per matrimonio rato, de quo agitur, dispensari licite possit, recurritur ad Sacram Congregationem Concilii, quæ, secundum casuum contingentiam declarare solet, an causæ, quæ adducuntur, justæ sint, & in casu de quo agitur, matrimonium dissolvi possit; & sic die 18. Novembris 1618. teste Corrado *in Praxi Dispensat. Apost. lib. 8. cap. 7. num. 32.* declaratum fuit ab eadem S. Congregatione, quoddam matrimonium reputari ratum, & non consummatum, ad ef- 36
fectum, ut unus ex Contrahentibus, alio contradicente, posset Religionem ingredi, si post illud coram Parocho, & Testibus contractum, copula non intercessit, quamvis prius pluries, etiam cum promissione de contrahendo fornicati fuissent; & die 26. Aprilis 1621. teste Barbosa *in Collect. Bullarii, verbo Matrimonium, pag. mihi 445.* fuit ab eadem S. Congregatione declaratum, quod, licet matrimonium ratum, non consummatum, regulariter per Religionis in- 37
gressum dissolvatur, tamen, quoad Jesuitas, non dissolvi matrimonium, cum, non nisi post longum tempus, professionem emittant, ne Conjux tamdiu expectare cogatur, quam eandem declarationem refert Corrad. *l. c. n. 32.*

Et non solum per Dispensationem dissolvi potest 38
matrimonium ratum, sed si alter Conjux, ante ipsius consummationem, Religionem approbatam ingrediatur, erit hujusmodi matrimonium dissolutum, *cap. Dispensat. 27. quæst. 2. & cap. Decreta legalia, 28. d. quæst. 2.* & patet ex antiquissimo Ecclesiæ usu, & ex Apostolorum traditione, à Christo Domino derivata, & docent expresse Sanchez *lib. 2. disp. 18. n. 3.* Bellarminus *lib. 2. de Matrim. cap. 38.* Trullenck *lib. 7. d. cap. 4. dub. 3. nn. 1.* & alii communiter, nec de hoc dubitari potest, cum sic definitum fuerit in Sacrosancto Concilio Tridentino, *sess. 24. de Matrim. Can. 6.* his verbis: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius Conjugis, non dirimi, anathema sit.*

39 Et non ſolum dirimitur matrimonium ratum, per ſolemnem ingreſſum, hoc eſt, Profeſſionem (ut explicant Maranta, Gutierez, Ricciullus, & alii, quos infra *cap.* 14. citabimus) in Religione clauſtrali approbata, ſed dirimitur etiam per Profeſſionem Equitum Ordinum Militiarum, ſub clauſura viventium, & præſertim per Vota ſolemnia Equitum Ordinis Hieroſolymitani, qui ſunt vere Religioſi, ut probant Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 18. *n.* 8. Vivian. *de Jurepatronat. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 14. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 30. Rubeus *deciſ.* 623. *num.* 34. *tom.* 3. Garcia *de Benef. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. & 4.

40 & Profeſſionem ſolemnem emittunt, ac comprehenduntur ſub Decretis Concilii Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Regul. & Probatione intra annum Novitiatus non emittenda*. Gratianus *Diſcept. Forenſ. cap.* 363. *num.* 27. Farinacc. *conſ.* 197. *lib.* 3. *num.* 2. Riccius *in Collect part.* 1. *Collect.* 216. Marant. *part.* 2. *reſponſ.* 6. *num.* 6. Ludoviſ. *deciſ.* 87. *num.* 2. quicquid acquirunt, Religioni acquirunt. Cæſar. de Graſſis *deciſ.* 1. *num.* 11. *de Probat.* Sperell. *dec.* 36. *num.* 38. qui *deciſ.* 21. *num.* 11. deſcribit formulam eorum Profeſſionis, per quam emittunt tria Vota ſubſtantialia, ut vere Religioſi.

41 Non tamen dirimitur matrimonium ratum per Vota ſolemnia Equitum Militiarum Calatravæ, Alchantaræ, S. Jacobi Morteſiæ, & ſimilium, quia eorum matrimonium eſt compatibile cum Votis, ex quo ſolum vovent caſtitatem conjugalem; vide Trullenck *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 7. *tom.* 3. Marant. *d. reſp.* 6. *n.* 8. Vivian. *de Jurepatronat. d. cap.* 2. *n.* 16. & 17. Diana *l. c.*

42 Nec pariter dirimitur per ſuſceptionem Ordinis Sacri, ut conſtat ex Extravag. Papæ Joannis XXII. incipiente, *Antiquæ*, de Voto, nec per promotionem ad Epiſcopatum, ut conſtat ex univerſali uſu Eccleſiæ, hoc enim Privilegium fuit conceſſum Profeſſioni emiſſæ in Religione approbata, ut Sanchez *l. c. num.* 9. & *diſp.* 20. *num.* 3. *eodem lib.* Trullenck *dict. dub.* 3. *num.* 1.

43 Scias tamen, matrimonium non dici conſummatum, ſed ratum, ſi poſt illius contractum, non fuerit ſecuta copula carnalis, quamvis antea pluries inter eoſdem habita fuiſſet, ut bene docent Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 21. *n.* 12. & 13. Filiucc. *QQ. Mor. tom. prim. tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 45. Gutierez *de Matrim. cap.* 54. *num.* 25. Averſa *de Matr. quæſt.* 2. *ſect.* 4. *in princip.* Menoch. *de Præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 2. *num.* 44. Covarruv. *tom.* 1. *part.* 1. *num.* 44. & ſic fuiſſe à S. Congregatione deciſum, diximus ſupra *num.* 36.

44 Cæterum quicquid ſupra dictum ſit de matrimonio rato, quod ſolubile, ſit, & ſuper eo diſpenſari poſſit, aliter dicendum eſt de matrimonio rite, & valide inter Fideles contracto, & conſummato, certum enim eſt, eſſe, quoad vinculum, omnino indiſſolubiles, nec ullam eſſe in terris poteſtatem, illud, quoad vinculum, diſſolvendi, nec ſuper eo diſpenſandi, *cap. Inter corporalia*, 2. *de Translat. Epiſcop.* Barboſ. *de Jure Eccleſ. Univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 192. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 13. *num.* 2. Gutierez *Canon. quæſt. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 21. Coninck *diſp.* 26. *dub.* 1. *concluſ.* 3. *num.* 3. Tuſch. *concluſ.* 54. *num.* 2. & 12. *lit. P.* Trullenck *l. c. n.* 9. Garcia *de Benef. par.* 7. *cap.* 10. *num.* 86.

45 nec per alium quam per ipſum Deum, poſſe diſſolvi, dicit Rota *deciſ.* 101. *num.* 7. *part.* 2. *diverſ.* & docet Maſſobr. *de concurſu, prælud.* 1. *num.* 54. Cum etenim ſignificet unionem Verbi cum humana natura. Divus Auguſtinus in Libro *de Bono Conjugali*, *cap.* 7. *cap.* 15. & *cap.* 18. ſicut diſſolvi non poteſt unio Verbi cum humana Natura, ita matrimonium inter Fideles rite contractum, & conſummatum, indiſſolubile eſt; probatur ex doctrina D. Auguſtini *lib.* 1. *de nupt. & concupiſc. cap.* 10. & *d. lib. de Bono Conjug. cap.* 7. & ſumitur ex *cap.* 2. *Gen.* ubi Adam hoc diſſolubile vinculum cum uxore ſua, per divinam inſpirationem cognovit, dum dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*; quem locum Chriſtus Dominus apud Matth. *cap.* 19. interpretatus eſt eo fine, ut matrimonium à prima ſua inſtitutione indiſſolubile ſit. Itaque ait: *Non ſunt duo, ſed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*: Et cum ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus interrogaretur à Diſcipulis ſuis, abſolute reſpondit: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*; & Apoſtolus prim. ad Corinth. 7. *Is autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro ſuo non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem ſuam non dimittat*; & ſic de fide tenendum eſt, cum fuerit ita definitum à Sacroſancta Tridentina Synodo *ſeſſ.* 24. *Can.* 5. *de Matrim.* ibi *Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à Conjuge, diſſolvi poſſe vinculum matrimonii anathema ſit*. Et eadem ſeſſ. Can. 7. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, dum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium* 47 *Conjugum, matrimonii vinculum diſſolvi non poſſe,* 48 *anathema ſit*; unde, licet Conjuges per Divortium ſeparentur, adhuc Conjuges erunt, *cap. Interveniente*, 1. & *cap. Intermittente*, 1. & *cap. Licite*, 2. *cauſ.* 42. Leo *in Theſ. Fori Eccleſ. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 118. & quamvis etiam unus ex Conjugibus, de conſenſu alterius, poſt matrimonium conſummatum, Religionem profiteatur, matrimonium adhuc remanebit firmum, quoad vinculum, & veri 49 Conjuges erunt. Tuſch. *concluſ.* 147. *num.* 7. *lit. M.* ut infra dicemus.

Dixi non poſſe diſſolvi, quoad vinculum, quia 50 quoad thorum, communi Conjugum conſenſu, & quoad habitationem, ex certis cauſis, auctoritate Judicis Eccleſiaſticis, poſſunt conjuges ab invicem ſeparari.

Dixi contractum, quia ſi fuiſſet cum impedimen- 51 to dirimenti, abſque Apoſtolica Diſpenſatione, contractum, irritum, & nullum eſſet, & ſi, detecto impedimento, conjuges perſeverarent in copula, non Matrimonium, ſed concubinatus eſſet; copula carnalis non operetur contra impedimentum dirimens. Tuſch. *concluſ.* 54. *num.* 5. *lit. P.*

Dixi, inter Fideles, quia in Matrimonio Infide- 52 lium, tempore infidelitatis contracto, & conſummato, ſi poſtea baptizentur, & poſt Baptiſmum ſuſceptum, non habuerint inter ſe copulam, poterit Papa ſuper hujuſmodi Matrimonio diſpenſare, Sanchez *lib.* 2. *Diſp.* 17. *num.* 2. Verricell. *de Miſſionib. Apoſt.* 177. *n.* 18. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part. cap.* 2. *n.* 6. Filiuc. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 38. quia, ut bene docet idem Sanchez *l. c.* fortius eſt Matrimonium ratum Fidelium, quod ſignificat unionem Chriſti cum anima in gratia exiſtenti, quam ſit Matrimonium conſummatum Infidelium, quod nullam aliam firmitatem habet, quam Contractus naturalis; 53 cum ergo Papa, ſuper Matrimonio rato Fidelium, quod fortius eſt, diſpenſare poſſit, ut probavimus, poterit; à fortiori, diſpenſare in conſummato Infidelium, quod non eſt Sacramentum.

Et quamvis verum ſit, quod, ad impediendum, ne Matrimonium contrahatur, ſufficiant leves probationes, ut diximus *lib.* 1. quando tamen agitur de 54 Matrimonio conſummato diſſolvendo inter Fideles, requiruntur probationes concludentiſſimæ de Impedimento; colligitur *ex c. Ex literis*, & ibi *Gloſ. finalis de Teſt.* & docent expreſſe Sanchez *de Matr. lib.* 2. *diſp.* 45. *num.* 30. Rubeus *deciſ.* 829. *num.* 8. *tomo* 3. Sperell. *deciſ.* 141. *n.* 47. aſſerens, ſic fuiſſe à Rota pluries deciſum. Rota coram Buratto *deciſ.* 763. *num.* 3. Rota coram Pænia *deciſ.* 165. *nu.* 14. Rota coram Merlino *deciſ.* 194. *num.* 8. & Teſtes, contra 55 Matrimonii validitatem deponentes debent eſſe omni exceptione majores, Rota coram Pænia, & coram Merlino *ll. cc.* Farinacc. *de oppoſit. contra Teſtes q.* 62. *limitat.* 6. *n.* 106. Riccius *deciſ.* 9. *n.* 8. & 9. *part.* 2. *deciſ.* Piaſecius *in Praxi Epiſc. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 36. Mantic. *deciſ.* 372. *num.* 1. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 537. *num.* 15. Cæval. *qu. comm. contra comm.*

comm. cap. 825. *numer.* 33. Barbosa *in Votis Canonicis lib.* 2. *Voto* 17. *num.* 116. Ventriglia *in praxi annotat.* 3. *num.* 20. Gutierez *de matrim. cap.* 44. *num.* 9. Genuens. *in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ c.* 20. *num.* 4. Ludovis. *dec.* 151. *num.* 2. Hieronym. Palma *cons.* 87. *num.* 30. Mascard. *de Probat. concl.* 1033. *num.* 19. Rota *inter dec. impressas post* 2. *volum. cons. Farinacii dec.* 64. *num.* 5. *&* *dec.* 192. *num.* 4. Tusch.
56 *concl.* 154. *num.* 12. *lit. M.* Immo dirimendum Matrimonium, non conjunguntur duæ, vel plures præsumptiones ad faciendum plenam probationem, ut bene Rota coram Pænia *dec.* 165. *num.* 17. Rota *inter impressas penes d. Farinacium dec.* 64. *num.* 6. *post*
57 *d.* 2. *volum.* & licet regulariter Testium numerus suppleat eorum fidem, tamen fallit, quando agitur de Matrimonio dissolvendo. Farinac. *de Opposit. contra Testes d. quæst.* 62. *num.* 314. *&* 315. Gutierez *de ma-*
58 *trim.* 44. *num.* 30. Gabriel *de Testibus concl.* 5. *num.* 13. *&* *concl.* 6. *numer.* 6. nec sufficit fama ad illud dissolvendum *cap. Si duo* 4. *causa* 35. *quæst.* 6. Mascard.
59 *loc. c. num.* 21. etiamsi cum fama concurrat confessio Conjugum pro dissolutione stantium *d. cap. Si duo*, & Mascard. *loc. c. num.* 22. *&* 23. nec pariter suffi-
60 cit solius Matris testimonium de Impedimento, idem Mascard. *conclus.* 1020. *numer.* 15. quia cum Matri-
61 monium sit magnum Sacramentum, ubi de illius dissolutione agitur, omnis diligentia, & cautela est adhibenda.

Excipe, nisi Impedimentum, de quo ageretur,
62 esset defectus consensus in Conjugibus, vel altero illorum, quia tunc omnes Testes admittuntur. Barbosa *d. Voto* 17. *n.* 117. Gutierez *de matr. c.* 44. *n.* 54. & nos dicemus in præsenti libro.

63 Excipe secundo, nisi ageretur de dissolvendo Matrimonio, cum impedimento perpetuo ad coeundum contracto, quia si Matrimonium non potest habere suum effectum, fieret potentissima injuria Sacramento, & cederet in grave præjudicium Conjugis, vide Sanchez, Mascardum, Layman. Filiucc. Bonac. & alios, quos propterea præsenti libro infra citabimus.

64 Excipe tertio, nisi Impedimentum, ob quod Matrimonium dissolvi deberet, esset consanguinitatis, vel affinitatis, quia cum eo casu unusquisque præsumatur scire suam Genealogiam, ut probavimus *lib.* 1. *cap.* 6. admittuntur potius Consanguinei, quam Extranei: *cap. Super eo sec. de Testib.* Mascard. *de probat. concl.* 1033. *num.* 20. & nos late diximus *lib.*
65 1. debent tamen, eo casu, Testes deponere, quod viderint Personas omnes in Consanguinitate, distinguendo gradus ex utroque latere, vel saltem aliquas personas in gradibus, alias non probant; quia quando consanguinitas est probanda in gradu certo, ut
66 in hoc casu, Testes deponere debent de gradu, & stipite. Riccius *dec. num.* 8. *&* 9. *part.* 2. Ventriglia *l. c. num.* 20.

67 Debent insuper jurare, quod ad ferendum hujusmodi Testimonium non procedunt odio, amore, timore, vel præmio, seu commodo, ut est Textus *in cap. Licet, ex quadam* 47. *de Testibus* 106. *n.* 18.

68 Qui autem dicantur Testes omni exceptione majores, dic eos dici, qui nulla, vel minima, etiam nullius momenti, exceptione repelli possunt & quibus nulla etiam minima nota ad fidem diminuendam opponi potest *Gloss. in cap. primo de Cons. & Affinit. in verbo Major.* Mascard. *de probat. concl.* 1023. *numer.* 4. *&* 5. Gutierez *de matrim. cap.* 44. *num.* 10. Farinacc. *de Oppositi. contra Personas Testium quæst.* 62.
69 *num.* 1. Testes idonei hi dicuntur, qui sunt probatæ vitæ, & bonæ opinionis, & fide ordinaria digni, à Lege non reprobati, sed probati, & sufficientes, qui tamen legitima exceptione repelli possunt, & quibus aliqua nota, ad eorum fidem minuendam, seu eorum dictum labefactandum, potest apponi; colligitur ex doctrina Doctorum supra citatorum, & præsertim *ex d.* Farinac. 62. *num.* 19. *&* 21. Alii tandem
70 dicuntur inhabiles, & hi sunt, qui jure repelli possunt, nempe, Impuberes, Immunes, Perjuri, Inimici, Consanguinei, Domestici, Mulieres, Excommunicati, Spurii, Blasphematores publici, Ebrii, Popinones, Tabernarii, Histriones, Scenici, Arenarii, Bestiarii, Decocti, Proditores, Fustigati, Calumniatores, Litium redemptores, Pauperes, Viles, & alii de quibus apud Farinac. *loc. c. à quæst.* 53. *ad quæst.* 61. inclusive. Animadvertas tamen, quod in 71
casibus, ubi requiritur, ut Testes sint omni exceptione majores, hæc qualitas omnino probari debet; alias, si opponatur, ipsos non esse omni exceptione majores, non probabunt. Farinac. *de Testib. q.* 47. *n.* 211. Mascard. *de probat. concl.* 1021. *nu.* 16. Gutierez *de matr. c.* 44. *n.* 12. Menoch. *de præsumpt. l.* 5. *præsumpt.* 1. *à n.* 31. Riccius *in collect. dec.* 1329. *part.* 4. quam-
vis enim unusquisque præsumatur idoneus, non ta- 72
men præsumitur omni exceptione major, ut bene Genuens. *in Praxi Curiæ Archiep. Neapolit. c.* 21. *n.* 4.
At si non opponatur dicta Exceptio, admittentur om- 73
nes Testes, quamvis Consanguinei, vel affines, etiam Pater, Mater, & Fratres, quia regulariter Testes præsumuntur habiles, donec contrarium probetur. Rota *inter impressas post secund. volum. consilii Farinacii dec.* 249. *n.* 1.

Nota insuper, quod si ambo Conjuges conscien- 74
tiam dissolutioni Matrimonii, ultra quam quod eis non creditur, si contra Matrimonium deponant. Navarrus *lib.* 4. *consil. titulo de Sponsi. cons.* 8. *num.* 3. 1. *edit.* Sanchez *lib.* 2. *disp.* 46. *num.* 33. Tusch. *conclus.* 154. *num.* 33. debet etiam citari Promotor Episco- 75
palis Curiæ, ad collusiones, & fraudes vitandas. Genuens. *in Praxi Curiæ Episc. Neapolit. dict. capit.* 21. *num.* 17. *cons.* 141. *num.* 68. quia cum dissolve- 76
re Matrimonium sit res gravis, Rot. apud Farinaccium *dec. Crim.* 94. *num.* 5. *tom.* 2. Cæval. *Comm. contra Comm. quæst.* 825. *num.* 34. debet de Impedimento, & causa hujusmodi dissolutionis plene constare, & ob id non statur simplici Conjugum confessio- 77
ni de Impedimento, cum non sit in eorum potestate Matrimonium dissolvere; *cap. super eo* 5. *De eo, qui cognovit Consanguineam &c.* & nos supra diximus; in dubio tamen Impedimenti, non sunt Conju- 78
ges, quoad vinculum, separandi, ut bene Sanch. *l.* 2. *disp.* 42. *num.* 2. cum hujusmodi vinculum, si fuerit rite, & legitime contractum, ut præsupponitur, non nisi per mortem naturalem dissolvi possit, quæ omnia solvit. Authent. *de Nupt.* §. *Deinceps*. Tuschus *conclus.* 391. *num.* 1. *lit. M.* Barbos. *de Axiom.* 154. *num.* 1. & ut causæ Matrimoniales tanquam gravissi- 79
mæ, summa maturitate, & recta Justitia pertractentur earum cognitionem sibi Ecclesia reservavit, sic disponente Concilio Tridentino *sess.* 24. *can.* 12. ibi. 80
Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit; adeout interdicta sit hujusmodi causarum cognitio Judicibus laicis, ut diximus præsenti libro. In illis tamen proceditur 81
summarie, Tusch. *conclus.* 154. *num.* 18. *lit. M.* Genuens. *in d. prax. cap.* 21. *num.* 18. etiam post publi- 82
catas attestationes possunt recipi Testes super eisdem Articulis, tam in prima, quam in secunda instantia, *cap. Attestationes* 10. *de Desponsat. Impub.* Tuschus *loc. c. num.* 13. Genuens. *l. c. num.* 19. nec su- 83
per hujusmodi causis potest transigi, aut compromitti, Tuschus *l. c. num.* 20. & sententia lata super his, nunquam transit in judicatum, *cap. Lator, cap. Tenor literarum* 10. *& cap. Consanguinei* 11. *In fine de sententia, & re judic. cap. Fraternitatis* 6. *de Frigid. & Malef.* Navarrus *lib.* 4. *consil.* 22. *num.* 4. *titulo de Sponsi.* 1. *edit.* Marius Antonin. *Var. resol. lib.* 1. *resol.* 93. *num.* 7. Genuens. *d. c.* 21. *num.* 12. Mantica *dec.* 24. *num.* 10.

Porro est ita firmum Matrimonii vinculum, si 84
rite, ac legitime contractum sit, ut sola morte naturali dissolvi possit, tunc autem ita dissolutum remanet, ut, licet Conjux mortuus miraculose resuscitaret, non posset ad Conjugem, post resurrectio- 85
nem accedere, nisi de novo contraherent, *juxta Glossam Solemnem in cap. Licite* 2. *causa* 32. *quæst.* 7. quia servitus personalis, quæ debetur à Persona ra- 86
tione ipsius Personæ, ut est in Matrimonio, tam spirituali, quam carnali, extinguitur morte naturali, & obligatio semel extincta non reviviscit, adeo ut si Religiosus miraculose resurgat, non tenebitur

ad Religionis obſervantiam ; ſic Epiſcopus, vel Prælatus, miraculoſe reſuſcitati, Eccleſiam, abſque Diſpenſatione, non retinebunt, cum eidem uti eorum Sponſæ, jam mortui fuerint ; retinerent tamen caracterem, qui eſt indelebilis, & propterea poſt reſurrectionem reordinandi, vel rebaptizandi non eſſent, ut prædicta docent Jo: Andr. & Panormitan. *in cap. Fraternitatis de Frigid. & Maleſ.* Angelus *in Summa, verbo Mors num.* 3. *circa finem*. Aliter tamen dicendum eſſet, quoad recuperationem bonorum ; quamvis enim ſic reſuſcitatus deceſſiſſet teſtatus, bona ſua recuperaret, quia, quoad hæc, non videtur mortuus, qui tam citò revixit. *Gloſſa in l. Ex his, & gloſſa prima, ff. de leg.* quæ eſt in hoc communiter approbata, teſte Alex. *in l. Si Marito, in principio n.* 5. *ff. ſoluto Matrimonio*, vide Clarum §. *Teſtamentum lib.* 3. *ſent. quæſt.* 86. Molfeſ. *conſ.* 1. *num.* 23. *&* 24. *tom.* 1. & in donatione cauſa mortis, Donator plus ſe, quam Donatarium, vult habere, & ſemper ſubintelligitur ; conditio, ſi moriatur cum effectu, hoc eſt, ſi permaneat mortuus ; & idem eſſet, tam ſi ab inteſtato deceſſiſſet, & ejus facultates fuiſſent in poteſtate Hæredum translatæ, quia in cauſa eſt conjunctio ad morientem, qui ſibimetipſi eſt omni alio conjunctior, quam ſi per ejus mortem fuiſſent, defectu Hæredum, in Fiſcum translatæ ; etenim ſi Fiſcus tenetur reſtituere ejus Propinquo, multo magis tenebitur reſtituere ipſi reſurgenti ; vide pro prædictis Angelum *l. c.* Sylveſtrum *in Summa* 5. *Divortium q.* 2. *num.* 5. Conrad. *in reſp. Caſ. Conſc. part.* 2. *quæſt.* 286. Paccinum *de Off. & Pot. cap. Præl.* 7. *num.* 4. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſa* 15. *de menſ. & alternat. num.* 6. Navarr. *lib.* 4. *conſil. titulo de Sponſ. conſ.* 3. *num.* 5. *in prima edit.* At quia de Conjuge reſuſcitato ſermo habetur, occurrit dubitari, an diſſoluto per mortem naturalem Matrimonio, ut diximus, ſi poſtea Conjuges iterum contrahere velint, neceſſaria ſit Diſpenſatio, dum in primo Matrimonio neceſſaria fuiſſet, ut quia fuiſſent Conſanguinei, vel Affines ; & quidem videtur eſſe neceſſariam in hoc ultimo Matrimonio ; quia, cum Conſanguinitas ſit vinculum naturale, tolli poteſt, ut diximus ; unde in primo Matrimonio non fuit ſublata Conſanguinitas, ſed tantum ſublatum impedimentum, quod obſtat illi præciſo Matrimonio, quod jam fuit per mortem naturalem unius Conjugis diſſolutum.

His tamen non obſtantibus, neceſſariam non eſſe Diſpenſationem pro ſecundo Matrimonio exiſtimo, quia Impedimenta omnia Matrimonii (ſecluſis his, quæ jure naturæ dirimunt, ſuper quibus non cadit Diſpenſatio, ut diximus, & de eis non loquimur) ſunt jure Eccleſiaſtico inducta ; ſuper quo Papa diſpenſare poteſt ; & cum ſemel Impedimentum, quod inter contrahere volentes aderat, fuerit jam, in primo Matrimonio, à Papa, per Diſpenſationem prorſus ſublatum, nec ab eodem de novo impoſitum ſit, certum eſt, non potuiſſe hujuſmodi Impedimentum reviviſcere, niſi ab ipſomet Legislatore de novo fuiſſet impoſitum, & proinde, cum non fuerit de novo impoſitum, ut ſupponimus, ceſſavit Impedimentum, nec ulla pro ſecundo Matrimonio opus erit Diſpenſatione, Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 32. *num.* 6. Bonaccin. *de Legib. Diſp.* 1. *qu.* 2. *puncto* 10. §. 2. *propoſ.* 3. *num.* 6. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 69. *circa finem*, & alii, quos propterea *lib.* 1. citavimus.

Adhuc dubium eſt, ad dictus Reſuſcitatus de novo cum dicta Conjuge Matrimonium contrahens, fiat Bigamus, itaut, hoc ſecundo Matrimonio ſoluto, non poſſit, abſque Diſpenſatione ad Ordines promoveri ; & omiſſis diſputationibus, dicendum eſt, non impediri, quia diviſio carnis in duas Uxores, & non in duo Conjugia, facit Bigamum ; quamvis enim Reſuſcitatus cognoverit Uxorem, quæ duobus Conjugiis ſibi copulata fuit, non tamen duas Uxores cognovit, ut ex Gundiſal. de Villadyego *de Irreg. in c. fin. ad finem, in Collect. ad Decretales, Collectan.* 138. *num.* 1. *prope finem*.

Tandem ſunt adnotanda, antequam huic Capiti finem imponamus : Primum, quod contracto rite, & valide Matrimonio, quamvis copula carnalis fuerit per vim, & metum, ab altero ex Conjugibus extorta, nihilominus Matrimonium vere conſummatum, & ejus vinculum indiſſolubile erit, ut bene docet Averſa *de Matrim. q.* 2. *ſect.* 4. *verſ. Ex alia parte*, quia per hanc copulam, Conjuges vere afficiuntur una caro, & proinde cum Matrimonium fuerit rite, & valide contractum, fit per hanc copulam ejus vinculum indiſſolubile. Secundum, quod Matrimonium, quamvis ſolummodo ratum, rite, & valide contractum ſit, non diſſolvitur per aliud Matrimonium poſtea cum alio contractum, & conſummatum, *cap. Licet* 3. *de Sponſa duorum, cap. Tuas dudum, quinto, eodem titulo, & c. Si int.* 31. *de Sponſ.* Tolet. *Inſtruct. Sacerd. lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 1. Barboſ. *de Jure Eccleſ. univerſ. lib.* 1. *cap.* 2. *nn.* 61. Quia cum primum Matrimonium validum fuerit, non potuit, niſi per Religionis ingreſſum, vel per Pontificis Diſpenſationem, annullari ; unde ſecundum Matrimonium eſt irritum, & nullum : An autem Matrimonium poſſit contrahi ad tempus, dicemus *Cap.* 14.

CAPUT XI.

Qualis probatio Mortis Conjugis requiratur, ut poſſit ſuperſtes ad ſecunda Vota tranſire.

SUMMARIUM.

1 *Mors regulariter non præſumitur, ideoque probanda eſt.*
2 *Unuſquiſque præſumitur vivere uſque ad centum annos.*
3 *Sola abſentia morti æquiparatur.*
4 *Mortuus præſumitur ille, de quo, poſt diſceſſum, per* 20. *annos non fuit habita notitia.*
5 *Quod in Matrimonio non procedit, cum debeat mors primi Conjugis probari.*
6 *Mortis probatio qualis eſſe debeat, inter Doctores eſt diſſentio.*
7 *Ex Legibus civilibus, expectato Conjuge abſente per quadriennium, vel quinquennium, licebat alteri alias Nuptias inire.*
8 *Ex diſpoſitione vero Canonum, ob nullam Conjugis abſentiam, niſi aliter probata Morte alterius abſentis, licet ſuperſtiti novas Nuptias contrahere.*
9 *Et quandiu non habetur moralis certitudo & tanta, quanta prudentis judicio requiratur ad credendam mortem, abſtinendum eſt ab ulteriori Matrimonio.*
10 *Ad conſtituendam certam probationem Mortis, ad d. effectum, an Teſtis ſingularis de viſu ſufficiat, ſi ſit omni exceptione major.*
11 *Alii negant, adeout velint requiri, ultra ipſum Teſtem, probationem publicæ famæ, & aliorum indiciorum urgentium.*
12 *Alii autem affirmant, ut ſcilicet Teſtis ſingularis de viſu ſufficiat, quando Conjux obierit in loco adeo diſtanti, ut aliæ probationes nequeant haberi, & hoc caſu Judicis arbitrio remitti, an Teſtis veriſimilia depoſuerit.*
13 *Alii vero abſolute docent, totum remitti arbitrio Judicis, cum, ob diverſitatem caſuum, nulla poſſit certa regula aſſignari.*
14 *Exiſtimant alii, ſufficere probabilitatem moralem, quæ probabilis cauſa, qualis ſit, arbitrio Viri prudentis relinquitur.*
15 *Sed non eſt vera eorum opinio, cum requiratur certitudo moralis d. Mortis, nec probabilitas ſufficiat, & quando dicatur moraliter conſtare.* num. 16.
17 *Fama ſola probatur mors Conjugis, ſi cum ea concurrant aliqua adminicula, veluti, ſi eſſet ſenex, æger, vel in acie fuerit, & per annum non redierit, & ſimilia, quæ latius referuntur, quod tamen*

tamen procedit ex doctrina Sanchez, quæ non multum placet, ut num. 26.

18 *Publica vox, & fama, ut ex se probent mortem Conjugis, requiruntur multæ qualitates.*

19 *Prima est, ut probetur saltem duobus Testibus.*

20 *Secunda, ut Testes sint omni exceptione majores, & deponant se audivisse à Personis fide dignis.*

21 *Tertia, ut ex causa rationabili ortum habuerit, & quæ dicantur causæ rationabiles.*

22 *Quarta, ut Testes deponant, se audivisse publice à majori parte Populi, nec sufficere, si deponant, se publice, à mille Personis, & ultra, audivisse.*

23 *Quinta, ut Testes præcise, & expresse deponant à quibus Personis ipsa fama ortum habuerit, & à quibus præcise audierint, cum debeant aliqui nominari, à quibus audierint, licet præmiserint, à majori parte Populi audivisse.*

24 *Nominatio tamen Personarum, à quibus audierint, non est necesse, ut fiat in aliquibus casibus, & quando.*

25 *Sexta conditio est, ut Testes, de fama deponentes, asserant, credere rem ita se habere.*

27 *Fama, ad hoc, ut sit sufficienter probata, plura requiruntur; primo, quod sit uniformis, inconcussa, crescens, perpetua, &c.*

28 *Secundo, quod ex probabilibus causis originem traxerit, quæ inducant ad sic credendum, alias dicitur vana vox Populi.*

29 *Tertio, requiritur, ut habuerit originem à Personis honestis, & fide dignis.*

30 *Quæ attendi debent, quoad Personas, & dicta Testium remissive.*

31 *Fama sola de morte alterius Conjugis non est sufficiens, ut aliud Matrimonium iniri possit, sed requiritur saltem unus Testis de visu, cum aliis conjecturis, & præsumptionibus,* & num. 33. 34.

32 *Alii tenent, requiri duos Testes de visu, & est opinio probabilior.*

35 *Parochus fidem de morte alterius Conjugis debet remittere Ordinario, cognoscendam, an sit legalis, & fide digna.*

36 *Et aliter faciendo, peccat, & puniri debet.*

37 *Liber Parochi, in quo nomina Mortuorum describi debent, probat mortem Conjugis.*

38 *Fides Parochi, ex dicto Libro, recognita, & legalizata, habet fidem extractam, ac publicum Instrumentum.*

39 *Et dicitur plene probare.*

40 *Parocho est credendum in iis, quæ ad ejus officium pertinent.*

41 *Parochus est Judex Animarum ei commissarum, & de ipso Jus Canonicum plurimum confidit.*

42 *Parochus tantam habet in sua Ecclesia potestatem, quantam Prælatus cum Capitulo in Collegiata.*

43 *Et in ea, non solum dicitur Prælatus, sed, tanquam in propria domo, dicitur Imperator, & Rex,* & num. 44.

45 *Parochus, in sua Ecclesia, in Missis solemnibus, præcedit omnes.*

46 *Et gerit vices Apostolorum.*

47 *Liber Hospitalarii, in quo descripta sunt nomina Defunctorum in Hospitali, plenam fidem Mortis facit.*

48 *Liber Societatis institutæ pro sepeliendis Mortuis, quoad Mortuos plene probat.*

49 *Fides Officialis deputati ad adnotandos Mortuos, plene probat, quoad pertinentia ad ejus officium.*

50 *Etiamsi d. Officialis sit unicus.*

51 *An Conjux, qui solus interfuit morti alterius Conjugis, possit, in Foro conscientiæ, aliud Matrimonium inire, absque eo, quod aliunde probetur; alii tenent, quod sic, secluso scandalo.*

52 *Hæc tamen doctrina vix practicari potest in Foro Fori, quia Parochus non debet illi fidem adhibere, cum requirantur duo Testes.*

53 *Mulier non omnino certa de morte Viri, si bona fide alteri nubat, Matrimonium valet, unde, in eo dubio, antequam de morte Viri constet, non est licentia concedenda.*

FRequenter accidit, unum ex Conjugibus, in partibus valde remotis mori, unde, si Superstes velit novum matrimonium inire, dubitari contingit, an, & quando illius mors fuerit sufficienter probata; quamobrem operæ pretium duxi, hanc materiam breviter attingere, & qualis diligentia requiratur, & quæ certitudo mortis sufficiat ad hoc, ut Conjux superstes possit aliud matrimonium inire, in medium proferre.

Et primo, sciendum est, mortem regulariter non 1
præsumi; ideoque probandam esse. Alex. *cons.* 23. *in princip. lib.* 4. Mascard. *de probat. conclus.* 1069. *num.* 1. Paris. *de Resign. lib.* 9. *quæst.* 24. *num.* 4. Ancharan. *cons.* 401. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 904. *n.* 35. Boer. *decis.* 288. *nu.* 2. quia unusquisque præ- 2
sumitur vivere usque ad centum annos. *l. fin. C. de Sacros. Eccles.* Fontanell. *de pactis nupt. clausul.* 7. *Gloss.* 3. *part.* 1. *n.* 34. Gratian. *cap.* 562. *nu.* 27. Crescent. *decis.* 2. *alias* 145. *de exception.* Rota penes Rubeum *decis.* 105. *num.* 5. *part.* 6. *recent.* Mantic. *de Conject. lib.* 11. *titul.* 4. *n.* 5. Tusch. *concl.* 143. *n.* 13. *lit. M.* Rota coram Cavalerio *decis.* 344. *nu.* 1. Et quamvis sola absentia æquiparetur Morti. Boe- 3
rius *decis.* 88. *num.* 2. Leoncill. *de Opibus pauperta-tis, part.* 2. *privileg.* 1. *num.* 6. immo, quamvis in aliis, mortuus præsumatur ille, de quo, per vigin- 4
ti annos, post discessum, non fuit habita notitia, ut bene Rota coram d. Cavalerio *d. decis.* 344. *nu.* 3. nihilominus, quoad matrimonium, prædicta locum 5
non habent, cum in dubio melior sit conditio prioris matrimonii possidentis; & proinde, ut secundum matrimonium certo constet fuisse contractum, & valuisse, non debet sua possessione spoliari, nisi de prioris Conjugis morte constet.

Qualis autem probatio hæc esse debeat, dissident 6
Doctores, nec concordant Leges, ac Canones. Le- 7
ge *Uxores, ff. de Divortiis*, permittitur, alias nuptias iniri, post expectatum quinquennium; & *l. Uxor, C. de repud.* permittitur, ad secundas nuptias convolari, post expectatum quadriennium: Hæ tamen Leges per Canones subsequentes correctæ fuerunt, quia *cap. in Præsentia de Spons. in fine, & Authent. C. de repudiis*, sancitum fuit, ob nullam Conjugis absentiam; nisi alia mortis certitudo adsit, li- 8
cere Superstiti ad aliud Consortium convolare; & prohibitum, ne ab Ecclesia permittatur, illos de novo contrahere, donec de morte Conjugis certum nuncium receperint, & *cap. Dominus; 2. de secundis nupt.* expresse cavetur, ut nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec constet, Conjugem ab hac vita migrasse; & hæc doctrina est verior, & communior, & magis in praxi recepta, vide Sanchez *lib.* 2. *disp.* 46. *nu.* 6. Bonaccina. *de Matrim. quæst.* 3. *punct.* 20. *num.* 12. Pontium *de Matrim lib.* 7. *cap.* 53. *num.* 2. Laymanum *Theol. Mor. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 3. *nu.* 1. Gutier. *de Matrim. cap.* 51. *n.* 4. Bossium *Mor. var. part.* 2. *titul.* 1. §. 51. *nu.* 1998. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *cas.* 420. *à n.* 16. quamdiu enim non habetur moralis certi- 9
tudo, & tanta, quanta prudentis judicio sufficiat ad credendam Conjugis mortem, periculum est, ne secundum matrimonium invalide contrahatur, & fornicarie consummetur; ergo, in re tam gravi, caute procedendum, & tutior pars est eligenda, & in dubio, interim ab alio matrimonio abstinendum.

Sed difficultas est, quando dici possit adesse cer- 10
tum nuncium; in qua re aliqui putant, sufficere singularem testem de visu, si sit omni exceptione ma- 11
jor, ita Hostiens. *in Summa, titul. de spons. duor. nu.* 6. Alex. *d. cap. In præsentia, nu.* 6. Alii è con-
verso longe probabilius negant, quia dictum unius dictum nullius, *l. Jusjurandum, vers. Simili modo, C. de Testib. cap. Veniens,* 10. *in fine, eodem titul.* Barbos. *de axiomat. axioma* 70. *num.* 1. Farinac.

Cons.

Conſ. crim. 60. *nu.* 15. *lib. prim.* & ſi in Cauſis civilibus, dictum ſingularis teſtis eſt inſufficiens ad probandum, quanto magis inſufficiens erit in cauſa matrimonii, quæ eſt graviſſimi momenti? Unde, cum dictis ipſius ſingularis teſtis, concurrere debere, vel famam publicam legitime ortam in loco, in quo ſecuta ſit mors, vel alia urgentia indicia, & conjecturas, docet Bonaccina *de Matrim. quæſt.* 3. *punct.* 10. *nu.* 16., & inclinat Sanchez *l. c.*

12 Alii admittunt, ſufficere ſolum dictum certi nuncii, & ſingularis teſtis de viſu, eo ſolo caſu, quo Conjux obierit in loco ita diſtanti, ut facile nequeant aliæ probationes haberi, & hoc etiam, conſiderata qualitate teſtis nunciantis, & an veriſimilia dicat, quod arbitrio Judicis remittunt. Sanchez *lib.* 2. *d. diſp.* 46. *num.* 10. Gomeſ. Farinac. Barboſ. Gutier. & alii apud dictum Boſſium *l. c.* §. 51. *num.* 2001. & inclinat Caſtr. Palaus *tom.* 5. *diſp.* 4. *punct.* 13. *nu.* 7. quando major probatio haberi non poteſt.

Alii abſolute docent, totum remitti arbitrio Judi-
13 cis, cum ob diverſorum caſuum contingentiam, non poſſit aſſignari certa regula. Sanchez *l. c. nu.* 7. Bonaccina *d. quæſt.* 3. *punct.* 10. *n.* 15. Averſa *de Matrim. quæſt.* 14. *ſect.* 3. *verſ. Tertio ulterius, in fine.*

14 Alii exiſtimant, ſufficere probabilitatem moralem, ad credendum dictam mortem, itaut probabilis cauſa ſubſit, ad illam arbitrio prudentis viri credendam, idque colligunt ex *cap. Quoniam*, 5. *ut lite non conteſtata*, ubi dicitur, quod tandiu alteruter Conjugum expectetur, donec de ipſius obitu veriſimiliter præſumatur; ſic ſentiunt Doctores relati à Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 46. *nu.* 5.

Quicquid tamen iſti dicant, certum eſt, probabi-
15 lem exiſtimationem mortis non ſufficere, ſed omnino requiri moralem certitudinem dictæ mortis, ut poſſit Conjux ſuperſtes aliud matrimonium inire; patet expreſſe *d. cap. In præſentia, & d. cap. Dominus*, ubi expreſſe habetur: *Nullus ad ſecundas nuptias migrare præſumat donec ei conſtet, quod ex hac vita migraverit conjux ejus*; illud autem hoc caſu dicitur
16 conſtare, quod moraliter cadit ſub certa notitia; & quidem, in re tam gravi, unde magna damna imminent, & animarum periculum verſatur, non debet vir prudens duci ſola probabili exiſtimatione, nec poteſt licite Judex, nec debet, in caſu, quo ſola indicia, & probabilis præſumptio adſint de morte Conjugis, licentiam concedere ad ſecundas nuptias tranſeundi; & hanc eſſe receptiſſimam, & communiſſimam Doctorum ſententiam, teſtantur Sanchez *d. diſp.* 46. *nu.* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 3. *nu.* 2. eamque etiam docent expreſſe idem Sanchez *nu.* 45. Bonac. *dict. quæſt.* 3. *punct.* 10. *n.* 12. Trullenck. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 14. *nu.* 9. *tom.* 3. Sotus 4. *diſt.* 22. *quæſt. unica, artic.* 5.

Sanchez tamen *l. c. num.* 15. recenſet plures Do-
17 ctores, qui exiſtimant ſolam famam probare, ſi aliqua ex infraſcriptis adminiculis concurrant; nempe longitudo abſentiæ, vel, ſi mors ſecuta fuit in loco valde remoto, itaut præter dictam publicam diffamationem, aliæ probationes difficile inveniri poſſint; vel, ſi cum dicta fama concurrat, ut vir eſſet valde ſenex, vel æger, vel fuit in acie, & non rediit per aliquantum tempus, ut per annum, vel circiter expectatus; vel mulier accepit literas eorum, cum quibus vir militabat, in quibus Conjugis mors affirmetur; vel, ſi vir captus fuit ab hoſtibus, & communis fama ſit de ejus morte, & per longum tempus nil in contrarium fuit auditum, vel literas à fide dignis accepit; quod idem, poſt dictum Sanchez, confirmant Layman *l. c.* & Averſa *quæſt.* 14. *ſect.* 3. *verſ. Tertio ulterius*, & faciunt dicta à Rota inter impreſſas poſt 1. *lib. Conſil.* Farinacii 38. *num.* 1.

18 Adverte tamen, quod, ut publica vox, & fama de morte Conjugis ex ſe probet, ſubdunt Sanchez *l. c. num.* 16. & Boſſius *l. c. num.* 2003. requiri in-
19 fraſcriptas qualitates; quarum prima eſt, ut duplici ſaltem teſte fama probetur, quia, ut diximus, dictum unius, dictum nullius.

20 Secunda, ut teſtes ſint omni exceptione majores, & deponant, ſe audiviſſe à perſonis fide dignis; quî autem dicantur teſtes omni exceptione majores, diximus *cap.* 10. *num.* 55.

Tertia, ut concurrat cauſa rationabilis, ex qua 21
fama ipſa ſit orta, ut is, de cujus morte agitur, mare navigabat, ſubortaque tempeſtate, & per loca veriſimilia quæſitus, & congruo tempore expectatus, non comparuit, nec navis, qua vehebatur; vel ſi prælium aggreſſus eſt, nec poſtea, quamvis diligenter quæſitus, inventus fuit; & ob id debent teſtes deponere de cauſis, ob quas talis fama ortum habuerit, ad hoc, ut prudens Judex diſcernere poſſit, an probabiles ſint, vel potius ſit vana vulgi vox, quæ attendi non debet. 32

Quarta, ut teſtes deponant, ſe publice audiviſſe 22
à majori parte populi, nec ſufficere, ſi deponant, ſe publice, etiam à mille perſonis, & ultra audiviſſe; debent namque deponere de majori parte populi, 33
ut requiritur in re graviſſimi momenti, prout eſt probatio mortis Conjugis, ad effectum, de quo hic agitur.

Quinta, ut teſtes præciſe, & expreſſe deponant, 23
à quibus perſonis ipſa fama ortum habuerit, & à quibus præciſe ipſi audierint; quia fama debet oriri à providis, & honeſtis, & de quorum commodo non agitur; & propterea Judex ipſe debet habere talium perſonarum notitiam, ut dignoſcere poſſit, ac diſcernere, an ſint fide dignæ, cum in ipſius Judicis, & non dictorum teſtium arbitrio id relictum ſit; & ſic non probant famam teſtes aſſerentes ſe non recordari, à quibus dici audierint, quamvis præmiſerint ſe à majori parte populi audiviſſe, ſed debent aliquos ſigillatim nominare, & deinde addere etiam 34
à majori parte populi audiviſſe, quorum præciſe non 24
recordantur; limitat tamen idem Doctor, ut neceſſe non ſit exprimere præciſas perſonas, à quibus audierint, in duobus caſibus; quando ſcilicet, fama ipſa, ex probabilibus conjecturis confirmaretur, quia tunc non eſt opus, ut à fide dignis oriatur; vel, quando de ipſa fama magnus teſtium numerus, ut 35
ſeptem, vel decem deponant, tunc enim concludit non deſiderari, quod exprimant perſonas, à quibus dici audierint.

Sexta, & ultima conditio eſt, ut teſtes, de fama 25
deponentes aſſerant, credere rem ita ſe habere; hæc Sanchez *l. c.* 36

Hæc tamen doctrina nobis non ſatis probatur, 26
primo, quia fama publica vix unquam bene probatur, ut bene animadvertit Farinac. *de Indic. & Tortur. cap.* 1. *tom.* 2. *quæſt.* 47. *n.* 207. ad hoc enim, ut ſit ſufficienter probata plures conditiones requiruntur. Primo requiritur, ut ſit prorſus uniformis inconcuſſa, creſcens, ſolida, conſtans, perpetua, 27
non vaga, nec ullum habens Contradictorem, itaut de ea nulla ſit contradictio. Lotherius *de Re Benef. lib.* 2. *quæſt.* 43. *n.* 94. Ludoviſ. *deciſ.* 498. *nu.* 13. & 14. Rota *deciſ.* 335. *n.* 5. *part.* 2. *recent.* Rota inter impreſſas poſt 2. Volum. Conſilior. Farinacii *deciſ.* 264. *nu.* 4. Secundo requiritur, ut con- 28
ſtet, quod ex probabilibus cauſis originem traxerit, 37
quæ populum inducant ad ſic credendum, ac dicendum; alias non eſſet fama, ſed vana vox populi, quæ non debet exaudiri. Sperell. *deciſ.* 173. *n.* 139. Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *quæſt.* 43. *n.* 94. Mantic. *deciſ.* 273. *n.* 9. Rota *in Noviſſim. deciſ.* 201. *nu.* 46. coram Coccin. Tertio requiritur, ut habuerit originem à perſonis, honeſtis, & fide dignis. Pariſ. 29
conſ. 169. *à n.* 45. Sperell. *l. c. n.* 40. Quarto requiritur, ut non ſit contrariis allegationibus debilitata, & conquaſſata. Rota *deciſ.* 167. *n.* 24. *part.* 30
1. *recent.* Tandem debent attendi alia requiſita reſpicientia perſonas, & dicta teſtium de fama deponentium, quæ pleniſſime recenſentur à Farinac. *de Indic. & Tortura, quæſt.* 47. *à num.* 208.

Secundo, quia dato etiam, quod fama probata 31
fuiſſet, non tamen videtur ex ſe ſufficiens, itaut poſſit aliud matrimonium iniri, quia cum primum matrimonium fuerit validum, & de eo publice conſtet Eccleſiæ, non debet Superſtes, abſque morali certitudine mortis prioris Conjugis, ad alias nuptias tran-

transire ; cum in dubio melior sit conditio prioris matrimonii possidentis, & pro ipsius existentia præsumi debeat; maxime, quia agitur de interesse animarum, & periculo irritationis Sacramentorum, & quod scandala sequantur, & innumera peccata committantur ; unde non crediderim, concedi debere licentiam à Judice novum matrimonium contrahendi, nisi saltem adsit unus testis de visu, fide dignus, conjunctis aliis congestis conjecturis, & præsumptionibus, ex quibus moralis certitudo dictæ mortis inferatur; immo non desunt Doctores, qui
32 satis probabiliter doceant, requiri ad mortem Conjugis probandam, in casu, & ad effectum, de quo agimus, duos testes fide dignos de visu ; ita inter alios, Mascard. *de probat. concl.* 1071. *n.* 2. Cornelius *cons.* 10. *n.* 6. *lib.* 1. Ventriglia *in Praxi Fori Eccles. annot.* 3. §. 3. *n.* 49. unde in re tam gravi non crederem
33 à nostra sententia recedendum, & quod non sufficiat sola fama, sed requiri, ut cum ea conjunctæ sint aliæ conjecturæ verisimiles, & præsumptiones. Gutier. *Pract. QQ. lib.* 2. *q.* 8. *n.* 5. *&* 6. Navarr. *c.* 22. *n.* 53. Alex. *cons.* 180. *nu.* 6. *lib.* 2. *vers. Licet* ; Rot. *decis.* 736. *n.* 4. *p.* 2. *rec.* Ludovis. *decis.* 166. *nu.* 7. *&* 8. Rota coram Cavaler. *decis.* 145. *nu.* 1. Palaus *tom.* 5. *dict.* 4. *punct.* 13. *n.* 8. Bonac. *de Matr. q.* 3. *punct.* 10. *num.* 13. Trullenck *d. dub.* 14. *n.* 4. Tusch. *concl.* 409. *n.* 12. *lit. M.* ita etiam Laym. Barbos. Pontius, Boer. Mascard. & alii, quos refert, & sequitur idem Boss. *l. c. nu.* 1002. & in Curia Archiepiscopali Neapolitana, teste Riccio, *in Praxi Fori Eccles. decis.* 265. *in fine*, rejectis aliis modis probandi mortem Conjugis, re-
34 quiritur, ut dicta mors probetur saltem per unum testem de visu, & alios duos, qui deponant de publica voce, & fama, de luctu mulieris, & acclamatione de morte viri, quod idem approbat Pontius *de Matrim. lib.* 7. *c.* 53. *n.* 3.

Caveant igitur Parochi à denunciationibus hujusmodi matrimoniorum, nisi sibi certo constet de morte priorum Conjugum ; & advertant, quod ad ip-
35 sos non spectat cognoscere, an fides sibi exhibitæ de dicta morte sint legales, & authenticæ, sed illas remittere debent ab Ordinario cognoscendas, ut docent Bonac. *d. punct.* 10. *n.* 16. Trullenck *d. dub.* 14. *n.*
36 10. & nos diximus *lib.* 1. & aliter faciendo, ultra quam quod peccatum incurrunt, debent acriter puniri, sicuti refert Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepisc. Neapol. c.* 20. *in Addit. n.* 34. fuisse punitum à Sacra Congregatione quendam Parochum Civitatis Alexandriæ, qui cujusdam Jurisperiti, & alterius, quos fide dignos putavit, testimonio fretus, conjunxit quandam mulierem suæ Parochiæ, & paucos post menses, rediit primus maritus; cum his casibus bona fides non suffragetur, & proinde non excusabuntur Parochi, quamvis, testimonio duorum testium id fecerint, quia, ut diximus, hujus negotii cognitio non spectat ad ipsos, sed ad Ordinarium, qui mature, & consulte procedere debet, & considerare Decretum, & Instructionem Sacræ Congregationis super Poligamia, de quo diximus supra *c.* 9. *n.* 18. & alia, ad quæ, pro prædictis, ex suo munere tenetur.

37 Pluribus etiam aliis modis probari potest mors Conjugis ; & primo, per librum Parochi, in quo describi solent nomina, & cognomina, mortuorum suæ Parochiæ. Rota inter impressas post secundum Volum. Consil. Farinacii *decis.* 292. *numer.* 2. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 15. *num.* 22. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Marant. *Resp.* 13. *num.* 23. *part.* 2. *& resp.* 60. *p.* 4. *nu.* 20. Ludovic. *decis.* 78. *n.* 2. Rota coram Merlino *decis.* 692. *numer.* 5. quidquid contradicat Pontius *de Matrimon. lib.* 7. *cap.* 53. *num.* 3. Idque in Praxi universalis Ecclesiæ servatur, præsertim si fides facta à Parocho, fuerit ab ipso è dicto libro extracta, & in authenticam, & legalem formam reducta. Rota coram Buratt. *decis.* 135. *nu.* 2. Rota in Posthum. Farinac. *decis.* 724. *nu.* 3. *&* 4. *p.* 1. *& decis.* 638. *n.* 5. *p.* 2. Rota coram Durano *p.* 2. *decis.* 263. *n.* 2. *& decis.* 377. *n.* 3. Rota *decis.* 226. *n.* 1. *p.* 2. *divers.* Rota coram Pænia *dec.* 517. *n.* 7. Coccinus *decis.* 428. *nu.* 1. & latius *in Addit.* Lother. *de Re Benef. lib.* 3. *q.* 10. *n.* 45. Fuscus *de Visitat. lib.* 2. *cap.* 3. *de Parochis n.* 28. Menoch. *de præsumpt.* 51. *num.* 54. *lib.* 2. Mandos. *ad Reg. Canc. Reg.* 18. *q.* 10. *n.* 4. Talis etenim Parochi fides, sic extracta, recognita, & legalizata, non habet in Ecclesia minorem vim, quam ha- 38
beat in foro fori Instrumentum publici Notarii, & Cancellarii. Genuens. *in d. Praxi in Addit. ad cap.* 20. *n.* 34. nec censetur hujusmodi fides tanquam di- 39
ctum unius singularis testis, sed tanquam plena, & publica fides, & attestatio, ut bene Aversa *de Matrim. q.* 14. *sect.* 3. *vers. Quinto Addit.* Parochus enim est persona publica, & Sacerdos, in Dignitate Ecclesiastica constitutus. Carolus Maranta *resp.* 22. *nu.* 86. *p.* 1. & cum sit approbatus ab Ordinario ad cu- 40
ram animarum, credendum est ei in his, quæ ad ejus officium spectant. Mascard. *de probat. concl.* 673. *n.* 18. *&* 20. Marant. *l. c.* cum maxime Judex sit ani- 41
marum, & de quo Jus Canonicum plurimum confidit. Marant. *l. c. n.* 39. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 7. *nu.* 10. & in sua Ecclesia tantam habeat potestatem, quan- 42
tam habeat Prælatus cum Capitulo in Collegiata. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 6. *nu.* 101. & non solum in ea dicitur Prælatus *cap. in Apibus* 41. *caus.* 7. 43
q. 1. sed ibi, tanquam in propria domo, dicitur Imperator, & Rex. Gonzalez *l. c. n.* 102. *&* 103. Gra- 44
tian. *Discept. Forens. c.* 298. *n.* 89. & in Missis solem- 45
nibus ibi decantandis præcedit omnes, idem Gonzalez *l. c. à n.* 104. & gerit vices Apostolorum. Gonz. 46
n. 108. & Gratian. *ll. cc.*

Secundo probatur per librum Hospitalarii, in quo descripta sunt nomina eorum, qui in Hospitali mor- 47
tui sunt, cui plena fides est adhibenda. Seraphin. *decis.* 1456. *n.* 2. Farinac. *p.* 2. *n.* 336. *ad finem* Barbos. *de Off. & Potest. Parochi part.* 1. *c.* 7. *num.* 14. Rot. inter impressas per Ludovic. Cencium *decis.* 89. *num.* 3. *post Tractatum de Censib.*

Tertio probatur ex Libro Societatis, si Societas 48
habet pro Instituto, hoc officium generale, sepeliendi mortuos. Barbosa *l. c. n.* 14. Valascus, & Escobar penes ipsum.

Quarto probatur per Librum Officialis, ad quem 49
tales mortuos adnotare incumbit, cum Officiali credatur in his, quæ ad ejus officium spectant, quia regulariter probat Liber confectus ab eo, qui ad id, ex officio tenetur, ut bene docent Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *q.* 48. *n.* 49. Rot. in Posth. Farinac. *decis.* 687. *n.* 4. *p.* 1. Rot. inter decis. impressas per Ludovic. Cenc. *post tract. de Censib. decis.* 189. *n.* 2. Rot. inter impress. post sec. Volum. Consil. Farinac. *decis.* 251. *n.* 4. quod verum est, quamvis dictus Officialis unicus sit. Rot. 50
inter impress. post 1. Volum. Consil. d. Farinac. *decis.* 77. Leotard. *Tract. de Usuris*, *q.* 93. *n.* 26.

Cæterum non desunt Doctores, qui affirment pos- 51
se Conjugem in foro conscientiæ, secluso scandalo, novum matrimonium inire, si ipse solus certo sciret mortem alterius Conjugis, ut quia ipse solus præsens fuisset dictæ morti ; ita Gutier. *de Marim. c.* 52. *nu.* 2. Bonaccin. *l. c. n.* 16. Trullenck. *d. dub.* 14. *nu.* 10. hæc tamen doctrina, quoad forum fori, vix 52
practicari poterit, quia nec Ordinarius nec Parochus debent illi credere, nisi aliter de morte viri constet, ut diximus: Valeret quidem matrimonium, si 53
mulier, non omnino certa de morte viri, alteri bona fide nuberet, si casus daretur, ut vere primus vir mortuus esset; unde in eo dubio, antequam de vita primi viri constet, non esse secundos Conjuges separandos, colligitur ex *cap. Dominus* 2. *de secundis nuptiis*, & docent Reginald. *lib.* 31. *cap.* 12. *nu.* 72. Bossius *Mor. var. part.* 2. *titul.* 1. §. 51. *n.* 1012. Covarruv. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 7. §. 3. *n.* 4. quia si vir primus vere mortuus esset, fieret injuria huic secundo matrimonio, quod validum, & certius est.

CA-

CAPUT XII.

De Impedimento Vis, & Metus, & an super illo dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Liber consensus ad matrimonii validitatem de Jure Naturæ requiritur, nec ulla potestas tam Ecclesiastica, quam sæcularis, potest cogere, absque eo, ad contrahendum,* & nu. 5.
2 *Matrimonii essentia, non in carnali copula, sed in mutuo consensu consistit.*
3 *Consensus dicitur matrimonii radix.*
4 *Deus, quamvis sit verus Dominus Corporum, tamen non potest ab eo fieri, ut matrimonium, absque ipsorum Contrahentium consensu, valeat.*
6 *Immo non sufficit dict. consensus, sed requiritur plena libertas, & securitas.*
7 *Adeo ut Contrahentes, non solum sint liberi à coactione, sed etiam à coactionis timore.*
8 *Quod procedit, sive per se ipsum, vel per Procuratorem, contrahatur.*
9 *Procurator ad contrahendum, licet vero consensu constitutus sit, tamen, si, antequam matrimonium contrahatur, Mandatum per dissensum, fuerit revocatum, etiam si Procuratori intimata non sit revocatio, nihilominus matrimonium, per eum contractum, post revocationem, erit nullum*
10 *Nec valebit dictum matrimonium quamvis, post revocatum Procuratorem, quis ratum habeat, quia novus consensus requiritur.*
11 *Si constituens Procuratorem, ficte consensisset in mandato, sed antequam contractum fuisset matrimonium, vere consensisset, matrimonium valebit.*
12 *Constituens Procuratorem, si postea incidat in amentiam, & in ea perseveret, & ea durante, matrimonium contrahatur, nihilominus erit validum.*
13 *Matrimonium, ut per Procuratorem contractum validum sit, requiritur, ut idem consensus, & eadem libertas fuerit tempore facti mandati, & perseveret donec matrimonium rite contractum sit.*
14 *Princeps absolutus, licet possit aliquem compellere, ut certam personam ducat, si expediat pro bono publico,*
15 *Tamen hujusmodi matrimonium, ut sit validum, requiritur Conjugum consensus.*
16 *Pœnæ stipulatio in casu, quo matrimonium non sequatur, non valet.*
17 *Statutum, seu Lex prohibens filiis, ne contrahant matrimonium, absque parentum consensu, non valet.*
18 *Dispositio Testatoris, quod filia non possit contrahere, nisi cum consensu tertii, non valet.*
19 *Mala, quæ ex coactis nuptiis eveniunt, referuntur.*
20 *Super defectu consensus Pontifex non potest dispensare, cum in eo, Ecclesia, & Princeps non possint supplere,* num. 21.
22 *Matrimonium, metu, & absque libero consensu contractum, quando irritum, sit, & nullum, remissive.*
23 *Consensus utriusque Sponsi non requiritur, ut uno, & eodem tempore sequatur, sed sat est, ut interveniat diverso tempore, dummodo alterius Sponsi consensus duret.*
24 *Matrimonium, per amentem contractum, est nullum, cum non possit consentire.*
25 *Limita, si esset sanus, & haberet lucida intervalla tempore, quo vellet contrahere.*
26 *In dubio tamen actus præsumitur factus sana mente.*
27 *Non omnis metus irritat matrimonium, sed tantum gravis, & cadens in constantem virum, & metus levis non habetur in consideratione;* num. 28.
29 *Metus gravis, & cadens in constantem virum quando dicatur, inter se DD. dissident, nam alii existimant, tunc dici, quando majus malum timetur.*
30 *Alii vero dici gravem affirmant, quando mors, aliudve grave malum, sibi, parentibus, filii, & similibus timetur.*
31 *Carceratio diuturna, dicitur malum grave inducens metum gravem.*
32 *Pœna carceris æquiparatur damnationi in metallum.*
33 *Et de Jure Canonico imponitur, ubi de Jure Civili, mortis pœna irroganda venit.*
34 *Carceris pœna dicitur species servitutis, mala mansio, & sepultura vivorum.*
35 *Terror armorum dicitur causa metus gravis, quamvis illa portans eis non utatur.*
36 *Metus captivitatis apud hostes pariter dicitur magnum malum.*
37 *Exilium diuturnum, & cum magno intermedio, dicitur gravis metus causa.*
38 *Similiter passio stupri, tam in masculo, quam in fœmina, metus gravis causa dicitur, cum viris bonis iste metus major esse debeat, quam mortis.*
39 *Honor, tanquam omnium bonorum maximum, omni commodo, & utilitatis, ac divitiis est præferendus.*
40 *Honoris, & vitæ causa æquiparantur.*
41 *Immo honor est ipsa vita pretiosior.*
42 *Honor est augmentum familiæ.*
43 *Unde quis potius mori debet, quam honoris detrimentum subire, & vivere sine honore est mori.*
44 *Amissio omnium facultatum, vel majoris, aut magnæ, seu notabilis partis, est causa gravis metus.*
45 *Metus amissionis facultatum, æquiparatur metui mortis.*
46 *Major est pœna privationis bonorum, quam vitæ.*
47 *Et bona amittens, dicitur amittere personam, & pro mortuo reputatur.*
48 *Amissio insignis Dignitatis, aut Officii, non solum adepti, sed etiam de proximo adipiscendi, dicitur magnum malum.*
49 *Amissio magni lucri æquiparatur pœna, & infert justum metum.*
50 *Metus mutilationis alicujus membri, aut alterius gravis cruciatus, dicitur gravis metus.*
51 *Metus injustæ excommunicationis dicitur grave malum, cum excommunicatio sit pœna gravissima, & afferat infamiam.*
52 *Excommunicatio dicitur omnium pœnarum Ecclesiasticarum maxima.*
53 *Preces importunæ Principis, vel parentum, addito metu reverentiali, sufficiunt ad inducendum metum cadentem in virum constantem.*
54 *Intellige, si isti sint soliti sævitiam exercere.*
55 *Nomine parentum hoc casu, non solum veniunt pater, sed mater, avus, & omnes, quibus reverentia debetur, item frater major, respectu minoris, & Tutor & Curator respectu minoris.*
56 *Blanditiæ, importunæque preces, cum metu indignationis Principis, vel parentum, vel malæ tractationes diuturnæ, vim coactionis habent, & libertatem matrimonii lædunt.*
57 *Infamiæ timor, dicitur metus cadens in constantem virum.*
58 *Prædicta tamen, pro foro externo, remittuntur arbitrio Judicis, & pro foro interno viri prudentis.*
59 *Metus est duplex nempe, absolute gravis, & respective gravis.*
60 *Unde cum metus, quamvis ex eadem causa procedens, possit in una persona esse gravis, & in alia levis ideo considerandæ sunt ætas sexus, & alia, quæ in una persona possent esse gravia, in alia non, veluti infamia in persona vili, aut nobili, & multa de materia referuntur.*
61 *Metus*

61 *Metus durare dicitur donec ejus causa adest, ideo si maritus inferat metum, quandiu duret matrimonium, dicitur metum adesse.*

62 *Nec unquam dicitur metum esse purgatum, nisi illum patiens, fuerit positus in plena libertate.*

63 *Semel probato metu, omnes actus subsequentes sunt meticulosi, quamvis libertatem præferant.*

64 *Clericus, metu ordinatus, non illum purgat, nec validat Ordinem, quamvis per plures annos, credens Ordinem validum, in illo se exercuerit, & proinde uxorem ducere poterit.*

65 *Si quis contractum per metum fecerit, licet longo tempore exequatur, solvendo, non tamen dicitur metus, purgatus, si ex alia causa solvisse dici poterit.*

66 *Actus factus ex necessitate præsumitur, quando præcessit jussio, vel coactio, quia sufficit potentia nocendi.*

67 *Matrimonium metu contractum, ut ratificatum censeatur, necesse est, ut ratificans sciat matrimonium prius contractum fuisse nullum, alias si ex errore putabat prius matrimonium validum, & ideo consentiret in copula, prius matrimonium non ratificabitur.*

68 *Metus, quando durare dicatur, & quando purgatus censeatur remissive.*

69 *Ad probandum matrimonium fuisse gravi metu contractum, admittuntur testes singulares, licet alias, pro dissolvendo matrimonio, probationes concludentissimæ requirantur.*

70 *Immo magis creditur duobus testibus de metu, quam mille de libera voluntate deponentibus.*

71 *Quia nunquam favendum est matrimonio gravi metu contracto.*

72 *Non omnis metus, licet gravis, matrimonium irritat, sed solum metus, qui ad effectum injuste matrimonium extorquendi incutitur, unde, si ad alium effectum incutiatur, & non ad matrimonium extorquendum, non vitiat.*

73 *Metus ad effectum matrimonium extorquendi dupliciter incutitur, nempe juste, & injuste.*

74 *Juste dicitur metum incuti, quando comminantur pœnæ à lege inflictæ, nisi quis matrimonium contrahat, & tunc non vitiatur, quamvis, ob metum pœnarum, in matrimonium consentiat* 2 & num. 77.

Nec censetur metum inferre, qui justam pœnam legis minatur ex delicto infligendam, & n. 78.

75 *Injuste dicitur, quando per vim absolutam, auctoritate propria comminando mortem, aliudve grave malum, matrimonium extorquetur, & tunc vitiatur, si ex causa metus prædicti contrahatur,* & nu. 76.

78 *Si lex non imponeret pœnam corporis afflictivam, sed disponeret alternative, v. gr. quod Stuprator teneatur, vel Stupratam ducere, vel dotare, tunc matrimonium non valeret, si præcise compelleretur ad matrimonium contrahendum.*

80 *Stuprator, si videns patrem, vel consanguineos mulieris in se venire cum armis ad vindictam offensæ, non tamen ad matrimonium extorquendum, & ipsa sua sponte, ut mortem, vel aliud malum grave evitet, offerat matrimonium inire, valebit matrimonium.*

81 *Matrimonium, timore inferni, mortis, naufragii, cum concubina contractum, non dicitur invalidum.*

82 *Nec vitiatur matrimonium, si quis post sponsalia rite contracta cum fœmina, vel post stuprum cum ea commissum sub promissione futuri matrimonii, absque justa causa resiliat, & ob id à Superiore compellatur adhibere consensum.*

83 *Et proinde Stuprator nullam patitur injuriam, si cogatur contrahere cum Stuprata.*

84 *Matrimonium pariter non vitiatur si quis offerat illud contrahere, ut evitet aliquod malum, quod ex alia causa patitur, vel carcerationem, & pœnam mortis, ob quam effugiendum, promittat ducere filiam Judicis, & infirmus filiam Medici, recusantis aliter illum curare, quod procedit & in obsesso, ad effectum se ab obsidione liberandi.*

85 *Matrimonium gravi metu contractum, est ita irritum, ut ex parte utriusque Conjugis, in foro conscientiæ, nullam pariat obligationem, quamvis fuisset juramento firmatum.*

86 *Quia juramentum non supplet defectum liberi consensus.*

87 *Immo nec ab eo juramento requiritur relaxatio.*

88 *Si tamen metum passus, postea etiam tacite in hujusmodi matrimonio, seu in copulam maritali affectu habitam consentiat, antequam alter defectum norit, vel si de eo conscius in consensu nihilominus perseveraverit, matrimonium validabitur, si hujusmodi impedimentum dissensus in occulto adhuc sit, nec erit opus præsentia Parochi, & Testium.*

89 *Matrimonium, ex gravi metu contractum; licet ex defectu consensus sit ipso Jure nullum, adeo ut Conjux, qui non consensit, non possit nec petere, nec reddere debitum absque peccato.*

90 *Tamen in foro externo præsumitur validum, cum de consensu exterius præstito Ecclesiæ constet, nec de dissensu, uti occulto, constare possit.*

91 *Et Ecclesia eos Conjuges, qui vere non consenserunt, coget insimul manere, nec credet simplici assertioni Conjugi dicentis se non consensisse.*

92 *Ecclesia non præsumit aliquem delinquere, nisi legitime constet.*

93 *Voluntas talis esse præsumitur, qualem verba demonstrant.*

94 *Matrimonium, ut ex defectu consensus sit nullum, requiritur, quod Ecclesia declaret per sententiam illud irritum.*

95 *Lite orta super nullitate matrimonii, si probationes offerantur in continenti, hoc est infra biduum, tunc restitutio Conjugum est facienda, quoad habitationem; si matrimonium jam consummatum erit, & probationes non offerantur in continenti, tunc restitutio fiet etiam quoad thorum.*

96 *Si alter Conjux sit certus de Impedimento dirimenti, non potest ulla ratione petere, nec reddere debitum, ac cohabitare quamvis ab Ecclesia, pro foro externo excommunicaretur, vitæque periculum gravissimum subiret.*

97 *Conjux non tenetur credere alteri aperienti, se non consensisse, nisi conjecturæ tales essent, ut credere convinceretur; at si credat, nec ipse poterit petere, nec reddere.*

98 *Conjecturæ hujusmodi, quales sint, remissive.*

99 *In dubio præsumendum est pro matrimonio, quod consensus adfuerit.*

100 *Si quis ficte contrahet cum una coram Parocho, & Testibus, & non habita copula, deinde servatis Ecclesiæ solemnitatibus, cum altera vere contrahat, primum licet in foro conscientiæ esset invalidum, nihilominus pro foro externo, reputabitur validum, donec causa cognita, declaretur nullum, pro foro externo.*

101 *Incutiens metum ad extorquendum matrimonii libertatem, incurri excommunicationem, ex Sac. Concilio Tridentino, cujus dispositio refertur.*

CErtum est, & indubium id, quod tradunt communiter Doctores, nempe, nulla humana potestate, Ecclesiastica, vel sæculari, fieri posse, ut Matrimonium, absque libero Contrahentium consensu, validum sit, cum is Jure naturæ ad ipsius matrimonii validitatem requiratur. Gutierez *de Matrimon. cap.* 46. *num.* 3. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 3. *num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 27. *num.* 2. Trullenck *Oper. Mor. lib.* 7. *cap.* 5. *dub. pr. num.* 7. Filiucc. *QQ. Mor. tomo* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. *n.* 69. Boss. *de Matrim. contractu cap.* 11. *num.* 2. Escob. *Theol. mor. tract.* 7. *exam.* 9. *c.* 2. *num.* 78. Marant. *resp.* 13. *num.* 45. *p.* 2. 1

Essentia namque Matrimonii, non in carnali copula consistit, sed in ipso mutuo consensu, quo uterque Conjugum in alterius corpus consentiens potestatem 2

ſtatem tradit. Rot. coram Cavaler. *deciſ.* 166. *num.* 4. Rot. *inter impreſſas poſt ſec. volum. Conſiliorum Farinacii deciſ.* 265. *num.* 3. *&* *num.* 5. Tuſch. *concluſ.* 116. *n.* 8. *lit. M.* Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 25. *num.* 1. Bonacc. *de Matr. q.* 2. *punct. pr. nu.* 10. Layman. *Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap. pr. num.* 1. *&* 2. Genc. *de Cenſib. qu.* 5. *num.* 23. Hieronym. Palma *conſ.* 87. *n.* 8. Cævall. *QQ. Comm. contra Comm. q.* 825. *num.* 14. Fontanell. *de Pactis Nupt. clauſula* 5. *Gloſſa* 8. *part.* 10. *num.* 35. *tom.* 2. cum
3 dictus conſenſus ſit Matrimonii radix *l. Nuptias* 31. *de Reg. Jur.* Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *q.* 48. *num.* 98. Soacius *ſuper Inſtituta part.* 2. *tit.* 10. *de Sponſ. §. Quid ſit Matrimonium num.* 10. Et quam-
4 vis Deus ſit verus Dominus ipſorum corporum, tanquam & ipſi Contrahentes, immo ſupremus ſit, & independens, tamen non poterit ab eo fieri, ut conſtet Matrimonium abſque ipſorum Contrahentium conſenſu. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 26. *n.* 5. Trullenck. *l. c.* Coninck *de Sacram. diſp.* 24. *dub.* 4. *num.* 48. Marant. *Reſp.* 6. *num.* 82. *part. pr.* cum etenim Ma-
5 trimonii eſſentia ſit dictus conſenſus, ut diximus, ſicut Homo non poteſt eſſe ſine Anima rationali, ſic Matrimonium non poteſt abſque conſenſu con-
6 ſtare: Immo nec ſufficit dictus conſenſus, ſed requiritur plena libertas, ac ſecuritas, *cap. Cum locum* 14. *de Sponſ. & Matrimon.* Ludoviſ. *deciſ.* 326. *num.* 31. Sperell. *deciſ.* 5. *num.* 34. *&* *num.* 46. Rota *inter impreſſas poſt pr. lib. conſil. Farinacii deciſ.* 107.
7 *num.* 5. adeo ut non ſolum liberi ſint contrahentes à coactione, verum etiam à coactionis timore. Ludoviſ. *deciſ.* 374. *à num.* 18. Sanch. *lib.* 4. *diſp. pr. nu.* 18. Sperell. *d. deciſ.* 5. *nu.* 34. *&* *deciſ.* 171. *num.* 42. Marant. *Reſp.* 6. *num.* 37. *par. pr.* quod
8 idem rite procedit, ſive per ſe ipſos, ſive per Procuratorem, contrahant; quia, ſi cum ficto conſenſu conſtituatur Procurator, vel quatenus cum vero conſenſu conſtitutus ſit, tamen antequam Matrimonium rite contractum fuerit, Conſtituens diſſen-
9 tiat, & Mandatum revocet, quamvis etiam ea revocatio non fuerit Procuratori intimata, Matrimonium poſtea contractum nullum erit. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 11. *num.* 6. Tuſch. *concluſ.* 133. *num.* 7. *lit. M.* Gutier. *de Matr. cap.* 43. *num.* 5. *&* 6. Rota *in poſthumis Farinacii deciſ.* 204. *num.* 1. *part.* 2. Auſ. *de Matrim. q.* 3. *ſect.* 5. & aperte conſtat *cap.*
10 *fin. de Procur. in* 6. & docent communiter Doctores: Nec pariter valebit Matrimonium, quamvis, poſt revocatum Procuratorem, quis ratum habeat Matrimonium per Procuratorem revocatum contractum, quia novo conſenſu opus eſt. Tuſch. *concluſ.*
11 15. *num.* 3. *lit. M.* At è contra, validum eſſet Matrimonium, ſi ille, qui Procuratorem conſtituit, ficte quidem conſenſiſſet in Mandato, ſed, antequam contractum fuiſſet Matrimonium, vere conſenſiſſet. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 11. *num.* 13. Boſſius
12 *de Matrimonii contractu cap.* 3. *num.* 272. quia tempore Contractus, adeſt verus conſenſus; unde, quamvis, poſt Mandatum factum ad contrahendum, Principalis incideret in amentiam, & in ea perſeveraret, ac dicta amentia durante, celebraretur Matrimonium, hujuſmodi Matrimonium eſſet validum, quicquid contradicat Pontius *lib.* 2. *cap.* 15. *nu.* 14. quia Mandatum nec tacite, nec expreſſe fuit revocatum, & primus conſenſus duravit, Sanch. *d. diſp.* 11. *n.* 1. Eſcobar *Theol. mor. tract.* 7. *exam.* 9. *cap.* 9. *verſ. Mittit. quis.* Bonacc. *de Matr. q.* 2.
13 *puncto* 5. *nu.* 13. Ad hoc enim, ut Matrimonium, per Procuratorem contractum, validum ſit, requiritur, ut idem conſenſus, & eadem libertas fuerit tempore facti Mandati, & perſeveret etiam, donec Matrimonium rite contractum ſit Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 12. *num.* 22. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 1 Meroll. *tom. pr. diſp. pr. cap.* 3. *num.* 264 Pontius *de Matrim. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 16. Averſ. *de Matr. q.* 4. *ſect.* 2. *verſ. Demum.*

14 Et licet Princeps abſolutus poſſit aliquem compellere, ut certam Perſonam ducat, ſi hujuſmodi Matrimonium pro bono publico valde expediens ſit, Fragoſ. *de Regim. Chriſt. Reip. p.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 4. §. 2. *n.* 300. Sanch. *n.* 3. & Filiuc. *il. cc* non tamen validum 15
erit Matrimonium, niſi Conjugum conſenſus adfuerit, per ea, quæ ſupra diximus; prout nec valebit ſtipulatio pœnæ, in caſu, quo Matrimonium non ſequa- 16
tur. Hoſtienſ. *in cap. Gemma de Sponſ.* Tuſch. *concluſ.* 133. *nu.* 1. *lit. M.* Immo nec valebit Lex, ſeu 17
Statutum, prohibens Filiis contrahere Matrimonium abſque Parentum conſenſu. Tuſch. *l. c. nu.* 3. Immo nec valebit diſpoſitio Teſtatoris, quod Filia non poſ- 18
ſit Matrimonium contrahere, niſi cum conſenſu tertiæ Perſonæ. Tuſch. *l. c. num.* 5. *&* alii, quos propterea citavimus præſenti Libro.

Et quidem, quæ mala ex coactis Nuptiis non ſe- 19
quuntur? quæ delicta non perpetrantur? quæ ſcandala non oriuntur? hinc perpetua inter Conjuges diſſidia, & livores; inter eorum Affines ſupercilia; hinc Maritus inſalutata Uxore, diſcedit; hinc Adulteria, hinc ſæpe machinatio vitæ in Conjuges; non ergo mirum, ſi Matrimonium, metu, & abſque conſenſu, contractum, non ſolum ſit irritum Jure humano, ſed etiam divino, ut docent Sperell. *deciſ. Fori Eccleſiaſtici part. pr. deciſ.* 6. *num.* 3. & alii Doctores à nobis præſenti libro citati; & proinde, ſuper 20
conſenſus defectu, non poſſe, etiam per ipſum Pontificem diſpenſari docent Averſa *de Matrim. q.* 11. *ſect.* 4. *verſ. Quantum ad primum.* Angelus *verbo Matrimonium, Impedimento* 18. *num.* 2. Filiucc. *tomo pr. tract.* 10. *part. pr. cap.* 3. *num.* 69. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 26. *nu.* 5. Tuſch. *concluſ.* 116. *nu.* 4. *lit. M.* Boſſ. *de Matrimonii contr. cap.* 2. *num.* 45. cum Eccleſia, & Prin- 21
ceps non poſſint in Matrimonio ſupplere conſenſum, ſicut in aliis Contractibus ſuppleri poteſt; vide Fragoſium *l. c.* Cum itaque non poſſit ſuper hoc diſſenſus Impedimento diſpenſari, non eſt quod fuſe materiam pertractemus, ſed ſolum magis practicabilia adnotemus, ex quibus, an, & quando Matrimonium metu, & abſque libero conſenſu contractum, irritum, & nullum ſit, dignoſci poſſit: Si 22
quis autem totam materiam fuſe, & docte pertractatam habere cupiat, videre poterit penes Sanch. *toto lib.* 4. Ventrigl. *prax. Annotatione* 4. *in tribus Paragraphis.* Sperell. *tota deciſ.* 5. Barboſ. *in Votis Canonicis, Voto* 16. *lib.* 2. ubi fuſiſſime, & doctiſſime, ut ſolet, totam materiam optime declarat.

Et ut aliqua veloci calamo percurramus, in primis adnotandum eſt.

Non requiri de neceſſitate, ut conſenſus utriuſ- 23
que Sponſi uno, eodemque tempore, præſtetur, ſed ſat erit, ſi diverſo tempore ſubſequatur, dummodo alterius Sponſi conſenſus adhuc perſeveret. Navarr. *in Summa cap.* 22. *num.* 80. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 32. *n.* 3. Coninck *de Sacram. diſp.* 24. *dub.* 7. *concluſ. pr. num.* 55. Filiucc. *d. cap.* 3. *nu.* 83. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 2. *num.* 4. Hieronym. Palma *conſ.* 87. *num.* 6. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 292.

Secundo adnotandum, non eſſe validum Matri- 24
monium ab Amente contractum, quia, cum non ſit mentis compos, & rationis capax, non eſt capax conſenſum præſtandi, *cap. Nec furioſus* 26. *cauſa* 32. *q.* 7. *cap. Dilectus filius* 24. *de Sponſal.* Sanchez *lib. pr. diſp. pr. num.* 15. Franciſc. Leo *in Theſ. Fori Eccleſ. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 99. Si tamen haberet lucida inter- 25
valla, & eo tempore, quo eſt ſanus mente, contraheret, valeret Matrimonium, Leo *l. c. num.* 100. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 8. *num.* 16. Maſcard. *de probat concluſ.* 875. *num* 13. Balth. de Thomaſis *pr. Decade tract. pr. tit.* 9. *num.* 113. Immo, in dubio, actus ſemper præſumitur factus, & celebratus ſana mente, *l. Si* 26
furioſum. §. Si vero, C. qui Teſtamentum facere poſſunt.

Tertio adnotandum, non omnem metum irritare 27
Matrimonium, ſed ad hoc, ut irritet, debere eſſe gravem, & cadentem in conſtantem Virum, hoc eſt diſcretum, & prudentem, *cap. Veniens* 15. *Sponſ. & Matrim.* quia Vir conſtans, & prudens, non perpe- 28
ram, nec abſque fundamento ſolido, ſed juſta, & probabili ratione conterretur; & proinde metus levis non habetur in conſideratione, *l. Nec timorem, ff. de eo, quod metus cauſa; c. Qui Dilectus de his, quæ vi.*

Qualis autem dicatur metus gravis, & cadens in 29
conſtantem Virum, diſſident Doctores; nonnulli exiſtimant,

ſtimant, tunc dici metum gravem, & cadentem in conſtantem Virum, quando ad majus malum vitandum eligitur minus. Tolet. *in Summa lib. 7. cap. 12. num. 2.* Sylveſter *verbo metus fere in princip.*

30 Alii docent, illum metum dici ex ſe gravem, & cadentem in conſtantem Virum, quando timetur mors, aut aliud grave malum, vel ſibi, vel Filiis, ſeu Parentibus, Fratribus, vel chariſſimis Amicis; pater *ex cap. Cum dilectus 6. de his, quæ vi &c. & d. l. Ne timorem.* Sanch. *lib. 4. tota diſp. 4.* Ventrigl. *in Praxi Annot. 51. num. 18.*

31 Regulariter autem infraſcripta dicuntur gravia mala; & primo, Carceratio diuturna. Gutier. *de Matrimon. cap. 77. num. 10.* Carolus de Graſſ. *de effect. Cleric. effect. 7. num. 17.* Sanch. *diſp. 5. num. 9.* Ventrigl. *l. c. num. 23.* cum æquiparetur damnationi in metallum. Lother. *lib. 3. quæſt. 33. num. 53.* Pignatell. *Controv.*

33 *Forenſ. cap. 52. num. 10. 11. & 12.* & imponatur, de Jure Canonico, ubi, de Jure Civili, mortis pœna venit irroganda. Merlin. *l. c.* Donat. Anton. de Marinis *Reſol. quotid. lib. 1. cap. 5. nu. 13.* immo eſt quæ-

34 dam ſpecies ſervitutis, mala manſio, & ſepultura Vivorum, Lælius de Altograd. *conſ. 26. num. 14. lib.* 2. immo ipſi morti æquiparatur. Rubeus *in Annotat. ad deciſ. 617. n. 59. tomo* 3. Barboſ. *in Votis Canonicis lib. 2. Voto 29. num. 15.* Creſcent. *deciſ. 9. num. 6. de Probationibus ſecunda edit. l. Ego puto, & l. Iſti*

35 *quidem, ff. de eo, quod metus cauſa.* Secundo, terror Armorum, Maſcardus *de Probat. concluſ. 1051. num. 49.* Sanch. *d. diſp. 5. num. 5.* Gutierr. *de Matrim. d. cap. 77. num. 8.* quamvis illa portans eis non utatur, Gabriel *tomo 2. comm. lib. 11.*

36 *verbo Metus.* Sanch. *l. c. nu. 5.* Ventrigilia *d. §. 1. n. 21.* Tertio, metus Captivitatis apud Hoſtes, quia eſt plane magnum malum, ut notorie conſtat, & affirmat Sanchez *l. c. n. 7.*

37 Quarto, exilium diuturnum, & cum magno incommodo, Sanchez *l. c. n. 8.* Ventriglia *l. c. n. 22.*

38 Quinto, paſſio Stupri, tam in Maſculo, quam in Fœmina; *Pater, l. Iſti 8. ff. de eo, quod metus cauſa*, ubi dicitur, cum Viris bonis iſte metus major eſſe debeat quam mortis, & non ſolum in Virgine, ſed etiam in qualibet Muliere honeſta, cui ſane moleſtiſſimum eſſet talem vim pati. Sanch. *n. 12.* Ventriglia *n. 24. ll. cc.* Leoncill. *de opibus Paupertatis part. 2.*

39 *Privil. 170. num. 46.* cum honor, tamquam omnium bonorum maximum, omni commodo, utilitati, ac divitiis quibuſcunque ſit præferendus; idem Rubeus *in Annot. ad deciſ. 636. num. 141. tomo* 3. Sperell. *deciſ. 45. nu. 19.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 111. n. 21.* Rubeus *l. c. num. 142. &* 144. Caball. *tract. de*

40 *omni genere Homicidii nu. 93.* & honoris, ac vitæ cauſæ æquiparentur. Barboſ. *de Axiomat. Axiomat.*

41 *111. nu. 3.* Pignatell. *Controv. forenſ. cap. 66. n. 21. &* 22. *Centuria 1.* immo honor ipſe ſit vita pretio-

42 ſior. Sperell. *l. c. n. 20.* Menoch. *de Arbitr. caſu 397. num. 7.* cum ipſe honor ſit augmentum Familiæ *l. 1. C. de his, qui eo*; unde potius debeat quis

43 mori, quam Honoris detrimentum ſubire *d. l. Iſti quidem*, & vivere ſine honore eſt mori, *l. Iſti quidem 8. ff. de eo, quod metus cauſa*; Jo: Valerus *Diff. utr. Fori, verbo vita, & honor. n. 1.*

44 Sexto, amiſſio omnium facultatum, vel majoris partis, vel magnæ, & notabilis, Sanchez *lib. 4. diſp. 5. num. 21. &* 22. Ventriglia *num 28. ll. cc.* cum

45 metus amiſſionis facultatum æquiparetur metui mortis. Rot. *inter impreſſas poſt ſecund. volum. conſil. Crim. Farinacii deciſ. 242.* Pariſ. *de Reſignat. lib. 13. qu.*

46 *1. num. 145.* Barboſ. *in Votis Canonic. lib. 2. Voto 16. num. 36.* & major ſit pœna privationis bonorum, quam vitæ; Leoncill. *de Opibus Paupertatis part. 2. privileg. 236. nu. 38.* Barboſ. *in Votis Canonicis d. Voto*

47 *16. n. 37.* Ludoviſ. *deciſ. 326. à num. 19.* & bona amittens, dicatur amittere Perſonam, & pro mortuo reputetur. Gratian. *Diſcept. for. c. 423. n. 10. tomo* 3.

48 Septimo, amiſſio inſignis Dignitatis, aut Officii, & hoc non ſolum de his, quæ quis jam poſſidet, ſed etiam de his, de quibus proxima ſpes eſt, & Jus illa acquirendi; & quidem magnum nullam eſſet injuſte impediri ab hujuſmodi inſigni acquiſitione; faciunt dicta à Sanchez *lib. 4. diſp. 5. num. 25.*

Addit Rubeus *deciſ. 493. n. 33. &* 34. amiſſio- 49
nem magni lucri æquiparari pœnæ, & inferre juſtum metum, quod idem confirmat Sanchez *l. c. nu. 26. &* 27. ſi metum paſſus per injuriam, hoc eſt, contra juſtitiam, arceatur à lucro.

Octavo, metus mutilationis alicujus membri, aut alterius gravis cruciatus, ut expreſſe habetur 50
in cap. Cum Dilectus, De, his quæ vi &c. & d. l. Nec timorem, ff. Quod metus cauſa. Sanchez *l. c. num. 4.*

Nono, metus injuſtæ Excommunicationis, cum 51
Excommunicatio ſit pœna graviſſima privans Excommunicatum ab humano conſortio, ultra notam infamiæ, quam affert, Sanch. ubi ſupra *n. 16.* Pariſ. *de Reſignat. lib. 13. q. 1. n. 135.* Ventrigl. *l. c. n.*

26. Pelliccion. *QQ. Ill. q. 37. col. prim. pag. mihi 262.* 52
immo ſit omnium Eccleſiaſticarum pœnarum maxima, *cap. corripiatur 24. qu. 3.* Sanch. *lib. 4. d. diſp. 5. num. 17.* & alli, quos, propterea *in lib. 1. cap. 6.* citavimus.

Decimo, Preces importunæ Principis, vel Paren- 53
tum, addito metu reverentiali, ſufficiunt ad incutiendum gravem metum, & cadentem in conſtantem Virum; Laym. *d. c. 5. n. 3.* Pont. *de Matr. lib. 4. cap. 5. num. 17.* Steph. à S. Greg. *de Vinc. Divin. Pietat. l. c. n. 5.* Sanch. *lib. 4. diſp. 7. num. 5.* In-

tellige, ſi iſti ſoliti ſint ſævitiam exercere, Sanch. 54
lib. 4. diſp. 6. num. 7. Et nomine Parentum intelliguntur hoc caſu, non ſolum Pater, ſed Mater, Avus, 55
Patruus, aut alii ſimili modo conjuncti, quibus naturaliter reverentia debetur; item Frater major reſpectu minoris; item Tutor, & Curator reſpectu illorum Filiorum, qui ſunt ſub tutela, & cura, ut bene animadvertunt Averſa *l. c. ſect. 5. in princip.* Barboſ. *in Votis Canonicis lib. 2. Voto 17. num. 134.*

Ventriglia *l. c. nu. 31.* nec deſunt, qui affirment, blan- 56
ditias, & importunas preces, addito metu gravis indignationis Principis, ſeu Parentum, vel male tractationis diuturnæ, habere vim coactionis, & ſufficere ad irritandum Matrimonium, quia hoc notabiliter minuit libertatem; vide Averſ. *l. c. verſ. Dicendum tamen.* Laymanum *l. c.* Pontium *lib. 4. cap. 5. nu. 17.* & faciunt dicta per Barboſ. *in Votis Canonicis lib. 1. Voto 1. n. 30.*

Alii tandem addunt metum Infamiæ, tum juris, 57
tum facti, eſſe gravem, & cadere in conſtantem Virum, vide Sanchez *d. diſp. 5. num. 14. & num. 15.*

Quicquid tamen dictum fuerit ſupra, tum dic pro- 58
babilius, id totum remitti debere arbitrio Judicis pro foro externo, & arbitrio prudentis viri pro foro interno. Sanch. *d. lib. 4. diſp. 4. num. 1.* quia vere non poteſt aſſignari certa regula pro omnibus; metus enim duplex eſt, nempe abſolute gravis, & re- 59
ſpective gravis, ut bene advertunt Sanch. *lib. 4. diſp. 3. n. 2.* Filiuccius *d. tract. 10. par. 1. cap. 4. num. 115.* Stephanus à S. Greg. *lib. 3. cap. 95. n. 16.*

Ventrigl. *l. c. num. 14.* unde idem metus, quamvis 60
ab eadem cauſa procedens, poterit in una Perſona eſſe gravis, & in alia levis; & propterea conſideranda ſunt ætas, ſexus, naturalis & ſingularis generoſitas, vel imbecillitas Perſonæ, cui metus incutitur; nam cruciatus corporis, qui ſuſtinetur ab uno, aliquando non ſuſtinetur ab alio, infamia, ſive contumelia, quæ non eſſet valde gravis in Perſona plebeja, & infimæ conditionis, eadem eſſet intolerabilis à Perſona nobili, & illuſtri; & ſic jactura centum ſcutorum, quæ parum gravaret divitem, eadem opprimeret, & perderet pauperem; timor tandem futuri comminati mali, plus poteſt eſſe urgens in uno, quam in alio; & magis timeri à fœmina, quam à viro, & plus à ſene imbecille, quam à juvene forti; unde, ſecundum diverſitatem Perſonarum, quæ incutiunt metum, ac earum, quibus incutitur, diverſimode judicari debet metus gravis, vel levis. Ita Sanchez *l. 4. diſp. 3. n. 2.* Pariſ. *de Reſignat. Benef. lib. 9. quæſt. 25. n. 38.* Coninck *de Sacram. diſp. 28. dub. 2. n. 29. &* 30. Bonac. *de Matrim. qu. 3. punct. 6. num. 6. circa finem*, & faciunt dicta per Barboſ. *in Votis Canonicis, lib. 1. vot. 11. num. 24.* Ventrigl.

trigl. *l. c. num.* 15. Vide dictum Barbos. *lib. 2. vot. 16.* ubi diffusissime, & doctissime agit de hujusmodi metu; & an, & quando matrimonium irritet.

61 Quarto adnotandum, durare causam metus, & timoris, quamdiu durat subjectio incutienti timorem; v. gr. si maritus metum inferat, quamdiu durat matrimonium; si Judex, dum durat officium. Ita *Gloss. cap. Perlatum primo, verb. Postmodum, de his quæ vi &c.* Menochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 4. num. 23.* Mascard. *de probat. conclus. 105. nu. 36.*

62 Ventrigl. *in Praxi annot. 4. §. 2. num. 15.* Pont. *lib. 4. cap. 17. nu. 3.* Rota inter impressas post sec. Volum. Consil. Farinacii *dec. 263. n. 5.* Tusch. *conclus. 220. n. 1. lit. M.* nec umquam dicitur metum esse purgatum, nisi metum passus positus sit in plena libertate. Seraphin. *decis. 851. num. 1. 5. & 6.* Ventriglia *l. c. n. 20.* Paris. *de Resignat. lib. 13. qu. 1. nu. 213.* & semel probato metu, omnes actus sub-

63 sequentes sunt meticulosi, quamvis præseferant libertatem. Seraphin. Mascard. & Ventrigl. *ll. cc.* Ricc. *in Collect. Decis. part. 4. decis. 878.* Vide etiam Sanch. *lib. 2. disp. 36. num. 2. & in lib. 4. disp. 18. nu. 7.* Sperell. *decis. 80. num. 8.* & à simili, Clericus metu

64 ordinatus, non purgat illum, nec validat Ordinem, quamvis, per plures annos credens Ordinem validum, in illo se exercuisset, & proinde hic posset matrimonium contrahere, juxta doctrinam Gonzal. *Glossa 31. num. 38.* Navarr. *lib. 4. Consil. titul. De his, quæ vi, & metu, &c. toto cons. 7. in pr. edit.*

65 si quis pariter fecit contractum per metum, licet longo tempore exequatur, solvendo, non tamen dicitur purgatus metus, si ex alia causa solvisse dici

66 possit. Tuschus *conclus. 220. n. 17. lit. M.* quia actus factus ex voluntate, præfumitur factus ex necessitate, quando præcessit jussio, vel coactio, quia sufficit potentia nocendi. Anchar. *cons. 159. n. 4. & 5.* Tusch. *l. c. n. 34.* Ad hoc ut matrimonium, metu contractum, ratificatum, censeatur, necesse est, ut Ratificans sciat matrimonium prius contra-

67 ctum fuisse nullum, alias si ex errore quia putabat prius matrimonium validum fuisse, cohabitaret, aut consentiret in copulam, non ratificabitur prius matrimonium. Gutier. *de Matrim. cap. 76. à num. 22.* Sanch. *lib. 2. disp. 36. num. 2.* Leo *in Praxi Pœnit. part. 2. formula in prim. ex actu fornicario, de contracto, vers. Hæc clausula, pag. mihi 251.* unde jure Sacra Congregatio, sub die 15. Septembris 1629. teste Pyrrho Corrad. *in Praxi Disp. Apostol. lib. 7. cap. 7. nu. 42.* declaravit invalidum quoddam matrimonium contractum à filia, propter metum mortis, sibi à matre incussum, quamvis illa, post obitum matris, per septennium, cum viro permansisset, & filios suscepisset: vide Tusch. *conclus. 220. num. 9. lit.*

68 *M.* ubi, an, & quando, metus durare censeatur, & quando præsumatur purgatus, fusissime discutit.

Cæterum, quicquid dictum fuerit *cap. 11. nu. 17.* requiri, ad dissolvendum matrimonium rite contra-

69 ctum, probationes concludentissimas, & Testes omni exceptione majores, nihilominus, quando agitur de dissolvendo matrimonio, gravi metu contracto, probatur ex Testibus singularibus. Gutierez *de Matrim. cap. 44. num. 54.* Ludovis. *dec. 326. num. 47.*

70 *& decis. 374. num. 20.* immo magis creditur duobus testibus, de metu deponentibus, quam mille, de libera voluntate testificantibus; idem Ludovis. *d.*

71 *decis. 326. num. 46.* quia numquam favendum est matrimonio sic gravi metu contracto. Seraph. *decis. 893. num. 32.*

Nota quinto, non omnem metum, quamvis alias gravem, & cadentem in constantem virum, irritare

72 matrimonium, sed solum irritare eum metum, qui ad effectum injuste extorquendi matrimonium incutitur, sive is procedat ex causa naturali, sive libera. Sanchez *lib. 4. disp. 12. nu. 3.* Coninck *disp. 28. dub. 1. conclus. 30. num. 9.* Laymanus *d. cap. 5. n. 1. vers. Secundo dixi* Bonaccina *d. punct. 8. propos. 2. in princip.* Filiucc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 4. nu. 102.* Aversa *de Matrim. quæst. 4. sect. 3. in fine, & sect. 4. vers. alius deinde metus.* Steph. à S. Greg. *d. quæst. 95. num. 7.* Ventrigl. *in dict. Praxi annot. 4. §. 2. num. 2.* Sperell. *decis. 6. n. 4. & 6.* unde, si ad alium effectum, quam matrimonii extorquendi, incutiatur, non vitiabit.

Nota tamen metum, qui incutitur ad effectum 73
matrimonii extorquendi, dupliciter incuti nempe vel juste, vel injuste; juste dicitur incuti metum, quan- 74
do comminantur pœnæ à lege inflictæ, nisi quis matrimonium contrahat; & tunc non vitiatur matrimonium, quamvis ob metum dictarum pœnarum per legem inflictarum, alius in matrimonium consentiat. Constat ex *cap. Ex literis, 10. de spons. & matr. l. si mulier, ff. de eo, quod metus causa,* & docent Sanchez *lib. 4. disp. 8. n. 9.* Coninck *disp. 28. dub. 1. n. 14.* Pontius *lib. 4. cap. 19. n. 7.* Layman. *l. c. n. 2.* Aversa *quæst. 4. sect. 4. vers. Metus tandem*: at injuste dicitur incuti, quando per vim absolutam au- 75
ctoritate propria comminando mortem, vel aliud grave malum, matrimonium extorquetur; & tunc matrimonium vitiatur, si ex causa dicti injusti metus contrahatur; aperte constat ex *cap. Veniens, 15. de spons.* ubi Pater, eo quia invenit juve- 76
nem in lecto cum filia, illum coegit matrimonium cum filia contrahere; unde hujusmodi matrimonium sic per vim absolutam, injuste extortum, fuit declaratum nullum, & irritum; quod 77
si Pater eidem juveni juste comminatus fuisset, nempe, quod, nisi filiam duceret, illum accusare volebat penes Judicem, unde pœnis à lege inflictis puniendus esset, & juvenis ad illud periculum evadendum, in matrimonium consensisset, valuisset matrimonium. Pontius *lib. 4. cap. 19. nu. 10.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 228.* & alii communiter; quia metus est eo casu à lege incussus, & proinde, si Judex juridice procedat, non dicitur inferre metum, 78
l. Continet, 3. §. Sed vim, ff. de eo, quod metus causa; nec censetur quis inferre metum, dum justum malum hoc est, accusationem ad Judicem comminatur, quin immo potius videtur metum jam ex delicto conceptum auferre, dum immunitatem offert, si 79
contrahat, ut bene animadvertunt Sanchez *lib. 4. disp. 13. n. 3.* Sperell. *dec. 6. n. 13.* si tamen lex non imponeret Stupratori pœnam corporis afflictivam, sed disponeret alternative, v. g. quod Stuprator teneretur vel Stupratam ducere, vel dotare, tunc non valeret matrimonium, si præcisse compelleretur ad matrimonium cum posset per dotationem supplere. Sanchez *l. c. n. 7.* Sperell. *l. c. nu. 13.* Stephan. à S. Gregor. *Univ. Tract. de Vincul. Div. Piet. cap. 95. num. 11.*

Valeret quidem matrimonium, si Stuprator vi- 80
dens patrem, vel alios consanguineos mulieris in se venire cum armis, ad vindictam offensæ, non tamen ad matrimonium extorquendum, & ipsemet sua sponte, ut mortem, vel aliud grave malum effugeret, matrimonium offerret, quia tunc metus ille, licet injuste incussus, non est per se, ac directe causa extorquendi matrimonii, sed solum per accidens, quatenus ipse Stuprator sic eligit, uti remedium ad se liberandum ab imminenti periculo; quod remedium cum sponte assumatur, non minuit libertatem, sed provenit ex libertate, ut bene Bonacc. *dict. punct.* 81
8. n. 22. & Diana *l. c.*

Nec pariter vitiabitur matrimonium, si quis timore inferni, mortis naufragii, & similium cum Concubina contrahat. Sanchez *lib. 4. disp. 12. n. 4.* Bonacc. *d. punct. 8. n. 18.* Aversa *d. quæst. 3. sect. 4. vers. Si quis* Filiucc. *d. tract. 10. part. 2. cap. 4. numer. 103.*

Immo nec vitiabitur matrimonium, si quis, post 82
sponsalia rite contracta cum fœmina vel post stuprum cum ea commissum, sub promissione futuri matrimonii, absque justa causa resiliat, & ob id à Superiore compellatur adhibere consensum; quia cum eo casu metus incutiatur de eo, quod juste, & licite fieri potest, quamvis etiam fiat ad effectum eliciendi consensum ad matrimonium, non dicitur incuti injuste, nec ex hoc fine fit injustum, ac illicitum, quod alioquin justum, & licitum est, sed remanet in eodem suo gradu, nec vitiat matrimonium, cum possit Superior eo casu præcipere, ut fidem servet, & matrimonium promissum contrahat,

& sub-

& subditus obedire tenetur; alias potest justo metu, & supplicii comminatione compelli, & per talem compulsionem non irrogatur alteri injuria, sed eidem injungitur, ut id perficiat, ad quod dispositione legis, & vigore suæ obligationis tenetur; & si grave damnum patitur, sibi imputet, cum ex sua culpa hujusmodi metum concitaverit, ac pœnæ se subjecerit. *Regula damn.* 87. *de Reg. Juris, in* 6. Marant. *Respons. utr. Jur. Resp.* 26. *nu.* 13. *part.* 2. Lother. *de Re Benef. lib.* 1. *qu.* 39. *nu.* 119. Pyrrh. Corrad. *in Praxi Disp. ad lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 48. & proinde si Stuprator matrimonium contrahere cogatur,
83 nullam patitur injuriam, ut concludunt Sanchez *lib.* 4. *disp.* 13. *nu.* 7. Avers. *de Matrim. quest.* 4. *sect.* 4. *prope finem*, *& sect.* 5. *vers. Resolutio tamen.* Bonacc. *d. propos.* 1. *n.* 13. Lessius *de Just. & Jur. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *n.* 2. Sperell. *decis.* 6. *num.* 15.

84 Eadem ratione non vitiabitur matrimonium, si carceratus ob aliam causam, quam matrimonii extorquendi, ut è carceribus liberetur, consentiat ducere aliquam fœminam; vel si condemnatus ad mortem, vel alia pœna plectendus, ut has pœnas evitet, consentiat ducere filiam Judicis, vel meretricem, seu aliam; vel si infirmus consentiat ducere filiam Medici, qui aliter illum curare non vult; vel si Princeps obsessus, ut ab obsidione liberetur, ducere velit filiam Obsidentis, si ea obsessio ad alium finem facta sit; quia his casibus, metus non incutitur ad finem matrimonii extorquendi, sed matrimonium quis eligit, ut pœnam, seu malum fugiat, quod sibi imminet; vide Sanch. *lib.* 4. *disp.* 12. Filiucc. *d. cap.* 4. Bonac. *d. punct.* 8. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 7. *dub.* 1.

85 Porro est ita irritum matrimonium gravi metu contractum, ut ex parte utriusque Conjugis, in foro conscientiæ, nullam omnino pariat obligationem, quamvis etiam fuisset juramento firmatum; colligitur ex *cap. Significavit*, 2. *de eo, qui duxit &c.* & docent Sanchez *lib.* 4. *disp.* 15. *num.* 1. *& disp.* 20. *num.* 12. Coninck *disp.* 23. *dub.* 4. *concluss.* 4. *n.* 44. Bonac. *de Matr. d. punct.* 8. *num.* 26. Filiucc. *QQ. Mor. tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 4. *n.* 120. Philipp. Pasch. *de Viribus Patr. Pont. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Tusch. *concluss.* 132. *nu.* 20. *lit. M.* Avers. *de Matr. quæst.* 4. *sect.* 6. *vers. Sed certum*; testans de communi; ratio est, quia cum hujusmodi matrimonium sit
86 irritum ex defectu liberi consensus, juramentum non supplet defectum consensus substantialiter requisiti; immo nec ab eo juramento requiri relaxationem,
87 docet Gutier. *de Matrim. cap.* 89. *nu.* 8. 9. *&* 48.
88 Si tamen metum passus, postea etiam tacite in hujusmodi matrimonium, seu in copulam, maritali affectu habitam, consentiat, antequam alter hujusmodi defectum norit, vel si de eo conscius fuerit, nihilominus in suo consensu perseveret, matrimonium validabitur, si hujusmodi impedimentum, & dissensus adhuc occultum sit, unde non sit opus nova præsentia Parochi, & Testium, *cap. Ad id* 21. *de sponsal. & matrim.* & docent Navarr. *in Summa, cap.* 22. *num.* 80. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 32. *nu.* 9. *& lib.* 4. *disp.* 15. *num.* 2. Coninck *disp.* 24. *dub.* 10. *nu.* 89. *&* 90. Filiucc. *dict. tract.* 10. *cap.* 4. *nu.* 111. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 291. Avers. *de Matr. d. qu.* 4. *sect.* 6. *vers. Secundo.* Ventrigl. *in Praxi, annot.* 4. §. 2. Hier. Palma *cons.* 87. *num.* 6. & alii, quos propterea *lib.* 1. citavimus.

89 Advertas tamen, quod licet matrimonium gravi metu contractum, nullum sit, ex defectu consensus, adeout Conjux, qui non consensit, non possit absque peccato debitum exigere, nec reddere cum matrimonium, eo casu, sit ipso jure nullum, ut docent Sanchez *lib.* 2. *disp.* 39. *nu.* 5. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 5. *dub.* 4. *nu.* 23. Coninck *disp.* 34. *dub.* 10. *nu.* 96. Bonac. *de Matr. quæst.* 4. *punct.* 4. *nu.* 16. *&* 17. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 48. tamen in foro ex-
90 terno præsumitur validum, cum de consensu exterius præstito Ecclesiæ constet; at de dissensu constare non potest, cum occultum sit, & non esse, vel esse, & apparere, paria sint. Vivius *decis.* 34. *num.* 1. Farinacc. *Cons. Crim.* 50. *num.* 47. Rot. coram Durano *decis.* 288. *nu.* 2. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 63. *num.* 2. *&* *num.* 9. Rubeus *decis.* 383. *num.* 9. *tom.* 2. & non entis, & non apparentis idem sit judicium. Lotherius *de Re Benef. lib.* 3. *quæst.* 13. *n.* 65. Barbos. *in Votis Canonicis, vot.* 43. *n.* 20. *lib.* 2. Caputaq. *decis.* 135. *nu.* 3. *part.* 3. Et proinde eos Conjuges, qui vere non consenserunt, Ecclesia coget insimul manere, nec cre- 91
det simplici assertioni, Conjugis dicentis, se non consensisse in matrimonium (alias quilibet sic dicere posset, ut matrimonium separaretur) cum Ecclesia non judicet de occultis, *cap. Sicut tuis, in fine, de Simonia.* Tusch. *concluss.* 154. *num.* 4. *lit. M.* Mantic. *de conject. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 13. Hieron. Palma *cons.* 87. *num.* 79. cum solus Deus judicet de occultis, *cap. Erubescant, in fine, dist.* 32. *Gloss.* 1. *& cap. Si omnia, caus.* 6. *quæst.* 1. Et cum Ecclesia non præsumat aliquem delinquere, nisi legitime constet, *l. me-* 92
rito, ff. pro socio. Ricc. *in Praxi Fori Eccles. resol.* 42. *num.* 1. non præsumet ut conjux ore dixerit, quod in corde non haberet. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 15. *n.* 9. 93
maxime cum voluntas talis esse præsumatur, qualem verba demonstrant. Menochius *cons.* 15. *nu.* 13. *vol.* 1. Læl. Altograd. *cons.* 13. *nu.* 18. *lib.* 2. Ricciullus *de Jure person. lib.* 5. *cap.* 3. *nu.* 4. *&* 5. Ludovis. Post. *resol.* 129. *num.* 4. Redenasch. *cons.* 18. *num.* 75. Farinacc. *cons. crim.* 30. *num.* 40. *lib.* 1. & proinde, ad hoc, ut pro foro externo hujusmodi matrimonium 94
nullum sit, oportebit ut causa cognita, Ecclesia illud per sententiam irritet, nullumque declaret; & interim lite pendente super validitate, seu nullitate matrimonii, si probationes afferantur in continenti, 95
(hoc est infra triduum, ut explicat Sanchez *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 50.) restitutio erit facienda, quoad cohabitationem tantum; si vero non offerantur in continenti, tunc docet idem Sanchez *l. c.* restitutionem faciendam esse, quoad habitationem, & thorum, si matrimonium jam consummatum sit. Advertit tamen satis opportune idem Sanchez *loc. citat.* quod si Conjux sit certus de impedimento dirimenti, non 96
potest eo casu ulla ratione petere, nec reddere, ac cohabitare; quocirca dixerat *eodem lib. disp.* 30. *n.* 8. *&* *num.* 11. non posse, quamvis ab Ecclesia, pro foro externo excommunicaretur, vitæque periculum subiret, gravissimaque scandala sequerentur, quia certus est, Conjugem non esse suum; quod etenim mota fuerit lis, non auget, nec minuit impedimentum, ad quod cognoscendum, an vere subsit, necne, censendum est perinde ac si lis non esset, ut bene idem Sanchez *d. disp.* 41. *n.* 50.

Animadvertit etiam idem Sanchez *eadem disp.* 41. 97
num. 52. non teneri alterum Conjugem credere asserenti se non consensisse, nisi conjecturæ tales essent, ut credere convinceretur; at si crederet, nec ipsum posse petere, nec reddere.

Quæ autem, & quales esse debeant hujusmodi con- 98
jecturæ urgentes cumulat Sanchez *lib.* 2. *disp.* 45. & in dubio, an adfuerit consensus, necne, judicandum 99
est pro matrimonio. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 7. *num.* 47. & nos alibi diximus, quia de consensu exterius certe constat; at impedimentum, nempe defectus consensus, est in dubio.

Hinc infertur quod si quis ficte contraheret cum 100
una coram Parocho, & Testibus, & non habita copula, deinde servatis Ecclesiæ solemnitatibus, vere contrahat cum alia, esset quidem primum matrimonium in foro conscientiæ invalidum, cum non reperiatur textus statuens matrimonium posterius verum, dirimi per prius fictum, nihilominus pro foro externo primum ab Ecclesia reputabitur validum, donec causa cognita, nullum declaretur pro foro externo; ratio est eadem, de qua supra.

Tandem sciendum est, per Sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 9. infligi excommunicationem contra incutientes metum ad libertatem matrimonii extorquendam, & violandam; ut videre est, ex Decreto ipsius Concilii infrascripti tenoris: *Ita plerumque temporalium Doctorum, & Magistratuum mentis oculos terreni affectus, atque cupiditates excæcant, ut viros, ac mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites,*

vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis; & pœnis adigant, matrimonium invitos cum illis contrahere, quos ipſi Domini, vel Magiſtratus illis præſcripſerint; quare cum maxime nefarium ſit matrimonii libertatem violare, & ab eis injuriam naſci, à quibus Jura expectantur; Præcipit Sancta Synodus omnibus cujuſcunque Gradus, Dignitatis, & Conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte, ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant. Hæc ſunt verba Concilii; & hæc breviter attigiſſe ſufficiat. Si quis totam materiam bene congeſtam habere velit, videat Doctores, quos propterea ſupra citavimus.

CAPUT XIII.

An, & quando error Perſonæ, & Conditionis dirimat Matrimonium, & an ſuper hujuſmodi Impedimentis diſpenſari poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Nemo poteſt erga incognitum dirigere affectum.*
2 *Ut error dirimat matrimonium, ſupponi debet aliqua notitia Perſonæ, circa quam ſit error, ſive talis notitia inſurgat ex viſu, vel auditu, vel fama.*
3 *Error in hac materia quadrupliciter contingere poteſt, nempe circa Perſonam, qualitatem, fortunam, & conditionem; & quando id accidere dicatur.*
4 *Quilibet horum errorum, vel eſt antecedens Contractum, & cauſans illum, & vocari ſolet dolus, dans cauſam Contractui; vel eſt concomitans Contractum, & hic, quamvis non reddat actum involuntarium, ut primus, tamen non eſt actus inducens ad volendum.*
5 *Error Perſonæ, ſive antecedat Contractum, ſive præcedat, irritat matrimonium.*
6 *Et hoc procedit de Jure naturæ.*
7 *Quia eſt error circa ſubſtantiam, & tollit voluntarium conſenſum, & errans non conſentit.*
8 *Super hujuſmodi Impedimento, Eccleſia non poteſt diſpenſare, nec ſtatuere, ut matrimonium, cum errore Perſonæ contractum, ſit validum.*
9 *Quod procedit etiam inter infideles.*
10 *Error qualitatis, & fortunæ non irritat matrimonium, quamvis ſine d. qualitate, Contractus non fieret, & de ratione.*
11 *Niſi directe, & formaliter intenderet qualitatem, materialiter autem Perſonam, vel ſi qualitas, in qua erratur, fuiſſet poſita in Contractu, per modum conditionis, ut ſi diceretur,* contraho tecum, quatenus ſis nobilis; *vel ſi Berta contrahere intendat determinate cum filio Principis, vel cum primogenito.*
12 *Quod attinet ad Impedimentum erroris conditionis, præmittendum eſt, nomine ſervorum, hoc caſu intelligi de illis tantum, qui Mancipia appellantur, & poſſunt à Dominis vendi, & non de Adſcriptitiis, ſeu Originariis, qui, quoad matrimonium contrahendum, ſunt vere liberi, licet ad aliquas operas teneantur.*
13 *Error conditionis non dirimit matrimonium de Jure Naturæ, ſed tantum Jure Eccleſiaſtico.*
14 *Quia, ſi ab altero Conjuge, cognita ſervitute, illa remittatur, matrimonium erit validum.*
15 *Error conditionis dirimit matrimonium, quia ſervus non habet liberam poteſtatem ſui corporis, ut poſſit ſe obligare ad individuam vitæ conſuetudinem, cum alteri ſervire teneatur.*
16 *Si quis, ex errore, duxit ſervam, credens liberam, ſed talem affectionem erga eam habuiſſet, ut, etiamſi ſciviſſet eſſe ſervam, nihilominus duxiſſet, & in actu, dum contrahit, habebat actualem voluntatem ducendi, quamquam eſſet ſerva, matrimonium hujuſmodi valet, licet contrariam alii foveant opinionem,* & num. 17. 18.
19 *Liber homo, ſeu ſervus, cogitans contrahere cum ſerva, ſi poſtea reperiat eſſe liberam, valide contrahit.*
20 *Quia matrimonium regulariter redditur nullum, quando errans ſit deterioris conditionis.*
21 *Ingenuus, & liber, ſi ſciens conditionem ſervilem alterius, cum quo contrahit, remittit illi conditionem, & matrimonium valet.*
22 *Si poſt contractum matrimonium, vir alteri ſe det in ſervum, non, ob id, matrimonium diſſolvitur, licet vir mortaliter peccet.*
23 *Mulier, abſque conſenſu viri, non poteſt ſe alteri vendere in ſervitutem.*
24 *Servus contrahens cum ancilla, quam liberam credebat, nihilominus matrimonium tenet, quia ſunt ambo æqualis conditionis, & eſt communis opinio,* num. 25.
26 *Intellige, niſi ſervus nullo alio modo intenderet contrahere, niſi eſſet libera; quo caſu deficeret conſenſus.*
27 *Servi poſſunt inire matrimonium, etiam neſciente, vel contradicente Domino, quia non debent ſpoliari facultate Jure Divino, & Naturali competenti hominibus, propagandi humanam ſpeciem per matrimonium.*
28 *Serva tradita à Domino, vel ipſo ſciente, nec contradicente in matrimonium alicui, uti libera, inſcio hujuſmodi ſervitutis, ſtatim efficitur libera, & matrimonium valebit.*
29 *Immo Serva efficitur libera, ſi à Domino collocetur in matrimonium, etiam cum ſciente ſervitutem, ſi ei conficiat inſtrumentum dotis.*
30 *Si Serva contraheret cum libero, ſervitutis ignaro, & poſtmodum ipſo pariter inſcio, fœmina donaretur libertate, nihilominus matrimonium irritum eſt, quamvis etiam, poſt d. donationem, vir ipſam maritali affectu cognoverit.*
31 *Quia quamdiu vir fuit inſcius nullitatis, cenſetur ſolum approbaſſe præcedens matrimonium, quod validum putat, non ſi ſit nullum, niſi donec de nullitate fiat conſcius.*
32 *Nec valebit matrimonium cum ſervo contractum, ſi poſt aliquod tempus à Domino liber factus fuiſſet; non etenim conditionem, amittit ex quo tranſacto tempore, redire debet in ſervitutem.*
33 *Filii ad honores, & nobilitatem, ſequuntur conditionem patris.*
34 *Partus recipit eſſe à patre, tanquam à cauſa efficiente.*
35 *Tamen, quoad ſervitutem, filii ſequuntur conditionem matris, cujuſcunque nobilitatis ſit pater, adeout, ſi Dominus habeat filium ex propria ſerva, adhuc filius ſervus erit.*
36 *Si vero mater ſit libera, & filii erunt liberi, cujuſcunque conditionis ſit pater.*
37 *Et ad hoc, ut filii dicantur liberi, ſufficit, quod mater fuerit libera tempore conceptionis, nativitatis, vel medio tempore.*
38 *Si mater libera, dum gravida ſit, ſe vendat, filius, jam conceptus tempore libertatis, erit liber, quia cum mater non habeat filios in poteſtate, non poteſt eos vendere.*
39 *Et eadem regula eſt, ſive filii ex legitimo matrimonio, ſive ex damnato coitu, nati ſint.*
40 *Si vero mater gravida, fieret ſerva. Jure belli, filius remanet cum ea ſervus, quamvis, tempore conceptionis fuiſſet libera.*
41 *Si mulier ſit ſerva duorum, vel plurium Dominorum, & ab aliquo manumittatur, & pretium non ſolvatur alteri Domino, qui non manumiſit, proles ex dicta ancilla nata, remanet ſerva, donec pretium pro parte, quam habet, non ſolvatur ei; ſi vero ante partum ſolutum ſit, proles libera erit.*
42 *Tamen adverte, quod, quicquid ſupra fuerit dictum,*

dictum, ſi in aliquibus locis adeſſet contraria conſuetudo, ea ibi ſervanda eſſet.

43 *Quia conſuetudo legitime præſcripta poteſt contra Jus humanum prævalere.*

1 QUandoquidem nemo poteſt erga incognitum dirigere affectum. Marant. *Reſp.* 37. *n.* 53. *p.* 4. Sperell. *dec.* 115. *n.* 45. Boſſius *de Matr. contractu, c.* 3. *n.* 258. Maſcard. *de probat. concl.* 156. *n.* 24. Ideo, ut
2 error dirimat matrimonium, ſupponi debet aliqua notitia Perſonæ, circa quam fit error, ſive talis notitia inſurgat ex viſu, ſive ex auditu, vel fama; ita Sylveſtr. *verb. Matrim.* 7. *quæſt.* 1. *Dict.* 2. Navarrus *cap.* 22. *nu.* 32. Stephanus à S. Greg. *Univ. Tract. de Vinculis Divin. Pietat. lib.* 3. *cap.* 103. *nu.* 11.

3 Quadrupliciter in hac materia poſſe contingere errorem, docet Magiſter Sententiar. 4. *Diſt.* 130. *n.* 1. nempe, vel circa Perſonam ipſam, ut dum ſupponitur una pro alia; vel circa qualitatem, ut dum quis putat contrahere cum nobili, virgine, ſana &c. & contrahit cum ignobili, corrupta, vel infirma; vel circa fortunam, ut ſi quis putaret contrahere cum divite, & contraheret cum paupere; vel circa conditionem, ut ſi quis putans contrahere cum libera, contraheret cum ſerva. Quilibet horum errorum,
4 vel eſt antecedens Contractum, & cauſans illum (& hic à Juriſconſultis vocari ſolet dolus dans cauſam Contractui) vel eſt concomitans Contractum, & hic, quamvis non reddat actum involuntarium, ut primus, tamen non eſt actus inducens ad volendum.

5 Quando error eſt circa Perſonam, ſive ſit antecedens, ſive concomitans Contractum, irritatur matrimonium, quia ad ejus validitatem eſt omnino neceſſarius conſenſus, verbis, ſeu ſignis expreſſus *cap. Tua nos* 26. *de ſponſ.* & docent Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 18. *n.* 5. & 6. Bonac. *de Matr. qu.* 3. *punct.* 2. *propoſ.* 1. *nu.* 4. Filiucc. *QQ. Mor. tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *nu.* 31. & alii communiter. Et cum
6 error Perſonæ dirimat matrimonium Jure Naturæ. Sanchez *l. c. nu.* 12. Vivald. *in Candelabro*, ubi *de Matrim. ad ſecundum Impedimentum*, *nu.* 127. Bonac. *l. c. nu.* 2. Laym. *Theol. Mor. lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 2. *n.* 1. Averſa *de Matr. quæſt.* 12. *ſect.* 1. *verſ. Certum tamen*. Filiucc. *l. c. num.* 32. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 3. *nu.* 3. Palaus *tom.* 5. *diſp.* 4. *punct.* 4. *n.* 1. quia eſt error circa ſubſtantiam, &
7 tollit voluntarium, & conſenſum, cum errans non conſentiat. Gratianus *Diſcept. Forenſ. cap.* 440. *nu.* 24. Marant. *Reſponſ.* 58. *nu.* 44. *p.* 4. Cævall. *QQ. Comm. contra Comm. qu.* 1190. *nu.* 2. Rota coram Duran. *deciſ.* 50. *nu.* 19. proinde ſequitur, non poſſe Eccle-
8 ſiam ſuper hujuſmodi Impedimento diſpenſare, nec ſtatuere, ut matrimonium, cum errore Perſonæ contractum, validum ſit. Sanch. *l. c. num.* 15. & con-
9 currunt plerique Doctores ſupra citati, qui etiam docent, ut etiam inter Infideles invalidum ſit matrimonium cum tali errore contractum.

10 Error qualitatis, & fortunæ, non irritat matrimonium, quamvis, ſine dicta qualitate, Contractus non fieret, quia, quoad rei ſubſtantiam eſt volitum, licet, quoad accidentia extrinſeca ſit involitum; ut ſi quis abſolute conſentiat accipere talem Perſonam in Conjugem, quam alias putabat eſſe bonam, honeſtam, virginem, caſtam, ſanam, pulchram, vel divitem, & hæc hujuſmodi qualitates non habeat; valebit enim matrimonium, ex quo ſubſtantia hujus Contractus conſiſtit in conſenſu in Perſonam, & de reliquo qualitates ſe habent accidentaliter, ergo iſte error, cum ſit ſolum circa ea accidentia, & non contra ſubſtantiam, per ſe non dirimit Contractum. Bonacina *l. c. n.* 6. Averſ. *de Matr. qu.* 12. *ſect.* 1. *verſ. Communis tamen*: Filiucc. *loc. cit. n.* 33. Palaus *l. c. n.* 3. quia regulariter intereſſe ſecundarium, & in conſequentiam non attenditur. Farin. *Conſ. Crim. volum.* 3. *conſ.* 207. *n.* 10. Cancer. *Var. Reſol. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 84. niſi quis directe
11 & formaliter intenderet qualitatem materialiter autem perſonam, vel ſi qualitas, in qua erratur, fuiſſet poſita in Contractu, per modum conditionis; ut ſi quis diceret, *contraho tecum, quatenus nobilis ſis*; vel ſi Berta contrahere intenderet determinate cum filio Principis, vel cum primogenito, & non cum alio, alias ullo modo non contractura; & propterea, cum eo caſu apprehendat hujuſmodi qualitatem, tanquam quid principale, ſine quo ullo modo contrahere intendit, ſi cum errore contraheret, matrimonium non teneret, quod ſi Berta intenderet contrahere cum viro ſibi præſente, qui filium Principis, vel primogenitum ſe fingit, eſſet error qualitatis, & non Perſonæ; unde, niſi aliud obſtaret, matrimonium teneret, quia apprehendit directe, & formaliter Perſonam, materialiter autem qualitatem. Ita docent Navarrus *in Summa, cap.* 22. *num.* 32. Averſa *l. c.* Layman. *num.* 2. & Trullenck *num.* 8. & 9. *ll. cc.*

Quod attinet ad Impedimentum erroris condi- 12
tionis, præmittendum eſt, ſub nomine ſervorum, hoc caſu, intelligi de illis ſolis, qui mancipia appellantur, & poſſunt à Dominis vendi, & non de aliis adſcriptitiis, ſeu originariis, qui, quoad matrimonium contrahendum, ſunt vere liberi, licet ad aliquas operas teneantur, ut animadvertunt Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 19. *num.* 1. Stephan. à S. Gregor. *l. c. n.* 7. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 4. *in principio*.

An autem hujuſmodi impedimentum dirimat ma- 13
trimonium Jure naturæ, dico cum Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 19. *n.* 16. Filiucc. *d. cap.* 2. *n.* 41. Vivald. *l. c. impediment.* 3. *n.* 127. Averſ. *d. quæſt.* 12. *ſect.* 2. *verſ. Secundo ergo* Trullenck *l. c. n.* 2. Steph. à S. Greg. *d. cap.* 103. *num.* 14. Palao *tom.* 5. *diſp.* 4. *punct.* 5. *n.* 3. Gutier. *cap.* 90 *n.* 1. probabilius eſſe, hujuſmodi Impedimentum dirimere matrimonium Jure Eccleſiaſtico, non autem Jure naturæ; quod idem colligitur *cap. Propoſuit* 2. *de conjug. ſervor.* Ratio eſt, quia, cognita ſervitute, ſi ab altero conjuge illa 14
remittatur, matrimonium validabitur; & ideo di- 15
rimit matrimonium, quia convenit, ut Contrahentes æqualem poteſtatem corporum ſuorum inter ſe conferant ad generationis finem. Servus autem, ſeu Mancipium plenam, & liberam poteſtatem corporis ſui dare non poteſt, neque ad individuam vitæ ſocietatem ſe obligare; cum etenim in poteſtate ſit ſui Domini, ab eo vendi, & in remotiſſima loca mitti, domeſticiſque negotiis diu, noctuque occupari Jure poſſit, non obſtante matrimonii vinculo, *cap.* 1. *de conjug. ſervor.* propterea matrimonium, cum hujuſmodi errore contractum, nullum, & irritum eſſe patet expreſſe *cap. propoſuit* 2. *de conjug. ſervor. cap. Si quis ingenuus* 4. & *cap. Si forma* 5. *cauſ.* 29. *quæſt.* 2. & docent Sylveſter *verbo Matrimonium* 8. *quæſt.* 2. *dict.* 2. Vivald. *l. c.* Layman. *d. cap.* 2. *n.* 3. Averſ. *d. ſect.* 2. *verſ. Secundo ergo*. Si tamen liber, qui ex errore duxit ſervam, talem affectionem erga eam 16
habuiſſe, ut etiam ſi ſciviſſet eſſe ſervam, nihilominus duxiſſet, & in actu præſenti, dum contraxit cum illa matrimonium, habebat actualem voluntatem ducendi, quamvis ſerva eſſet, valere hujuſmodi matrimonium docent Navarr. *in Summa, cap.* 22. *num.* 33. Averſ. *d. quæſt.* 12. *ſect.* 2. *verſ. Sexto ſi quis ex errore*, quamvis Trullenck *d. dub.* 4. *num.* 17
4. & Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 19. *num.* 23. teneant, non valere, quia defuit conſenſus poſitivus, & directus; quicquid tamen iſti dicant, probabiliorem 18
exiſtimo primam opinionem; quia, ſi in actu contrahendi, intendit, & conſentit abſolute fœminam illam ducere, quamvis ſerva ſit, non poteſt dici error conditionis, quia eſt perinde ac ſi vere ſervitutem ſciviſſet.

E' contra vero, ſi liber homo, ſeu ſervus, cogi- 19
tans contrahere cum ſerva, poſtea reperiat eſſe liberam, valide contrahit. Vivald. *l. c. n.* 120. Averſ. *d. ſect.* 2. *verſ.* 8. *Si quis dicat*. Ratio eſt, quia Sacri Canones non reddunt ex hoc capite irritum matrimonium, niſi quando Perſona libera ducit ſervam, putans eſſe liberam, at non è converſo: & regulariter tunc matrimonium redditur nullum, quando errans fit deterioris conditionis. Sylveſter *verb. Matrimonium* 8. *queſt.* 2. *dict.* 2. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 19. *n.* 23. Filiucc. *d. cap.* 2. *n.* 44.

Quamvis prædicta vera sint, & rite procedant, si tamen homo ingenuus, & liber, sciens conditionem
21 servilem alterius, cum quo contraxit, illam sponte remittat, valebit matrimonium. Constat *cap. Proposuit 2. & cap. ad Nostram 4. de conjug. servorum*; & docent Leo *in Thes. For. Eccl. part. 2. cap. 9. n. 59.* Layman. & Stephan. à S. Gregor. *n. 11.* Aversa. *vers. Decimo si postquam ll. cc.*

22 Immo si liber, accepta uxore, alteri se det in servum, non ob id solvetur matrimonium, quamvis mortali culpa reus sit. Vivald. *l. c. num. 121.* Steph. à S. Greg. *d. cap. 103. num. 13.* Sanch. *lib. 7. disp. 23. num. 2.* Steph. à S. Greg. *d. cap. 103. num. 20.* Uxor autem, cum subdatur viro, tanquam suo capiti, non
23 potest, absque consensu viri, se vendere in servitutem, Sanchez ubi supra *num. 9.* Filiucc. *dict. cap. 2.*
24 *num. 56.* At si servus contrahat cum ancilla, quam credebat esse liberam, valide contrahet, quia sunt in gradu æquali. Filiuc. *l. c. n. 44.* Sylvest. *verb. matr. 8. q. 2. dict. 2.* & hæc est communis Theologorum, &
25 Canonistarum opinio, de quo testatur idem Sylvest. *l. c.* intellige, ut validet matrimonium, nisi servus
26 nullo alio modo intenderet contrahere, nisi esset libera; quia tunc vere deficeret consensus per ea, quæ supra dicta sunt; licet autem hujusmodi servi sint in potestate domini, ut dictum fuit, nihilominus
27 poterunt, domino nesciente, & etiam eo contradicente, matrimonium contrahere, quia Jure naturali, & Divino, homines singuli habent facultatem, & libertatem ineundi matrimonium, ad propagationem humanæ speciei, & in remedium propriæ concupiscentiæ, qua facultate nullo Jure humano spoliari possunt; neque potestas domini in servum huic naturali facultati prævalere potest, sed solum ad exigenda debita obsequia potestas domini extenditur super servum, ut bene docent Sanch. *lib. 7. disp. 21. n. 3.* Trullenck *d. cap. 9. dub. 5. n. 3.* Aversa. *q. 3. sect. 7. vers. In hoc tamen*; & ita decisum fuit *cap. Dignum est, primo, de conjug. servor.*

28 Cæterum si serva à Domino ipso, vel eo sciente, & non contradicente, tradatur in matrimonium uti libera alicui hujusmodi servitutis inscio, eo ipso efficietur libera; & valebit matrimonium, constat *ex Auth. Ad hæc. C. de latina libertate*, & docent Sanchez *lib. 7. disp. 20. num. 1.* Pont. *lib. 7. cap. 44. num. 5.* Aversa. *l. c. vers. Secundo ergo*, Steph. à S. Gregor. *d. cap. 103. num. 17.* Trullenck *d. cap. 9. dub. 5. num.*
29 1. Idque conceditur favore matrimonii; immo & serva efficeretur libera, si dominus illam collocaret in matrimonium cum aliquo, quamvis servitutem sciente, si conficiat ei Instrumentum dotis, *l. unica, §. Sed & si quis homini, C. de latina libertate*, Sanch.
30 *lib. 7. disp. 20. num. 9.* At si serva contraheret cum libero servitutis ignaro, & postmodum, ipso pariter insscio, dominus donaret eidem fœminæ libertatem, nihilominus hujusmodi matrimonium esset nullum, quamvis etiam post dictam donationem, dictus vir ipsam maritali affectu cognoverit. Aversa. *l. c. vers. Nono si quis*, & alii plures, quos refert, & sequitur
31 Sanch. *lib. 2. disp. 36. à num. 2.* quia quamdiu vir fuit insscius nullitatis, censetur solum approbasse, & ratificasse præcedens matrimonium, quod validum putabat, dum autem illud est re vera invalidum, nondum illud revalidat, donec conscius nullitatis, illud legitime ratificet.

32 Nec pariter valebit matrimonium cum servo contractum, si per aliquod tempus à domino liber factus fuisset; non etenim conditionem amittit, ex quo, transacto dicto tempore, redire debet in servitutem, *cap. Nostram 4. de conjug. servorum*; Steph. à S. Greg. *l. c. num. 8.*

33 Cæterum, quamvis filii, quoad honores, & nobilitatem, sequantur conditionem Patris, *l. cum legitimo, ff. de statu hominum*, quia partus recipit esse
34 à patre, tamquam à causa efficiente; & proinde ea, quæ pertinent ad esse, ut sunt honores, dignitates, sequantur patrem (licet vere nobilis non sit, nisi qui ex utroque parente nobili descendit, Sanch. *libr. 7. disp. 24. num. 4.* Filiucc. *d. tract. 10. part. 2. cap. 2. num. 59.* Bonacin. *de matrim. qu. 3. punct. 3. num. 10.* Stephan. à S. Gregor. *loc. c. num. 21.*) nihilominus, quoad servitutem, filii sequuntur conditionem ma- 35
tris, cujuscunque nobilitatis sit pater; adeo ut, si dominus habeat filium ex propria serva, seu mancipia, adhuc dictus filius servus ejus erit, *l. 2. C. Si mancipium ita fuerit alienatum.* Sanch. *n. 6.* Filiucc. *nu. 57. ll. cc.* E' contra vero si mater sit libera, filii etiam li- 36
beri erunt, cujuscunque conditionis sit pater. *l. Partium, C. de rei vindicatione, cap. final. de servis non ordin.* Sanch. *n. 5.* & Filiucc. *ll. cc.* & ad hoc, ut Filii
dicantur liberi, sufficit, quod mater libera fuerit vel 37
tempore conceptionis, vel nativitatis, vel medio tempore inter conceptionem, & partum, ut habetur *Instit. de ingenuis, §. Sed & si quis* Sanch. *l. c. nu. 14.* Bonac. *dict. puncto 3. num. 11.* quod si mater libera,
dum gravida sit se vendat, filius, jam tempore ven- 38
ditionis conceptus, remanet adhuc liber; quia mater, cum non habeat filios in potestate, non potest illos vendere, Sanch. *lib. 7. disp. 24. num. 6.* Filiucc. *tom. prim. tract. 10. part. 2. cap. 9. num. 9. & 10.* Bonac. *d. puncto 3. num. 12.* Trullenck *d. cap. 9. dub. 5. num. 7.* Et eadem regula est, sive filii ex legitimo matrimonio, sive ex damnato coitu, nati sint, quia 39
æque servi sunt. *l. Et servorum 5. vers. Si ingenui, ff. de statu hominum;* At si mater gravida, serva fie- 40
ret jure belli, filius remanet cum ea servus, quamvis tempore conceptionis fuisset libera. Sanch. *d. n. 14.* & Bonac. *d. n. 11.*

Tandem est adnotandum, quod si quæ mulier sit 41
serva duorum, vel plurium dominorum, & manumittatur ab aliquo, & pretium non solvatur alteri domino, qui non manumisit, proles ex dicta ancilla nata remanet serva, donec pretium pro parte, quam habet, non solvatur ei; si vero, ante partum, solutum sit, proles libera erit; constant ex *l. 2. C. de communi servo manumisso*, & docent Sanch. *d. disp. 24. n. 17.* Filiucc. *n. 60. l. c.*

Quicquid tamen supra dictum fuerit, animadver- 42
tas, quod si in aliquibus locis adesset contraria consuetudo, ea ibi servanda esset, ut bene Sanch. *lib. 7. disp. 33. num.* Filiucc. *num. 58.* Bonac. *d. q. 3. punct. 3. num. 10.* quia consuetudo legitime præscripta potest 43
contra jus humanum prævalere. *Cap. Cum tanto 11. de consuet.* Sperell. *dec. 37. num. 12.* Barb. *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 93. num. 30.* & hæc dicta sufficiant, quia, ut diximus, super hujusmodi Impedimento non dispensatur.

CAPUT XIV.

De Impedimentis Ordinis, & Voti, & an super illis dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Ordines Minores, nec impediunt, nec dirimunt matrimonium.*
2 *Clericus solos Minores Ordines habens, non peccat matrimonium contrahendo.*
3 *Filii, tempore Clericatus habiti, per subsequens matrimonium legitimantur.*
4 *Ordo vero Sacer impedit, & dirimit matrimonium postea contractum.*
5 *Unde tam Latini, quam Græci, qui aliquo Sacro Ordine insigniti, matrimonium, absque Dispensatione Apostolica contraherent, nulliter, & irrite contraherent.*
6 *Et Apostatæ, Irregulares, Sacrilegi essent, & excommunicationem latæ sententiæ incurrerent.*
7 *Et tanquam de hæresi vehementer suspecti censerentur; ideoque hujusmodi casus cognitio ad S. Officium pertineret, & num. 8.*
9 *Fœmina contrahens scienter cum Sacris initiato, posset à Principe in servitutem rapi.*
10 *Filii ex hujusmodi matrimonio concepti, ultra alia præjudicia, efficiuntur servi illius Ecclesiæ, cui pater adscriptus erat.*
11 *Intellige tamen, post sententiam.*

12 *Pa-*

12 *Parochus, & qui hujusmodi matrimonio assisteret, esset ipso jure excommunicatus.*

13 *Diaconis Græcis licet nonnulli asserant olim licuisse inire matrimonium, nihilominus probabilius videtur dicendum, illis tantum licuisse, ante susceptionem Ordinis Sacri.*

14 *Licet aliqui existiment, Ordinem Sacrum dirimere matrimonium Jure Divino naturali, & proinde non posse super hujusmodi Impedimento dispensari.*

15 *Votum solemne Castitatis est solo Jure Ecclesiastico Ordini Sacro annexum.*

16 *Pontifex, cum justa causa, dispensare potest ad matrimonium ineundum cum Equitibus Hierosolymitanis, & aliis Religiosis, Monachis professis, & exempla afferuntur n. 17.*

18 *Papa solo verbo potest creare Sacerdotem.*

19 *Et è converso de Monacho in non Monachum, ex justa causa.*

20 *In Sacris constitutus, vel in Religione professus valide matrimonium contrahet, si ad hoc sit dispensatus, aliudque Impedimentum non obstet.*

21 *Dispensatus ad contrahendum, non tenetur amplius ad recitationem Horarum Divinarum, nec incedere in habitu Clericali, nec gaudebit privilegio Clericali.*

22 *Secus autem esset, si sic Dispensatus habitum non mutaret ad utendum Dispensatione, eo quod à statu Sacerdotali nondum recessisset, & ob id posset iterum celebrare, & Beneficium retinere, & privilegiis frui.*

23 *Et donec Matrimonium non contrahat, quamvis habitum induat sæcularem, non dicitur assumpsisse statum incompatibilem cum Ecclesiastico.*

24 *Ordo Sacer differt à professione, quia ex matrimonio rato potest quis absque Dispensatione ad Religionem transire, non tamen ad Ordinem Sacrum.*

25 *Differentiæ ratio est, quia per Professionem dirimitur matrimonium ratum, & proinde alter Conjux in sæculo remansus liber remanet ad iterum contrahendum; at per Ordinem Sacrum, cum non dirimatur matrimonium ratum, & alter Conjux non possit aliud inire matrimonium, poterit suum Conjugem postulare, si absque ejus consensu Ordines susceperit,* & num. 26.

27 *Papa potest absolute loquendo obligationem continentiæ annexam Ordini relaxare, & sic virum conjugatum absque injuria matrimonii promovere.*

28 *Sacros Ordines suscipiens, intentione se non obligandi, nec Votum Castitatis emittendi, licet aliqui putent, ipsum teneri hujusmodi Voto,*

29 *Ea ratione, quia, ex Statuto Ecclesiæ, Votum hujusmodi est adeo unitum cum Ordine, ut qui vult antecedens, necessario velit, & consequens.*

30 *Tamen probabilius est; eum licet peccet mortaliter, non tenere ratione Voti immediate ad servandam Castitatem, sed tantum mediate, ex Lege Ecclesiæ.*

31 *Votum emittens, seu suscipiens Ordines ob metum cadentem in constantem virum, non recipit characterem, nec ad Votum tenetur, ratione defectus voluntatis.*

32 *Ordines Sacros suscipens ante pubertatem, non tenebitur Voto, quia non adfuit usus rationis.*

33 *Votum solemne Religionis, emissum ante pubertatem, non obligat, nisi postea ratificetur.*

34 *Unde qui sic nulliter Ordines susceperunt, & tempore habili non ratificaverunt, poterunt, facta ab Ecclesia declaratione nullitatis, matrimonium absque Dispensatione contrahere, nisi aliud Impedimentum obstet.*

35 *Vir conjugatus, de uxoris licentia, nisi aliud adsit Impedimentum, ad Sacros Ordines promoveri potest.*

36 *De Jure Divino status conjugalis non repugnat cum Ordine Sacro; immo jure Ecclesiastico permittitur, ut simul conjungi possint, servando tamen Castitatem.*

37 *Si post susceptos de licentia Ordines, Conjuges carnaliter commiscerentur, committerent grave Sacrilegii peccatum, non tamen fornicationis.*

38 *Proles tamen, quæ ex tali congressu perciperetur, esset legitima, ex opinione probabiliori.*

39 *Quamvis esset Irregularis, itaut ad Ordines absque dispensatione promoveri non posset.*

40 *Aliter tamen dicendum esset, si post matrimonium ratum, Conjux fuisset Religionem ingressus, & post Professionem commiscerentur, quia tunc matrimonium dicitur dissolutum.*

41 *Filius natus antequam inter parentes contraheretur matrimonium, si promoveretur ad aliquem Ordinem, & deinde parentes rite contraherent, filius legitimatur, non tamen Ordinis susceptio indebita convalidaretur, nec haberet Ordinis executionem; & si vellet ad ulteriores promoveri, necessaria esset Dispensatio.*

42 *Conjugi seni, quæ Votum Castitatis emisit, non est prohibitum cohabitare cum Conjuge in Sacris constituto, si absit periculum incontinentiæ; nam secus, si adesset periculum,* num. 43.

44 *Nec potest uxor, quæ hujusmodi Votum emisisset, & consensit, ut Ordines susciperet, post mortem Conjugis, alteri nubere absque Dispensatione,* & num. 72. *& sine ea esset irritum istud matrimonium,* & num. 73. 74.

45 *Quod procedit etiam apud Græcos.*

46 *Vir non potest absque licentia uxoris, nedum ad Sacros Ordines promoveri, verum nec ad Minores, nec Clericali prima Tonsura insigniri.*

47 *Vir, post matrimonium ratum, vel consummatum, absque dicta licentia, suscipiens Ordinem, poterit ab uxore postulari; &, si cum dolo fecerit, Irregularitatem incurrit, Ordinisque suscepti exercitio caret, nec ad alios promoveri, nec Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum obtinere poterit.*

48 *Et quamvis consensus mulieris subsequatur, ab Irregularitate erit liberatus, immo, mortua uxore, adhuc persistet, nisi absolvatur.*

49 *Nec poterit, constante matrimonio, ad illam redire, nisi ab ea revocetur.*

50 *Tuncque tenebitur reddere, sed petere non poterit.*

51 *Qui Ordines suscipit, quamvis prima Tonsura initietur, tenetur emittere Votum Castitatis; & nisi habuerit animum ad Sacros Ordines ascendendi, non potest promoveri.*

52 *Homo Latinæ Ecclesiæ, sine licentia uxoris, in sæculo degentis, si ad Sacros Ordines promoveretur, multandus esset tanquam Bigamus, quia esset suspectus de Fide; unde exquirenda erit ab ea intentio, qua se fecit promoveri.*

53 *Vir putans uxorem mortuam, si ad Ordines promoveatur, etiamsi sub bona fide electus fuisset ad Pontificatum, poterit uxor, si vivat, quæ d. promotionem ignoravit, vel sciens contradixit, virum revocare, & postulatus tenebitur reddere.*

54 *Et idem procedit, si uxor ob gravem metum licentiam concessisset.*

55 *Ut vir possit ordinari non sufficit, ut Conjux licentiam dans emittat Votum ad tempus, v. g. donec Conjux vixerit, sed debet esse perpetuum hujusmodi Votum.*

56 *Unde, mortuo viro, non poterit aliud matrimonium inire absque Dispensatione, ob reverentiam Ordinis suscepti à viro.*

57 *Conjugatus nedum suscipere non potest Ordines absque licentia, verum nec habitum mutare, v. gr. suscipiendo habitum Tertii Ordinis, vel Heremiticas vestes, quia Conjugatos decent.*

58 *Facto juste divortio inter Conjuges, vir, absque eo quod alter det licentiam, & Votum Castitatis perpetuæ emittat, poterit suscipere Ordines, & de ratione.*

59 *Quia ſicuti per divortium licet ingredi Religionem, ita datum erit ſuſcipere Ordines, & in hoc Religio, & Ordines æquiparantur.*

60 *Et eo caſu non erit neceſſe, quod Conjux relictus, voveat continentiam, nec erit impeditus, poſt mortem Conjugis, alterum inire matrimonium.*

61 *Divortium non conceditur ſi alter Conjux ipſe quoque adulterium commiſerit.*

62 *Ut vir poſſit Ordines ſuſcipere, non ſolum requiritur ſpontaneus conſenſus, & licentia Conjugis quæ debet eſſe expreſſa, nec ſufficit tacita, ſed requiritur de neceſſitate, ut ſi ſit juvenis, vel de incontinentia ſuſpecta Religionem ingrediatur: ſi vero ſenex, nec ſuſpecta, poterit in ſæculo manere, emiſſo tamen perpetuo Voto Caſtitatis; quod procedit etiamſi de licentia alter ingrederetur Religionem,* n. 100.

63 *Si tamen poſtea continentiam, nec Votum ſervaret, cogi deberet, ut Religionem ingrediatur.*

64 *At ſi mulier, ob metum gravem, vel dolo, & fraude ſeducta, d. licentiam conceſſerit, poterit reclamare, & virum revocare, & vir iiſdem pœnis erit obnoxius, ac ſi abſque licentia Ordinem ſuſcepiſſet.*

65 *Si vero uxor virum non revocaverit, non poterit ex ſe redire.*

66 *Secus ſi profeſſus fuiſſet, quia Profeſſio, facta abſque licentia Conjugis, eſt nulla.*

67 *Ordinatus de licentia Uxoris, ſi ad Epiſcopatum promoveretur, tunc uxor deberet omnino Religionem ingredi, etiamſi ſenex eſſet, nec incontinentiæ periculum adeſſet, ob Epiſcopalis Dignitatis excellentiam.*

68 *Quod idem faciendum, ſi vir fieret S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.*

69 *Ut conjux poſſit etiam de licentia alterius Ordines ſuſcipere, requiritur Epiſcopi licentia, non eſſentialiter, ſed de honeſtate.*

70 *At verius eſt, requiri de neceſſitate, quia ad Epiſcopum ſpectat cognitio, an uxor extra periculum incontinentiæ poſſit remanere in ſæculo.*

71 *Et eſt mortale non habere Epiſcopi conſenſum. Quod non procedit, quando mulier eſſet ſenex, & ſterilis, nec in ea poſſet cadere incontinentiæ ſuſpicio,* n. 101.

75 *Pontifex aliquando ſolet diſpenſare cum Clerico, ut ducat uxorem, retinendo Penſionem, & quomodo id fieri accidat.*

76 *Votum Caſtitatis aliud eſt ſimplex, quod fit ad libitum cujuſcunque, & hoc impedit, ſed non dirimit Matrimonium.*

77 *Aliud eſt ſolemne, quod, vel in Sacrorum Ordinum ſuſceptione, vel in Religionis ingreſſu, emittitur; & matrimonium non ſolum impedit, ſed ſi poſt emiſſum hujuſmodi votum contractum ſit, illud dirimit.*

78 *In Religionem tunc aliquem dicitur fuiſſe ingreſſum, quando in ea legitime Profeſſionem emiſit.*

79 *Votum ſolemne dirimit matrimonium ſolo Jure Eccleſiaſtico, quia Votum ſimplex non dirimit, ita nec ſolemne ex ſui natura, cum iſtud nihil habeat ſupra ſimplex.*

80 *Super Voto perpetuo ſimplici Caſtitatis, Papa ſolus, & non alius, auctoritate ordinaria poteſt diſpenſare, cum ſit ex reſervatis S. Sedi Apoſtolicæ.*

81 *Immo in facultate à Papa alicui generaliter diſpenſandi ſuper Votis conceſſa, nunquam comprehenduntur Vota perpetuæ Caſtitatis, & Religionis, niſi de eis ſpecialis fiat mentio.*

82 *Tamen ex conſuetudine ſi hujuſmodi Voto adſtrictus matrimonium contrahat, poſſet ab Epiſcopo diſpenſari ad petendum debitum.*

83 *Amplia, ut Epiſcopus in hujuſmodi debiti petitione diſpenſari poſſit, etiam ante matrimonium conſummatum.*

84 *Epiſcopus, ſeclusa Pontificis reſervatione, poſſet diſpenſare in omnibus Votis in ſua Diœceſi, quia in ea eſt Ordinarius, & ea omnia circa Diſpenſationes poteſt, quæ poteſt Pontifex in toto Orbe.*

85 *Si unus ex Conjugibus, poſt matrimonium ratum, Religionem ingrediatur, alter Conjux in ſæculo manſus, expectare debet, donec alterius legitime Profeſſio ſequatur, unde ſi puella v. g. in 12. ſuæ ætatis anno poſt Matrimonium ratum ingreſſa fuerit Religionem, debet vir expectare donec 16. annum expleverit.*

86 *Secuta legitima Profeſſione, matrimonium ratum erit diſſolutum, & manſus in ſæculo poterit abſque Diſpenſatione alteri copulari.*

87 *Bimeſtre aſſignatum Conjugibus ad deliberandum, an velint Religionem ingredi, poteſt hujuſmodi tempus per Judicem ex cauſa breviari, ſeu prorogari, quæ tamen cauſa non debet eſſe levis,* num. 88.

89 *Si intra bimeſtre Fœmina à Conjuge per vim cognita fuerit, nihilominus adhuc poſſet Religionem ingredi, & de ratione* n. 90.

91 *Quod tamen non procedit, ſi ex tali copula proles concepta fuiſſet, nec ſit alius, qui eam poſſet educare.*

92 *Et eo caſu, quamvis, Conjux profiteretur, alter in ſæculo remanſus, qui Conjugem invitam intra bimeſtre cognovit, vivente eo ſuo Conjuge profeſſo, non poterit aliud inire Matrimonium, quia copula, ut ſupra, habita, dicitur matrimonium conſummatum, nec per Profeſſionem dirimitur.*

93 *Amplia, ut nedum per ingreſſum intra bimeſtre, matrimonium diſſolvatur, ſed etiam poſt, ſi nondum fuerit conſummatum.*

94 *Poſt matrimonium conſummatum, nulla humana poteſtas diſpenſare poteſt, ut alter Conjux Religionem ingrediatur, abſque licentia alterius, ſecluſo caſu Divortii perpetui.*

95 *Quod adeo verum eſt, ut, quamvis Conjux, poſt matrimonii conſummationem relictus, poſt Profeſſionem alterius conſenſum præſtet, vel per adulterium juſtam cauſam præbeat Divortii, nihilominus, niſi Profeſſio ratificetur, & ſerventur conditiones requiſitæ, Profeſſio erit nulla, & Profeſſus Religionem deſerere poterit.*

96 *Et tenebitur ad uxorem redire, eique reddere debitum; petere tamen ex propabiliori opinione non poterit,* n. 97.

98 *Quod matrimonium ratum diſſolvatur per Profeſſionem, intelligi debet de Religione vera, & approbata, quia per Vota Heremitarum prout Equitum Militiarum in Clauſura non degentium, ut ſunt Equites Calatravæ, Alcantaræ, S. Jacobi, Monteſiæ, & ſimiles, qui non dicuntur vere Religioſi, matrimonium antea contractum eſt compatibile cum eorum Votis: Equites tamen Hieroſolymitani excipiuntur, quia emittunt Votum Caſtitatis.*

99 *Dirimitur etiam matrimonium ratum per Votum ſolemne Mantellatorum, ſeu Mantellatarum, nempe virorum, & fœminarum Tertii Ordinis S. Dominici, S. Franciſci, vel S. Auguſtini,*

102 *Quæ ætas requiratur, ut quis dicatur ſenex, & poſſit in ſæculo remanere, abſque periculo incontinentiæ.*

103 *Si Conjux Religionem ingreſſus non profiteatur, & è Religione exeat, tenetur ad priorem Conjugem redire, & Votum factum ab eo, qui manſerat in ſæculo, non tenet, quia intelligitur factum ſub conditione, ſi alter Profeſſionem emiſerit.*

105 *At, ſi abſolute voviſſet Caſtitatem, teneretur reddere, ſed non poſſet petere.*

105 *Ingreſſus Religionem, ſi non profiteretur, ſed de una ad aliam Religionem vagaretur, poſſet Judex, dato termino peremptorio, illum compellere ut expleto anno Probationis, maneat in Religione, vel ad matrimonium redeat.*

106 *Maritus poſt matrimonium ratum ingrediens Religionem Jeſuitarum, poſt biennium Tirocinii, matrimonium remanet diſſolutum.*

107 *Si*

107 *Si dubitatur, an matrimonium fuerit consummatum, & ambo Conjuges jurent, non consummasse, credi potest illis, si sponsa, ex inspectione Matronarum appareat virgo; at si non erat virgo, & sic traducta, non creditur, in matrimonii præjudicium; si vero non fuerit traducta, credi potest.*

108 *Professio Conjugis, habentis spontaneam licentiam alterius, valida est, quamvis in sæculo remansus sit, licet suspectus de incontinentia, Religionem non ingrediatur, vel Votum non emittat,* & num. 110.

109 *Intellige tamen, ut Professio valida sit, nisi talis licentia ante Professionem sit revocata, quia, re adhuc integra, revocari potest.*

111 *Si Conjux erat conscius Juris, ad quod ipse tenebatur, nempe sciebat, adesse dispositionem de Voto emittendo, vel in Religionem ingrediendo in suo casu, non poterit alter Conjux revocari, secus si fuisset talis Juris inscius.*

112 *Et eo casu, quo Conjux professus teneatur redire ob non servatas solemnitates, tenetur reddere, sed non potest petere.*

113 *Et, mortuo Conjuge, tenetur ad Religionem redire Conjux professus in casu, quo juste revocari potest. Episcopus compellere potest quoscunque Regulares exemptos ad sic Professum dimittendum, vel ad non impediendum ipsius egressum, & hoc non Censuris, sed aliis pœnis, & mediis.*

114 *Si Conjux professus non possit revocari, cogendus est alter ad Religionem profitendam, si Votum emiserit; at si Votum continentiæ non emiserit, & erat ignarus Juris, ad quod tenebatur, non est cogendus vovere; si tamen Votum emisit, & est senex, nec suspectus de incontinentia, potest in sæculo manere.*

115 *Si vero juvenis, vel suspectus esset, tunc, si ignarus erat Juris requirentis Professionem ipsius, non cogetur profiteri, sed potius includi debet in Monasterium, ut cesset periculum incontinentiæ.*

116 *Conjux bona fide credens alterum mortuum, si Religionem profiteatur, poterit ab alio revocari, & tenebitur reddere, licet petere nequeat, absque Dispensatione.*

117 *Si Conjux in sæculo mansus patiatur decennio alterum vivere in Religione, præsumitur consensisse.*

118 *Quia taciturnitas longi temporis inducit consensum.*

119 *Relictus in sæculo, sciens Professionem Conjugis, sed toto tempore vitæ suæ non reclamavit, cum posset; an ejus morte, Professio censeatur rata, vel requiratur nova ratificatio, cum cæteris requisitis.*

120 *Si uterque Conjux, non petita ab altero licentia, Religionem cum mutua scientia ingrediantur, Professionem valide emiserunt, & neuter alterum poterit revocare.*

121 *Sed si unus post alium, absque licentia, vel si ambo, de alterius deliberatione ignari, profiteantur, Professio erit invalida.*

Conjux, qui professus fuit Religionem absque licentia alterius, poterit sine Dispensatione, & propria auctoritate, Religionem deserere, quia cum ejus Professio sit irrita, & invalida, eum non ligat.

122 *Quod idem procedit, etiamsi Conjux postea consentiret.*

123 *Si Conjux remansus in sæculo adulterium commiserit, quod alteri nulliter professo notum sit, non poterit is ab adultero revocari, quamvis nulliter professus fuerit, quia per adulterium amisit jus, quod in Conjugem habebat.*

124 *Prout nec repetere posse, qui interim factus esset Infidelis.*

125 *Posset tamen nulliter Professus injuriam adulterii remittere, & Religionem relinquere.*

126 *Si ambo Conjuges communi consensu Votum Castitatis emittant, & postea eos pœniteret, non poterit Episcopus in hujusmodi Voto dispensare, nisi postquam ipsi sibi remiserint ad invicem renunciationem juris petendi & reddendi, qua præcedente poterit Episcopus dispensare.*

127 *Episcopus in hujusmodi Voto dispensare potest, quamvis per modum Contractus vovissent, dummodo vicissim sibi remittant.*

128 *Proles si nascatur ex dictis Conjugibus, Voto simplici adstrictis, ante d. renunciationem, erit legitima, nam prolem esse illegitimam est pœnale, & odiosum, & in casibus tantum in Jure expressis procedit.*

129 *Papa an dispensare possit, ut Religiosus, v.g. Filius Regis, possit matrimonium contrahere ad tempus scilicet, donec unum, vel plures filios masculos susceperit, & postea ad Religionem redeat, refertur* Gratiani *opinio*, n. 130. & 131.

132 *Et resolvitur, quod possit dispensare in casu, quod vir & uxor hac conditione contraxissent, ut suscepta prole, Religionem ingredi vovissent.*

133 *Sacra Pœnitentiaria dispensare solet cum Clerico in Sacris, ut matrimonium contrahat, si receptio Ordinis sit occulta, & tunc solet apponi clausula*: Quod si uxori supervixerit, perpetuo sine spe Conjugii maneat, & Officium B. Mariæ Virginis, saltem diebus Dominicis, & Festis recitet, per modum satisfactionis, quoad vixerit.

134 *Votum faciens ingrediendi, & profitendi Religionem, si postea matrimonium contrahat, poterit absque Dispensatione petere, & reddere, quia nondum habet Votum Castitatis, sed solummodo Votum vovendi Castitatem solemniter, à cujus adimplemento est impeditus, matrimonio durante.*

QUamvis minores Ordines, nec impediant, nec dirimant matrimonium, *cap. Si quis eorum 7. dist. 32. cap. Si quis Clericor. 1. de Clericis conjug.* Angelus *verbo Matrim. 3. Impedim. 12. in princip.* Vivald. *in Candelabro*, ubi *de Impedim. Matrim. impedim. 9. n. 227.* Alphons. à Vera Cruce *part. 1. Spec. art. 37. conclus. 1.* Leo *In Thes. For. Eccles. part. 2. cap. 9. n. 85.* Sanch. *lib. 7. disp. 28. num. 2.* nec peccet Clericus, solos minores Ordines habens, matrimonium contrahendo: Vivald. *l. c.* Bonacina *de Matr. quæst. 3. punct. 9. propos. 1. n. 3. & 4.* Steph. à S. Greg. *Univ. Tract. de Vinc. Div. Piet. lib. 3. cap. 104. nu. 7.* Immo eorum filii, tempore Clericatus habiti, per subsequens matrimonium legitimentur, ut docent Gratian. *Discept. Forens. cap. 159. num. 10.* Carol. de Grassis *de Eff. Cleric. in prælud. n. 45.* & alii, quos propterea *lib. 1.* retulimus; attamen, quicquid dici possit de Minoribus, certum est, Ordinem sacrum Matrimonium postea contractum impedire, & dirimere, *cap. Si quis eorum.* Ita Sylvester *verbo Matrimonium 8. quæst. 12. dict. 2.* Navarr. *in Summa, cap. 22. num. 52.* Sanchez *lib. 7. disp. 28. n. 2.* Trullenck *tom. 3. lib. 7. cap. 9. dub. 6. num. 2.* Filiucc. *QQ. Mor. tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 4. nu. 117.* Leo *l. c.* nec de hoc dubitari potest, cum à Sacrosancto Tridentino Concilio *sess. 24. de Matr. can. 9.* fuerit definitum his verbis: *Si quis dixerit. Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, Castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, anathema sit.* Ratio hujusmodi differentiæ inter majores Ordines, & minores est, quia solis majoribus annexum est votum Castitatis; unde tam Latini, quam Græci, qui aliquo sacro Ordine insigniti matrimonium, absque Dispensatione Apostolica contraherent, nulliter, & irrite contraherent, & hujusmodi matrimonium esset ipso Jure nullum. Constat ex *cap. Erubescant 11. dist. 32. dict. cap. Si quis Clericorum, & d. cap. Si quis.* Sylvester, & Vival. *ll. cc.* Sanch. *lib. 7. disp. 28. n. 4.* Bellarmin. *in Contr. Fid. tom. 1. lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 27. lit. A. col. mihi 682.* Alphonsus à Vera Cruce *d. part. 1. art. 33. concl. 4.* unde

matrimonium sic contrahendo, Apostatæ sunt, &
6 Irregulares, ac Sacrilegi, & excommunicationem latæ sententiæ incurrunt. *Clem. 1. de cons. & affin.* Vivaldus *l. c. nu.* 120. Navarr. *d. cap. 22. n. 52.* Gutier. *de Matr. cap. 97.* Majol. *de Irregul. lib. 5. cap. 34. num. 5.* Laymanus *Theol. Mor. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 3. n. 3. l. c. num. 158. & 159.* sunt-
7 que etiam de Hæresi vehementer suspecti. Majol.
8 *l. c.* & ideo hunc casum pertinere ad S. Officium, testantur Simanca *Cathol. institut. titul. 40. à nu. 9. & in Enchiridion, titul. 12. nu. 1.* Carena *de Off. Inquisitionis, part. 2. titul. 17. §. 3.* Sperellius *decis. 111. num. 83.* & fœmina, quæ scienter matrimonium cum
9 Sacris initiato contraheret, posset à Principe in servitutem rapi, *c. Eos, qui 10. dist. 32.* & filii ex hujusmodi matrimonio concepti, ultra alia præjudicia,
10 efficientur servi illius Ecclesiæ, cui Pater adscriptus erat, *cap. Cum multo 3. caus. 15. qu. 8.* Less. *de Just. lib. 2. cap. 5. dub. 14.* (intellige tamen post
11 sententiam) Parochus etiam, qui hujusmodi ma-
12 trimonio assisteret, esset ipso Jure excommunicatus, idem Majol. *lib. 3. cap. 25. num. 16.*

13 Et quamvis nonnulli asserant olim Græcis Diaconis licuisse matrimonium inire, nihilominus probabilius videtur dicendum, illis id tantum licuisse, ante susceptionem Ordinis sacri; patet ex *cap. Cum olim 6. cap. de Clericis conjug. cap. Si quis eorum 7. dist. 32.* & ibi *Glossa in princip.* ubi habetur: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali Jure mulieri copulari, hoc ante Ordinationem Subdiaconatus faciat*, & ita docent Sanchez *lib. 7. disp. 28. num. 3.* Filiucc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 121.* Aversa *de Matrim. qu. 4. sect. 5. vers. Quinto ergo*: Steph. à S. Gregor. *l. c. num. 4.* & novissime Vericell. *quæst. 98. §. 29. num. 168.* Laymanus *d. cap. 3. num. 3.*

14 Dixi, absque legitima Dispensatione; licet enim aliqui existimarint Ordinem sacrum dirimere matrimonium, Jure Divino naturali, & proinde super eo non posse dispensari, verior tamen opinio est, solo Jure Ecclesiastico dirimere, & consequenter posse in
15 illo dispensari; ratio est, quia votum solemne Castitatis est solo Jure Ecclesiastico Ordini sacro annexum. Graff. *de Eff. Cleric. effect. 5. numer. 40.* Reginald. *lib. 31. cap. 17. nu. 123.* Layman. *l. c.* Filiucc. *d. cap. 4. num. 122.* Stephanus à S. Greg. & Trullenck *ll. cc.* Aversa *de Matrim. quæst. 15. sect. 1. vers. Sed dicendum*; optime Garc. *de Benef. part. 7. c. 10. n. 64. & 65.* Et antequam Ecclesia hujusmodi vota solemnia constitueret, erant vota simplicia, de quorum natura non erat matrimonium dirimere, sed solemnitas fuit ex solo Decreto Ecclesiæ ordinata, ut bene Filiucc. *l. c. n. 118.* unde clare con-
16 stat posse Summum Pontificem, si justa causa adsit, dispensare ad matrimonim cum Equitibus Hierosolymitanis, & aliis Religiosis, & Monachis professis, ut constat ex *cap. De Diacono 1. Qui Clerici, vel voventes, & d. cap. Cum olim, de Cleric. conjug.* & docent expresse Rebuff. *in Praxi Benef. ad Reg. de Dispensationib. in gradib. prohibit. Gloss. 5. num. 10.* Gutier. *Can. QQ. lib. 1. cap. 17. n. 5.* Paccin. *de Visit. part. 1. q. 10. n. 31.* Graff. *de Eff. Cler. eff. 1. nu. 114.* Gratian. *Discept. Forens. cap. 457.* Paris. *cons. 68. n. 148. part. 4.* Menoch. *de Arbitr. lib. 2. cas. 421. n. 10.* Valer. *Diff. utr. Fori, verbo Dispensatio, differentia 6. n. 5.* Tusch. *concluf. 458. n. 19. lit. D.* Garc. *de Benef.* innumeros referens *par. 7. cap. 10. nu. 43. & 45.* & fuisse cum effectu dispen-
17 satum cum quodam Remigio Monacho, è Regia Familia Aragonia nato, testantur Boer. *cons. 20. nu. 32.* & Gambar. *de Off. & Auctorit. Legat. lib. 8. nu. 86.* & Cœlestinum III. dispensasse cum Constantia Filia Regis Rogerii, ut, Religione deserta, nuberet Henrico VI. Federici Imperatoris filio, & Alexandrum VI. cum Cæsare Diacono Cardinali, ut uxorem duceret filiam Ducis Valentini, referunt plures Doctores relati à Barbosa *de Off. & Potest. Episc. al-*
18 *leg. 15. num. 22.* Sicut enim potest Papa solo verbo creare Sacerdotem, Rebuff. *in dict. Praxi*, ubi *de forma novæ provisionis, n. 17.* Fælin. *cap. 1. de Constit.*

ita, è converso, potest ex justa causa facere de Mo- 19
nacho non Monachum. Barbos. *l. c.* Sperellius *decis. 2. num. 17.* Garc. *l. c. mum. 93.* Boer. *d. cons. 20. n. 30.* Et proinde poterit sic dispensatus, sive sit in 20
Religione professus, sive Clericus in Sacris Constitutus, matrimonium valide, & licite contrahere, nisi aliud obstet impedimentum nec tenebitur ad recitationem Horarum Divinarum, si Clericatum deserens, & habitu sæculari indutus, vigore obtentæ 21
Dispensationis matrimonium contrahat, quia tunc jam translatus est ad statum sæcularem solo indelebili caractere manente, nec gaudebit amplius privilegio Clericali; secus autem esset, si sic dispensatus habitum non mutaret ad utendum Dispensatione, 22
eo quod à statu Sacerdotali nondum recessisset, & ob id posset interim celebrare, & Beneficiorum suorum, si quæ possideret fructus exigere, ac cæteris Clericorum Privilegiis frui. Vide Sanch. *lib. 8. disp. 9. n. 11.* Squillant. *de Privileg. Clericor. cap. 7. nu. 39.* Dianam *p. 8. tract. 3. resol. 24.* ubi merito rejicit ampliationem factam à dicto Sanchez, ut possit sic Dispensatus statim, habitu Clericali dimisso, ac statum sæcularem se transferre, quia donec matrimo- 23
nium non contrahat, quamvis habitum induat sæcularem, non dicitur assumpsisse statum incompatibilem cum statu Ecclesiastico, cum ante matrimonium contractum, nec Beneficia Ecclesiastica amittantur, nec Privilegia Clericorum.

Porro Ordo sacer à Professione differt; quia ex 24
matrimonio rato potest quis, absque Dispensatione, ad Religionem transire, non tamen ad Ordinem sacrum, ut ponderat Aversa *de Matr. qu. 4. sect. 9. vers. Nec licet viro.* Ratio autem hujusmodi differen- 25
tiæ est, quia per Professionem dirimitur matrimonium ratum, & proinde alter Conjux, in sæculo remansus, liber remanet ad aliud matrimonium contrahendum, & consequenter, licet non posset Conjugem professum revocare, non fit ei injuria; at per Ordinem Sacrum, cum non dirimatur matrimonium 26
ratum, ut declaratum fuit à Joanne Papa XXII. in Extravaganti, incipiente, *Antiquæ, de voto*, non potest alter Conjux aliud matrimonium in vita Conjugis inire; unde cum ei manifesta irrogetur injuria, potest dictum suum Conjugem postulare non minus, quam post matrimonium consummatum, si absque ejus consensu sacros Ordines suscepisset; posset tamen Papa, absolute loquendo, obligationem con- 27
tinentiæ annexam Ordini relaxare, & sic virum conjugatum absque injuria uxoris promovere, ut bene docent Aversa *de Ordine, quæst. 4. sect. 9. vers. Nec licet*, & Majol. *de Irregul. lib. 1. cap. 4. n. 8. vers. Sunt autem*.

At dubium est, si quis Sacros Ordines suscepisset, 28
cum intentione se non obligandi, nec Castitatis votum emittendi, an teneatur hujusmodi voto; & quidem non desunt, qui putent, teneri, quia ex Statuto Ecclesiæ id votum est adeo unitum cum Ordine Sacro, ut eo ipso, quod quis vult Ordinem, vult necessario & votum; qui etenim vult antecedens, vult etiam necessarium consequens, ut bene Micha- 29
lor. *Tract. de Fratrib. part. 1. cap. 27. nu. 11.* Redenasch. *cons. 58. num. 81.* Seraphin. *decis. 167.* 30
n. 1. Farinacc. *cons. Crim. lib. 1. cons. 17. n. 7.* Quicquid tamen Doctores hujus opinionis dicant, probabilius est, non teneri, quia licet suscipiendo Ordines cum dicta intentione se non obligandi peccet mortaliter, cum agat contra præceptum Ecclesiæ, non tamen tenetur ratione voti immediate, cum vere illud non emiserit, sed tamen tenebitur ad Castitatem servandam ex Lege Ecclesiæ, quæ, quamvis inmediate non præcipiat, ut Ordinatus in Sacris Castitatem voveat, tamen mediate ad Castitatem obligat, etiamsi non voverit. Sanchez *lib. 7. disp. 27. num. 12.* Bonac. *de Matr. q. 3. punct. 9. n. 11.* & alii plerique.

Nec teneretur ex voto, qui ob metum cadentem 31
in constantem virum, illud in susceptione Ordinum emisisset, cum requiratur omnino voluntas suscipientis; alioquin, si ex dicto metu suscipiantur, non recipitur caracter, & votum sic emissum non tenet, *cap. Majores 3. de Baptismo, & ejus effectib. circa finem*.

finem. Sanch. *lib. 7. disp. 29. num. 2.* Bonacin. *loc. cit. num. 7.* Filiucc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 4. à numer. 123.*

32 Sic pariter, dato, quod ante usum rationis, vel ante pubertatem, quis Ordines Sacros suscipiat, non tenebitur voto, quia, si non adsit usus rationis, deest voluntas; & ante annos pubertatis, nec votum

33 solemne Religionis obligat, nisi postea ratificetur. *cap. Ad nostram 8. de Regul.* Filiucc. *nu. 128. l. c.* Sanch. *lib. 7. disp. 30. nu. 8. & 9.* Stephan. à S. Greg. *d. c. 104. n. 6.* Trullenck *d. dub. 13. num. 8. & 9.* unde

34 isti, qui sic nulliter Ordines susceperint, & tempore habili non ratificarent, poterunt, facta ab Ecclesia declaratione nullitatis, matrimonium absque ulla Dispensatione, nisi aliud obstet, inire, ut bene Sanchez *lib. 7. disp. 29. num. 6.* & alii præcitati Doctores *ll. cc.*

35 Prædictis addo, posse virum conjugatum, de uxoris licentia, & consensu, juste, & licite, nisi aliud obstet Impedimentum, ad sacros Ordines promoveri; habetur in dicta Extravaganti *Antiquæ, & cap. Conjugatus 5. de Convers. Conjug.* non etenim de Jure Divino repugnat status conjugalis cum Ordine sa-

36 cro, immo Jure Ecclesiastico permittitur, ut simul conjungi possint, servando tamen continentiam, quæ etiam inter Conjuges utique servari potest, abstinendo ab usu Conjugii, emisso per alium Conjugem voto Castitatis, vel altero Conjuge Religionem ingresso, ut latius mox declarabimus. Et si post su-

37 sceptos de licentia, ut supra, dictos Ordines, carnaliter commiscerentur, committerent grave sacrilegii peccatum, contra obligationem Ordini Sacro annexam, non tamen id esset fornicationis peccatum, quia vir non accedit ad non suam, nec fœmina ad non suum, ut bene Aversa. *de Ordinis Sacramento,*

38 *quæst. 4. sect. 10.* fere in principio; Proles autem, quæ ex eo congressu conciperetur, juxta probabiliorem opinionem, esset legitima, ut bene Sanch. *lib. 9. disp. 38. num. 7.* Aversa *de Matrim. quæst. 22. sect. 2.*

39 *vers. Nihilominus*; quamvis esset Irregularis, itaut ad Ordines absque Dispensatione promoveri non posset; quia, ut sit legitima, constat ex eo, quod vir non accedit ad non suam, & vere isti filii nascuntur ex matrimonio legitime, & rite contracto, & consummato, cujus vinculum per Professionem, vel Sacrorum Ordinum susceptionem, non dirimitur;

40 aliter tamen dicendum esset, si post matrimonium ratum, sed non consummatum, Conjux fuisset Religionem professus, quia, si post Professionem commiscerentur, vir accederet quidem ad non suam, cum matrimonium ratum jam fuisset per Professionem omnino dissolutum, ut bene animadvertit San-

41 chez *lib. 7. disp. 38. num. 4.* at si, ante matrimonium per Parentes contractum, filius natus esset, & promotus ad aliquem Ordinem, & deinde Parentes rite matrimonium inter se contraxissent, ille quidem fieret legitimus, non tamen Ordinis indebita susceptio convalidabitur, nec habebit Ordinis executionem, & si ad altiores promoveri velit, necessaria erit Dispensatio. Majolus *de Irregul. lib. 1. cap. 4. num. 16.*

42 Nec videtur de Jure prohibitum uxori seni, quæ Votum Castitatis emisit, dum non adsit incontinentiæ periculum, cohabitare cum Conjuge in Sacris constituto, cum etiam Apostoli secum ducerent uxores, ut sibi ministrarent, *cap. Omnino 11. dist. 31. cap. Volumus, dist. 81.* Sanch. *lib. 7. disp. 39. nu. 8.*

43 Filiucc. *d. c. 4. num. 150.* At si adesset incontinentiæ periculum, cohabitare non possent, quamvis uxor senex esset, & Castitatem vovisset. Sanch. *l. c.* Trullenck *l. c. num. 17. circa finem*; nec posset uxor, quæ hujusmodi Votum emisisset, alteri viro post

44 mortem dicti sui Conjugis nubere, absque Dispensatione Apostolica, *cap. Quia sunt 10. dist. 28.* & faciunt alia Jura supra allegata, & nos infra latius

45 dicemus; quod idem procedere apud Græcos testantur Sanchez *lib. 7. disp. 4. n. 2.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 5. n. 151.*

Est autem ita necessaria licentia Conjugis ad hoc,

46 ut possit quis Sacros Ordines suscipere, ut absque illa non possit, non solum ad Sacros, sed nec ad Minores Ordines promoveri; immo, nec prima Clericali Tonsura insigniri, ut bene Sanch. *lib. 7. disp. 38. nu. 6.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 146.* Stephan. à S. Greg. *d. cap. 104. num. 18.* Trullenck *l. c. num. 21.* Barbos. *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 33. n. 127.* Quod si vir post matrimonium, sive ratum, sive consummatum, absque dicta licentia, sciens ejus uxorem vivere, Sacrum Ordinem susciperet, 47

tunc, ultra quamquod potest ab uxore postulari, & repeti, Irregularitatem incurrit, si adsit dolus, nec poterit in Ordine ministrare, nec ad alios promoveri, nec Beneficia, aut Officium Ecclesiasticum acquirere, ut disponitur in dicta Extravaganti *Antiquæ*, & docent Sanch. *lib. 7. disp. 49. num. 2.* Filiuc. *d. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 159.* Trullenck *d. dub. 13. num. 14.* Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 3. num. 3.* & quamvis postea consensus mulieris subsequatur, non tamen à dicta Irregularitate erit liberatus, immo & soluto matrimonio per mortem uxo- 48

ris, adhuc persistet in Irregularitate, nisi absolvatur, ut bene Aversa *de Sacram. Ordinis, q. 4. sect. 9. vers. Tertio si quis*: nec poterit, constante eo ma- 49

trimonio, ad illam redire, nisi ab ipsa revocetur, ut bene dictus Filiuc. *num. 147. l. c.* & tunc tenebitur reddere, sed non poterit petere, ut docent Sanch 50

lib. 7. disp. 38. nu. 21. Majol. *de Irregul. lib. 1. cap. 34. n. 1.* Trullenck *l. c.*

Et eo casu non tenebitur ad delationem Habitus Clericalis, & Tonsuræ, ut bene idem Majol. *loc. c. vers. Sacros vero Ordines.*

Circa prædicta sunt nonnulla adnotanda; & primo, teneri eum, qui Ordines suscipit, quamvis prima Clericali Tonsura initietur, emittere Votum Ca- 51

stitatis, & nisi habeat animum ad Sacros Ordines ascendendi, non posse promoveri. Sanchez *d. disp. 38. num. 8. & 9.*

Nota secundo, quod si homo Latinæ Ecclesiæ, 52

sine licentia uxoris in sæculo degentis, ad Sacros Ordines promoveretur, mulctandus esset sicut bigamus, quia est suspectus de Fide, unde exquirenda erit ab eo intentio, qua se promoveri fecit, vide Hurtad. *Tract. Var. part. 1. tract. 5. cap. 2. resol. 4. num. 36.*

Nota tertio, quod data etiam bona fide in Con- 53

juge, qui se promoveri fecit, v. gr. quia credebat suam uxorem esse mortuam, quæ vere viva erat, & Ordines suscepit cum dicta credulitate; quamvis etiam ille ad Summum Pontificatum fuisset elatus poterit tamen ejus uxor, quæ dictam promotionem ignoravit, vel sciens ei contradixit, dictum suum virum revocare, & tenebitur sic postulatus debitum reddere, quia id alteri ex justitia competit, nec tale Jus potuit bona fides alterius conjugis annullare. Trullenck *l. c. num. 22.* Sylvester *verbo Matrimonium 8. qu. 12. dict. 3.* Filiuc. *d. cap. 4. num. 147.* Paris. *de Resign. Benef. lib. 3. q. ult. num. 135.* & idem esset, si uxor concessisset licentiam viro ob gravem me- 54

tum, quia non valeret. Sylvest. *verbo Divortium, q. 17. dict. 5.* Trullenck *d. n. 22.* Aversa. *de Matrim. q. 15. sect. 3. vers. Secundo.* Gutierez *Can. QQ. lib. 1. c. 25. num. 6.*

Nota quarto, non sufficere ad hoc, ut possit quis 55

ordinari, ut Conjux licentiam dans, emittat votum ad tempus, v. gr. quamdiu Conjux vixerit, sed debet hujusmodi votum esse perpetuum, *cap. Ad Apostolicam 13. de convers. conjug.* Aversa *sect. 3. vers. Sexto*; unde, mortuo viro, non poterit absque Dispensatione aliud matrimonium inire, ob reveren- 56

tiam Ordinis à viro suscepti de licentia uxoris. Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. c. 4. num. 151.* Layman. *d. c. 3. num. 5.*

Nota quinto, non solum non licere alicui, abs- 57

que licentia Conjugis, Ordines suscipere, ut diximus, sed nec licere Habitum mutare, v. gr. induere Habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci, vel Eremiticas Vestes, quia hujusmodi Vestes Conjugatos dedecent, & sunt causa horroris in altero Coniuge, ut bene Sanch. *lib. 10. disp. 4. n. 9.*

Nota sexto, non solum posse quem, de licentia 58

uxo-

uxoris, Ordines ſuſcipere, ut diximus, ſed poſſe etiam, abſque ejus licentia, idipſum facere, eo caſu quo juſte inter ipſos Conjuges perpetuum divortium factum ſit, quamvis alter Conjux non conſenſerit, nec votum perpetuum Caſtitatis emiſerit (quicquid alii contrarium ſentiant) & aperte conſtat ex *cap. Conſtitutus* 11. *& cap. Veniens* 16. *de converſ. conjug. cap. Agathoſa* 21. *cauſ.* 27. *quæſt.* 2. & docent expreſſe Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 11. *n.* 16. Bonac. *de Matr. qu.* 3. *punct.* 4. *propoſ.* 3. *nu.* 10. *verſ. Dixi in reſponſione*, Pontius *de Matr. lib.* 9. *cap.* 13. *à n.* 5. Averſ. *de Sacram. Ordin. qu.* 4. *ſect.* 10. *verſ. Poſt immo*. Valaſc. *Diff. utr. Fori, verbo Matrimonium*, *diff.* 7. Ratio eſt, quia hoc caſu ſuſceptio Sacrorum Ordinum, & 59 ingreſſus in Religionem æquiparantur; & cum Conjux in caſu divortii amittat jus retinendi alterum Conjugem, ſicut is eſt liber ad ingreſſum Religionis, ita erit ad Sacri Ordinis ſuſceptionem; quo 60 caſu neceſſe non erit, ut Conjux relictus voveat continentiam, nec remanebit inhabilis ad aliud matrimonium, poſt mortem Conjugis ineundum; li- 61 mita tamen, ut divortium non concedatur, ſi alter Conjux ipſe quoque adulterium commiſiſſet, ut bene animadvertit Averſ. *de Matrim. qu.* 22. *ſect.* 4. *verſ. Sexto ſi poſtquam*.

62 Nota ſeptimo, ad hoc, ut poſſit quis Ordines ſuſcipere, non ſolum requiri ſpontaneum conſenſum, & licentiam alterius Conjugis, (quæ licentia debet eſſe explicita, & expreſſa, nec ſufficit tacita, ut docet Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 35. *nu.* 13. Averſa *de Matr. qu.* 15. *ſect.* 3. *verſ. Tertio debere*) ſed requiri de neceſſitate, ut ſi iſta juvenis ſit, vel ſuſpecta de incontinentia, Religionem profiteatur; at ſi fuerit ſenex, nec ſuſpecta de incontinentia, poterit in ſæculo manere, emiſſo tamen perpetuo Voto Caſtitatis; ita Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 39. *n.* 6. Averſ. *de Sacramento Ordinis, quæſt.* 4. *ſect.* 10. *verſ. Sexto ulterius, & de Matrim. qu.* 15. *ſect.* 3. *verſ. Sexto*; Filiuc. *d. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *nu.* 149. Steph. à S. Greg. 63 *d. cap.* 104. *nu.* 22. Si tamen poſtea non ſe contineret, & Votum non ſervaret, cogi debet ingredi Religionem; colligitur ex *cap. Significavit* 18. *de converſ. Conjug. circa finem*; Filiuc. *d. cap.* 4. *nu.* 135. At ſi uxor ob metum cadentem in conſtantem vi- 64 rum, vel dolo, & fraude ſeducta, licentiam prædictam Conjugi conceſſerit, poterit reclamare, & virum ſuum revocare, & vir, qui dictam licentiam extorſit, iiſdem erit obnoxius pœnis, & obligationibus, ac ſi abſque dicta licentia Ordinem aſſumpſiſſet, conſtat ex *cap. Accedens* 17. *de converſ. Conjug.* & docent Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 35. *nu.* 1. 8. *&* 9. Filiuc. *l. c. n.* 143. Quod ſi uxor dictum ſuum virum 65 non revocaret, non poterit vir ex ſe redire, quia valide recepit Ordinem; Filiuc. *d. cap.* 4. *nu.* 147. licet 66 aliter eſſet dicendum, ſi profeſſus fuiſſet, quia Profeſſio facta abſque licentia Conjugis eſt nulla, & invalida, vide Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 38. *nu.* 16. Trullenck *d. dub.* 3. *nu.* 22.

67 Nota octavo, quod ſi Ordinatus de licentia Conjugis fuiſſet ad Epiſcopatum promotus, nullatenus poſſet Conjux in ſæculo manere, quamvis ſenex eſſet, & nullum incontinentiæ periculum timeretur, ſed teneretur omnino Religionem ingredi, quia ſic oportet ob Epiſcopalis Dignitatis excellentiam, & ne Epiſcopus, hac occaſione, viſitari poſſit à fœminis, ut expreſſe habetur *in cap. Sane* 6. *de converſ. Conjux.* & docent Sylveſt. *verbo Matrimonium* 8. *qu.* 12. *dict.* 4. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 41. *nu.* 2. Majol. *de Irreg. lib.* 1. *cap.* 34. *nu.* 2. Filiuc. *l. c. nu.* 152. Stephanus à S. Gregor. *d. cap.* 104. *nu.* 25. quod idem faciendum 68 erit, ſi vir fiat S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ut docent dicti Filiuc. & Sanchez *ll. cc.* & Trullenck *l. c. num.* 15. *in fine*.

69 Nota nono, quod ad hoc, ut Conjux poſſit, etiam de licentia alterius, Ordines ſuſcipere, non requiritur eſſentialiter licentia Epiſcopi, ſed tantum de honeſtate, juxta doctrinam Gutier. *de Matrim. cap.* 95. *nu.* 4. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 32. *nu.* 3. Trullenck *dict. dub.* 6. *n.* 18. Tuſch. *concluſ.* 147. *n.* 8. *lit. M.* At verius exiſtimo, requiri de neceſſitate, ut dicta licentia habeatur, quia ut bene animadvertit Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 73. *verſ. Notandum eſt*, ad Epi- 70 ſcopum ſpectat cognoſcere, & diſpicere, an Conjux in ſæculo remanſus extra incontinentiæ periculum exiſtat; immo Bonac. *de Matr. quæſt.* 3. *punct.* 4. *nu.* 12. *in fine*, concludit, eſſe mortale, non habere conſenſum Epiſcopi, quia agitur de re gravi; 71 vide Filiuc. *dict. cap.* 4. *num.* 149.

Nota decimo, quod mulier, quæ conſenſit, ut 72 maritus Sacros Ordines ſuſciperet, & propterea continentiam vovit, non poterit, mortuo dicto viro, alteri nubere abſque Diſpenſatione; conſtat ex *cap. Si qua vidua* 12. *diſt.* 28. *& cap. Seriatim* 14. *diſt.* 32. & nos diximus ſupra *nu.* 44. Quod ſi abſque legitima Diſpenſatione nuberet, matrimonium iſtud 73 nullum, & irritum eſſet. *cap. Quia ſunt* 10. *diſt.* 28. *ex Greg. Papa, lib.* 11. *epiſt.* 59. *& cap. Si ſe* 11. *eadem diſt. ex Concil. Aurelianen.* 1. *cap.* 15. ubi jubetur, tale Conjugium diſſolvi, & mulierem à viro 74 ſeparari, id quod matrimonii nullitatem demonſtrat, quia alioquin ſolutio, & ſeparatio fieri non poſſet; ita etiam Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 40. *n.* 2. *&* 3. Averſa *de Sacram. Ordinis l. c. verſ. Rurſus*. Trullenck *d. dub.* 13. *num.* 20.

Tandem nota, quod ſolet Pontifex aliquando cum 75 Clerico diſpenſare, ut ducat uxorem retinendo Penſionem, idque duplici modo facere ſolet, nempe cum præſervat Clericum illæſum, non obſtante Conjugio, aut etiam Bigamia, quantumcunque reiterata, ſuſpendendo, ſeu avertendo omnes effectus Juris: vel cum, ex ſuppoſitione eliſionis Clericatus, conſervat perſonæ diſpenſatæ eundem ſtatum Eccleſiaſticitatis, aut in famulatu Eccleſiæ, ut in Militia Lauretana, ſuper qua extat Gregorii *Deciſio* 18. aut in Militari aliqua Religione, quæ matrimonium permittat; vide Lother. *de Re Benef. lib.* 1. *qu.* 40. *n.* 199. ubi *ad nu.* 200. plura congerit circa Milites diſpenſatos ad matrimonium contrahendum, & Penſiones retinendum, quæ cum ad noſtrum Tractatum non pertineant, hic adnotare non curavimus.

Quod attinent ad Impedimentum Voti; in pri- 76 mis adnotandum eſt, Votum Caſtitatis aliud eſſe ſimplex, quod ſit ad libitum cujuſcunque; & licet matrimonium impediat, non tamen illico dirimit, *cap. Meminimus* 53. *Et cap. conſuluit* 4. *Qui Clerici*, vel *voventes*, & de hujuſmodi Voto plura diximus 77 *præſenti Libro*; aliud eſſe ſolemne, quod vel in Sacrorum Ordinum ſuſceptione, vel, in Religionis ingreſſu emittitur, & matrimonium, non ſolum impedit quin licite contrahatur, ſed ſi poſt emiſſum hujuſmodi Votum contractum ſit, illud irritat, & dirimit, Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 26. *num.* 1. & ita fuit definitum per plura Concilia, quæ propterea recenſet d. Sanch. *l. c.* & noviſſime per Sacroſanctum Tridentinum Concil. *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. his verbis fuit definitum: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares Caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel Voto, & oppoſitum nil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, qui non ſentiunt ſe Caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; Anathema ſit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari*.

Secundo adnotandum, tunc dici quem fuiſſe in- 78 greſſum in Religionem, quando in ea legitime Profeſſionem emiſit, alias non dici ingreſſum in Religionem, quamvis plures annos in probatione ſteterit. Authent. *Ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ.* Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 18. *n.* 3. Marant. *in Contr. utr. Jur. Reſponſ.* 29. *num.* 6. *part.* 4. Gutier. *Can. qq. lib.* 2. *cap.* 1. *à num.* 21. Ricciull. *de Jure Perſonar. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 3.

Tertio adnotandum, Votum ſolemne, juxta veriorem Doctorum ſententiam, matrimonium dirimere ſolo Jure Eccleſiaſtico; quia ſi Votum ſimplex 79 non dirimit, ita nec ſolemne ex ſua natura, cum iſtud nil habeat ſupra ſimplex, cujus ratione magis dirimatur matrimonium, excepto Præcepto, & Statuto Eccleſiæ, quæ ſic ſtatuit; ita docent Sanch.

lib. 7.

lib. 7. *disp.* 25. *num.* 5. & 16. Coninck *disp.* 31. *dub.* 6. *num.* 67. Less. *de Just. lib.* 2. *cap.* 41. *dubitat.* 8. *num.* 67. Bonac. *de Matr. quæst.* 3. *punct.* 4. *propos.* 1. *n.* 3. Filiuc. *Tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 118.

80 Quarto, quamvis super Voto perpetuo, & simplici Castitatis, nullus, præter Pontificem, possit auctoritate ordinaria dispensare, cum sit unum ex reservatis Sedi Apostolicæ: Sanch. & Boss. mox citandi; Less. *de Just. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 18. *num.* 122.

81 immo in facultate, à Pontifice alicui generaliter concessa, dispensandi super Votis, numquam comprehendantur Vota perpetua Castitatis & Religionis, nisi de eis specialis mentio fiat, cum hæc ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ ipsi Pontifici reservata sint, ut bene Sanch. *lib.* 8. *disp.* 9. *num.* 2. Bos. *de triplici Jubilæi privileg. sect.* 2. *cas.* 8. *num.* 1. & nos diximus

82 *lib.* 1. *cap.* 2. tamen consuetudine obtentum est, ut si hujusmodi Voto adstrictus matrimonium contrahat, possit Episcopus secum dispensare ad petendum debitum. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 12. *num.* 4. Gutier. *de Matrim. cap.* 123. *n.* 14.

83 Ampliant dicti Sanch. *eodem lib.* 8. *disp.* 20. *num.* 6. & Gutier. *l. c.* ut possit Episcopus in hujusmodi debiti petitione dispensare, etiam ante matrimonium consummatum, ex consuetudine introducta; & qui-

84 dem secluſa Pontificis reservatione, posset Episcopus in sua Diœcesi in omnibus Votis dispensare, quia in illa est Ordinarius, & ea omnia circa Dispensationes potest, quæ potest Pontifex in toto Orbe, nisi specialiter reservata sint, ut bene Sanch. *lib.* 8. *disp.* 9. *num.* 3. & alii Doctores, quos propterea præsenti Libro citavimus.

85 Quinto, si unus ex Conjugibus, post matrimonium ratum, non tamen consummatum, Religionem approbatam ingrediatur, ut sibi licere diximus *cap.* 10. *n.* 37. tenetur Conjux in sæculo mansus expectare, donec Professio alterius legitime sequatur; unde si Puella, v. gr. in duodecimo suæ ætatis anno post matrimonium ratum, ingressa sit Religionem, tenebitur Conjux expectare, quousque illa completerit annos 16. à Concilio ad profitendum præscriptos. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 24. *num.* 8. Bonac. *de Matrim. q.* 3. *puncto* 4. *propos.* 2. *num.* 5. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 3. Barbos. *in Collect. Concil.*

86 *sess.* 25. *cap.* 15. *num.* 10. & facta legitime dicta Professione, matrimonium erit dissolutum, adeout poterit Conjux in sæculo mansus, absque ulla Dispensatione, alteri matrimonialiter copulari, cum id fuerit Professioni ex Privilegio divino concessum, ut docent Sanch. *lib.* 2. *disp.* 19. *num.* 3. Bonac. *puncto* 4. *num.* 4. & faciunt dicta per Aversa. *de Matr. qu.* 15. *sect.* 2. *vers. Sexto dubitatur*, nec de hoc dubitari potest, cum fuerit à dicto Tridentino Concilio ita

87 definitum, ut diximus; & quamvis assignatum sit bimestre ad deliberandum, an velint Conjuges Religionem ingredi; nihilominus hujusmodi bimestre potest per Judicem, causa cognita, breviari, vel prorogari, sicut constat *ex cap. Ex publica de convers. de Conjug.* & docent Sanch. *lib.* 2. *disp.* 24. *num.* 12. Pont. *de Matrim. lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 8. *& nu.* 9. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *nu.* 52. Trullenck *lib.*

88 7. *cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 4. quamvis non debeat Judex, ex levi causa, à dicto bimestro discedere.

89 Sexto, si intra bimestre præfatum fœmina fuisset à Conjuge per vim cogita, adhuc posse Religionem ingredi, defendunt Sanch. *lib.* 2. *disp.* 22. *n.* 6. Trullenck *lib.* 6. *c.* 4. *dub.* 5. *n.* 6. *t.* 3. & inclinant Bonac. *de Matr. q.* 3. *punct.* 4. *propos.* 3. *n.* 8. Escob. *Theol.*

90 *Mor. tract.* 7. *exam.* 9. *cap.* 1. *n.* 75. quia copula fuit per vim extorta, nec per aliam viam potest vim passa jus suum recuperare, nisi per ingressum:

91 Quæ doctrina vera est, nisi ex copula habita fuisset concepta proles, nec sit alius, per quem possit commode educari, quia tunc impediretur per accidens, ut bene animadvertunt Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 48. Trullenck *l. c. dub.* 5. *num.* 6.

92 Quamvis autem Conjux eo casu profiteatur, non tamen poterit alter in sæculo remansus, qui Conjugem invitam infra dictum bimestre cognovit, vivente eo suo Conjuge professo, aliud matrimonium inire, quia per copulam, post matrimonium habitam, fuit consummatum matrimonium, quo casu matrimonium per Professionem non dirimitur; vide Trullenck *d. dub.* 5. *n.* 6. *& dub.* 6. *num.* 11. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 33. Aversa. *de Matr. q.* 15. *sect.* 3. *in princip.* Et colligitur *ex cap. Qui Uxorem* 11. *causa* 33. *q.* 5. & faciunt dicta per Leonem *in Thes. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 118.

Septimo, quod diximus, posse Conjugem infra bimestre, ante consummationem matrimonii, Religionem ingredi, amplia ita, ut etiam post dictum bimestre id facere possit; quamvis enim peccet post bimestre non reddendo, quia tunc alter Conjux petendo debitum utitur jure suo, nec injuriam Conjugi irrogat, tamen, si matrimonium non fuerit consummatum, & Religionem profiteatur, matrimonium erit dissolutum, ita Sanch. *lib.* 2. *disp.* 24. *num.* 27. Coninck *disp.* 26. *dub.* 4. *concluss.* 4. *num.* 49. Trullenck *d. dub.* 6. *num.* 7. Sperell. *decis.* 21. *num.* 44. 93

Octavo, quicquid dictum sit, posse Conjugem, post matrimonium ratum, & non consummatum, Reglionem ingredi, etiam absque alterius licentia, aliter dicendum est, si ingredi velit post matrimonium consummatum, quia tunc nulla humana potestate dispensari potest (secluso casu perpetui divortii, de quo supra diximus) ut absque licentia, & consensu Conjugis, possit quis Religionem ingredi; cum vinculum matrimonii consummati sit indissolubile, & per illud Conjuges effecti sint una caro, quæ non est separanda, nisi per alterius mortem. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 21. *num.* 5. Tusch. *concluss.* 147. *n.* 6. *lit. M.* & alii, quos propterea præsenti Libro citavimus; idque est adeo verum, ut, quamvis consummato jam matrimonio, Conjux relictus post Professionem alterius hujusmodi consensum præstet, vel per adulterium præbeat justam causam divortii, nihilominus, nisi Professio ratificetur, & serventur conditiones, quæ specialiter requiruntur in Professione Conjugatorum, ea Professio prius facta erit irrita, & invalida, & poterit sic Professus Religionem deserere, ut bene Sanch. *lib.* 7. *disp.* 34. *n.* 16. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *nu.* 142. & tenebitur ad uxorem redire, eique debitum reddere, quia non potuit per hujusmodi professionem præjudicare alteri Conjugi, nec iste suo jure privari, *cap. Discretionem* 6. *De eo qui cognovit &c.* 94 95 96

Dixi, tenebitur reddere, quia, juxta probabiliorem opinionem non poterit petere; licet enim Votum Religionis sit individuum, itaut non possit, post consummatum matrimonium, vivente altero Conjuge servari; nihilominus Votum Castitatis est dividuum in plures partes, adeout, etiam vivente Conjuge, in parte servari possit, & consequenter, qui in hujusmodi Professione Votum Castitatis emisit, videtur teneri ad Castitatem servandam quantum potest, vide Sanch. *lib.* 7. *disp.* 34. *num.* 2. 97

Nono, intellige, dirimi matrimonium ratum per Professionem factam in Religione vera, & approbata, quia per Vota Eremitarum, prout & Equitum Militiarum in Clausura non viventium (exceptis Equitibus Hierosolymitanis, qui sunt vere Religiosi, ut probavimus *n.* 17.) non solvitur matrimonium ratum; quamvis enim isti alii Equites sint vere Religiosi, ut sunt Equites Calatravæ, Alcantaræ, S. Jacobi, Montesiæ, & his similes, tamen matrimonium eorum, antea initum, est compatibile cum Votis, quia tantum vovent Castitatem conjugalem; at Equites Hierosolymitani, non solum sunt vere Religiosi, & Professionem solemnem emittunt, ut diximus, sed eorum Votum Castitatis est absolutum, absque ulla restrictione; & ideo horum Professio matrimonium ratum dirimit, ut animadvertunt Barbos. *de Appellat. verb. Appell.* 233. *num.* 9. *& de Jure Eccles. univ. lib.* 3. *cap* 7. *num.* 32. Escobar. *Theol. Mor. tract.* 7. *exam.* 9. *cap.* 9. *num.* 104. *vers. Dixisti*; Carol. de Grass. *de effect. Cleric. effect. pr. nu.* 106. & alii, quos supra citavimus. Dirimitur insuper Matrimonium ratum per votum solemne Mantellatorum, seu Mantellatarum, nempe virorum, aut fœminarum Tertii Ordinis S. Dominici, vel S. Francisci, vel S. Augustini, si collectim 98 99

lectim & in communi vivant, sub regimine Prælati, ex vi suæ Regulæ approbatæ, sub qua tria Vota substantialia emittunt. Pont. *lib. 9. cap. 8. n. 2.* Trullenck *l. c. n. 8.*

Decimo, quod diximus *nu. 62.* circa Conjugem Ordines suscipientem, teneri alterum in sæculo remansum Religionem ingredi, si juvenis sit, & de
100 continentia supectus, at sufficere, ut emittat Votum Castitatis perpetuæ, absque eo quod Religionem ingrediatur, si hic senex sit, & de continentia non suspectus, repetendum est, itaut idem servari debeat etiam in casu, quo, post Matrimonium consummatum velit quis de licentia Conjugis Religionem profiteri, quia utroque casu eadem ratio militat, ut dixi-
101 mus, & colligitur *ex cap. Uxoratus 8. & cap. Ad Apostolicam 13.* & latius *cap. Cum sis 4. de convers. Conjug.* ibi; *Prohibentes ne in Episcopatu tuo, virum, vel uxorem (nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas; verum si ita uxor senex est, & sterilis, quod, sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente, & Castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem;* nec eo casu aliqua opus erit Dispensatione, sed solum licentia Episcopi, ut diximus.

102 Undecimo, quæ ætas sufficiat, ut quis senex dicatur, difficile est judicare, cum nullum Jus id declaret; regulariter autem, & probabiliter, ætas sexagenaria in viro, & quinquagenaria in fœmina, videntur sufficere, ut quis dicatur senex, & in sæculo possit cum Voto remanere; ita Sanch. *lib. 7. disp. 32. num. 16.* prope finem. Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 133.* Escobar. *Theol. Mor. tract. 7. exam. 9. cap. 9. nu. 104. vers. Dixisti* Trullenck *d. dub. 6. n. 12.* Dian. *part. 4. tract. 4. resol. 73. vers. Tertia opinio.* Avers. *de Matr. qu. 15. sect. 3. vers. Qua autem ætate, &c.* probabilius tamen crediderim id arbitrio Judicis remitti debere, prout remittuntur ea, quæ à Jure non sunt definita, ut diximus supra.

103 Duodecimo, si Conjux Religionem ingressus non profiteretur, sed è Religione exiret, teneretur ad priorem Conjugem redire, ut diximus; & tunc Votum factum ab illo, qui manserat in sæculo, non tenet, quia intelligitur factum sub conditione, si alter Professionem emiserit. Sanch. *d. disp. 52. num. 13.* Trullenck *d. dub. 6. nu. 18.* At si is voviſſet absolute
104 Castitatem, teneretur reddere, sed non posset petere. Filiuc. *d. n. 135.* & Trullenck *l. c.* Quod si Religio-
105 nem ingressus non profiteretur, sed de una ad aliam Religionem vagaretur, posset Judex, dato termino peremptorio, illum compellere, ut, expleto anno Probationis, maneat in Religione, vel ad matrimonium cum Conjuge consummandum redeat; vide eundem Trullenck *lib. 7. cap. 4. dub. 6. nu. 3. tom. 3.* quia non est justum, ut alter Conjux permaneat in eo statu, cum periculo animæ; & ob eandem rationem, post biennium tyrocinii, hoc est, Novitiatus Patrum Je-
106 suitarum, matrimonium ratum dirimitur ex motu proprio, ac Bulla 107. Summi Pontificis Gregorii XIII. Anni 1584. incipiente, *Ascendente Domino*, de qua meminit Sanchez *lib. 7. disp. 25.* præsertim *num. 2. & num. 25.*

Decimotertio, si dubitetur, an matrimonium fuerit consummatum, & ambo Conjuges jurent matri-
107 monium non consummasse, credi potest illis; si sponsa, ex inspectione matronarum appareat virgo; at si non erat virgo, & sit traducta, non creditur in matrimonii præjudicium, & dissolutionem; si vero non sit traducta, credi potest. Sanchez *lib. 2. tota disp. 23.* Filiuc. *nu. 53. vers. Denique nota.* Trullenck *num. 8. ll. cc.*

108 Decimoquarto, valida est professio Conjugis habentis spontaneam licentiam alterius, quamvis etiam in sæculo remansus, licet suspectus de incontinentia, Religionem non ingrederetur, vel Votum Castitatis non emittat; intellige tamen, ut valeat hujusmodi Professio, nisi talis licentia ante Professionem revocata fuisset, quia ante Professionem, cum res adhuc
109 sit integra, potest revocari; quo casu, quicquid post dictam revocationem gestum fuerit ab altero, non tenebit, ut bene Sanch. *lib. 7. disp. 33. nu. 19.* & quod hujusmodi Professio facta à Conjuge (secluso casu dictæ revocationis) valida sit, quamvis alter non profiteatur, vel Votum non emittat, docent 110
Sylvester *verbo Matrimonium 8. qu. 12. dict. 4.* Sanch. *lib. 7. disp. 33. nu. 4.* Bonac. *de Matrim. qu. 3. punct. 4. propos. 3. n. 12.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 136.* Avers. *de Matr. qu. 15. sect. 3. vers. Septimo* ratio est, quia eæ conditiones, ex vi Juris non requiruntur ad valorem Professionis, sed solum præcipitur, ut serventur; sic bene advertit Aversa *d. sect. 3. vers. Septimo.*

Nota tamen, quod si Conjux erat conscius Ju- 111
ris, ad quod ipse tenebatur, nempe, sciebat adesse Jus disponens, virum non posse profiteri, nisi ipsa licentiam concedens voveret Castitatem, dum senex esset; & ingrederetur Religionem, si juvenis; tunc non poterit alter Conjux revocari; secus vero dicendum erit, si non fuisset talis Juris conscius. Sanch. *l. c. nu. 4.* Filiuc. *nu. 138. l. c.* Avers. *l. c. vers. Octavo;* & eo casu, quo Conjux professus teneatur 112
ad uxorem redire, v. gr. quia non fuissent servata Jura, tenebitur reddere, sed non poterit petere, quia vere professus est, ut bene Sanch. *d. disp. 33.* & mortuo Conjuge, tenebitur ad Religionem re- 113
dire, ut disponitur in *cap. Ex parte 14. de convers. Conjug.* & asserunt Filiuccius, & Avers. *ll. cc.* Sanch. *l. c. nu. 5.* ubi *à nu. 21.* docet, ut eo casu, quo potest Professus juste revocari, possit Episcopus compellere Regulares quoscunque quantumcunque exemptos, ad dimittendum sic Professum, vel ad non impediendum ipsius egressum; & hoc non censuris, sed aliis pœnis, & mediis, quod idem confirmat Avers. *l. c.*

Decimoquinto; eo casu, quo Conjux professus 114
non possit revocari, cogendus est alter Religionem profiteri si Votum Religionis emisit, at si Votum continentiæ non fecit, & erat ignarus Juris, ad quod ipse tenebatur, non est cogendus vovere; si tamen Votum emisit, & est senex, nec suspectus de incontinentia, potest in sæculo manere; si vero juvenis est, vel suspectus de incontinentia, & emi- 115
sit Votum, tunc si erat ignarus Juris requirentis Professionem ipsius, non cogetur profiteri, sed potius includi debebit in Monasterio, unde à vagando arceatur, & cesset periculum incontinentiæ; at si conscius erat hujusmodi Juris, profiteri cogetur; constat aperte ex *cap. Significavit 18. de convers. Conjug. & cap. Qui uxorem suam 10. caus. 33. qu. 5.* & explicat ibi Glossa, & docent Sylvester *verbo Matrimonium 8. qu. 12. dict. 4.* Filiuc. *d. tract. 10. part. 2. cap. 4. nu. 139.* Sanchez *d. disp. 33. nu. 27.*

Decimosexto; si Conjux bona fide credens Con- 116
jugem suum esse mortuum, qui tamen viveret, Religionem profiteretur, adhuc poterit ab alio revocari; constat ex *c. Placet 12. de convers. Conjug.* & docent Sanchez *lib. 7. disp. 34. nu. 15.* Steph. à S. Greg. *d. cap. 104. nu. 13.* quia, ut diximus, licet fuisset ad Pontificatum elatus, poterit ejus uxor, quæ dictam promotionem ignoravit vel sciens ei contradixit, dictum suum virum revocare, & tenebitur sic revocatus uxori suæ debitum reddere, licet absque Dispensatione petere non possit; si vero Conjux in 117
sæculo mansus patiatur decennio alterum vivere in Religione, præsumitur consensisse. Majolus *de Irreg. lib. 1. cap. 4. nu. 7.* quia taciturnitas longi temporis inducit tacitum consensum. Mantic. *decis. 370.* 118
n. 3. Sanch. tamen *lib. 7. disp. 35. n. 15.* refert plures Doctores asserentes quod si relictus in sæculo sciens Professionem Conjugis, toto tempore suæ vitæ non reclamavit, cum posset, sed dissimulavit, 119
fieri ejus morte ratam hujusmodi Professionem ipse tamen contrarium sentit, nempe, non posse validari hujusmodi Professionem; sola morte Conjugis, sed requiri, ut nova ratificatio cum cæteris requisiti accedat.

Decimoseptimo, si uterque Conjux non petita ab 120
altero licentia Religionem intrandi, pari voluntate, & mutuo conscii de sua deliberatione, simul Religionem ingrediantur, in eaque profiteantur, non possunt se ad invicem repetere, quia neuter ipsorum

rum Conjugum dicere potest, se fuisse suo Jure ab altero spoliatam; immo uterque sic Religionem intrando, videtur renunciasse Juri, quod habebat, debitum exigendi, & proinde utriusque Votum, si professi sunt, validum fuerit; vide Corrad. *in Resp. Cas. Consc. part. 1. quæst.* 288. *in Addit.* Aversa. *d.*
121 *qu. 15. sect. 3. vers. Tertio habere.* At si post ingressum, & Professionem unius absque licentia Conjugis factam, alter etiam sine licentia Religionem profiteatur; vel si ambo, de alterius deliberatione ignari, profiterentur, tum valere dictam Professionem, docent Sanch. *lib. 7. disp. 34. num. 23. & num. 24.* Pont. *lib. 9. cap. 11. num. 13.* Si tamen unus ex Conjugibus, absque alterius licentia, Religionem profiteatur, poterit absque Dispensatione, & etiam propria auctoritate, Religionem deserere, quia hujusmodi Professio, per eum emissa, fuit nulla, & irrita, ut pluribus fundamentis, & auctoritatibus probat Sanch. *lib. 7. disp. 34. num. 15.* & sequitur Filiuc. *d. cap. 4. num. 141. in fine*, & Confirmat Aversa. *d. q. 15. sect. 2. vers. Secundo dubitatur*, quia cum
122 ejus Professio fuerit irrita, & invalida, eum non ligat, nec obligat. Quod idem rite procedit, quamvis Conjux postea consentiret in eam Professionem, absque ejus licentia factam, quia actus semel irritus non potest tractu temporis convalescere absque nova ratificatione, ut bene Sanch. Aversa. *vers. Tertio dubitatur*, Filiuc. *n. 142. ll. cc.*

123 Decimoctavo, si Conjux remansus in sæculo adulterium commisit, quod alteri nulliter professo notum sit, non poterit adulter Conjugem, quamvis nulliter professum, revocare, quia per adulterium amisit Jus, quod in Conjuge habebat, ut deciditur *cap. Veniens 16. & cap. Constitutus de convers. Con.* & docent Sanch. *lib. 10. disp. 11.* Pont. *lib. 9. cap.* 30. §. 2. Barbos. *de Jure Eccles. univ. lib. 1. cap. 42.*
124 *num. 18.* prout nec repetere posset, qui interim fa-
125 ctus fuisset Infidelis *cap. fin. eodem titul.* Barbos. *l. c. in fin.* In primo tamen casu adulterii poterit nulliter Professus injuriam adulterii condonare, & Religionem relinquere, ut bene Filiuc. *d. cap. 4. nu. 144.*

126 Decimonono, si ambo Conjuges, communi consensu, post matrimonium contractum, Votum simplex Castitatis emisissent, & postea vovisse ipsas pœniteret, non poterit Episcopus in hujusmodi Voto dispensare, nisi postquam ipsi Conjuges remiserint sibi ad invicem renunciationem juris petendi, & reddendi debiti, mediante dicto emisso Voto factam, & sic sibi mutuam corporum potestatem contulerint; quia cum hæc præcesserint, poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum, ratione periculi, quod gravissimum immineret, si facta dicta remissione, & consequenter stante obligatione reddendi, esset eis interdicta debiti petitio; sic bene Sanch. *lib. 8. disp.*
127 *11. nu. 15.* ubi ampliat posse Episcopum in hujusmodi Voto dispensare, quamvis Conjuges per modum contractus vovissent, dummodo ipsi Conjuges dictam renunciationem Juris vicissim remiserint; si tamen,
128 ante factam Dispensationem, immo ante dictam factam renunciationem, proles ex dictis Conjugibus, dicto Voto simplici adstrictis, nascatur, legitima erit; cum etenim prolem esse illegitimam pœnale sit, & odiosum, id minime statuendum est, nisi in Jure expressum sit, nec culpa parentum liberis officit, præterquam in casibus à jure expressis, vide Sanch. *lib. 9. disp. 38. num. 3.*

129 An vero possit Papa dispensare, ut Religiosus, v. gr. filius Regis possit matrimonium contrahere ad tempus, scilicet donec unum, vel plures filios masculos susceperit, & postea ad Religionem redeat, refert Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. lib. 8. cap. 10. n. 27.* legi in Vita B. Laurentii Justiniani Patriarchæ Veneti, Alexandrum III. dispensasse olim cum quodam Monacho Ordinis S. Benedicti Nigrorum, in Monasterio S. Nicolai de Litore Venetiarum, de Domo Justiniana, in qua ipse solus erat, ut duceret uxorem, prolemque susciperet, qua postmodum suscepta, reverteretur ad Monasterium, qui genuit septem filios utriusque sexus, & demum factus senex rediit ad Monasterium, illiusque uxor Monialis facta fuit; quicquid tamen dici possit circa hunc casum, fateor me non posse capere, quomodo fieri possit, ut Matrimonium consummatum, quo Jure Divino est indissolubile, ut dixi supra, possit Dispensatione dissolvi, & quomodo possit Pontifex dispensare sub dicta expressa conditione, ut teneatur redire ad Religionem; unde in hac quæstione, quic- 130
quid in hanc sententiam inclinare videatur Gratian. *discep. forens. cap. 417. num. 17.* tutius credo, respondendum esse, prout respondit Jo: Andr. *in Regula actus legitimi, de Reg. Juris in 6.* ubi asserit, se hunc casum diu disputasse, & tandem concludisse, quod 131
ipse Papa, de cujus potestate tractatur, quæstionem solvat: Admitto tamen ut certum, posse Pontificem dispensare cum Monacho ad matrimonium, ut si habita Prole, uxor libere consentiat, vel causam perpetui divortii dederit ob fornicationem, teneatur sic Dispensatus ad Religionem redire, quia hoc non est contra matrimonii substantiam, cum quilibet Conjux possit his casibus proprio spontaneo Voto se ad hoc obligare, ut bene docet Sanch. *lib. 8. disp. 8. num. 9.* At quod possit absolute dispensari, 132
ut quis matrimonium ad tempus contrahat, nullatenus est admittendum, cum sit de substantia matrimonii, ut matrimonium perpetuum sit, nec fieri possit, ut matrimonium, quod semel verum, & validum fuit, cursu temporis desinat, esse, ut bene Tusch. *Conclus. 118. num. 14. lit. M.* Majol. *de Irregul. lib. 1. cap. 34. num. 7.* ubi pro hac doctrina refert Abbatem, & Tabiena; si tamen Vir, & uxor, ita se junxerint, ut simul voverint, vel juraverint, statim habita prole Religionem ingredi, tunc tenebuntur quidem ratione Voti, vel Juramenti, non tamen quia matrimonii vinculum sit dissolutum, ut bene dictus Majol. *l. c.* & nos diximus præsenti libro.

Alia magis practicabilia circa materiam Dispensationum super Votis simplicibus congessimus *lib. 1. cap.* 8. ubi distinctim formulas secundum casuum contingentiam, descripsimus, quæ ibi videri possunt, & hic repetere superfluum esset; at vero in quibus possit Episcopus dispensare, late diximus præsenti libro.

De causis Dispensationum super hujusmodi Votis dicemus *lib. 3. cap. 1.*

Cæterum, antequam huic Capiti finem imponamus, duo adnotanda sunt. Primo Sacram Pœnitentiariam aliquando dispensare cum Clerico in Sacris, 133
ut matrimonium contrahat, si receptio Ordinis occulta sit, & tunc solet apponi clausula, *quod si uxori supervixerit, perpetuo sine spe Conjugii maneat, & Officium B. Mariæ Virginis, saltem diebus Dominicis, & Festis, per modum satisfactionis, quoad vixerit, recitare teneatur*, teste Rebuffo *in Reg. de Dispensat. super Gradib. prohib. Glossa 5. num. 39.*

Secundo, qui fecit Votum ingrediendi, & profi- 134
tendi Religionem, si postea matrimonium contrahat, poterit absque Dispensatione petere, & reddere, quia nondum habet Votum Castitatis, sed habet solummodo Votum de vovenda Castitate solemniter, à cujus Voti adimplemento Impeditus est, donec matrimonium solvatur: vide Sanch. *lib. 9. disp.* 33. *num. 14.* Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap.* 3. *num. 6.*

CAPUT XV.

De Impedimento disparitatis Cultus, & an super eo dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Impedimentum disparitatis Cultus provenit ex antiquo Ecclesiæ usu, & Pontifex super eo dispensare potest.*

2 *Ut licita sit super eo Dispensatio, urgentissimæ causæ requiruntur, & super eo rarissime Papa dispensat.*

3 *Matrimonium ex parte non Baptizati non est Sacramen-*

cramentum, sed purus contractus naturalis.

4 *Matrimonium contractum cum Infideli, & Hæretico, est nullum, & de ratione,* num. 9.

5 *Matrimonium contractum inter Baptizatum, & non Baptizatum, licet credentem, & petentem Baptismum, est nullum.*

6 *Item inter vere Baptizatum, cum ficte, aut invalide Baptizato.*

7 *Item inter Infidelem, & Baptizatum Apostatam à Fide, Schismaticum, & Profitentem Judaismum, aut Paganismum.*

8 *Matrimonium à Fideli contractum cum Infideli, Apostata, & similibus, licet sit nullum, tamen si uterque ex Contrahentibus baptizetur, validum erit.*

10 *Licet matrimonium à Fideli cum Hæretico contrahi non possit, nisi cum Dispensatione, hoc tamen non procedit in locis, ubi Catholici cum Hæreticis mistim vivunt, & hoc ex consuetudine.*

11 *Consuetudo tamen prædicta non est absolute approbanda, sed tantum quando abest periculum scandali, & perversionis.*

12 *Cognitio, an adsit causa dispensandi in hujusmodi matrimonio, spectat ad Summum Pontificem, & in Germania ad Episcopos.*

13 *Quando Dispensatio hujusmodi concedi possit.*

14 *Si concedatur Dispensatio super hujusmodi matrimonio, potest etiam Dispensatio concedi, ut coram Parocho contrahatur.*

15 *Dispensatio, ut contrahatur matrimonium inter Catholicam, & hæreticam personam, est valida, quando cessat periculum subversionis; secus si non cesset.*

16 *Ad hoc, ut Papa pro hujusmodi matrimonio contrahendo dispenset, solet assignari aliqua causa necessitatis moralis, vel publicæ Honestatis; & regulariter non solet concedi, nisi inter magnos Principes, & quando speratur conversio Hæretici eam petentis.*

17 *Catholica persona ad hoc ut licite contrahat cum Hæretica, quæ servare debeat quoad prolis educationem.*

18 *Filius minor triennio apud matrem educandus est.*

19 *Id tamen non procedit, quando alter parens Infidelis esset, tunc enim infans etiam intra triennium apud Fidelem est educandus.*

20 *Si post matrimonium inter Catholicos rite contractum, alter Conjugum labatur in Hæresim, vel Apostasiam, à Fide Catholica prorsus recedens, tunc matrimonium, quoad thorum, & habitationem, remanet dissolutum, modo quo per divortium dissolvitur.*

21 *Si matrimonium contrahendum sit in locis, ubi promulgatum sit Concilium Tridentinum, inter Catholicam, & hæreticam personam, debet fieri coram Parocho, & Testibus, ut sit validum.*

22 *Matrimonium celebratum Venetiis inter Catholicum, & Græcam Schismaticam, adsistente Sacerdote Græco pariter Schismatico, hæretico, qui præest d. Nationi tanquam Parochus, erit nullum, quia talis Sacerdos non est legitime institutus.*

23 *Valet tamen matrimonium celebratum inter Græcum, & Latinam, coram Græco Sacerdote, & obediente Ecclesiæ Romanæ.*

24 *Si contracto matrimonio inter Infideles, alter postea fiat Fidelis, an teneatur cohabitare cum altero Infideli, & quando.*

25 *Matrimonium contractum tempore Infidelitatis erit indissolubile, etiam post Fidelitatem, nisi adsit aliquod impedimentum naturale, vel ex Lege dirimens.*

26 *Infidelis repudians uxorem, & aliam, ducens, si postea fiat Fidelis tenetur repudiatam accipere, & aliam relinquere.*

27 *At si repudiata pertinax esset in Infidelitate, & timeretur ne posset cohabitare absque injuria Creatoris, nec spes esset conversionis, tunc liberum esset d. Converso infidelem Conjugem relinquere, & aliam assumere.*

28 *Injuria Creatori tunc dicitur contingere, quando Infidelis compellit Fidelem ad peccatum, vel non vult audire nomen Dei, aut Christi, nisi cum despectu, vel blasphemat, & impedit ne debitus honor Deo exhibeatur.*

29 *Dispensatio ad dissolvendum matrimonium tempore Infidelitatis contractum, non requiritur, quia cum sit factum tempore infidelitatis, Ecclesiæ legibus non subjacet.*

30 *Et solum requiritur Ecclesiæ Judicium, quando matrimonium esset publicum, & pertinacia Conjugis occulta, id tamen non ex necessitate, sed ad scandala vitanda.*

31 *Infidelis conversus, si tempore Infidelitatis plures haberet uxores, debet primam retinere, & ceteras dimittere.*

32 *Si tamen illa nolit converti, poterit ad ejus arbitrium, vel unam ex dimissis, quæ converti vellet, vel aliam Fidelem iterum accipere.*

33 *Quod idem procedit in Judæis.*

34 *Infidelis conversus tunc solum tenetur uxorem infidelem dimittere, quando nulla spes conversionis adest.*

35 *Pro dissolutione matrimonii hujusmodi non requiritur sententia Judicis, sed sufficit interrogatio, an velit converti, nec ne.*

36 *Matrimonium inter Infideles contractum, si alter fiat Fidelis, tunc censetur dissolutum, quando talis Fidelis aliud contrahit matrimonium.*

37 *Si ambo Conjuges Infideles convertantur ad Fidem, eorum matrimonium non dissolvitur, si alias sit rite contractum, nec erit necessaria Dispensatio, aut novus consensus.*

38 *Infideli Conjugi converso licitum est ingredi Religionem, & Ordinem Sacrum suscipere, & quid quando adest spes conversionis alterius Conjugis,* nu. 39.

40 *Infidelis conversus si ingrediatur Religionem, sed ante ejus Professionem alter quoque Conjux fiat Fidelis, tenetur Religione exire.*

41 *Tamen aliter dicendum, si antequam convertatur, ingressus Religionem profiteatur, vel aliud iniverit matrimonium, quia tunc non dicitur amplius res integra.*

42 *Si post Professionem, seu post aliud matrimonium contractum à Fideli, alter quoque convertatur, poterit & is cum alio inire.*

43 *Si Infidelis primo conversus non fuisset Religionem professus, sed ad Sacros Ordines promotus, tunc vinculum matrimonii non erit dissolutum, sed ad hoc, ut suo Conjugi noviter converso restituatur, opus erit Dispensatione.*

44 *Altero ex Conjugibus converso, & altero non, filii, si non sint doli capaces, sequuntur conditionem fidelis Parentis; verum, si sint doli capaces, relinquendi sunt in eorum libertate.*

45 *In dubio præsumuntur d. filii doli non capaces.*

QUamvis Pontifex super hujusmodi impedimento valide dispensare possit, cum ejus prohibitio non ex Jure Divino, vel naturali, sed ex Apostolorum traditione, & antiquissimo Ecclesiæ usu, ac Jure procedat, ut docent Tolet. *Instruct. Confess. Lib. 7. cap. 11. in add. vers. Quia nullum.* Sylvester *verbo Matrimonium* 10. *dict.* 3. Covarruv. *tom. 1. part. 2. cap. 6. §. 11. num. 1.* Sanchez *lib. 7. disp. 71. num. 8.* Bonac. *de Matrimon. quæst. 3. punct. 7. n. 2.* Aversa *de Matr. quæst. 18. sect. 1. vers. Communis tamen.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 7. nu. 225. & 226.* Trullenck *tom. 3. lib. 7. cap. 9. dub. 11. n. 1. & nu. 4.* Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. 11. n. 2.* Ricciull. *de Jure Person. lib. 7. cap. 21. nn. 5.* ad hoc tamen, ut licita sit Dispensatio, urgentissimæ causæ requiruntur, & rarissime Papa dispensat, ob ingens periculum perversionis, & seductionis, cui subjacet Fidelis cum Infideli contrahendo; habetur hæc prohibitio expresse *in cap. Cave* 15. *caus. 28. qu. prim.* & de ea testantur Navarr. *in Summa, cap. 22. Impediment. 11. n. 48.* Vivald. *in Candelabro,* ubi *de Matrimonio, Imped. 7. num.*

num. 217. Filiuc. *d. cap.* 7. *n.* 225. Trullenck *l. c. num.* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. *nu.* 1. Ratio Impedimenti est, quia, cum matrimonium apud Christifideles sit Sacramentum, non debet tribui incapaci, hoc est non Baptizato, unde cum non possit esse Sacramentum ex parte non Baptizati, si Papa dispensaret super hujusmodi Impedimento, matrimonium non esset Sacramentum, sed purus contractus naturalis. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 8. Coninck *disp.* 24. *num.* 24. Boss. *de Matrm. inter Infidelem & Hæreticum*; quamvis enim hic erret in Fide, tamen Christianus est, & Ecclesiæ legibus subditus; prout & invalidum erit matrimonium inter personam baptizatam, & non baptizatam, licet credentem in Christum Dominum, & petentem Baptismum, ut de Cathecumenis diximus; item inter vere Baptizatos, ut animadvertit Sanchez *lib.* 7. *disp.* 71. *num.* 2. Filiuc. *l. c.* item inter Infidelem; & Baptizatum Apostatam à Fide, Schismaticum, & profitentem Judaismum, aut Paganismum, ut bene animadvertit Avers. *l. c.* At è converso, quamvis matrimonium à Fideli cum Hæretico Apostata, Schismatico, aut profitente Judaismum, vel Paganismum, ut supra, sit illicitum, nec sine peccato mortali à Catholico (secluса causa justa) contrahatur, attamen validum erit, cum uterque contrahentium Baptizatus sit, & legibus Ecclesiæ subditus. Navarr. *in Summa, cap.* 22. *nu.* 49. *in fine*. Coninck *disp.* 31. *dub.* 3. *concluſ.* 2. *nu.* 43. Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *n.* 2.

Dixi, illicitum esse matrimonium Catholicæ cum Hæretico, ob plura incommoda, quæ cum tali matrimonio ut plurimum juncta sunt, quæ recensentur à Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. *nu.* 2. unde in loco, in quibus consuetudine obtentum non est tale matrimonium inire, non est absque Dispensatione admittendum, in locis tamen, in quibus Catholici misti cum Hæreticis communi Jure vivunt, ut in Germania, & aliis Septemtrionalibus Regionibus, ad pacem, tranquillitatemque Catholicorum in illis locis habendam, ac conservandam, consuetudo obtinuit, ut connubia inter sese inire possint, si Conjugi Catholico libere permittatur, ut sine proversionis periculo in Fide Orthodoxa possit permanere, de qua consuetudine testantur Layman. *l. c.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 72. *nu.* 5. Pontius *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 48. *nu.* 28. *in fine*. Filiuc. *d. cap.* 7. *n.* 228. Aversa *de Matr. qu.* 18. *sect.* 2. *vers. Navarrus*, novissime Verricell. *de Missionib. Apost. qu.* 17. *n.* 7. Hæc tamen consuetudo nullatenus videtur absolute approbanda, nisi morali evidentia in aliquo præciso casu constet, nullum adesse scandali, ac perversionis periculum, nec timeantur incommoda, quæ cum hujusmodi matrimoniis diximus, ut plurimum juncta esse; si enim dubitari possit, ut hujusmodi mala sequi possint, ad Summum Pontificem, vel in Germania ad Episcopos locorum, pertinebit rem examinare, licentiam contrahendi concedere, vel denegare; tanta namque, & talia spiritualia incommoda, ac damna, testatur Layman. *d. cap.* 14. *n.* 2. ex hujusmodi matrimoniis sequi, tam ipsi Conjugi Catholico, quam liberis, ac Christianæ Reipublicæ, ut naturali plerumque charitatis legi repugnet, adeout, nec ipse Summus Pontifex id dispensative permittere possit, præterquam si aliquo casu spes sit ex hujusmodi matrimonio longe majorem spiritualem fructum secuturum, ob quem incommoda, illa, tanquam minora, permitti possint, ut bene Avers. *l. c.* Immo dictus Verricel. *qu.* 174. *n.* 23. 26. & 31. affirmat, non adesse causam dispensandi, ut Catholica cum Hæretico coram Parocho contrahat, quia hujusmodi Dispensatio tendit ad destructionem, & non ad ædificationem: posset tamen esse licita ob bonum publicum, sed non deberet concedi, nisi Primariis, Principibus, & similibus. Addit Coninck *de Sacramentis, dub.* 3. *n.* 45. raro videri tutum in praxi hujusmodi matrimonium Catholici cum Hæretico, quia vix pericula omnino cessant, immo alii Catholici hujusmodi matrimonia videntes, scandalizari solent.

Si tamen ex Dispensatione contrahatur matrimonium inter Catholicam, & hæreticam personam, licitum erit ex ea sola parte, qua ab Ecclesia hujusmodi connubia prohibentur; at ex alia parte, qua Jure naturali est illicitum, instante perversionis periculo, nulla Ecclesiastica Dispensatio suffragari poterit; quo periculo sublato, nullum dubium est quin, ista causa suadente, possit Pontifex valide, & licite super hujusmodi Impedimento dispensare, quia solum relaxat suam legem, vide Avers. *d. quæst.* 18. *sect.* 2. *vers. Omnes demum*. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. *nu.* 2. Filiuc. *de cap.* 7. *n.* 229.

Ad hoc autem, ut Papa pro hujusmodi matrimonio contrahendo Dispensationem concedat, solet assignari aliqua causa necessitatis moralis, vel publicæ utilitatis; & regulariter non solet concedi, nisi inter Principes, vel ad instantiam ipsius Hæretici supplicantis, qui propterea spem præbeat suæ futuræ conversionis; & sic servari testatur idem Avers. *l. c.* ubi merito rejicit doctrinam Pontii, qui *in d. Append. cap.* 8. *n.* 4. docet, sufficere pro causa hujusmodi Dispensationis obtinendæ solam commoditatem humani convictus, sicut ad dispensandum in aliis Ecclesiasticis Impedimentis.

Ad hoc autem, ut licite persona catholica contrahat cum hæretica, docet idem Avers. *l. c. vers. Præter hæc*, debere Catholicum prospicere etiam rectæ educationi prolis suscipiendæ, adhibendo aliquod pactum, vel cautelam ad ipsius prolis favorem, v. g. ut ritu Catholico instruatur, vel, saltem ita usque ad annos pubertatis, & tunc in ipsorum filiorum libera deliberatione permittatur. Item quod semper, & quandocunque possit parens Catholicus piis consiliis, & monitis ipsam prolem in Catholica Fide instruere, & confirmare; nec poterit adjici pactum, ut, v. gr. masculi filii patrem Infidelem, fœminæ vero matrem Catholicam, vel è contra, sequantur; quia id esset illicitum, & impium, cum ad unumquemque ipsorum spectet liberos suos in vera Fide, ac Catholica Religione educare, ut bene Layman. *d. cap.* 14. *n.* 3. & dictus Avers. *l. c.* Et quamvis de Jure filius minor triennio apud matrem educandus sit, major vero apud patrem *l. Neque C. de patria potest.* Nihilominus id locum non habet, si alter parens Infidelis est; tunc etenim infans, licet triennio minor, apud patrem fidelem, & quamvis major apud matrem fidelem est educandus, *in cap. fin. de convers. Infid.* & docet Sanchez *d. disp.* 73. *circa finem*.

Quod si post matrimonium inter Catholicos rite contractum, alter Conjugum labatur in hæresim, vel per apostasiam à Fide Catholica prorsus recedens, transeat ad Judaismum, vel Paganismum, matrimonium, quoad thorum, & habitationem, erit dissolutum eo modo, quo per divortium dissolvitur, ut idem Avers. *l. c. vers. Demum*. Si tamen inter catholicam, & hæreticam personam sit contrahendum matrimonium in locis, ubi promulgatum sit Concilium Tridentinum, tunc, ut validum sit, requiritur præsentia Parochi, & Testium, juxta decretum ejusd. Concilii Generalis editum, ut animadvertit idem Avers. *d. sect.* 2. *vers. Post hoc quoque*; ubi etiam concludit, non valere matrimonium Venetiis celebratum inter Catholicum, & Græcam Schismaticam Hæreticam, assistente Sacerdote Græco pariter Schismatico Hæretico, qui personis illius nationis, & sectæ ibi ministrat in rebus Sacris, tanquam eorum Parochus, eo quod Sacerdos ille Græcus non est legitime institutus, nec ullam habet veram jurisdictionem, cum sit per Schisma suppositus, nec per auctoritatem ullius legitimi Prælati admissus; at, è contra, valere ait, matrimonia celebrata in quibusdam Provinciis Regni Neapolitani inter Latinos, & Græcos Incolas coram Sacerdote Græco, quia Græci ibi sunt Catholici obedientes Pontifici Romano, & Sacerdotes sunt ad Curam Animarum à legitimis Prælatis instituti. Quod attinet ad matrimonia cum infidelibus contracta, dubium est an infidelis conversus possit cum Conjuge Infideli cohabitare, si hic velit in Infidelitate permanere; cui dubio respondendum, triplici modo considerari matrimonium; primo, ut est officium

naturæ,

naturæ, ſcilicet contractus ad propagationem generis humani; ſecundo, ut eſt remedium concupiſcentiæ; tertio, ut eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum; quibus ſuppoſitis, validum erit matrimonium inter Infideles contractum, in quantum eſt
25 contractus naturalis, & concupiſcentiæ remedium; unde dum non ſit aliquod Impedimentum naturaliter dirimens, vel non ſit hujuſmodi matrimonium aliqua eorum lege irritum, non ſolum validum erit, ſed etiam indiſſolubile, niſi ex Dei Diſpenſatione, Religionis cauſa diſſolvatur, ut eſt Textus *in cap. Gaudemus 8. de divortiis*, & docent Sylveſter *verbo Matrimonium 8. qu. 10. dict. 5.* & Navarr. *in Sum-*
26 *ma d. cap. 22. numer. 48.* itaut ſi infidelis repudiaret uxorem, & aliam duceret, & poſtea ille converteretur ad Fidem Catholicam, teneretur dictam repudiatam accipere, & aliam relinquere, quia primum matrimonium tenet, & non ſecundum: at ſi dicta
27 repudiata pertinax eſſet in infidelitate, & timeretur non poſſe cohabitare abſque injuria Creatoris, nec ſpes eſſet converſionis, tunc liberum eſſet dicto Infideli converſo Conjugem ipſam Infidelem dimittere, & aliam in quibuſdam caſibus aſſumere; colligitur ex Doctrina Divi Pauli 1. ad Corinth. 7. *Si infidelis diſcedit, diſcedat &c.* & ita expreſſe continetur *cap. Si quis Gentilis 2. cauſa 28. quæſt. 1.* ubi dicitur. *Si quis Gentilis dimiſerit uxorem ante Baptiſmum, poſt Baptiſmum in poteſtate ejus erit eam habere, vel non habere*: hoc eſt, ſi repudiata nolit ad Fidem converti, poterit converſus cum illa habitare, ſi nullum adſit periculum Fidei; vel non habitare, & aliud matrimonium inire. Ratio eſt, quia cum eo caſu non poſſit Fidelis cum Infideli cohabitare, æquum eſt, ut poſſit matrimonium diſſolvi
28 ſaltem ex Privilegio Divino. Tunc autem dicitur contingere injuriam Creatoris, quando Infidelis compellit Fidelem ad peccatum, vel quando non vult audire Nomen Dei, aut Chriſti, niſi cum deſpectu, vel Nomen Dei blaſphemat, vel impedit quominus debitus honor, aut laudes Deo exhibeantur, vel Familiam retrahit à Chriſti fide, ut prædicta habentur *d. cap. Gaudemus, & cap. Quanto te 7. de divortiis*, vide pro prædictis Sanch. *lib. 7. diſp. 74. num. 6.* Bonac. *de Matrim. quæſt. 3. puncto 7. num. 5.* Trullenck *lib. 7. capit. 4. dub. 4. numer. 3.* & Filiuc. *tomo primo, tractat. 10. part. 2. capit. 7. quæſt. 5. numer. 236.* Panimoll. *in Idea ſedandi Jurgia forenſia, Conſti-*
29 *tut. 17. numer. 4. 5.* Nec requiritur eo caſu Diſpenſatio aliqua pro hujuſmodi matrimonii diſſolutione, quia prius matrimonium, tanquam factum in ſtatu Infidelitatis, non ſubjicitur judicio Eccleſiæ, cui eo tempore non erant ſubditi, vide dictum Panimoll. *dict. conſtitut. 17. numer. 9.* ubi ſolum re-
30 quiri Eccleſiæ judicium, dicit, quando matrimonium eſſet publicum, & dicta pertinacia Conjugis occulta, id tamen non ex neceſſitate, ſed ad ſcanda-
31 la vitanda. Quod ſi dictus Fidelis converſus plures ſimul in Infidelitate habuerit uxores, debebit, prima retenta, alias dimittere; ſi tamen illa converti
32 nolit, poterit dictus converſus, ad ejus arbitrium (poſt monitionem) vel unam ex dimiſſis, quæ converti vellet, iterum accipere, vel aliam perſonam fidelem; Sotus 4. *quæſt. unica art. 3. ad 5.* ubi admo-
33 net idem dicendum eſſe de Judæis, quia permiſſio pluralitatis uxorum jam ceſſavit in Lege Evangelica; confirmat Sanch. *lib. 7. diſp. 73. num. 5.* Et ta-
34 men nota, juxta veriorem opinionem, tunc tantum Infidelem converſum teneri uxorem infidelem dimittere, quando nulla ſpes converſionis adeſt, quia dum hæc non adeſt, ſemper timeri poteſt aliquod periculum offenſæ Dei, Sanchez *lib. 7. diſp. 73. numer. 10.* Bonac. *de matrim. quæſt. 3. d. punct. 7. num. 4. & 6.* unde per Concilium Toletanum 3. *cap. 4.* expreſſe veritum fuit Fideli habitare cum Conjuge infideli, quod in primitiva Eccleſia, ob multitudinem illorum, qui convertebantur, non erat prohibitum; Sanch. *lib. 7. diſp. 74. num. 9.* Filiuc. *d. cap. 7. num. 239.*

35 At dubium eſt, an pro hujuſmodi matrimonii diſſolutione requiratur ſententia Judicis, vel ſufficiat monitio, ſeu interrogatorium, an velit converti, necne: & quidem ſufficere hanc monitionem, ſeu interrogationem, concludunt Sanchez *loc. citat. num. 11.* Trullenck *dict. dub. 4. numer. 8.* Filiuc. *numer. 240. ll. cc.* & plerique ex aliis Doctoribus ſupra citatis.

Major autem difficultas eſt, an in caſibus ſupradictis ſtatim diſſolvatur matrimonium, vel duret 36
quouſque Infidelis converſus aliud ineat matrimonium; difficultatis ſolutio difficillima eſt, ob varias Doctorum ſententias; quicquid tamen dici poſſit in contrarium, probabilius exiſtimo, tunc diſſolvi, quando Infidelis converſus aliud contrahit matrimonium; & aperte colligitur *ex d. cap. Gaudemus, in fine*, ubi dicitur, quod ſi converſum ad Fidem illa ſequatur, recipere compelletur; unde infertur, non eſſe diſſolutum, aliter enim compelli non poſſet; ita etiam docent Sanch. *lib. 7. diſp. 75. num. 7. de Sacramentis diſp. 26. dub. 3. num. 63.* Filiuc. *d. cap. 7. num. 242.* Trullenck *d. dub. 4. num. 7.* qui ultimus 37
l. c. bene animadvertit, quod ſi ambo Conjuges Infideles convertantur ad Fidem, eorum matrimonium non diſſolvitur, ſi alias rite contractum ſit; quia cum ſit validum, nec ulla detur cauſa ſolutionis, neceſſaria non erit Diſpenſatio aliqua, nec novus conſenſus in hujuſmodi matrimonio; quod idem confirmant Sanchez *dict. diſp. 73. numer. 9.* & noviſſime Pallimon. *Idea ſedandi Jurgia forenſia, conſtit. 17. num. 1.*

Nec eſt prætereundum, quod dum Infideli conver- 38
ſo licitum eſt aliud matrimonium inire, licitum etiam eſt Religionem ingredi, vel Ordinem Sacrum ſuſcipere; quia ſi eo caſu licet divortium, licebit etiam Religionem ingredi, & Ordines Sacros ſuſcipere; ut bene Sanch. *lib. 7. diſp. 76. num. 1.* Filiuc. *d. cap. 7. num. 244.* Bonac. *num. 8.* Trullenck *num. 9. ll. cc.* qui Doctores, licet admoneant, non eſſe prædicta exequenda, ſi extet probabilis ſpes converſionis 39
alterius Conjugis, id tamen pleniſſime dicunt de conſilio tantum.

Quid autem dicendum ſit, ſi poſtquam Infidelis 40
converſus ingreſſus ſit Religionem, ſed ante Profeſſionem, Infidelis Conjux convertatur; & quamvis non deſint, qui affirment, non teneri alterum Conjugem, & Religionem exire, & ad noviter converſum redire, cum res non ſit integra, & Fidelis reperiatur in ſtatu repugnante cum matrimonio, nihilominus probabilius eſt contrarium aſſerere, quia potius eſt adhuc res integra, cum non reperiatur in ſtatu effective repugnante cum matrimonio, ſed tantum reperiatur in via ad dictum ſtatum, ut bene Sanch. *lib. 7. diſp. 76. num. 7.* Bonac. *d. punct. 7. num. 10.* Filiuc. *d. cap. 7. num. 245.* Aliter tamen eſſet di- 41
cendum, ſi Conjux primo converſus Religionem approbatam jam profeſſus fuiſſet, vel novum matrimonium rite contraxiſſet, quia tunc res vere non eſſet 42
integra; unde poſſet Infidelis ultimo converſus aliud matrimonium inire. Sanch. *n. 6.* Bonac. *nu. 10.* Coninck *n. 66. ll. cc.*

At ſi Infidelis primo converſus non fuiſſet Reli- 43
gionem profeſſus, ſed ad Sacros Ordines promotus, tunc vinculum matrimonii non erit diſſolutum; ad hoc tamen, ut iſte Conjugi ſuo noviter converſo reſtituatur, opus erit Diſpenſatione, ut docent dicti Sanchez, & Bonacin. *ll. cc.* Coninck ubi ſupra *numer. 62.*

Quod attinet ad Filios Infidelium, adnotandum 44
eſt, quod ſi unus ex parentibus convertatur ad Fidem, & alius remaneat in Infidelitate, & filii non ſint doli capaces, ſequuntur conditionem parentis converſi, ſi vero ſunt doli capaces, relinquendi ſunt in eorum libertate, nec cogendi ſunt ad Fidem; ita deciſum eſt, *cap. de Judæis 5. diſt. 45.* & docent Filiuc. *d. cap. 7. num. 235.* Sanch. *lib. 7. diſp. 73. numer. 16.* Bonac. *d. punct. 7. in fine.* Coninck *d. diſp. 26. dub. 3. num. 67.* Et in dubio, an filii ſint doli capaces, nec 45
ne, præſumuntur non eſſe, & ſic in favorem Fidei. Sanch. & Bonac. *ll. cc.*

Plura alia de hac materia videri poſſunt penes Sanch. *lib. 7.* & Trullenck *dict. lib. 7. cap. 4. dub. 4. tom. 1.*

quæ

quæ hic sponte adnotare omisi, cum, sicut dixi, super hujusmodi Impedimento rarissime, & difficillime dispensetur; prædicta tanquam magis practicabilia breviter attigisse sufficiat.

CAPUT XVI.

Quot, & quæ sint Crimina Matrimonium dirimentia; & an, & quando in illis dispensari possit.

SUMMARIUM.

1 *Duo sunt Crimina, quæ matrimonium impediunt: primum est, Machinatio in mortem Conjugis, cum proposito aliud determinatum matrimonium contrahendi; alterum est, adulterium commune durante legitimo matrimonio, quamvis etiam consummato, & per divortium, quoad thorum, & habitationem dissoluto, cum data fide de matrimonio inter se, post Conjugis obitum, contrahendo, vel ipso inter adultero de facto contracto.*

2 *Utroque casu matrimonium Jure Ecclesiastico dirimitur.*

3 *Impedimentum machinationis in mortem fuit inductum, ne propter spem futuri matrimonii detur ansa captandi mortem Conjugis.*

4 *Si unus tantum ex contrahere volentibus machinetur in mortem Conjugis, nisi etiam adulterium præcesserit, non oritur Impedimentum; unde, matrimonio soluto, poterunt absque Dispensatione contrahere.*

5 *Verum si ambo in eadem Conjugis conspirent, tunc, sive adulterium præcesserit, vel non, eo ipso quod sequitur mors, oritur Impedimentum, nec inter eos, absque Dispensatione, consistere potest matrimon.*

6 *Ad incurrendum d. Impedimentum sufficit dedisse consilium, vel mandatum.*

7 *Sola tamen ratihabitio mortis non sufficit, quamvis vere occisio nomine ratum habentis facta sit.*

8 *Impedimentum prædictum non incurritur per mandantem, si mandatum revocetur antequam occisio sequatur, & mandatario innotescat.*

9 *Nec incurritur per eum, qui consilium dedit, quod nihil influxit.*

10 *Incurritur Impedimentum prædictum, non solum per virum machinantem in uxorem, sed etiam per uxorem in virum, licet aliqui contradicant.*

11 *Ut incurratur hujusmodi Impedimentum, requiritur, quod vere mors sit secuta.*

12 *Legis pœnalis verba cum effectu intelligenda sunt.*

13 *Impedimentum prædictum oritur, si mors culpa Medici; vel negligentia percussi sequatur; & super eo Dispensatio necessaria est, si velint contrahere.*

14 *Ad incurrendum prædictum Impedimentum, si unus solus in mortem alterius conspiravit, requiritur adulterium secutum.*

15 *Secus si ambo conspiraverint, & effectus fuerit secutus.*

16 *Requiritur etiam, quod qui contrahere intendunt, & propterea carnaliter commiscentur, ambo sciant ob id committi adulterium, quia si uxoratus rem haberet cum soluta, ignorante conjugium alterius, & deinde ille conjugatus occidat uxorem, possent absque Dispensatione contrahere.*

17 *Occisio debet sequi ad effectum præcisum contrahendi, alias Impedimentum non incurritur.*

18 *Impedimentum prædictum ut incurratur, requiritur, ut occisio fiat animo, & fine matrimonium inter se contrahendi nam si fieret ob odium particulare, vel ut occidentes haberent majorem luxuriandi facultatem, possent nihilominus contrahere.*

19 *Nec pariter incurritur si quis occideret Conjugem eo animo, ut posset ducere aliam personam, quæ non fuisset homicidii particeps.*

20 *Impedimentum præscriptum, neque incurritur ab occidente Conjugem in fraganti crimine adulterii deprehensam, nisi forte ipse causam adulterii dedisset ad effectum illam occidendi, & aliam occisionis complicem ducendi.*

21 *Si Titius suasu Bertæ, occidat uxorem, animo ducendi Claram, poterit postea absque Dispensatione contrahere, tam cum Berta; quam cum Clara, si tamen cum neutra earum, ante mortem Conjugis, mœchatus fuerit, & Clara fuerit inscia machinationis d. mortis.*

22 *Licet quis occidat uxorem alio fine, quam ducendi adulteram, tamen contra eum stat præsumptio in contrarium, neque Ecclesia dat licentia contrahendi, nisi magnis conjecturis probaretur, alio animo occidisse.*

23 *Impedimentum ob Crimen adulterii dupliciter incurritur; primo, ob adulterium cum fide data de ducenda adultera post mortem Conjugis.*

24 *Secundo, quando uxoratus, & adultera, scientes Conjugem alterius vivere, nihilominus de facto inter se contrahunt matrimonium.*

25 *Sed ad incurrendum hujusmodi Impedimentum non sufficit, ut detur fides de contrahendo, vel dumtaxat de facto contrahatur, sed requiritur, quod in vita ejusdem Conjugis copula carnalis intercesserit.*

26 *Unde si in vita Conjugis fides futuri matrimonii data esset, aut matrimonium de facto contractum fuisset, & post mortem Conjugis copula intercessisset, contrahere possent absque ulla Dispensatione, quia Impedimentum contractum non esset.*

27 *Promittens simpliciter ducere Bertam, mortua sua uxore, si postea secuta morte d. uxoris, ducat Rosam, & hoc matrimonio durante, adulterium cum d. Berta committat absque nova promissione matrimonii, non dicitur d. Impedimentum contractum, nec, mortua Rosa, Petrus impeditur ducere Bertam absque Dispensatione.*

28 *Non refert si adulterium committatur ante, vel post fidem datam, sive post matrimonium de facto contractum, quia ad incurrendum tale Impedimentum sat est, quod eodem Conjugio durante, fides cum adulterio concurrat, seu cum matrimonio de facto contracto.*

29 *Si eodem matrimonio durante facta fuerit promissio futuri matrimonii, sed antequam adulterium commissum sit, dictam promissionem concorditer annullent, quamvis postea adulterium committant, Impedimentum non erit contractum.*

30 *Si vero è contra eodem Conjugio durante facta fuerit promissio futuri matrimonii, & simul commiserint adulterium, licet postea pœnitentia ducti promissionem annullent, nihilominus Impedimentum erit contractum, nec poterunt, absque Dispensatione, copulari matrimonialiter.*

31 *Impedimentum prædictum ut contrahatur, requiritur, ut fides, vel promissio ab uno data, ab altero sit acceptata, nec simplex pollicitatio sufficit, sed promissio debet esse reciproca.*

32 *Ad incurrendum impedimentum præscriptum sufficit acceptatio de contrahendo, facta à socio per solam taciturnitatem, ex opinione probabiliori, & maxime si paulo post sequatur adulterium*, num. 33.

34 *Fides, seu promissio futuri matrimonii, ad hoc ut hujusmodi Impedimentum incurratur, debet esse facta serio, & ex animo, & aliquibus certis signis expressa, adeout exterius vera appareat.*

35 *Quod si fides data, & promissio exterius vera apparet, quamvis interius ficta sit, orietur Impedimentum.*

36 *Requiritur pariter, ut adulterium sit utrique adulteranti cognitum, scilicet, ut uterque sciat socium, quo cum copulatur, esse conjugatum.*

37 *Ignorans Conjugium alterius socii, si contrahat cum illo, & postea certior factus de dict. matrimonio, statim se separet, nec ulterius carnaliter*

ipsi copuletur, poterit, mortua uxore, cum illo contrahere.

38 *Ab incursu hujusmodi Impedimenti excusat quælibet ignorantia Conjugii alterius socii, quamvis crassa, & supina, dummodo non sit affectata, & adeo crassa, ut scientiæ æquiparetur.*

39 *Immo si alter delinquentium ignarus sit de Conjugio, poterit, casu viduitatis alterius eveniente, ipsum cogere ad servandam fidem, & promissionem.*

40 *Et si ambo ignorassent alterum esse Conjugatum, esset in optione utriusque alium cogere ad contrahendum.*

41 *Promissio facta matrimonii futuri debet esse pura, vel saltem ante mortem Conjugis purificata, alias d. Impedimentum non incurritur,* & num. 45.

42 *Gratia concessa sub conditione stat in suspenso, donec conditio purificata sit.*

43 *Contractus sub conditione celebratus, resolutus dicitur in ipso initio, non adveniente conditione.*

44 *Actus factus sub conditione, ea pendente non dicitur actus.*

45 *Si, conditione adhuc suspensa manente, alterius Conjux naturali morte decedat, & adulteri, de conditionis adimplemento non curantes, inter sese contrahant, nulla opus erit Dispensatione: quia cum conditio non fuisset adimpleta, nec fuit contractum Impedimentum.*

46 *Per promissionem factam adulteræ, illam ducendi post mortem ejus mariti, si infra tale tempus accidat, inducitur Impedimentum hujusmodi, quia esset veluti promissio absoluta contrahendi post mortem Conjugis, & ex tali promissione daretur ansa accelerandi mortem.*

47 *Impedimentum hujusmodi non incurrunt adulteri, qui non absolute sibi promiserint, sed quodam modo conditionaliter, v. gr.* non ducam aliam nisi te, *quia hujusmodi verba sunt conditionalia, nempe* si aliquam ducere volam, *ducam te.*

48 *Promissio facta sub conditione impossibili, vel turpi, inducit Impedimentum, nisi appareat talem promissionem fuisse joco, ac ficte factam.*

49 *Si conditio esset de præterito, non inducitur Impedimentum.*

50 *Si promitteretur matrimonium alicui fœminæ sub conditione, quatenus virgo sit; si sit virgo, promissio purificatur, & Impedimentum oritur.*

51 *Impedimentum non oritur si Conjugatus cognoscens fœminam diceret,* nisi essem Conjugatus, te ducerem.

52 *Ut talem Impedimentum incurratur, requiritur, ut inter adulteros copula habita fuerit completa cum seminis effusione intra vas.*

53 *Ad inducendum hujusmodi impedimentum requiritur, quod primum matrimonium sit validum.*

54 *Quod procedit, quamvis hujusmodi invalidum matrimonium tam ab ipso Conjugato, quam ab aliis communiter pro valido habitum esset; & quamvis etiam adhuc non fuisset consummatum, vel per divortium, quoad thorum, & habitationem dissolutum, nec Dispensatio erit necessaria.*

55 *Impedimentum incurreretur eo casu, quo fides daretur adulteræ de contrahendo matrimonium cum persona, quam quidam tertius designaverit, si id fraudulenter fiat, ut ille tertius adulteram designet.*

56 *Si tamen, cessante dolo, & fraude, in utroque, & id non excogitando factum fuisset, non incurreretur Impedimentum.*

57 *Quando dubitaretur, an Conjux viveret, si tunc reperiretur vere vixisse, Impedimentum insurgit.*

58 *In dubio, an fides data sit, vel adulterium commissum, non aderit Impedimentum.*

59 *Inter Infideles Inpedimentum hujusmodi non incurritur, nisi apud illos speciali lege fuisse tale matrimonium indictum; & licet post d. matrimonium contractum inter ipsos adulteros iidem baptizentur, poterunt absque Dispensatione in eadem matrimonio permanere.*

60 *Idque procedit, sive Crimen ipso Infidelitatis tempore patratum sit, & completum, sive ante Baptismum incæptum, & post Baptismum completum.*

61 *At si qui Crimen commiserunt, unus esset Fidelis, & alter Infidelis, non poterunt absque Dispensatione contrahere, quia Fidelis legibus Ecclesiæ ligatur.*

62 *Si tamen persona fidelis conspiraret cum infideli Conjugato in mortem alterius Conjugis infidelis, ad hoc, ut post ejus conversionem cum illo contraheret, Impedimentum consurgeret.*

63 *Si Infidelis, patrato crimine adulterii cum Fideli, absque consilio, & impulsu istius Fidelis, occidat Conjugem, ad finem contrahendi cum adultera fideli, etiamsi d. Infidelis susceperit Baptismum, poterit cum ea contrahere, quia non fuit inter eos inductum Impedimentum.*

64 *Dispensatio super Crimine machinationis pro utroque Foro, non datur in Romana Curia, quando uterque, vel unus ex contrahere volentibus in mortem machinatus sit, sed perpetuo remanent impediti.*

65 *Possunt tamen cum aliis contrahere.*

66 *Pro Foro Conscientiæ tamen, in casibus occultis, recurritur ad Sac. Pœnit. quæ difficillime, & ex urgentissimis tantum causis dispensat, & quibus in casibus; & quid observetur in concedendo d. dispensationem, tam quando unus tantum, quam si uterque machinatus sit,* & n. 67.

68 *Si machinatio in morte Conjugis facta fuerit veneno, quid observet S. Pœnitentiaria, & an dispenset.*

69 *Occidere aliquem veneno, plus est, quam gladio necare, & proditio existimatur.*

70 *Crimen proditionis est omnium gravissimum.*

71 *Supplicatio, quæ porrigitur pro Dispensatione super crimine adulterii, neutro tamen machinante, quomodo inscribatur, & quid observetur.*

72 *Et hæc Dispensatio conceditur à Pontifice pro utroque Foro, quando casus est publicus.*

73 *Si vero sit occultus, recurritur ad S. Pœnitentiariam, & quid in ea servetur super hujusmodi Impedimento.*

74 *Si quis, suo Conjuge vivente, matrimonium de facto cum alia contrahat, & Conjuge defuncto, velit in secundo matrimonio permanere, requiritur Dispensatio.*

75 *Et si Impedimentum sit publicum, recurritur ad Pontificem; qui non solet dispensare, nisi prius negotio plene discusso in Sacra Congregatione super Inquisitione.*

76 *Et quando Dispensatio concedenda sit, committi solet Ordinario Oratorum, ut, prævio examine super intentione, & credulitate circa fidem, & facta abjuratione de vehementi, & imposita pœnitentia, dummodo non fuerit introducta causa in aliquo Tribunali S. Inquisitionis, dispenset.*

77 *Si fœmina, quæ d. Conjugato nupsit, esset conscia d. Matrimonii, quomodo procedatur in Dispensatione.*

78 *Si vero Oratores, antequam fuisset cum ipsis legitime dispensatum, matrimonium cum dicto Impedimento contraxissent, cui committatur Dispensatio.*

DUO sunt Crimina, quæ matrimonium impediunt; & dirimunt; primum est, machinatio in mortem Conjugis cum proposito aliud determinatum matrimonium contrahendi (effectu tamen mortis secuto): alterum est, adulterium commissum durante legitimo Matrimonio, quamvis etiam non consummato, vel per Divortium, quoad thorum, & habitationem, dissoluto, cum data fide de matrimonio inter se post Conjugis obitum contrahendo, vel ipso matrimonio inter eosdem adulteros de facto contracto: utroque tamen casu matrimonium dirimitur Jure Ecclesiastico, ut docent Sanch. *l. 7. disp. 78. num.* 22. 1 2

num. 22. *& disp.* 79. *num.* 42. Bonac. *de matr. q.* 3. *punct.* 6. *propos. pr. n.* 2. Layman. *Theol. Mor. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Trullenck *lib.* 7. *c.* 9. *dub.* 10. *in princip. tomo* 3.

3 De prima Impedimenti specie habetur *cap. Si quis vivere* 5. *causa* 31. *qu. prima cap. Laudabilem pr. de conversi. Infid. cap. Super hoc* 3. *& cap. Significasti* 6. De eo, *qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*. Ratio constitutionis hujusmodi Impedimenti fuit, ne propter spem futuri matrimonii detur ansa captandi mortem Conjugis.

Sed antequam ad secundam Impedimenti speciem dilabamur, nonnulla circa primam adnotanda sunt.

4 Primo; quod si unus tantum ex contrahere volentibus machinetur in mortem Conjugis, nisi etiam adulterium præcesserit, non oritur Impedimentum; unde, matrimonio soluto, poterunt absque Dispensatione contrahere; si vero ambo in cædem Conjugis conspirent, tunc, sive adulterium præcesserit, sive non, eo ipso, quod mors sequitur, Im-
5 pedimentum oritur, & proinde nullum, & irritum erit matrimonium postea inter eos subsecutum, nisi legitime dispensati fuerint, colligitur ex Canonibus. *Si quis vivente*, & aliis supra citatis, & docent expresse Sanchez *lib.* 7. *dicta disp.* 78. *num.* 9. Coninck *de Sacramentis disp.* 31. *dub.* 5. *n.* 52. Bellarmin. *Controv. Fid. tom. tertio lib. pr. de Matrim. cap.* 22. *controv.* 5. *lit. D.* Bonacin. *de Matrim. d. puncto* 6. *propos.* 2. *num.* 5. *vers. Secunda conditio.* Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 10. *num.* 2. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 253. *vers. Quarta*, Aversa. *de Matr. q.* 18. *sect.* 4. *vers. Communis tamen*; Steph. à S. Greg. *tract. de Vinc. Divin. Piet. lib.* 3. *cap.* 108. *in princip. & n.* 3. Trullenck *d. dub.* 10. *n.* 7. Ventrigl. *in Praxi Annot.* 15. §. 1. *n.* 18.

6 Adnotandum secundo: sufficere ad incursum Impedimenti, dedisse consilium, seu mandatum: constat *d. cap. Laudabilem, primo, de conversi. Infid.* at non
7 sufficere solam mortis ratihabitionem, quamvis vere nomine ratum habentis occisio facta sit, Sanchez *numer.* 5. Coninck *num.* 50. Layman. Bonacina, Aversa. Steph. à S. Greg. Trullenck, & Ventrigl. *ll. cc.* Pirrh. Corrad. *in Praxi Disp. Apost. lib.* 8. *cap.* 9. *numer.* 16.

8 Adnotandum tertio, quod si quis, post mandatum datum de occidendo Conjugem, nondum secuto effectu, revocet mandatum, eaque revocatio
9 mandatario innotescat, non incurrere Impedimentum; prout nec incurret ille, qui consilium dedit, quod nihil influxit; Vide Coninck *d. n.* 50. Sanch. *n.* 5. Bonac. *n.* 6. Trullenck *n.* 3. *ll. cc.*

10 Adnotandum quarto; (quicquid alii contradicant) Impedimentm incurrere, non solum virum, propter machinationem in uxorem, si conspiret contra virum, quia eadem ratio in utroque militat; sic bene docent Sanchez *num.* 8. Filiuc. *num.* 253. Coninck *num.* 55. Corrad. *num.* 15. Aversa *vers. Sexto putarunt*, Ventriglia *num.* 21. Laymanus, & Trullenck *ll. cc.*

Adnotandum quinto, nonnullas conditiones requiri ad hoc, ut hujusmodi Impedimentum contrahatur.

11 Prima est, ut ex machinatione vere secuta sit mors, ut diximus, & aperte colligitur *ex d. cap. Si quis vivente* 5. *causa* 31. *qu.* 1. & docent expresse Sanch. *n.* 7. Bonac. *num.* 5. Layman. *num.* 1. Aversa. *vers. Septimo loquendo*; Steph. à S. Greg. *num.* 3. Trullenck
12 *n.* 3. Ventriglia *num.* 7. & Bellarminus *ll. cc.* quia verba Legis pœnalis cum effectu intelligenda sunt. *c. Relatum* 4. *de Clericis non residentib. Gloss. in d. cap. Laudabilem*, verbo *Procuraverint*.

13 Et quamvis Pontius *de Matr. lib.* 7. *cap.* 45. *num.* 4. *circa finem*, doceat non oriri Impedimentum, si mors sequatur culpa Medici, vel negligentia ipsius percussi; id tamen in re tam gravi non facile admiserim, certum enim est, causam morbi, cui subsecuta fuit mors, ex ipsa machinatione processisse, at de culpa Medici, seu de negligentia offensi difficile, & non ita certe constare potest; unde cum dubium prepon-

deret in partem affirmativam Impedimenti, necessaria erit Dispensatio, si contrahere velint, per ea, quæ diximus *cap.* 6. *num.* 184. *lib.* 1.

Secunda conditio est eadem, quam supra diximus; nempe requiri; ut concurrat adulterium cum machinatione, si unus solus, altero insscio, in mortem 14
Conjugis conspiret; at incurrit Impedimentum, et- 15
iam non secuto adulterio, si ambo machinantes conspirent, & sequatur conspirationis effectus, vide quæ supra *n.* 4. diximus.

Tertia conditio est, ut qui contrahere intendunt, 16
& propterea carnaliter commiscentur, ambo sciant ob id committi adulterium; quia si uxoratus rem haberet cum soluta, ignorante Conjugium alterius, & deinde ille Conjugatus interficeret uxorem, possent absque Dispensatione contrahere, quia adulterium non fuit ab utroque cognitum, & proinde impedimentum non processit; constat *ex cap. Propositum* 1. *De eo, qui duxit &c.* & docent Sanch. *lib.* 7. *disp.* 78. *numer.* 12. & *disp.* 79. *num.* 44. Coninck *disp.* 31. *dub.* 5. *num.* 53. Aversa. *d. sect.* 4. *vers. Octavo loquendo*; Stephan. à S. Greg. *d. cap.* 108. *num.* 3. Layman. *loc. cit. num.* 2. *vers. Existimo tamen*; Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 253. *vers. Quia &c.* Bonac. *d. punct.* 6. *propos.* 3. *num.* 8. Trullenck *num.* 7. *loc. cit.* Castr. Palaus *tom.* 5. *disp.* 4. *punct.* 12. *num.* 8.

Quarta, & ultima conditio est, ut occasio sequa- 17
tur ad effectum præcisum contrahendi cum ipsamet persona, quacum adulterium commissum fuit: Sanch. *l. c. num.* 13. *& num.* 18. Bonac. *punct.* 6. *propos.* 2. *num.* 5. Aversa. *l. c. vers. Tertio rursus*. Layman. *l. c. circa finem*. Trullenck *num.* 3. & Ventrigl. *n.* 5. *ll. cc.* Unde non contrahetur Impedimentum, si Con- 18
jux, & adultera occiderent Conjugem, non animo contrahendi inter se matrimonium, sed potius ad finem, ut majori libertate possent luxuriari, vel ob particulare odium, aut alium quemcunque finem, quam matrimonii inter se contrahendi; quia ad hoc impedimentum incurrendum est omnino necessarium, ut ad finem matrimonii inter se contrahendi occisio fiat; ita Sanch. *d. disp.* 78. *n.* 16. Laym. *l. c.* Bonac. *n.* 16. Trullenck *n.* 8. *ll. cc.* Rota in novissimis *dec.* 316. *n.* 28. *coram Coccin.* Sic pariter si quis occide- 19
ret Conjugem eo animo, ut ducere posset aliam personam, quæ non fuisset particeps homicidii, vel adulterii, non incurreret Impedimentum dirimens. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 79. *n.* 41. Coninck *n.* 63. Bonac. *num.* 15. *ll. cc.* & nos infra latius dicemus.

Adnotandum sexto, non incurri Impedimentum 20
ab eo, qui Conjugem in flagranti crimine adulterii deprehensam occidit, nisi forte ipse causam adulterii dedisset ad effectum illam occidendi, & alia occisionis complicem ducendi; quia dicta machinatione, ac pravo fine seclusis, hujusmodi homicidium non imputatur tanquam crimen, cum Leges in foro fori permittat impune occidi Conjugem adulterum in flagranti deprehensum. Bonac. *d. propos.* 3. *n.* 18. Trullenck *d. dub.* 10. *n.* 12.

Ex dictis infertur, non contrahi Impedimentum 21
inter Titium, & Bertam, si ipse Titius suasu dictæ Bertæ occidat uxorem eo animo, ut Claram ducere possit; & proinde non esset opus dispensatione, si postmodum ipsa Berta, & Titius insimul vellent matrimonium contrahere. Nec pariter impedirentur dicti Titius, & Clara ad contrahendum, si hæc fuisset insscia machinationis contra uxorem Titii, dummodo tamen cum neutra earum, ante mortem Conjugis, mæchatus fuerit, vide Coninck *l. c. n.* 55. *in fine*. Layman. *d. cap.* 10. *num.* 2. *vers. Secundo infertur*. Trullenck *d. dub.* 10. *num.* 12.

Licet autem occidat Conjugem alio fine, quam ducendi adulteram, nihilominus in foro fori præsumptio stat contra ipsum, quod commiserit homi- 22
cidium eo animo, ut adulteram ducat, & ob id Ecclesia nullatenus concedet licentiam matrimonium inter eos contrahendi, nisi ex magnis conjecturis probaretur, alio animo occidisse; ita Sanch. *n.* 19. Trullenck *n.* 8. Filiuc. *n.* 253. *circa finem ll. cc.* quamvis pro foro conscientiæ aliter sit dicendum.

23 Quod attinet ad alteram ſpeciem Criminis, præmitto, hujuſmodi Impedimentum dupliciter incurri, nempe, vel ob adulterium, cum fide data, de ducenda adultera poſt mortem Conjugis, ut habetur *in cap. Relatum* 4. *cauſa* 31. *qu.* 1. *cap. Significavit* 2. *& cap. Cum haberet* 5. *De eo, qui duxit*; vel ob id quod
24 uxoratus, & adultera, ſcientes ambo Conjugem alterius vivere, nihilominus de facto inter ſe contrahant matrimonium: Ratio conſtitutionis Impedimenti ea fuit, ne ob factam promiſſionem, & ob ſpem futuri matrimonii, capteretur occaſio alterum Conjugem occidendi.

25 Animadvertas tamen, non ſufficere ad incurſum hujuſmodi Impedimenti, dari ſolummodo fidem, vel dumtaxat de facto contrahere, vivente Conjuge; ſed requiri, quod in vita ejuſdem Conjugis et-
26 iam copula carnalis interceſſerit; unde ſi in vita Conjugis fides futuri matrimonii data eſſet, aut matrimonium de facto contractum, at poſt Conjugis mortem copula interceſſiſſet, vel è contra, non eſſet contractum Impedimentum, & proinde nulla opus eſſet Diſpenſatione ad contrahendum. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 79. *numer.* 2. *&* 5. Coninck *dict. dub.* 5. *numer.* 60. Layman. *loc. citat. num.* 4. Trullenck *dict. dub.* 10. *numer.* 8. Ventriglia *in dict. Praxi annotat.* 15. *num.* 3.

27 Hinc inferunt Doctores, non contrahi Impedimentum, ſi v. gr. Petrus ſimpliciter promitteret ducere Bertam mortua ſua uxore, ſed poſtea, ſecuta morte dictæ uxoris duceret Roſam: & hoc matrimonio durante commiſiſſet adulterium cum Berta, abſque nova promiſſione matrimonii; quia, mortua Roſa, poterunt Petrus, & Berta, abſque Diſpenſatione matrimonialiter copulari, cum promiſſio matrimonii, & adulterium non fuerint ſecuta tempore unius ejuſdemque matrimonii. Sanch. *d. diſp.* 79. *n.* 6. Coninck *diſp.* 31. *num.* 52. *&* *num.* 60. Trullenck *l. c. n.* 8. Ventriglia *l. c.* Averſ. *de Matr. qu.* 18. *ſect.* 3. *in fine*; & proinde per aliud conjugium in-
28 terpoſitum, tacite, & facto ipſo revocata fuit prior promiſſio matrimonii, ut animadvertunt præcitati Doctores; nec refert, ſi adulterium committatur ante, ſive poſt fidem datam, ſive poſt matrimonium de facto contractum; quia ad incurrendum Impedimentum ſat eſt, quod uno, eodemque Conjugio durante, fides data concurrat cum adulterio commiſſo, ſeu cum matrimonio de facto contracto, ut bene explicant Sanch. Bonacin. *d. propoſ.* 3. *n.* 8. *verſ. Et hoc verum eſt*. Averſ. *l. c.*

29 At ſi eodem matrimonio durante facta fuerit promiſſio futuri matrimonii, ſed, antequam adulterium commiſsum ſit, dictam promiſſionem concorditer annullent, quamvis poſtea adulterium committant, Impedimentum non erit contractum. Sanch. *num.* 7.
30 Averſ. Trullenck, & Ventriglia *ll. cc.* E' contra vero, ſi durante eodem matrimonio facta fuerit promiſſio futuri matrimonii, & ſimul commiſsum adulterium, licet poſtea adulteri pœnitentia ducti dictam promiſſionem annullent, ſi & poſtea contrahere velint, tamen erit contractum Impedimentum; unde opus erit Diſpenſatione ad contrahendum, quia cum Impedimentum fuerit jam contractum, non eſt in eorum poteſtate illud diſſolvere, cum non procedat à voluntate ipſorum contrahere volentium, ſed ab Eccleſia, quæ illud conſtituit, Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 79. *num.* 7. Averſ. *d. ſect.* 3. *verſ. Poſt promiſſionem*. Ventriglia *in d. Praxi, annot.* 15. §. 1. *n.* 8. Bonac. *d. propoſ.* 3. *num.* 13. Sperell. *deciſ.* 95. *num.* 23. Trullenck *l. c.*

Cæterum ad hoc ut hujuſmodi Impedimentum contrahatur, nonnullæ conditiones ſunt neceſſariæ.

Prima eſt eadem, quam ſupra proxime diximus.

31 Secunda eſt, ut dicta fides data, vel promiſſio ab uno facta, acceptetur ab alio criminis ſocio; aliter enim non haberet rationem pacti, aut promiſſionis, ſed eſſet ſimplex pollicitatio, quæ non ſufficit ad incurſum Impedimenti, cum ad illud incurrendum, juxta probabiliorem Doctorum ſententiam, requiratur, ut promiſſio reciproca ſit; ita bene Bellarmin. *de Matr. lib.* 1. *cap.* 22. *caſu* 2. Layman. *d. cap.* 10. *num.* 4. *verſ. Quinta conditio*. Averſ. *d. quæſt.* 18. *ſect.* 3. *verſ. Quia demum*. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 198. Trullenck *d. dub.* 10. *num.* 9. Cum etenim jura ad hoc Impedimentum contrahendum exigant, ut vivente Conjuge matrimonium de facto contrahatur, vel ſaltem fides de illo contrahendo detur, id eodem modo intelligere videntur, quo alias fieri ſolet deſponſatio de præſenti, hoc, eſt reciproce.

An autem ſufficiat ad incurrendum Impedimentum 32
acceptatio facta à ſocio per ſolam taciturnitatem, diſſident Doctores: at omiſſis diſputationibus, probabilius exiſtimo, contrahi Impedimentum. Ducor, quia cum adulteri ſe mutuo ament, cenſentur mutuum matrimonium expetere, & ideo unus alteri matrimonium offert tanquam favorabile; in favorabilibus autem, qui tacet conſentire cenſetur, *Reg. Qui tacet* 43. *d. reg. Juris in* 6. unde ſi adulter 33
hanc promiſſionem interius acceptet, ejus taciturnitas videtur ſignum conſenſus; & eo maxime, ſi paulo poſt ſequatur adulterium, quia tunc videtur ab illa promiſſione moveri; quod idem nobiſcum ſentit Coninck *d. diſp.* 31. *dub.* 5. *num.* 58.

Tertia conditio, quæ requiritur ad incurſum hu- 34
juſmodi Impedimenti eſt, ut dicta fides, ſeu promiſſio futuri matrimonii facta ſit ſerio, & ex animo, & aliquibus certis ſignis expreſſa, adeout exterius vera appareat, & non ex joco. Layman. *l. c. verſ. Quarta conditio*. Dian. *tom.* 3. *tract.* 4. *diſt. reſol.* 198. Averſ. *l. c. verſ. Promionem hanc, & verſ. Sufficere quoque*. Quod ſi fides data, & facta promiſſio exte- 35
rius vera appareat, quamvis interius ficta ſit orietur Impedimentum. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 79. *num.* 10. Coninck *diſp.* 31. *dub.* 5. *numer.* 57. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 16. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 256. quia dum exterius vera appareat, idem operatur, ac ſi vera eſſet.

Quarta conditio eſt, ut adulterium ſit utrique adul- 36
teranti cognitum, hoc eſt, ut, uterque ſciat ſocium, quo cum copulatur, eſſe conjugatum, ut diximus *num.* 24. circa quam conditionem nonnulla ſunt conſideranda; Primum, quod ſi quis ignorans con- 37
jugum alterius ſocii, contraheret cum illo, & poſtea certior factus de dicto matrimonio, ſtatim ſe ſeparet ab illo, nec alterius carnaliter ipſi copuletur, poterit, mortua uxore ſocii, matrimonium cum illo contrahere, Trullenck *l. c. num.* 9. Secundum, 38
quod ab hujuſmodi Impedimenti incurſu excuſat quælibet conjugii alterius ſocii ignorantia, quamvis craſſa, & ſupina, dummodo non ſit affectata, aut adeo craſſa, ut ſcientiæ æquiparetur, Sanchez *d. diſp.* 79. *nu.* 38. Trullenck *d. nu.* 8. Averſ. *d. ſect.* 3. *verſ. Sed plerique*. Immo ſi alter delinquentium igna- 39
rus ſit de conjugio, poterit, caſu viduitatis alterius eveniente, ipſum cogere ad ſervandam fidem, & promiſſionem. Bonac. *de Matr. diſp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 6. *n.* 8. *verſ. Verum tamen eſt*. Sanch. *d. diſp.* 79. *num.* 39. Averſ. *l. c.* Trullenck *d. nu.* 8. Quod ſi ambo 40
ignoraſſent alterum eſſe conjugatum, eſſet in optione utriuſvis cogere alium ad contrahendum, Sanchez *loc. citat.*

Quinta conditio eſt, ut promiſſio facta pura ſit, 41
vel ſaltem ante mortem Conjugis purificata, quia alioquin non fuiſſet vera promiſſio, cum ejus effectus in vita Conjugis alterius, qui promiſit, ſuſpenſus fuerint, & pendens à futuro eventu; quando enim promiſſio facta eſt ſub conditione, quamdiu condi- 42
tio manet in ſuſpenſo, per ſe non obligat, nec inducit ad actum taliter promiſſum; Et omnis gratia ſub conditione conceſſa ſtabit in ſuſpenſo, donec conditio purificata ſit. Lotherius *de Re Benef. lib.* 1. *qu.* 38. *num.* 16. 17. Sperell. *deciſ.* 40. *num.* 42. Gen. *de Enunciativis, lib.* 3. *qu.* 6. *nu.* 20. Farinac. *conſ. Crim.* 53. *n.* 23. *lib.* 1. & contractus ſub conditione celebratus, reſolutus dicitur in ipſo initio, non adveniente 43
conditione, ut bene idem Genua *l. c. n.* 31. immo actus ſub conditione factus, ea pendente, non dicitur actus. Læl. Altograd. *conſ.* 13. *n.* 38. *lib.* 1. Tuſch. 44
pract. concluſ. Juriſ. tom. 2. *concl.* 593. *num.* 4. *lit. C.* cum paria ſint non fieri, vel fieri ſub conditione, quæ non purificetur. Tuſch. *l. c. n.* 1. Et quod Impedimen- 45
tum

tum eo casu non contrahatur, docent Coninck *d. dub.* 5. *num.* 59. Layman. *loc. c. vers. Sexta conditio.* Avers. *d. qu.* 18. *sect.* 3. *vers. Rursus.* Trullenck *l. c.* Palaus *d. punct.* 12. *nu.* 13. quidquid in contrarium doceat Sanch. *d. disp.* 79. *nu.* 11. At si, conditione adhuc suspensa manente, alterius Conjux naturali morte decedat, & adulteri, non curantes de conditionis eventu, ejusque adimplemento, inter se contrahant, nulla opus erit Dispensatione, quia cum conditio non fuisset adimpleta, nec fuit contractum Impedimentum; unde quamvis postea aliquo tempore conditio adimpleatur, non præjudicabit matrimonio contracto rite, & legitime. Quod si con-
46 ditio fuisset respectu mortis alterius Conjugis infra certum tempus, ut si quis diceret adulteræ, *promitto te ducere post mortem mariti tui*; si infra tale tempus accidat, tunc contraheretur Impedimentum, quia esset veluti promissio absoluta contrahendi post mortem Conjugis; & ex tali promissione præberetur ansa procurandi, & accelerandi mortem alterius Conjugis, ut bene Avers. *l. c. vers. Si tamen*; at non in-
47 current Impedimentum adulteri, qui non absolute sibi promiserint, sed quodam modo conditionaliter, v. g. *non ducam aliam nisi te*; quia hujusmodi verborum sensus videtur esse conditionalis, nempe, *si aliam ducere volam, ducam te*, ut bene animadver-
48 tit Layman. *loc. cit.* At si conditio, sub qua promissio facta fuit, sit impossibilis, vel turpis, tunc, cum habeatur pro non adjecta in favorem matrimonii, Sanch. *lib.* 7. *disp.* 70. *nu.* 20. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 4. *n.* 140. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 18. *num.* 120. impedimentum orietur, nisi appareret, promissionem fuisse joco, ac ficte factam, ut bene Sanchez *lib.* 7. *disp.* 79. *nu.* 12. Ventriglia *in Praxi, annotatione* 15. *n.* 9. Si tamen conditio esset de præ-
49 terito, ut si aliquis promitteret adulteræ illam ducere, si ejus uxor mortua sit; tunc si uxor vere mortua sit, non oritur Impedimentum. Sanchez *d. disp.*
50 79. *num.* 14. ubi etiam addit, oriri Impedimentum, si promitteretur matrimonium alicui fœminæ sub conditione, quatenus virgo sit, quia, si virgo sit, pro-
51 missio purificatur, *& nu.* 16. docent, non oriri Impedimentum, si Conjugatus cognoscens fœminam diceret, nisi essem Conjugatus te ducerem, quia hæc non obligant.

52 Sexta conditio requirit, ut copula inter adulteros habita, fuerit completa cum effusione seminis intra vas, Sanchez. *d. disp.* 79. *num.* 2. Coninck *disp.* 32. *n.* 62. Laymanus *d. cap.* 10. *num.* 4. *vers. Tertia conditio.* Avers. *l. c. vers. Adulterium.* Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 256. *in fine.* Trullenck *l. c. num.* 9. *in fine.* Ventrigl. *d. annot.* 15. *§.* 1. *num.* 13.

53 Septima, & ultima conditio est, ut matrimonium primum validum sit, alias non esset verum matrimonium. Constat expresse *in cap. Significavit* 2. *de eo, qui duxit &c.* & docent Avers. *d. sect.* 3. *vers. Adulterium, & sect.* 4. *vers. Octavo loquendo, eadem qu.* Trullenck *num.* 9. *l. c.*

54 Amplia, quamvis etiam hujusmodi invalidum matrimonium, tam ab ipso Conjugato, quam aliis, communiter pro valido habitum esset, quamvis etiam non fuisset quoad thorum, & habitationem per divortium dissolutum, *cap. Ex litterarum* 4. *de eo qui duxit &c.* Sanchez *loc. cit. num.* 30. *circa finem.* Ventriglia *num.* 15. & Avers. *ll. cc.* Unde si matrimonium non fuerit validum, non contrahitur Impedimentum, & proinde non erit necessaria Dispensatio; quia ubi non est matrimonium, non potest esse adulterium.

55 Incurretur quidem Impedimentum eo casu, quo fides daretur adulteræ de contrahendo matrimonio cum persona, quam quidam tertius designaverit, si id fraudulenter fiat, ut ille tertius adulteram designet. Sanchez *d. disp.* 79. *num.* 4. Sylvester *verbo Matrimonium* 8. *quæst.* 9. *dict.* 6. Filiuc. *supra num.* 256.
56 Si tamen, cessante dolo, & fraude in utroque, & id non excogitando, factum fuisset, non incurretur Impedimentum. Sanchez, & Sylvester *ll. cc.*

57 Porro id est singulare, quod quando dubitaretur, an prior Conjux viveret, si tunc reperiatur vere vixisse, Impedimentum insurgit. Sanch. *sup. nu.* 36. *d. dub.* 10. *nu.* 8. Aversa *ll. cc.* quia hoc casu, dubium æquiparatur scientiæ, ut dicti Doctores docent; at si dubium esset, an fides data sit, vel adulterium 58
commissum, non erit Impedimentum; quia in hujusmodi dubio melior est conditio possidentis, ut bene Sanchez, & Trullenck *ll. cc.*

Quoad Infideles, certum est inter ipsos non con- 59
trahi Impedimentum, nisi apud illos speciali lege fuisset tale matrimonium indictum, cum Infideles non subdantur legibus Ecclesiæ; unde quamvis post dictum matrimonium inter ipsos adulteros contractum, veniant ad Baptismum, poterunt absque Dispensatione in dicto matrimonio remanere. Sanchez *d. disp.* 79. *nu.* 42. Filiuc. *d. cap.* 8. *nu.* 255. Avers. *d. quæst.* 18. *sect.* 5. *in princip.* Bonac. *de Matr. quæst.* 3. *punct.* 7. *nu.* 20. Trullenck *d. dub.* 10. *n.* 1. Idque verum est, & rite procedit, sive crimen in ipso 60
Infidelitatis tempore patratum sit, & completum, sive ante Baptismum incæptum, & post Baptismum completum; ut si v. gr. tempore Infidelitatis amborum fuisset facta promissio futuri matrimonii, vel ipsum matrimonium de facto contractum, at post susceptum Baptismum fuisset commissum adulterium; quia ad hoc Impedimentum incurrendum requiritur, ut post Baptismum data sit fides, vel matrimonium sit de facto contractum, & simul adulterium commissum. Sanch. *n.* 43. Filiuc. *n.* 255. Bonac. *n.* 21. & Trullenck *ll. cc.*

At si ex his, qui crimen commiserunt, unus esset 61
Fidelis, & alter Infidelis, non poterunt absque Dispensatione contrahere; quamvis enim Infidelis non possit ab Ecclesia ligari, ligatur tamen Fidelis; colligitur *cap. Laudabile, primo, de convers. Infid.* & docent Sanch. Filiuc. & Layman. *ll. cc.* Si tamen 62
persona Fidelis conspiraret cum Infideli conjugato in mortem alterius Conjugis infidelis, ad hoc ut post ejus conversionem cum illo contraheret, tunc Impedimentum consurgeret, ut animadvertit Avers. *d. sect.* 5. *vers. Secundo, si crimen*, ubi ampliat idem esse, si hujusmodi machinatio non fuisset facta per conspirationem communem utriusque partis, sed per pravam intentionem unius, stante tamen adulterio cum altera parte.

Disputat Sanchez *lib.* 7. *disp.* 78. *nu.* 4. an con- 63
trahatur Impedimentum eo casu, quo Infidelis, patrato adulterii crimine cum Fideli, absque consilio, seu impulsu istius Fidelis, occidat Conjugem ad finem contrahendi cum adultera fideli, si suscepto per Infidelem Baptismo velit contrahere cum ipsa, & concludit negative, ea ratione, quod fœmina fidelis, quæ sola Ecclesiæ legibus subjecta erat, non deliquit quoad homicidium, sed solum in adulterio, quod ex se non sufficit ad Impedimentum contrahendum; contrarium docet Avers. *loc. c.* at probabilior videtur opinio Sanchez, quia vere non concurrunt eo casu conditiones, quæ requiruntur ad inducendum Impedimentum Criminis; & in odiosis, & pœnalibus non datur extensio, nec lata interpretatio, sed benignior; *Regula Odia restringi* 15. *& Regula in pœnis* 49. *de Reg. Jur.* Marant. *Resp.* 32. *nu.* 40. *part.* 3. Rot. *inter decis. impressas post primum libr. Consil. Farinacii, decis.* 51. *num.* 2. *juris in 6.*

Quod attinet ad praxim Romanæ Curiæ in con- 64
cedendis Dispensationibus super hujusmodi Impedimento; in primis sciendum est, quoad crimen machinationis non dari Dispensationem pro utroque foro, eo casu, quo uterque, vel unus ex contrahere volentibus, in mortem machinatus sit, ne detur ansa machinandi in mortem Conjugum, sed perpetuo remanent impediti ad contrahendum inter se (licet 65
cum aliis non impediantur ne contrahant, ut constat *d. c. Ex literar.* & docet Sanch. *d. disp.* 79. *n.* 41.)
At pro foro conscientiæ in casibus occultis, recurritur ad Prætorium Sacræ Pœnitentiariæ, quæ diffi- 66
cillime, & nonnisi ex urgentissimis causis dispensat: quando tamen facultatem concedit dispensandi, committit Confessario per Oratorem eligendo, ut eundem Oratorem à supradictis omnibus in literis con-

tentis, adulterio, homicidio, & exceſſibus hujuſmodi abſolvat, injunctis, pro modo culpæ, gravi, & longa (quæ ſaltem per annum duret) Pœnitentia ſalutari, & Orationibus, ac pro modo facultatum, Eleemoſynis, & quod celebrare faciat aliquem numerum Miſſarum pro anima occiſi, necnon frequentia Sacramentalis Confeſſionis peccatorum ſuorum, ſingulis ſaltem menſibus, vel ſæpius, prout dicto Confeſſario videbitur expedire pro ſalute animæ ſuæ; utque hæredibus occiſi, & aliis, quibus ille, dum viveret, ſubvenire forſan ſolebat, ſatisfaciat, & ſubveniat in eo, in quo tenetur, (caute tamen, ne ſe prodat) & injunctis etiam aliis, quæ de jure fuerint injungenda: demum, dummodo Impedimentum ex prædictis proveniens occultum ſit, & plane ignoretur, quod mors dicti mariti inde ſecuta fuerit, & ſeparatio inter Oratorem, & dictam mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum eſſe dicto Confeſſario videatur, cum eadem Oratrice, ut, dicto viro de nullitate prioris conſenſus certiorato, ſed ita caute, ut delictum ſuum prodere non cogatur, matrimonium inter ſe de novo, ſecrete tamen ad evitanda ſcandala contrahere poſſint, diſpenſet, Prolem legitimam decernendo. Et ita obſervat Pœnitentiaria, quando unus tantum ex Conjugibus machinatus eſt; quod ſi uterque machinatus fuerit, præſcribitur utrique Pœnitentia ſalutaris, v. gr. ut ſingulis ſextis feriis per annum jejunent, & pro anima occiſi per annum tribus diebus cujuslibet hebdomadæ orent, certaſque Orationes eis à Confeſſario, pro eorum captu præſcribendas, genibus flexis recitent, &, ſi facultatem habent, quinquaginta Miſſas, vel alium numerum, juxta hujuſmodi facultatem, pro anima occiſi celebrare faciant, injuncta etiam frequentia Sacramentalis Confeſſionis, & quod ſatisfaciant, &c. ut ſupra.

67 Aliquando etiam, juxta qualitatem delicti, imponitur gravior Pœnitentia, immo etiam denegatur Diſpenſatio per ipſam Sacram Pœnitentiariam, & in omnem caſum, nonniſi cum maxima difficultate, & concurrentibus urgentiſſimis cauſis conceditur, præ-
68 ſertim, ſi Oratores veneno machinati ſint in mortem Conjugis, quo caſu diſcutiuntur cauſæ in plena Signatura ipſius Sacræ Pœnitentiariæ, an illæ, quamvis urgentiſſimæ, graviſſimæque ſint, admitti debeant; occidere etenim aliquem veneno, plus eſt,
69 quam gladio necare, cum proditorie occidere exiſtimetur. Farin. *de Homicid. quæſt.* 122. *n.* 4. *in ſecunda ampliatione*. Marant. *reſp.* 33. *n.* 10. *part.* 2. Sperell. *dec.* 23. *n.* 26. *part.* 1. *& dec.* 23. *nu.* 30. *part.* 4. Boſſ. *in Praxi Crim. titulo de Homicid. n.* 14. Tuſch. *concluſ.* 229. *num.* 1. *tom.* 6. *lit. P.* Caball. *tr. de omni genere Homicidii*, *num.* 550. *&* 551. eſtque crimen omnium
70 graviſſimum, cum non poſſit quis ſibi præcavere. Marant. *l. c. nu.* 49.

At ſi Impedimentum Criminis ex machinatione non procedat, tunc in principio Supplicationis, quæ porrigitur pro Diſpenſatione obtinenda, præponitur
71 inſcriptio, *Neutro machinante*, & deinde exponitur caſus prout vere ſe habet, v. gr. quod conſtante matrimonio inter Oratricem, & ejus Virum prædefunctum, Oratores ipſi carnis fragilitate devicti, data ſibi invicem fide de matrimonio inter ſe poſt obitum dicti Viri contrahendo, ſe carnaliter cognoverunt; poſtmodum vero Vir prædictus, ſicut Domino placuit, neutro tamen eorum in ejus mortem machinante, ab humanis deceſſit; cum autem, niſi matrimonium inter eos contrahatur, dicta Oratrix innupta, & diffamata remaneret, graviaque ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri, propterea cupiunt, &c.
72 Et hæc Diſpenſatio conceditur à Pontifice pro utroque foro, ſi caſus fuit publicus; ſi vero ſit occul-
73 tus, & Oratores publice de matrimonio contrahendo tractarint, tunc ad evitanda ſcandala recurritur ad Tribunal Sacr. Pœnitentiariæ, à qua committi ſolet Confeſſario ab Oratoribus eligendo, ut ipſos abſolvat in foro conſcientiæ, & in ipſo Sacramentalis Confeſſionis actu tantum, & non aliter, cum impoſitione Pœnitentiæ ſalutaris, & dummodo Impedimentum occultum ſit, & quatenus pericula ſcandalorum immineant, niſi matrimonium contrahatur, diſpenſet; Cum facultate etiam legitimandi Prolem exinde ſuſcipiendam, non tamen ex adulterio conceptam, & ſic in praxi ſervatur, ut notum eſt.

At ſi quis ſuo Conjuge vivente, matrimonium 74
de facto cum alia contrahat, & Conjuge defuncto
velint in ſecundo matrimonio remanere, requiritur 75
Diſpenſatio; & propterea, ſi Impedimentum publicum, recurritur ad Summum Pontificem, narrando factum, prout vere ſe habet, & hoc caſu non ſolet Pontifex diſpenſare, niſi prius ipſum negotium fuerit plene diſcuſſum in Sacra Congregatione ſuper Inquiſitione; & quando Diſpenſatio concedenda ſit, 76
committi ſolet Ordinario Oratorum, ut prævio examine ſuper intentione, & credulitate circa fidem, & facta abjuratione de vehementi, impoſitaque ipſis Pœnitentia ſalutari, & parito Judicato, & dummodo præventi non ſint judiciis in aliquo Tribunali Inquiſitionis Hereticæ pravitatis, diſpenſet in utroque Foro; ſi tamen fœmina, quæ dicto Conjugato 77
nupſit, fuiſſet de primo matrimonio conſcia, & poſtmodum mortua prima uxore (neutro tamen in ejus mortem machinante) in dicto ſecundo matrimonio remanere velint, debet uterque Oratorum Abſolutionem petere, ac Diſpenſationem, narrando totum factum, prout vere ſe habet; quod ſi caſus fuerit occultus, ſolet per Sacram Pœnitentiariam committi Confeſſario, quatenus Oratores abſolvat à Sententiis, Cenſuris, & Pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrerunt, necnon ab adulterio, & exceſſibus hujuſmodi, injuncta eis Pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, & dummodo præmiſſa occulta ſint, nec aliud obſtet Canonicum Impedimentum, eiſdemque Oratoribus de nullitate prioris matrimonii certioratis, quod præmiſſis non obſtantibus, matrimonium inter ſeſe de novo, ſecrete tamen ad evitanda ſcandala, contrahere valeant diſpenſet; ſi vero Oratores, antequam fuiſſet cum ipſis legitime diſpenſatum, matrimonium cum dicto Impedimento contraxiſſent, committitur ſimiliter Confeſſario, ut, dummodo Impedimentum occultum ſit, & ſeparatio inter eos abſque ſcandalo fieri non poſſit, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum eſſe eidem Confeſſario videatur, abſolvat, & cum eiſdem Oratoribus de nullitate prioris matrimonii certioratis diſpenſet; & ſic in praxi ſervatur, ut notiſſimum eſt, & ſciunt omnes Practici Curiales.

CAPUT XVII.

An diſpenſari poſſit, ut validum ſit Matrimonium cum impotentia perpetua ad copulam perficiendam contractum.

SUMMARIUM.

1 *Impotentia ad matrimonium eſt duplex.*
2 *Prima dicitur Sterilitas, quæ efficit, ut Proles generari non poſſit.*
3 *Ex ſe tamen matrimonium non impedit, neque dirimit.*
4 *Altera eſt Impotentia ad copulam perfecte perficiendam, & hæc duplex eſt, temporalis, & perpetua.*
5 *Temporalis eſt illa, quæ aliquo humano modo, & ordinaria curatione mederi poteſt, & hæc nec impedit, nec dirimit.*
6 *Perpetua Impotentia dicitur illa, quæ abſque miraculo, & abſque corporali vitæ graviſſimo morbis periculo, & abſque peccato tolli nequit.*
7 *Et hæc ſi matrimonium præceſſerit, illud impedit, & dirimit, non ſolum Jure Eccleſiaſtico, ſed*

ipſo

ipso Jure naturæ, tam si impedimentum sciatur, quam si ignoretur, & de ratione nu. 8.

9 *Nec poterit super dicto defectu dispensari.*

10 *Si tamen d. Impotentia superveniat post matrimonium rite contractum, licet non consummatum, nec impedit, nec dirimit.*

11 *Impotentia perpetua ad copulam perficiendam ex pluribus causis procedere potest, & ex quibus tam in mare, quam in fœmina.*

12 *Impotentia perpetua, si sit talis, ut reddat copulam impossibilem, nec possit naturalibus remediis juvari, dirimit matrimonium.*

13 *Licet Vir sit potens ad penetrandum vas, sed impotens ad seminandum intra illud, & Impedimentum sit perpetuum, nec juvari possit remediis, matrimonium dirimitur.*

14 *In dubio, an impotentia præcesserit, vel subsecuta sit matrimonium, præsumendum est præcessisse,* & n. 18.

15 *Regulariter in re dubia favore matrimonii judicandum est.*

16 *Credendum est magis uni Doctori approbato scribenti pro validitate matrimonii, quam centum contra illud scribentibus.*

17 *Statutum etiam pœnale, favore matrimonii dicitur favorabile.*

19 *Impotentia, quæ ex arctitudine, & frigiditate procedit, distinguitur ab alia, quæ ex maleficio, seu abscissione insurgit.*

20 *Impotentia, quæ ex causa naturali procedit, solet esse perpetua, & præsumitur præcessisse.*

21 *Impotentia, quæ procedit ex maleficio, & abscissione, si maximum tempus intercessit à contractu matrimonii ad copulam, præsumendum est subsequutam fuisse.*

22 *Conjugibus instantibus insimul pro dissolutione matrimonii, & confitentibus Impedimentum, non est credendum.*

23 *Dissolutio matrimonii est res gravissima.*

24 *Quando ambo Conjuges pro dissolutione matrimonii concorditer instarent, citari debet Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis.*

25 *Et ulterius assignandum est triennium ad experiendum, nisi de Impedimento certe constet.*

26 *Si Impedimentum, cum quo initum fuit matrimonium, evidens sit, nec ullo remedio humano juvari valeat, statim, absque ulla mora, & experientia, matrimonium erit dissolvendum.*

27 *Quando de Impedimento perpetuo certe non constat, tunc à Judice Ecclesiastico triennii terminus assignandus est ad experiendum.*

28 *Et triennium incipit currere à die intentatæ copulæ.*

29 *Nec requiritur, quod hoc tempus sit mathematicè continuum, sed morali modo, & civili, juxta communem cursum; unde si vir fuisset absens, v. gr. uno mense, posset is ultra triennium compensari.*

30 *Immo poterit Judex post decretum factum assignationis triennis, arbitrari aliquod præcisum, & brevius tempus.*

31 *Si tamen Impedimentum esset maleficium, tunc nullo pacto valet coarctari triennium.*

32 *Elapso triennio, nec ulla secuta emendatione, Judex Ecclesiasticus recipiet juramentum ab ipsis Conjugibus, quod licet multoties conati fuerint copulam habere, nunquam perficere potuerunt.*

33 *Et tunc requiritur, quod accedant septem propinqui, tam ex parte viri, quam ex parte conjugis, & si non adsint, suppleatur numerus ex tot vicinis, & si non sint, saltem tot, quot potuerint haberi, qui jurare debent, se credere dictos Conjuges dicere veritatem, & esse vere impeditos.*

34 *Si tamen alter Conjugum allegaret impotentiam, & alter negaret, alleganti incumbit onus probandi Impedimentum adesse.*

35 *Nec dissolvetur matrimonium, nisi fuerit plene probatum.*

36 *Fœminæ asserenti se cognitam à viro magis credendum est, quam viro neganti.*

37 *Si fœmina non esset virgo, quomodo probanda sit viri impotentia, remissive.*

38 *Post sententiam nullitatis matrimonii ob Impedimentum reputatum perpetuum in viro, si fœmina alii nubat, & postmodum primus vir cum alia fornicetur, vel aliud matrimonium contraxisset, & consummasset, erit primum instaurandum, sed donec sit legitime probatum, poterit in hoc secundo matrimonio persistere.*

39 *Si Impotentia ex maleficio procedat, debent fieri Orationes intra triennium, & exorcismi durante triennio, quo transacto, si adhuc duret Impedimentum, dissolvendum erit matrimonium.*

40 *Rescisso matrimonio ob impotentiam ex maleficio, si Conjuges cum aliis personis absque impedimento copulentur, non erit restaurandum primum matrimonium, quia Impedimentum respectu certæ personæ fuit reputatum perpetuum.*

41 *Si tamen dissolutum fuisset matrimonium, ex quo impeditus fuit existimatus habere Impedimentum ex maleficio cum quacunque persona, & postea compertum sit aliud matrimonium consummasse, tunc primum matrimonium erit restaurandum.*

42 *Et si infra triennium copulam perficere non possit cum prima Conjuge, matrimonium erit dissolvendum, absque ulla spe ulterius instaurandi, quamvis cum aliis fornicetur.*

43 *At dissoluto matrimonio ob d. causam maleficii, si Conjuges inter se copulam haberent, tunc matrimonium erit restaurandum.*

44 *Durante triennio assignato, secundus Conjux, qui post dissolutum primum matrimonium, cum Conjuge impedito contraxit, non poterit aliud inire, sed debebit expectare, donec compleatur triennium, quia, si duraret Impedimentum, deberet redire, & interim Judex deberet illum interdicere, & si non servato interdicto, aliud contraxisset, deberet separari.*

45 *Carentia unius testis non constituit Impedimentum perpetuum in viro, sed validum erit matrimonium.*

46 *Dissoluto matrimonio ob impotentiam perpetuam, si impeditus miraculose sanetur, non erit matrimonium sic dissolutum amplius restaurandum.*

47 *Immo, si velint Conjuges in eodem matrimonio permanere, opus erit, ut de novo contrahant.*

48 *Si dubium sit, an Impotentia perpetua vere subsit, necne, & adhibita diligentia adhuc dubium remaneat, præsumitur potius non subesse, & validum erit matrimonium.*

49 *Impedimentum censetur perpetuum, quando absque peccato amoveri non potest, videlicet, absque novo maleficio.*

50 *Quia non licet requirere maleficum, ut opus illicitum exerceat, nisi maleficus cognosceret multa media, inter quæ aliqua licita adessent.*

51 *Impedimentum perpetuum censetur, quamvis curari possit cum periculo tamen vitæ.*

52 *Amplia, ut sit nullum, quamvis etiam impeditus vellet medicamenta accipere cum periculo vitæ.*

53 *Insuper si periculo vitæ se exposuerit, & incolumis evaserit, nihilominus erit in electione Conjugum, an velint in d. matrimonio remanere, illud ratificare, vel alias nuptias inire.*

54 *Nec tenetur eo casu alter expectare, ut Conjux aptus Conjugio reddatur, sed liber est à matrimonio.*

55 *At si absque periculo vitæ possit reddi apta judicio Medicorum ad matrimonium, quamvis cum magno dolore, valebit matrimonium, & tenebitur impedita incisionem pati.*

56 *Si vero sanetur ope Divina, veluti per Exorcismos, & Orationes, non dicetur hoc casu impedimentum per miraculum auferri, cum adhibeatur modus ordinarius, & regulatus.*

57 *Matrimonium dissolutum per Judicis sententiam ob impotentiam viri, vel arctitudinem fœminæ, si postea tractu temporis potentia aliquo ordi-*

nario modo acquiratur, erit reſtaurandum, & num. 63.

58 *Pariter ſi fœmina à viro ſeparetur ob arctitudinem, quæ judicio Peritorum tolli nequeat abſque periculo vitæ, ſi poſtea à viro conſimili cognoſcatur, erit matrimonium reſtaurandum, probata conſimilitudine prædicta in foro Eccleſiaſtico.*

59 *Intellige tamen de matrimonio diſſoluto ratione arctitudinis abſolutæ non correſpectivæ, nam ſi fuiſſet diſſolutum ob arctitudinem abſolutam, omne, quod ineat matrimonium, erit nullum.*

60 *Quod matrimonium, ut ſupra diſſolutum, ob penetrationem factam à viro conſimiliſit reſtaurandum, non habet locum, ſi mulier fuiſſet cognita à viro fortiori, & potentiori, quia eo caſu matrimonium cum d. ſecundo potentiori contractum tenebit.*

61 *Facta diſſolutione matrimonii, ob probatum Impedimentum, & impotentiam perpetuam declaratam, ſi poſtea reperiatur Conjuges eſſe potentes, tunc primum matrimonium tam in foro conſcientiæ, quam in foro fori, erit reſtaurandum, & aliud contractum erit nullum.*

62 *Et Conjux innocens poteſt reſpuere alium, qui malitioſe aliud Conjugium, non ſine ſcelere, iniit, quoad thorum, & habitationem.*

64 *Superveniente potentia, etiam poſt diſſolutum matrimonium, illud eſt reſtaurandum, etiamſi vir fuiſſet Sacris Ordinibus initiatus, qui tamen tenebitur reddere, ſed non poterit petere.*

65 *Verum, ſi uterque in Religione profeſſus ſit, valida erit Profeſſio, cum matrimonium ratum per Profeſſionem diſſolvatur.*

66 *Si vero alter ſolum profeſſus ſit, & alter novum matrimonium contraxerit, ſecundum matrimonium erit validum, quia per Profeſſionem primi Conjugis matrimonium ratum fuit diſſolutum.*

67 *Signa impotentiæ ſi ſint tantum præſumptive probantia, & conſequenter impotentia dubia, licet uterque impotentiam fateatur, non erit illis credendum.*

68 *Et eo caſu debebit aſſignari triennium ad experiendum.*

69 *Si impotentia non ſit certa, ſed fœmina illam aſſirmet; & vir neget, tunc ſi fœmina reclamet initio matrimonii, infra menſem, ſeu bimeſtre à die intentatæ copulæ audiri debet.*

70 *Sed ſi infra d. tempus non reclamet, non erit audienda, ſed credi debebit viro, aſſerenti ſe eſſe potentem.*

71 *Fœmina poſt bimeſtre etiam eſt audienda, quando per certa ſigna intenderet viri Impotentiam probare.*

72 *Secundo, ſi per inſpectionem probet ſe virginem, nec à viro cognitam.*

73 *Immo etiam poſt triennium poteſt reclamare, ſi per inſpectionem probet ſe virginem, & ſimul accedat ſeptima manus propinquorum.*

74 *Quamvis puberes poſſint licite, & valide contrahere poſt annos pubertatis, tamen ſi defectu potentiæ temporalis nequeant perficere copulam, expectandum erit tempus plenæ pubertatis.*

75 *Si vero adhuc copulari non poſſint, aſſignabitur triennium ad experiendum, & copulam perficiendum, quod triennium computatur à die plenæ pubertatis.*

76 *Hermafroditi non poſſunt matrimonium inire, niſi prævaleant in eo ſexu, in quo contrahunt, alias matrimonium erit nullum.*

77 *Sed ſi ſexus ſit æqualis, & neuter prævaleat, poterunt coram Judice Eccleſiaſtico eligere quem maluerint, & in illo contrahere.*

78 *Solutoque eo matrimonio, ſi velint iterum contrahere, non poterunt ſexum mutare, neque in alio contrahere, abſque gravi peccato.*

79 *Quamvis ſi contraherent, matrimonium valeret.*

80 *Si juſta cauſa variare vellent in novo matrimonio, poſſet Epiſcopus diſpenſare, ſi æqualis in utroque ſexu eſſet potentia.*

81 *Parochus non poteſt aſſiſtere matrimonio Hermaphroditi, in quo ſexus æqualis eſt, donec coram Judice Eccleſiaſtico electionem fecerit cum juramento.*

82 *Duo Hermaphroditi Jure naturali, & Divino attento, ſi quilibet æqualem omnino potentiam, & perfectiſſimas habeat operationes utriuſque ſexus, non poſſunt inter ſe contrahere, nec diſpenſari poteſt,* n. 83.

84 *Si Hermaphroditus prævalens ſexu fœminino, uti fœmina nupſerit, & tractu temporis mutetur in virum, matrimonium remanet diſſolutum ſicut per mortem naturalem.*

85 *Vir an poſſit in fœminam mutari, remiſſive.*

86 *Habens teſtes adeo contuſos, ut non poſſit verum ſemen emittere, erit inhabilis ad matrimonium.*

87 *Eunuchi, & Spadones, utroque teſte carentes, matrimonium contrahere prohibentur.*

88 *Sed ſi poſt matrimonium rite contractum vir aliquo caſu factus ſit Eunuchus, non prohibetur copulam, licet imperfectam, exercere.*

89 *Matrimonium contractum cum impotentia perpetua eſt irritum, non ſolum inter Fideles, verum etiam inter Infideles, quia hujuſmodi Impedimentum oritur ipſo Jure naturæ.*

90 *Matrimonium ex impotentia perpetua licet ſit nullum, attamen impediti non prohibentur, ſi velint cohabitare, uti fratres caſto amore conſtricti, dummodo ſeparati quoad thorum, abſtineant ab omni carnis commiſtione, & tactibus impudicis.*

91 *Verum ſi non continerent à tactibus impudicis, & eodem in lecto dormirent, non ſunt tolerandi.*

92 *Et ſi ipſi non poſſent continere, tenentur reclamare, ut authoritate Eccleſiæ diſſolvatur matrimonium, ſi non poſſunt abſque ſcandalo ſeparari.*

93 *Immo tenentur reclamare, quamvis impotens conſcius impotentiæ, uxorem decepiſſet; quia eam non tenetur ob id uti Sororem habere, quod procedit etiamſi ambo impotentiam cognoviſſent, nam haud tenentur tanquam fratres vivere.*

94 *Matrimonium contractum à ſenibus etiam decrepitis, validum eſt, etiamſi nulla arte copulam habere poſſint, quicquid in hac opinione alii ſentiant,* & num. 96.

95 *Senectus in maſculis contingit poſt ſexageſimum annum, & in fœmina poſt quinquageſimum.*

97 *Exempla eorum, qui in decrepita ætate filios genuerunt, afferuntur.*

IMpotentia ad matrimonium eſt duplex; prima, 1
quæ ſterilitas dicitur, efficit, ut proles generari 2
non poſſit; ex ſe tamen matrimonium, nec impe- 3
dit, nec dirimit, ut docent Sanch. *de matrim. lib. 7. diſp. 92. n. 26.* Gutier. *Can. qq. lib. 1. diſp. 92. n. 26.* Coninck *de Sacramentis, diſp. 31. dub. 3. concl. 3. n. 86.* Laym. *Theol. Mor. lib. 5. tr. 10. part. 4. c. 11. in princ.* Bonac. *de matr. q. 3. punct. 13. n. 17.* Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 31. c. 15. n. 103.* Trull. *Oper. Mor. l. 7. c. 9. dub. 17. n. 12. tom. 3.* Steph. à S. Greg. *Univ. tr. de Vinculis Div. Piet. lib. 3. c. 110. n. 7.* Ratio eſt, quia nec generatio, nec generandi poteſtas ſunt de eſſentia matrimonii.

Altera eſt impotentia ad copulam perfecte perficien- 4
dam; & hæc duplex eſt, temporalis, & perpetua: temporalis eſt illa, quæ aliquo humano modo, & 5
ordinaria curatione mederi poteſt; & hæc ſimiliter, nec impedit, nec dirimit matrimonium; perpetua autem impotentia illa dicitur, quæ abſque miracu- 6
lo, & abſque corporali vitæ, graviſſimique morbi periculo, vel abſque peccato, tolli non poteſt; conſtat *ex cap. Fraternitatis 6. de frigid. & malef.* & docent Sanch. *lib. 7. diſp. 93. nu. 8.* Coninck *dicta diſp. 31. dub. 7. num. 85.* Bonac. *de matrim. quæſt. 3. punct. 13. prop. 1. num. 1.* & hæc, ſi matrimonium præceſſerit, illud impedit, & dirimit, non ſolum Jure Ec- 7
cleſiaſtico, ſed Jure ipſo naturæ, tam ſi Impedimentum ſciatur, quam ſi ignoretur; vide Sanch. *lib. 7. diſp. 98. num. 21.* Coninck *d. Diſp. 31. nu. 77. & 78.* Bonacin. *de matrim. quæſt. 3. punct. 13. n. 12.* Laym. *lib. 5.*

lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 13. fere in princ. Aversa. *de Matrim. qu. 13. sect. 1. vers. Dicendum tamen.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 3. nu. 71. & 92.* Steph. à S. Greg. *d. cap. 110. nu. 26.* quicquid in contrarium doceat Pontius *lib. 7. cap. 56.* Ratio est,
8 quia cum essentia matrimonii consistat in perpetua obligatione, & traditione potestatis corporis ad copulam conjugalem, & res naturalis absque sua essentia consistere nequeat, repugnat naturæ matrimonii id validum esse, dum adest impotentia perpetua coeundi; impossibilium enim nulla obligatio, *l. Impossibilium, ff. de reg. Juris, & cap. Non ad impossibile, eodem titulo in 6.* Sperell. *decis. 171. num. 44.* ex quo sequitur, quod deficiente materia ad ma-
9 trimonium, non possit consequenter dari forma, nec super dicto defectu dispensari.

10 Dixi, si impotentia matrimonium præcessit, quia si subsequatur, nec impedit, nec dirimit; dum etenim id fuerit rite contractum, quamvis consummatum non sit, ejus vinculum indissolubile est, constat *cap. Hi qui 25. caus. 32. qu. 7. & cap. Si uxorem 18. dict. caus. 32. qu. 5.* & docent Layman. *d. cap. 11. nu. 3. vers. Nota tertio*; Sanch. *lib. 7. disp. 102. nu. 3.* Filiuc. *d. tract. 10. cap. 3. nu. 101.* adeo ut solum per ingressum in Religionem vel per Pontificis Dispensationem dissolvi possit, ut bene Sanch. *lib. 7. disp. 202. n. 3.* Filiuc. *d. cap. 3. nu. 101.*

11 Ex pluribus causis procedere potest hujusmodi impotentia perpetua ad copulam perficiendam; potest enim accidere ex causa intrinseca, & naturali, ut, respectu fœminæ, si sit nimis arcta, itaut penetrari non possit; vel ex causa extrinseca accidentali, ut ex maleficio; vel respectu viri, ex frigiditate, castratione, nimio calore, ut si in primo conatu congrediendi cum fœmina, statim ac præpropere semen effundit, vel ex abominatione illius particularis mulieris, vel ob naturalem, & intrinsecam debilita-
12 tem, seu defectum, qui fragiditas appellatur; & hæc impotentia, si talis sit, ut reddat copulam impossibilem, & non possit naturalibus remediis juvari, ut habilis reddatur ad copulam perficiendam, dirimit matrimonium; habetur expresse *in d. cap. Laudabilem, de frigid. & malef.* & docent Sanch. *lib. 7. disp. 92. n. 7.* Aversa. *d. qu. 13. sect. 2. vers. Primo*, & præcipue Filiuc. *d. tract. 10. part. 2. cap. 3. num. 62.* Stephanus à S. Gregorio *d. cap. 110. num. 47.*

13 Amplia, ut idem sit, quamvis vir sit potens ad penetrandum vas, sed impotens ad seminandum intra illud, si hoc Impedimentum perpetuum sit, nec possit naturalibus remediis provideri; quia hæc non reputatur vera copula conjugalis, nec Conjuges per eam fiunt una caro, ut bene Sanch. *d. disp. 92. n. 7.* Filiuc. *l. c. num. 63.* Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. 14. §. 2. num. 1.*

14 Quod si sit dubium, an impotentia præcesserit, vel subsecuta sit matrimonium, præsumendum est præcessisse; quamvis enim huic præsumptioni contraria sit dispositio Capituli *Licet ex quadam 47. de testib. & attest.* ubi in fine habetur: *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separa-*
15 *re*; & quamvis regulariter in re dubia judicandum sit in favorem matrimonii; *cap. duobus Judicibus 26. de sentent. & re judicata, d. cap. Licet ex quadam, de testibus*; Sanch. *lib. 1. disp. 18. num. 6.* Paris. *cons. 53. num. 3.* Cævall. *Comm. contr. Comm. qu. 130.* Pontius *lib. 2. cap. 8. n. 15.* Ricc. *in Collect. Dec. d. Collect. 154. p. 3.* Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. 14. §. 2. n. 2.* Tusch. *concl. 128. n. 12. lit. M.* quia in matrimonio inest favor publicus, & proinde semper in dubio illa opinio amplectenda sit, quæ matrimonio favet; Alex. de Nevo *cons. 71. num. 20.* Genuens. *in Practic. Fori Eccles. qu. 737. circa finem.* Escobar. *Theol. Mor. tract. 7. Exam. 9. cap. 2. in fine.* Gutier. *de Matrim. cap. 63. nu. 30.* Mascard. *de Probat. Conclus. 1025. nu. 1.* Meroll. *tom. 1. Disp. 3. cap. 4. Coroll. 4. num. 185.* idque verum sit, licet etiam alia opinio præponderare videretur, Peregr. *de Fideic. art. 24. n. 24.* Fusar. *de Substit. qu. 409. n. 106. in fine*; adeoque si centum Doctores contra matrimonium scriberent, & unus, approbatus tamen, pro ipsius validitate consuleret, huic soli, si probabili rationi in- 16
nitatur, in favorem matrimonii legitime contracti in judicando sit deferendum, nisi illi Textui aperto innitantur, ut docent Diana *part. 4. tract. 4. resol. 30.* Navarr. *in Summa, cap. 27. nu. 287.* Genuens. *in Praxi Archiep. Neapol. cap. 50. nu. 4.* Sperell. *decis. 95. n. 24.* Gutier. *de Matrim. cap. 63. n. 30.* Menoch. *cons. 18. num. 15. vol. 1.* & inclinat Cævall. *qu. 695. nu. 3. & in Præfatione, num. 8.* & innumeri alii, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 1. disp. 18. nu. 7.* Immo Statutum, etiam pœnale, favore matrimonii 17
dicitur favorabile. Tusch. *concl. 128. n. 13. lit. M.* Nihilominus, quicquid in aliis casibus dici possit, in
propositio casu aliter est dicendum, quia tunc in favorem 18
matrimonii est præsumendum, quando matrimonium potest habere effectum suum, nempe exercitium copulæ ad finem primarium gignendi prolem, & secundarium sedandi concupiscentiam; at dum matrimonium non potest suum habere effectum, nec copula exerceri, cum eo casu agatur de præjudicio, & injuria ipsius matrimonii, & dicta impotentia in ejus grave damnum tendat, immo ob illud privetur Conjux potens jure aliud utile matrimonium contrahendi, præsumi debet talem impotentiam præcessisse; maxime si nunquam potuerint Conjuges perficere copulam, & nullis indiciis ostendi possit, quo tempore sit contracta impotentia: Et hanc opinionem, tanquam magis probabilem, defendunt Bonac. *de Matrim. qu. 3. punct. 13. num. 11.* Mascard. *de Probat. concl. 1025. nu. 3.* Layman. *l. c. num. 3. in fine.* Alphons. à Vera cruce *part. 1. Speculi, art. 40. concl. 3.* testans de communi.

Distinguunt aliqui, & satis bene, ab illa natura- 19
li impotentia, quæ ex arctitudine, & frigiditate procedit, ab alia, quæ ex maleficio, seu abscissione insurgit: quia primo casu, cum impotentia sit naturalis, solet esse perpetua, unde eam præcessisse sit 20
præsumendum; at secundo casu, si maximum tem- 21
pus intercessisset à contractu matrimonii ad copulam intentatam, præsumi debere hujusmodi impotentiam fuisse subsecutam, at si vero conatus ad copulam fuisset habitus paulo post matrimonii contractum, adhuc præsumi impotentiam præcessisse; sic Sanch. *lib. 7. disp. 103. nu. 45.* Filiuc. *d. cap. 3. n. 104.* Trullenck *d. dub. 17. num. 21.* qualiscunque autem sit Impotentia.

Adverte, non esse credendum Conjugibus, instan- 22
tibus pro dissolutione matrimonii; nec sufficiet, si ambo Impedimentum confiteantur, quia in causa matrimonii non statur simplici Litigantium confessioni, *cap. Super. eo 5. De eo qui cognovit consanguineum &c.* Hieronym. Palm. *cons. 87. nu. 1.* Sanchez *lib. 2. disp. 45. nu. 33.* Seraph. *decis. 687. num. 7.* Alphons. à Vera Cruce *in Spec. part. 3. art. 8. vers. Secundo casu*; Piasec. *in Praxi Episc. part. 2. cap. 4. n. 36.* Tusch. *concl. 154. n. 33. lit. M.* Rot. inter impressas post secund. Volum. Consil. Farinacii, *dec. 86. nu. 3.* Rot. inter impressas post primum Volum. dictor. Consil. *decis. 69. nu. 4.* nec est in potestate Conjugum matrimonium dissolvere. Navarr. *lib. 4. Consil. titul. de Sponsa. cons. 8. num. 3. in prim. edit.* Menoch. *de Præsumpt. lib. 3. Præsumpt. 1. num. 12.* Sanch. *l. c.* Tusch. *concl. 154. nu. 26. lit. M.* At si pro matrimonio stent, credendum est illis, *cap. Si duo 4. caus. 35. quæst. 6.* Menoch. *de Arbitr. Jud. casu 103. num. 9.* Mascard. *de Probat. concl. 392. num. 2. & concl. 1033. num. 23. & concl. 1131. num. 5.* Sed quia dissolutio matrimonii est res gravissima, Sanch. Pontius, Coninck & Laymanus à nobis *lib. 1. cap. 4.* 23
n. 315. citati, propterea in casu quo Conjuges con- 24
corditer pro dissolutione matrimonii stent, debet citari Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis. Sperell. & alii Doctores, quos præsenti *lib.* supra citavimus, & ulterius assignandum est triennium ad ex- 25
periendum, nisi de Impedimento perpetuo certe constet, ut mox dicemus.

Verum si impedimentum, quocum matrimonium 26
fuit initum, sit certum, & evidens, nec possit aliquo humano remedio juvari, ut si, v. g. vir utro-

que

que teste careret, vel ejus virilia amputata, seu arida essent, matrimonium erit dissolvendum absque ulla mora, & experientia; quia cum de impotentia perpetua certo constet, esset contra legem naturalem permittere conatum ad copulam. *Gloss. in cap. Fraternitatis 6. de frigid. & malef.* Filiuc. *d. tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 3. *nu.* 106. Mascard. *de Probat. conclus.* 311. *nu.* 4. Avers. *d. sect.* 5. *in princip.* Trullenck *l. c. num.* 16. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 103. *num.* 8. Sperell. 27 *decis.* 141. *num.* 37. Rot. inter impressas post prim. Volum. Consil. Farinacii *decis.* 75. *nu.* 1. Palaus *tom.* 5. *disp.* 4. *punct.* 14. §. 9. *num* 3. At si non appareant signa evidentia hujusmodi perpetuæ impotentiæ, etiam in casu maleficii, de quo infra agemus, tunc à Judice Ecclesiastico triennii terminus assignatur ad experiendum, *d. cap. Laudabilem 6. de frigid.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 108. *n.* 5. Coninck *nu.* 83. Trullenck *nu.* 22. *ll. cc.* & alii communiter; 28 quod triennium incipit currere, & computari debet à die intentatæ copulæ, juxta doctrinam Sanchez *lib.* 7. *disp.* 110. *n.* 1. *& num.* 4. Coninck *disp.* 31. *num.* 83. Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 112. Trullenck *d. dub.* 17. *nu.* 22. Bonac. *d. punct.* 13. *nu.* 21. 29 Nec requiritur, quod hoc tempus sit mathematice continuum, sed morali modo, & civili, juxta communem cursum; & proinde si vir fuisset absens, v. gr. uno mense, posset is ultra triennium compensari, & adjici tantum temporis. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 111. *num.* 2. Filiuc. *nu.* 113. & Trullenck *ll. cc.* Immo poterit Judex, post decretum factum assigna- 30 tionis triennii, arbitrari aliquod præcisum, & brevius tempus ad cohabitandum, & copulæ insistendum, eo casu, quo Conjuges post plures annos cohabitassent, & copulam intentassent. Rot. *decis.* 277. *nu.* 15. *part.* 4. *divers.* quæ est *decisio* 27. *nu.* 10. *post pr. Volum. Concil.* Farinaccii, *paulo ante Additiones*, & sic pluries fuit decisum à Rota, & remissum arbitrio Judicis; vide *decis.* 192. *à nu.* 3. *& dec.* 226. *nu.* 1. *inter impressas post* 2. *Volum. Cons.* 31 Farinaccii. Excipe, nisi Impedimentum esset maleficium, quia tunc nullo pacto potest coarctari triennium, cum assignetur pro fama *in d. cap. Laudabilem*, *de frigid.* ut animadvertit Rot. *decis.* 192. *num.* 6. *post dictum secundum Volumen Consilior. Farinaccii*. Palaus *d. punct.* 14. §. 9. *num.* 6.

32 Quod si termino elapso, nulla secuta sit emendatio, Judex Ecclesiasticus recipiet juramentum ab ipsis, quod licet multoties conati fuerint copulam habere, numquam perficere potuerunt, *c. fin. de frigid. & malef.* & tunc 33 juxta formam dixi *Cap. Laudabilem*, requiritur septima manus Propinquorum, hoc est, ut accedant septem Propinqui ex parte viri, & totidem ex partem mulieris; & si non adsint tot Propinqui, suppleatur numerus ex Vicinis probæ vitæ, ac famæ, vel si tot non sint, saltem quot possint haberi, qui jurare debent se credere dicere veritatem, & se ipsos etiam credere dictos Conjuges esse vere impotentes, ita Sanch. *lib.* 7. *disp.* 108. *num.* 11. Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 106. Trullenck 34 *l. c. num.* 27. Si tamen unus Conjugum allegaret suam impotentiam, & hæc ab altero negaretur, tunc onus probandi incumbet alleganti, & nisi impotentiam probet, matrimonium non erit dissolvendum, 35 quia isto casu possessio stat pro matrimonio, donec contra ipsum non fuerit plene probatum; & si fœmina asserat se cognitam à viro, ei potius, quam 36 viro neganti credendum est, quia in dubio favendum est matrimonio, ut bene Filiuc. *d. cap.* 3. *nu.* 109. Palaus *d. punct.* 14. §. 9. *n.* 7. Sanch. mox citandus; quod si vero fœmina non esset virgo, quo- 37 modo sit probanda impotentia viri, consule Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. per totam.

38 Cæterum si post sententiam nullitatis matrimonii, ob Impedimentum reputatum perpetuum in viro, fœmina alii nupsisset, & postmodum dictus primus vir cum alia fornicatus esset, vel aliud matrimonium contraxisset, & consummasset, erit quidem primum matrimonium instaurandum; sed, donec legitime probatum sit primum virum esse potentem, poterit in hoc secundo, matrimonio pacifice relinqui, quia potentia primi viri adhuc est dubia, & de secundo matrimonio certo constat. & esset validum, nisi potentia dicti primi Conjugis verificaretur, vide Sanchez *lib.* 7. *disp.* 99. *nu.* 9. Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 96.

At si impotentia ex maleficio procedat, debent 39 fieri Orationes, & approbati Exorcismi triennio durante; & si illo transacto adhuc impotentia duret, dissolvendum erit matrimonium, quod si per sententiam Ecclesiæ fuisse dissolutum ob impotentiam cor- 40 respectivam, nempe eo quia ob maleficium esset impeditus respectu certi, & particularis matrimonii cum præcisa persona, non erit ulterius restaurandum, quamvis postea cum aliis personis absque ullo Impedimento copulentur; constat *cap. fin. caus.* 33. *qu. prim.* quia maleficiatus est regulariter impotens respectu illius præcisæ personæ; ergo cum sit potens quod alias, non prohibetur illas ducere, nec tenetur ulterius ad priorem Conjugem redire, à quo ob impotentiam perpetuam respectu ipsius fuit Ecclesiastica sententia separatus; si tamen dissolutum fuerit matrimonium ex quo impeditus fuerit exisi- 41 matus habere impedimentum ex maleficio cum quacunque persona, & postea compertum sit aliud matrimonium injisse, & consummasse, vel alia persona fornicatum fuisse, tunc primum erit restaurandum; & si infra triennium copulam perficere non 42 possit cum primo Conjuge, erit matrimonium dissolvendum, absque ulla spe illud ulterius instaurandi, quamvis cum aliis fornicaretur; Ita docent Sylvester *verba Matrim.* 8. *quæst.* 16. *dict.* 8. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 99. *num.* 35. Tancredi *de Matr. lib.* 7. *disp.* 69. *qu.* 3. *numer.* 7. Avers. *de Matrim. dict. sect.* 5. *in fine*. Pont. *de Matr. lib.* 7. *cap.* 65. *n.* 6. Si tamen dissoluto ob dictam causam maleficii ma- 43 trimonio, copulam inter se haberent, dictum matrimonium erit restaurandum, quia Ecclesia fuit decepta; vide Sanchez *nu.* 25. Tancredi *num.* 8. Filiuc. *num.* 98. *locis citatis*. Intellige tamen, ut durante termino assignato, secundus Conjux, qui post dis- 44 solutum primum matrimonium cum Conjuge impedito, contraxit, non possit aliud matrimonium inire, sed debebit expectare, & sic debebit Judex illum interdicere; quia si completo triennio primi conjuges adhuc non potuissent perficere copulam, esset dictus cum prima impeditus huic secundo matrimonio restituendus; immo si dictus secundus Conjux, non servato interdicto, aliud matrimonium contraxisset, deberet separari. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 99. *n.* 36. Tancredi *lib.* 7. *disp.* 99. *nu.* 14. *quæsito* 15.

Porro non desunt, quæ circa materiam sint adnotatione digna;

Et primo adnotandum, non sufficere ad consti- 45 tuendum Impedimentum perpetuum, carentia unius testis in viro, qui si uno tantum careat, validum est matrimonium, cum verum semen ad generationem aptum hinc emitti possit. Sanch. *citato lib.* 7. *disp.* 92. *n.* 14. *& sequent.* Trullenck *l. c. n.* 11. Bonac. *de Matr. q.* 3. *puncto* 13. *n.* 19. Filiuc. *d. c.* 3. *n.* 36.

Nota secundo, quod si post matrimonium, ob im- 46 potentiam perpetuam, per sententiam Judicis Ecclesiastici dissolutum, impeditus miraculose sanaretur, non erit matrimonium sic prius dissolutum ulterius instaurandum, cum vere dictum matrimonium nullum fuerit, nec per miraculum subsecutum instauretur, quia in his non sunt expectanda miracula; unde si Conjuges velint in dicto matrimonio rema- 47 nere, opus erit de novo matrimonium contrahere. Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 5. *c.* 11. *n.* 1. *Corollario sec.* Filiuc. *d. cap.* 3. *n.* 69. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 93. *n.* 20. Avers. *l. c. vers. Sed etiamsi*. Sperell. *decis.* 141. *n.* 38.

Nota tertio, quod si dubium sit, an impotentia 48 perpetua vere subsit, necne, & adhibita sufficienti diligentia adhuc remanet dubium, isto casu potius præsumi debet non subesse Impedimentum, & validum esse matrimonium; ratio est, quia matrimo- 49 nium possidet, & est certum, at de Impedimento dubitatur, & proinde matrimonio est favendum. Bonac. *l. c. n.* 11. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 103. *n.* 8. Palaus *tom.* 5. *disp.* 4. *puncto* 14. §. 7. *n.* 7.

Nota quarto, illud Impedimentum censeri perpetuum, quod absque peccato amoveri potest, v. gr.

v. gr. absque alio novo maleficio, quia id censetur impossibile, quod absque peccato non potest auferri, Filiuc. *l. c. n.* 81. cum non liceat requirere Maleficum, ut opus illicitum exerceat, nisi Maleficus cognosceret multa media, inter quæ essent aliqua licita, ut idem Filiuc. ubi supra *n.* 83. & quod jure non possumus, id absolute non posse censemur. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 94. *num.* 9. Unde si consuetis, & ab Ecclesia permissis Exorcismis, vel arte Medica, Impedimentum non possit tolli, censetur esse perpetuum, & matrimonium cum illo contractum esse nullum. Quod verum est, quamvis etiam cum evidenti periculo vitæ tolli possit, quia adhuc censetur impossibilis curatio, & Impedimentum perpetuum: vide Sanch. *lib.* 7. *disp.* 93. *num.* 18. Bonac. *d. quæst.* 3. *puncto* 13. *num.* 1. 2. & 8. Filiuc. *tractat.* 10. *cap.* 3. *num.* 68. & 69. Layman. *l. c. num.* 1. *vers. Nota autem.* Avers. *d. q.* 13. *sect.* 3. Trullenck *d. dub.* 17. *nu.* 6. Tancredi *d. disp.* 93. Amplia ut sit nullum, quamvis etiam impeditus vellet medicamenta accipere, & periculo vitæ se exponere. Sanch. *d. disp.* 93. *nu.* 20. Tancredi *quæst.* 2. *n.* 12. *l. c.* Amplia insuper, quamvis periculo vitæ se exposuerit, & incolumis evaserit, quia nihilominus erit in electione Conjugum, an velint in dicto matrimonio remanere, illudque ratificare, vel alias nuptias inire, cum dictum matrimonium nullum fuerit. Sanch. *l. c. num.* 19. & *d. num.* 20. Filiuc. *d. num.* 68. nec tenetur eo casu alter expectare, ut Conjux aptus Conjugio reddatur, sed liber est à matrimonio. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *num.* 1. *Coroll.* 1. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 93. *num.* 20. Coninck *disp.* 31. *dub.* 7. *nu.* 85. At si absque periculo vitæ possit reddi apta judicio Medicorum ad matrimonium, quamvis cum magno dolore, valebit matrimonium, & tenebitur impedita incisionem pati. Sanch. *d. disp.* 93. *n.* 32. & 34. *l. c.* Filiuc. *l. c. n.* 70. Et si per Exorcismos, & Orationes liberetur, non dicetur hoc casu Impedimentum auferri per miraculum, cum adhibeatur modus ordinarius, & regulatus. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 94. *n.* 10. Avers. *l. c. vers. Satis tamen.* Steph. à S. Greg. *univ. Tract. de vinc. Divinæ Pietat. lib.* 3. *cap.* 110. *num.* 17.

Nota quinto, quod si causa cognita, & matrimonio per Judicis sententiam dissoluto ob impotentiam viri, vel arctitudinem fœminæ, postea vir tractu temporis aliquo ordinario modo potentiam acquisiverit, restaurandum erit dictum matrimonium. *cap. Fraternitatis 6. de frigid. & malef.* quia cum impotentia fuerit temporalis, matrimonium illud fuit validum, nec potuit absque speciali Dispensatione Papæ, vel sine Religionis ingressu (cum non fuerit consummatum) dissolvi. Sanch. *l.* 7. *disp.* 99. *n.* 5. & *disp.* 102. *n.* 3. Avers. *d. sect.* 5. *vers. Dicendum tamen.* Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 101. Consimili ratione, si fœmina à viro separata ob arctitudinem quæ judicio Peritorum non potuit tolli absque periculo vitæ, fuisset postea cognita à viro consimili, restaurandum erit matrimonium, probata prius in Foro Ecclesiæ consimilitudine secundi viri cum primo, quia impotentia non erat perpetua, cum judicari debeat potuisse aliqua ordinaria arte juvari, ut à primo quoque cognosceretur, dum consimilis, secundo erat. Sanch. *d. disp.* 99. *nu.* 18. Sylvester *verbo Divortium, quæst.* 18. *nu.* 21. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 96. Avers. *l. c.* Tancredi *lib.* 7. *disp.* 99. *num.* 1. Trullenck *l. c. n.* 31. Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 11. *n.* 5. *in fine*. Intelige tamen, si primum matrimonium dissolutum fuisset, non ratione arctitudinis absolutæ, sed tantum correspectivæ; quia si fuisset dissolutum ob absolutam arctitudinem, omne quod ineatur matrimonium, nullum erit. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 99. *nu.* 17. Filiuc. *d. cap.* 3. *n.* 97. Trullenck *d. nu.* 31. ut sit restaurandum matrimonium, si à viro consimili cognita sit, quia si vir magis fortis, & potens illam penetrasset, tenebit matrimonium cum potentiori contractum. Sanch. *n.* 18. *l. c.*

Nota sexto, quod si Judici Ecclesiastico constitisset de Impedimento, & perpetua impotentia ad coeundum, quæ nulla possent humana arte tolli per relationem Matronarum, & alias legitimas probationes, & Peritorum attestationes, unde, recepto Juramento à manu Propinquorum, matrimonium dissolutum fuisset; at post debitam experientiam, & diligentiam, latamque sententiam de nullitate matrimonii, & impotentiam judicatam perpetuam, & insuperabilem, appareret Conjuges sic separatos esse potentes; si quidem ipsi malitiose finxerint se impotentes, suaque fraude, & dolo Ecclesiam deceperint, tunc, tam in foro conscientiæ, quam in foro fori, debebit primum matrimonium, tanquam validum, ac indissolubile, restaurari; & si aliud matrimonium contraxissent, erit nullum, & invalidum, & sic declarari debebit: constat *ex d. cap. Laudabilem, de frigid. & malef. & cap. Requisivisti.* 2. *causa* 33. *quæst.* 1. & docent Avers. *d. quæst.* 13. *sect.* 5. *vers. Octavo demum*; Layman. *l. c. n.* 5. ubi etiam docet, posse Conjugem innocentem respuere alium, qui malitiose aliud Conjugium non sine scelere iniit, quoad thorum, & habitationem.

Verum si Conjuges, non malitiose, sed bona fide, non potentes habere copulam, putarunt suam impotentiam esse perpetuam, & insuperabilem, probatoque Impedimento, & servatis servandis, nullitate matrimonii declarata, postea temporis lapsu, modo aliquo ordinario, potentiam acquisiverunt, tunc restaurari debebit primum matrimonium, secluso casu maleficii respectu certæ personæ, de quo supra diximus; sic Avers. *l. cit. vers. Dicendum tamen*; Sanch. *d. disp.* 17. *n.* 24. Quod rite procedet, quamvis etiam unus ex Conjugibus fuisset Sacris Ordinibus initiatus, quia vere matrimonium fuit validum; hoc tamen casu non poterit sic Ordinatus petere, sed tenebitur reddere; eo quod voto Castitatis adstrictus sit; quod si uterque in Religione professus sit, valida erit Professio, cum matrimonium ratum fuerit per Religionis ingressum dissolutum; si vero alter solum professus sit, & alius matrimonium contraxit cum alia persona, hoc secundum matrimonium validum est, quia per Professionem primi Conjugis fuit dissolutum primum matrimonium ratam; *cap. Fraternitatis de frigid. & malef.* & docent Sanch. *d. disp.* 99. *num.* 37. Bonacin. *de Matrim. q.* 3. *puncto* 13. *nu.* 23. Trullenck *d. dubio* 17. *num.* 24. Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 100.

Nota septimo, quod si signa impotentiæ sint tantum præsumptive probantia, & consequenter impotentia dubia, licet uterque Conjugum Impotentiam fateatur, non est illis credendum, *Cap. super eo* 5. *De eo qui cognovit consanguineam* nisi concurrat etiam fama de Impedimento. Piasec. *in Praxi Epis. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 36. *vers. Confessio autem*, Genuens. *in Praxi Curiæ Neapolitanæ cap.* 21. *num.* 11. & in omnem casum, ad colusiones, & fraudes evitandas, citandus erit Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis, ut docent Genuens. *l. c. num.* 17. Sperell. *decis.* 141. *n.* 48. & nos diximus supra *cap.* 10. *n.* 75. unde debebit eo casu assignari triennium ad experiendum, cum eorum confessio non sit vera probatio, nec sit in eorum potestate matrimonium dirimere. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 108. *n.* 5. Trullenck *l. c. n.* 27. Piasecius *l. c. n.* 36. At si Impotentia non sit certa, sed fœmina illam affirmat, & vir negat, tunc si fœmina reclamet initio matrimonii infra mensem, seu infra bimestre à die intentatæ copulæ, audiri debet, *cap. Accepisti primo de frigid.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 109. *n.* 2. Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 108. Trullenck *d. dub.* 17. *nu.* 27. Si vero infra dictum tempus non reclamet, ut supra, non erit audienda, sed credi debebit viro asserenti se esse potentem, pro quo est præsumptio, cum unusquisque in dubio præsumatur potens ad generandum, vide Sanch. & Filiuc. *ll. cc.*

Sunt tamen nonnulli casus, in quibus etiam post bimestre fœmina est audienda. Primo, si per certa signa intenderet viri Impotentiam probare. Secundo, si per inspectionem probet se virginem, nec à viro cognitam; immo etiam post triennium potest reclamare, si per inspectionem probet se virginem, & simul accedat septima manus Propinquorum. Filiuc. *d. cap.* 3. *n.* 109.

74 Nota

74 Nota octavo, quod quamvis Puberes possint licite, & valide contrahere post annos pubertatis, scilicet post decimumquartum in masculo, & duodecimum in fœmina, quando tamen defectu potentiæ temporalis non possent perficere copulam, expectandum erit tempus plenæ pubertatis, quæ in masculo est decimoctavo, & in fœmina in decimoquarto
75 completis. Filiuc. *l. c. nu.* 87. At si adhuc copulari non possint, assignabitur triennium ad experiendum, & copulam perficiendum; quod triennium computari debebit à die plenæ pubertatis, quia illuc usque est præsumptio, quod Impotentia orta sit ex naturæ debilitate. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 110. *num.* 10. Filiuc. *d. cap.* 3. *numer.* 112. Coninck *disput.* 31. *dub.* 7. *num.* 84.

76 Nota nono, Hermaphroditos non posse matrimonium inire, nisi prævaleant in eo sexu, in quo contrahunt; alias nullum, & irritum erit matrimo-
77 nium; at si sint sexus æqualis, & neuter prævaleat, poterunt coram Judice Ecclesiastico eligere quem maluerint, & in illo contrahere. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 106. *num.* 4. *&* 6. Bonac. *d. puncto* 13. *numer.* 27. Coninck *d. disp.* 31. *nu.* 89. Filiuc. *d. cap.* 30. *n.* 90. Verricel. *de Missionib. Apost. q.* 196. *num.* 31. *&* 32.

78 Si tamen soluto eo matrimonio velint de novo contrahere, non poterunt sexum mutare, nec in alio
79 sexu, absque gravi peccato, contrahere; quamvis si contraherent, matrimonium valeret, ut concludunt præcitati Doctores; si tamen justa causa sua-
80 dente variare vellent in novo matrimonio, posset etiam Episcopus, si æqualis potentia sit in utroque sexu, dispensare; vide dictum Verricell. *l. c. n.* 38.

81 Nec poterit Parochus assistere matrimonio Hermaphroditi, in quo uterque sexus æqualis est, donec coram Judice Ecclesiastico cum juramento fuerit facta electio sexus, in quo velit contrahere; quia, sicut alibi diximus, cognitio Impedimentorum non spectat ad Parochum; sed si ipse sciat, vel sibi denuncietur, contrahere volentem esse Hermaphroditum, non potest assistere matrimonio, nisi sciat fuisse factam dictam sexus electionem, & consequenter fuisse per Ordinarium captas debitas informationes, & causa cognita, concessam licentiam assistendi; & si Hermaphroditus contrahet in uno sexu, & prævaleret in alio, nulliter, & invalide contraheret, ut concludunt præcitati Doctores.

82 Duo Hermaphroditi jure naturali, & Divino attento, si quilibet æqualem omnino potentiam, & perfectissimas habeat operationes utriusque sexus, adeo ut pariat, & gignat, non possunt inter se matrimonium contrahere. Avers. *quæst.* 13. *sect.* 2. *vers. Quinto* Verricell. *l. c. num.* 40. quia natura non potest duplici operationis esse intenta, & naturaliter repugnat requiri in uno, eodemque corpore, eodem tempore, duo excrementa, nempe menstrui, quo fœtus alitur, & spermatis virilis; ergo talis modus contrahendi matrimonium repugnat fini naturali ejusdem matrimonii, qui est generatio prolis, cum sit contra matrimonii naturam, quæ est ut contrahatur inter unum, & unam; hoc autem promiscuum Conjugium æquivalenter esset inter duos, & duos; ergo hu-
83 jusmodi matrimonium nullum, & irritum est, nec ullo modo dispensabile. Memini legisse penes dictum Verricell. *d. q.* 196. *num.* 14. *in fine*; de Androgymis, qui seipsos ineunt, & ex se concipere possunt; & penes Avers. *d. q.* 13. *sect.* 4. *in principio*, singularem casum, quo eveniente matrimonium rite contractum, & consummatum dissolvitur, nempe, ob
84 mutationem sexus, v. gr. Hermaphroditus, qui tempore contracti matrimonii in sexu fœmineo vigens, uti fœmina nupsit, tractu temporis mutetur in virum, itaut ipse non possit amplius uti fœmina copulari, sed ipse, ut vir possit habere copulam; & proinde cum matrimonium non possit consistere, nisi inter virum, & fœminam, non poterit quidem constare ex duobus viris, nec unus vir poterit esse uxor alterius viri; unde concludit idem Doctor, eo casu solvi matrimonium, sicut post mortem naturalem.

85 Ante casus possit dari casus, ut vir in fœminam convertatur, fusissime disputat Verricell. *d. q.* 196. *dub.* 10. *num.* 85. omnino videndus.

Illi etiam, qui habent testes ita contusos, ut ve- 86
rum semen emittere non possint, sunt ad matrimonium inhabiles. Bonac. *d. q.* 3. *num.* 19. Trullenck *l. c. nu.* 11.

Sic pariter Eunuchi, & Spadones, qui utroque 87
teste carent, licet etiam aliquem humorem aqueum emittant, cum tamen verum semen non sit; matrimonium contrahere prohibentur, nec de hoc dubitari potest, cum fuerit ita definitum à Sixto V. Summo Pontifice Anno 1587. & ita rescriptum ad Nuncium Apostolicum Hispaniis residentem; his verbis: *Conjugia per Eunuchos, & Spadones utroque teste carentes, &c. nulla, & irrita, ac invalida esse decernas, idque etiamsi fœmina conscia illius defectus, cedere velit Juri suo.*

At si post matrimonium rite contractum, aliquo 88
casu vir factus sit Eunuchus, hujusmodi copulam imperfectam, cum immissione non veri seminis exercere non prohibetur; aliud enim est non posse Matrimonium contrahere cum dicto Impedimento, & aliud est, post illud rite contractum eo uti.

Nota decimo, matrimonium cum impotentia per- 89
petua contractum, non solum esse nullum inter Fideles, ut diximus, sed nullum, & invalidum esse etiam inter Infideles, quia cum hujusmodi Impedimentum oriatur ipso jure naturæ, obligat etiam inter Infideles, vide Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 73. *in fine.*

Nota undecimo, quamvis matrimonium ex Impo- 90
tentia perpetua nullum sit, ut diximus, attamen non prohiberi impeditos fraternæ societatis vinculo, & casto amore constrictos, inter se, si ita eligant, vivere, & cohabitare uti Fratrem & Sororem, separatos quoad thorum, abstinentes tamen ab omni carnis commixtione, & tactibus impudicis; ita decrevit Lucius III. *c. Consultationi* 4. & Cœlestinus III. *cap. Laudabilem* 5. *de frigid. & Malef.* & Sixtus V. in motu proprio *de Matrim. Eunuchorum* de Anno 1587. de quo meminit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 92. *num.* 17. & docent idem Sanch. *lib.* 7. *disp.* 97. *num.* 4. Coninck *l. c. n.* 83. Bonac. *de Matrim. q.* 3. *puncto* 13. *num.* 20. Layman. *l. c. n.* 4. Avers. *vers. Ad quintum l. c.* Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 44. Trullenck *l. c. num.* 18. 91
Verum si non continenter à tactibus impudicis, vel in eodem lecto dormirent, nullo modo sunt tolerandi; at si ipsi non possint continere tenentur reclamare, 92
ut Ecclesiæ auctoritate matrimonium dissolvatur, si non possint absque scandalo separari; vide Filiuc. *l. c.* ubi ex doctrina Sanch. ampliat, ut teneantur eo casu 93
reclamare, ut supra, licet impotens suæ impotentiæ conscius fœminam decepisset, neque enim propterea tenetur eam uti Sororem habere, & alere; immo & idipsum procedere contendit, si ambo suam Impotentiam cognovissent, neque enim tenetur tanquam fratres convivere.

Tandem remanet adnotandum, quæstionem esse in- 94
ter Doctores, an matrimonia à senibus contracta valida sint, maxime quia de Jure communi post sexaginta 95
annos masculi, & post quinquaginta fœminæ non præsumantur apti ad generationem, ut concludunt plures Doctores, quos refert, & sequitur Trentacinque *Var. Resol. lib.* 1. *de verb. signif. resol.* 4. *n.* 2. & ob id *ex l. Propeja* ipsis jus connubii denegetur. *l. penult. C. de nuptiis*; Soac. *super instit. tit.* 10. *de Sponsa. part.* 2. *requisit.* 3. *num.* 8. In qua re magis communis sententia est, quod si sint ita exhausti nullo modo, nec ulla Medicinæ arte copulam habere possint, nulliter, & invalide contrahant; favet Glossa communiter recepta *in cap. Quod sedem* 2. *de frigid. & malef.* ita expresse docent Bonac. *de Matr. d. puncto* 13. *num.* 10. Avers. *quæst.* 13. *sect.* 2. *vers. Octavo possunt.* Sylvest. *verbo Matrimonium* 8. *q.* 16. *dicto tertio*, & innumeris citatis hanc doctrinam docet Sanch. *lib.* 7. *disp.* 92. *n.* 24.

Quamvis tamen dicta opinio sit magis communiter 96
recepta, & valde probabilis, tamen verius existimo valida esse hujusmodi matrimonia à senibus, etiam decrepitis contracta, dummodo ex aliquo defectu, præterquam senectutis, impotentia perpetua non laborent, quia senex semper retinet habitu intrinsecam poten-

potentiam ſeminandi intra vas, quamvis per accidens impedita ſit ob ſenectutem, comprobatur ex uſu communi Eccleſiæ, quæ nulli ſeni (niſi aliud obſtet) matrimonium denegat; & ſic ſemper contraxiſſe vidimus, & Eccleſiam hujuſmodi matrimonia non denegaſſe, ſed publice permiſiſſe, & nil in contrarium ſtatuiſſe, prout credi, & præſumi poteſt; quod ſi hujuſmodi matrimonia eſſent invalida, non fuiſſent permiſſa; & ſi de validitate iſtorum matrimoniorum dubitari poſſet, quot dubia, & ſcrupuli inſurgerent; vide Navarr. *lib.* 4. *Conſilior. titul de Sponſ. conſ.* 15. *in prima editione*. Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 74. *&* 75. Rot. *in Noviſſimis, deciſ.* 20. *nu.* 25. coram Merlin. Donat. Ant. de Marin. *Reſol. Quotid. lib.* 1. *cap.* 87. *nu.* 4. Fragoſ. *Regim. Chriſt. Reipub. part.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 6. *nu.* 30. *verſ. His tamen non obſtantib.*

Plura inſuper exempla perſonarum, quæ in decrepita ætate filios genuerunt, refert Tiraquell. *de Legib.*
97 *connubialib. leg.* 6. *n.* 22. Menoc. *de Præſumpt. Præſumpt.* 46. *num.* 28. ex quibus habetur Maximiſſam in 86. ſuæ ætatis anno filium genuiſſe; Uladislaum Poloniæ Regem ann. 90. duos filios generaſſe, Catonem ann. 88. alterum Catonem filium habuiſſe: & de aliis etiam, qui in decrepita ætate filios ſuſceperunt, meminit idem Menochius *de arbitr. caſu* 89. *à num.* 55. Et hæc quoad hujuſmodi impedimentum impotentiæ percurriſſe ſufficiat, cum in illo non diſpenſetur; ſi enim matrimonium contractum ſit cum impotentia temporali, valet, nec ulla ob id requiritur Diſpenſatio; quod ſi contractum cum impotentia perpetua ſit, nullum, & irritum eſt, nec poteſt Diſpenſatione aliqua validari. Si quis tamen velit totam materiam optime digeſtam habere, conſulat Sperell. *tota deciſ.* 141.

CAPUT XVIII.

An ſuper Impedimentis Raptus Diſpenſatio neceſſaria ſit.

SUMMARIUM.

1 *Pœnæ contra Raptores, quæ ſint de Jure Civili.*
2 *Quæque de Jure Canonico, & ex S. Concilio Tridentino,* & num. 10.
3 *Plura requiruntur ad hoc, ut Raptor incurrat pœnas à Jure Civili inflictas, quibus non concurrentibus, Raptor punitur pœna extraordinaria.*
4 *Ad hoc, ut Raptus proprie pro foro externo conſtituatur, & pœnis rigoroſis locus ſit, plura requiruntur; & primo, quod fiat cum violentia, vel metu violentiæ.*
5 *Secundo, ut mulier rapiatur cauſa explendæ libidinis; & ſi Raptor noluit, cum poſſet habere copulam, extraordinarie puniendus eſt.*
6 *Tertio, requiritur traductio mulieris de loco ad locum, eo animo, eam è domo abducendi, licet ad locum deſtinatum poſtea ducere non potuerit.*
7 *Quarto, ut mulier rapta ſit honeſta, nec refert ſi ſit ſoluta, ſive vidua, vel conjugata.*
8 *Ad effectum conſtituendi matrimonii impedimentum ſufficit ſimplex Raptus.*
9 *Inter Raptorem, & Raptam, quandiu ipſa in poteſtate Raptoris manſerit, nullum poterit conſiſtere matrimonium, ex Concil. Trid.*
11 *Sed ſi ponatur in loco tuto, & in matrimonium conſentiat, validum erit matrimonium, licet ante Concilium Tridentinum ſemper impediretur Matrimonium,* & num. 12.
13 *Ob ſimplicem Raptum non requiritur Diſpenſatio ad contrahendum, quia ſi maneat in poteſtate Rapientis, ejus conſenſus non præſumitur liber; ſi vere ſit conſtituta in loco libero, poterit conſentire, & ceſſabit impedimentum.*
14 *In locis, in quibus viget conſuetudo, ut hujuſmodi matrimonia non contrahantur abſque Diſpenſatione, poteſt Epiſcopus diſpenſare.*
15 *At ſi abſque Diſpenſatione contraherent, peccarent, ſed tamen matrimonium eſſet validum.*
16 *Ob ſimplicem Raptum, licet non requiratur Diſpenſatio ad contrahendum, requiritur tamen licentia Ordinarii, ad quem ſpectat cognoſcere de cauſa Raptus, & an Concilii diſpoſitio ſit adimpleta, quoad dotem Raptæ conſtituendam.*
17 *Ad conſtituendam dotem Raptæ, quoad quantitatem, relinquitur arbitrio Ordinarii, qui debet reſpicere ad qualitatem perſonarum, conditionem earumdem, & ad injuriam illatam mulieri Raptæ.*
18 *Raptor tenetur de Jure naturæ dotem conſtituere mulieri raptæ, aliaque damna reſarcire, nulla expectata Judicis ſententia.*
19 *Si ob aliud impedimentum dirimens neceſſaria eſſet Pontificis Diſpenſatio, Delegatus non poterit devenire ad executionem, donec dos ei non fuerit conſtituta, & adimpleta, quæ à Pontifice demandata erunt, & quomodo conſtare debet de dotis conſtitutione.*
20 *Ad dotis conſtitutionem tenetur, non ſolum Raptor, ſed etiam omnes, qui conſilium, auxilium, & favorem eidem præbuerunt.*
21 *Immo ſi ſcienter, & doloſe in hoc deliquerint, capitali ſupplicio ſubjiciuntur.*
22 *Nec ab hujuſmodi obligatione liberantur, quamvis Rapta eſſet dives, nec egeret, aut ipſa ſua ſponte ipſam dotem remitteret, & de ratione,* num. 23.
24 *Rapta non poterit licite poſt conſtitutam dotem, & factam Diſpenſationem, ac matrimonium contractum, eamdem Raptori reſtituere, & ita pluries mandatum fuit ſervari per Pontificem, licet mulier eſſet dives.*
25 *Bona Raptoris, quæ ſtatim fiunt Raptæ, illa eadem amittit ſi Raptori nubat, licet in hoc alii contrarium teneant,* & num. 26. *declara ut* num. 27.
28 *Pœnæ Infamiæ, Depoſitionis, at Dotationis, contra Raptores à Concilio ſtatutæ, non obligant ante Judicis ſententiam.*
29 *Excommunicationis vero pœna, licet ſit latæ ſententiæ, non tamen eſt Pontifici reſervata.*
30 *Si ob aliud impedimentum dirimens Diſpenſatio requiratur, debet Pontifici fieri mentio de Raptu ſecuto, alias Diſpenſatio erit ſubreptitia,* & num. 32.
31 *De Jure Civili Raptor non poteſt matrimonium cum Rapta contrahere, ſecus de Jure Canonico.*
32 *Raptus crimen, eſt adeo deteſtabile, & ab illo Pontifex plurimum abhorret, & propterea in omnibus mandatis Diſpenſationum Matrimonialium, quas committit exequendas, apponit clauſulam,* dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit.
33 *Clauſulæ prædictus ſenſus qualis ſit.*
34 *Clauſula,* dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit, *quamvis in mandato appoſita non fuiſſet, tamen ſubintelligitur de ſtylo Curiæ.*
35 *Unde ſi ſit expreſſa, vel omiſſa, ſi Delegatus reperiet Oratricem fuiſſe raptam propter matrimonium, non poterit Diſpenſationem exequi.*
36 *Sed opus erit novas literas in forma* Perinde valere, *à Pontifice impetrare, quæ totum factum contineant.*
37 *Forma Supplicationis pro impetranda d. Diſpenſatione ſuper impedimento Raptus, omiſſo in prima Supplicatione, ſuper alio Impedimento dirimenti petita.*
38 *Et cui committatur executio d. Diſpenſationis, & quid adimplere debeat Delegatus.*
39 *Licet Epiſcopus abſolvere poſſit ab excommunicatione ob Raptum incurſa, tamen caſu quo Diſpenſatio fuerit petita à Pontifice, & commiſſa Delegato, non poterit Epiſcopus abſolvere, ſed tantum Delegatus.*
40 *Decretum Concilii Tridentini loquens de Raptu, eſt generaliter intelligendum de quolibet Raptu cujuſcunque mulieris, ſive ſit virgo, ſoluta, conjugata, vidua, honeſta, ſive extranea, ſive*

con-

consanguinea, vel aliter contrahere impedita, infamis, meretrix, dummodo ad effectum contrahendi secutus fuerit raptus.

41 *Pœnis contra Raptores inflictis ii tantum subjiciuntur, qui ad ipsum fœminæ raptum cooperentur, non vero alii, qui post raptum cooperarent, & raptorem juvarent ad contrahendum cum Rapta.*

42 *Fœmina rapta potest valide nubere alteri quam Raptori, etiam si adhuc maneat in potestate Raptoris, dummodo ea consentiat, & ille tertius ignoret ipsam fuisse raptam.*

43 *Parochus, & Testes, scientes secutum fuisse hujusmodi raptam, si assistant hujusmodi matrimonio, non incurrunt d. pœnas, nisi ante raptum promisissent assistere.*

44 *Prohibitio, quod Raptor, & Rapta, nequeant inter se contrahere, non extenditur ad alios cooperantes, & auxiliantes, licet aliis pœnis subjaceant, & inter eos consistere potest matrimonium, licet adhuc in potestate Raptoris existat, si non obstet aliud Impedimentum.*

45 *Raptor dicitur ille, qui mandat tertio, ut fœminam pro ipso Mandante rapiat, & non Mandatarius, qui licet pœnis subjaceat.*

46 *Tamen non erit impeditus cum Rapta contrahere, sicut Mandans.*

47 *Raptus ex causa explendæ libidinis, vel ob aliam causam, non comprehenditur in Decreto Concilii, nec Impedimentum inducit, sed solum quando fit animo contrahendi matrimonium.*

48 *Ex Raptu facto ex causa explendi libidinem, & insimul matrimonium contrahendi, Impedimentum insurgit.*

49 *Raptus propriæ Sponsæ non dirimit matrimonium, nec Sponsus subjacet pœnis contra Rapientes appositis,* & num. 52. & 53.

50 *Quamvis etiam Parentes Raptæ contradicant.*

51 *Quia ad valorem matrimonii consensus Parentum necessarium non est.*

52 *Si tamen, post contracta Sponsalia, Sponsa nollet adimplere, vel nollet abduci, & raperetur invita, erit quidem Raptus, & comprehendetur sub decreto Concilii.*

55 *Raptus dicitur, si puella recuset abduci; & parentes, vel alii, qui ejus curam haberent, consentirent.*

56 *At si parentes resistant, & fœmina consentiat, Concilii dispositio non procedit.*

57 *Intentio Concilii in statuendo Impedimento, & infligendis pœnis contra Raptores, fuit consulere libertati matrimonii.*

58 *Si mulier consentiat abduci, non dicitur Raptus, quia requiritur violentia,* num. 59.

60 *Immo si puella consentiret abductioni, & copulæ resisteret, non dicitur Raptus.*

61 *At sit in principio renueret abduci, & postea copulæ consentiret, dici potest Raptus.*

62 *Raptus committitur, si post matrimonium ratum, sed non consummatum, Sponsus raperet per vim Sponsam invitam, quæ vellet frui spacio duorum mensium, concessorum ad deliberandum.*

63 *Sponsalia contracta inter Raptorem, & Raptam, tempore quo Rapta manebat in potestate Raptoris, sunt illicita, & invalida.*

64 *Prohibito matrimonio, intelliguntur consequenter prohibita Sponsalia, quæ ad illud contrahendum obligent.*

65 *Doctrina* Marci Antonii Genuensis, in Prax. Curiæ Archiepiscopalis, *dicentis non considerari Raptum sine stupro, impugnatur.*

66 *Raptus non dicitur, si quis causa defloranti virginem, illam non educat è domo, in qua reperiretur, sed de uno cubiculo ad aliud.*

67 *Sicut etiam dum illam in via publica repertam in agrum vicinum per aliquot passus trahat, ut abutatur.*

68 *Aliter tamen esset, si in aliquam domum, aut in alium locum extra illum agrum, seu domum abduxisset.*

69 *Raptus dicitur, si quis puellam, quæ ad se accedere nolebat, vocari faciat per vicinam in domo ipsius vicinæ, in qua talis vir antea ad hunc effectum absconditus erat, ut illam stupraret.*

70 *Raptus non dicitur, casu quo solis importunis precibus, aut mercede aliqua abstrahatur, nisi preces hujusmodi violentiæ æquiparentur, licet in hoc alii contrarium teneant.*

71 *Unde hoc casu Raptor puniendus non erit pœna ordinaria contra Raptores, sed alia mitiori, & extraordinaria.*

72 *Raptus an vere sit, & matrimonium dirimens, si fœmina robusta, vel auctoritate pollens rapiat virum; & licet variæ sint opiniones, concludendum est dici Raptum, & comprehendi sub Decreto Concilii, ut* num. 75. & 76. & *Impedimentum inducitur,* num. 77. & 81.

73 *Lex loquens de Raptore non est extendenda ad Raptricem, nisi eadem ratio militet,* num. 78.

74 *Masculinum non comprehendit fœmininum in odiosis.*

78 *Limita, quando verba adaptari possunt tam masculis, quam mulieribus, & materia potest convenire utrique sexui.*

80 *Prohibitio ne vir occidat uxorem, ne vir contrahat cum Moniali, extenditur ad uxores respectu mariti, & ad fœminas, quoad Monachos.*

82 *In Civitate Florentiæ fuit combusta quædam meretrix, eo quod rapuerat quemdam pulchrum puerum.*

83 *Raptus quandocunque adfuerit, vel sit factus invita, vel consentiente Rapta, nullo modo concedi potest licentia inter eos contrahendi matrimonium, nisi prius posita fuerit in loco tuto, extra Raptoris potestatem, alias erit nullum, & invalidum.*

84 *Ad effectum, ut non adsit Impedimentum impediens, & dirimens matrimonium inter Raptorem, & Raptam, requiritur ut Rapta in loco tuto, & in plena libertate ponatur, & in matrimonium libere consentiat.*

85 *Si Raptor probare vellet Raptam risisse, non auditur.*

86 *Condemnatus ob Raptum appellare non potest.*

87 *Raptor ubicunque reperiatur, puniri potest.*

88 *Raptor si cum Rapta in Ecclesiam se recipiat, Rapta ab eo auferri potest.*

89 *Si tam Raptor, quam Rapta dicant se contraxisse matrimonium, non evitabunt nihilominus pœnam Raptus, si signa contraria existant, ut quia mulier plorabat, &c. quia præsumitur seducta.*

90 *Rapiens Sponsam alienam impeditur, ne postea possit cum quacunque alia contrahere.*

91 *Et si Sponsa rapta copulæ consentiat, non poterit postea aliud matrimonium licite inire; si tamen contrahat, validum erit, quia id non est Impedimentum dirimens.*

92 *Impedimentum hujusmodi ut contrahatur; requiritur, ut Sponsus de præsenti contradicat, nam si consentiat, vel non contradicat, aut copulam ignoret, non erit inductum Impedimentum.*

93 *Si rapiatur aliena Sponsa ad effectum cum ipsa contrahendi, incurritur Impedimentum.*

94 *Quod procedit, si importunis precibus, quæ violentiæ æquiparantur, extorqueatur.*

95 *Impedimentum Raptus locum habet in locis, in quibus Concilium Tridentinum receptum est; in aliis vero locis servatur Jus antiquum.*

PLures contra Raptores, tum Jure Civili, tum Canonico, inflictæ sunt pœnæ; Jure Civili, *l. unica, C. de raptu virginum,* juncta *Authenth. de raptu mulierum, quæ raptoribus mulierum nubunt,* statuitur pœna mortis Raptoribus mulieris honestæ, & ut bona Raptoris, & eorum, qui illis opem tuleruut, statim fiant Raptæ: Jure Canonico, *cap. Si quis virginem 5. causa 36. quæst. 2.* excommunicationis pœna imponitur, non tamen latæ sententiæ, sed per Judicem declarandæ,

dæ, quamvis poſtea per Concilium Tridentinum im-
3 poſita ſit ipſo Jure; ad hoc tamen, ut pœnæ Jure Civili inflictæ incurrant, opus eſt, ut concurrant requiſita ad ipſas pœnas incurrendas, & verum Raptum conſtituendum; unde ſi hæc non concurrant, non debet Raptor puniri pœna ordinaria, ſed aliqua alia mitiori, & extraordinaria. Clar. *de Crimin. §. Raptus, nu.* 4. Petr. Theodor. *in Colleg. Crimin. diſp.* 6. *th.* 8. *circa fin.* Boer. *deciſ.* 316. *nu.* 4.

Quatuor requiruntur conditiones ad hoc, ut pro foro externo conſtituatur proprie Raptus, & proinde
4 pœnis rigoroſis locus ſit. Prima eſt, ut Raptus fiat cum violentia, vel metu violentiæ, ut ſi puella videat homines armatos Carer. *Pract. Crimin.* ubi de Raptu *§. Secundo caſu, nu.* 7. Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 12. *n.* 3. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 8.
5 *n.* 266. Secunda eſt, ut mulier rapiatur cauſa explendæ libidinis, quia Raptus eſt ſpecies luxuriæ; unde ſi Raptor noluit, cum poſſet, copulam cum Rapta habere, non incurret pœnas de Jure civili inflictas, ſed aliqua extraordinaria erit puniendus. Sanch. *l. c. nu.*
6 17. & 18. Tertia eſt, traductio de loco ad locum ea intentione, ut mulierem è domo abducat, licet etiam poſtea ad locum deſtinatum ducere non potuerit. Navarr. *lib.* 5. *Conſil. titul. de Rapt. conſ. unico, nu.* 1. *in* 1. *edit.* Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 13. *n.* 7. Coninck *de Sacrament. diſp.* 31. *nu.* 48. Bonac. *de Matr. qu.* 4. *punct.* 18. *num.* 8. Filiuc. *d. cap.* 8. *nu.* 66. Boſſius *Pract. Crim. titul. de Raptu Mulier. num.* 3. Clarus *Sentent. lib.* 5. §. *Raptus, nu.* 1. Tuſchus *Concluſ. Pract. Juris, concluſ.* 6. *nu.* 1. *lit. R.* Quarta, &
7 ultima conditio eſt, ut mulier, quæ rapitur honeſta ſit; nec refert, ſive ſi ſoluta ſit, ſive vidua, vel conjugata, Sanchez *l. c. num.* 7. *diſp.* 13. *nu.* 22. Filiuc. *d. cap.* 8. *nu.* 258. Tuſchus *l. c. num.* 10. & 12.
8 Dixi prædictas conditiones requiri ad incurrendas pœnas Civiles, quia ad conſtituendum matrimonii Impedimentum ſufficit ſimplex Raptus, factus ad effectum matrimonii contrahendi, ut dicemus infra.

Aliæ inſuper pœnæ additæ ſunt per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ubi decernitur, inter Ra-
9 ptorem, & Raptam, quamdiu ipſa in poteſtate Raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimo-
10 nium; quod ſi Rapta à Raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam Raptor in uxorem habeat; & nihilominus Raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque Dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant; teneatur præterea Raptor mulierem raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter, arbitrio Judicis dotare.

At quia circa hujuſmodi Impedimenti incurſum plura dubia occurrunt, pro illorum ſolutione plura erunt adnotanda;

11 Primo adnotandum eſt, quod antiquo tempore, & ante Concilium, Raptus matrimonium contrahendum impediebat, & dirimebat contractum: Rot. *in noviſſimis, dec.* 264. *n.* 23. coram Coccino; quicquid tamen tempore antiquo ſervatum fuerit, certum eſt poſt Concilium tamdiu durare Impedimentum, quamdiu Rapta in poteſtate manſerit Raptoris; &
12 conſequenter, ſi poſtquam in loco tuto, & libero Rapta poſita fuerit, in matrimonium conſentiat, niſi aliud obſtet, validum erit: Averſa mox citandus. Bonac. *de Matr. qu.* 4. *punct.* 18. *propoſ* 3. *num.* 12.

13 Secundo adnotandum, ob ſimplicem Raptum, ſi nullum aliud obſtet Impedimentum, non requiri Diſpenſationem ad contrahendum; quia ſi Rapta ſit adhuc in poteſtate Raptoris, ejus conſenſus non præſumitur liber, ſed metu extortus, & propterea non diſpenſatur; ſi vero ſit conſtituta in loco libero, & in ſua plena libertate, & conſentiat, tunc quia jam Impedimentum ceſſavit, nulla eſt opus Diſpenſatione; Vide Averſa *de Matrim. qu.* 12. *ſect.* 3. *verſ. Diri-*
14 *mitque*. In locis tamen, in quibus conſuetudo viget, ut hujuſmodi matrimonia non contrahantur ſine Diſpenſatione, poſſet Epiſcopus diſpenſare; at ſi abſque Diſpenſatione contraherent, peccarent quidem mor- 15
taliter contrahentes, ſed tamen matrimonium eſſet validum; Ita Rota *in Noviſſ. deciſ.* 264. *num.* 35. & 36.

Tertio adnotandum, quod licet ob ſolum, & ſimplicem Raptum non requiratur Diſpenſatio, ut di- 16
ximus, requiritur tamen ad contrahendum licentia Ordinarii, ad quem ſpectat cognoſcere de cauſa Raptus, & diſcutere, an diſpoſitio Concilii Tridentini adimplera ſit, & conſtituta dos ipſi Raptæ; at in 17
qua quantitate hæc conſtituenda ſit, dicendum eſt, relinqui arbitrio Ordinarii, cum non poſſit determinari certa quantitas, ſeu regulanda ſit pro rei, & perſonarum qualitate, conditione, & poſſibilitate, habito etiam reſpectu ad injuriam, quæ mulieri raptæ fuit illata, vide Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 13. *n.* 1. Immo ultra dictam dotis conſtitutionem, tene- 18
bitur etiam Raptor jure naturæ, alia damna Raptæ reſarcire, nulla expectata Judicis ſententia, ut bene docent idem Sanch. *l. c.* Bonac. *d. puncto* 18. *num.* 9. *verſ. Secunda eſt*. Filiuc. *d. cap.* 9. *nu.* 264. *in fine*. Et propterea ſi ob aliud Impedimentum dirimens eſſet neceſſaria Diſpenſatio Pontificis, non 19
poterit Delegatus, cui commiſſa fuiſſet Diſpenſatio, ad ipſius executionem devenire, donec non fuiſſent dos conſtituta, & alia adimpleta, quæ ſibi à Pontifice demandata eſſent; & ob id neceſſe erit, ut antequam Diſpenſationem exequatur, captis diligentibus informationibus, ſententiam, ſeu decretum ferat, qua taxet quantitatem, qua Raptæ dos conſtituenda ſit; quam dotem tenetur Raptor conſtituere per Inſtrumentum publicum manu publici Notarii in forma Juris valida, cum conſiderationibus, & cautelis, quas *lib.* 3. reſpectu augmenti dotis inconpetentis in favorem mulieris adnotavimus; quo Inſtrumento à dicto Judice conſiderato, & approbato, & verificatis aliis Summo Pontifici narratis, ſervatis iis, quæ ex forma ſui Mandati ſervanda erunt, ad Decretum Diſpenſationis devenire poterit.

Adnotandum quarto, non ſolum Raptorem ipſum, 20
ex Decreto Concilii, teneri ad conſtitutionem dictæ dotis, ſed teneri etiam omnes & ſingulos, qui Raptori conſilium, auxilium, vel favorem præbuerunt, 21
immo etiam ipſos, ſi ſcienter, & doloſe in hoc deliquerint, capitali ſupplicio ſubjici, ut bene Farinac. *q.* 145. *num.* 21. & *num.* 37. Nec ab hujuſmodi obligatione liberantur, quamvis Rapta dives eſ- 22
ſet, vel non egeret, & propterea ipſa ſua ſponte ipſam dotem libere remitteret; quamvis enim unuſquiſque ſit rei ſuæ moderator, & arbiter: *Gloſſ. in Inſtitut. lib.* 2. *de Rerum diviſione* §. *per traditionem*, & propterea videatur poſſe Oratricem remittere talem obligationem; nihilominus in propoſito caſu non 23
eſt in ſua poteſtate id facere, cum non pendeat ab ejus voluntate, & arbitrio, ſed ab ipſo Concilio, quod loquitur abſolute, & imponit onus per verbum *teneatur*, & proinde certam, & præciſam formam aſſignat, quæ præciſe ſervari debet, *cap. Cum dilecta, de præſcript.*, & deficiente forma corruit actus, *d. cap. Cum dilecta*, Barboſ. *in Votis Canonic. lib.* 1. *voto* 15. *num.* 22. Gonzal. *ad Reg. Octavam Cancell. Gloſſ.* 4. *n.* 137. Unde Rapta non poterit licite, poſt conſtitutam dotem, & factam Diſpen- 24
ſationem, ac matrimonium contractum, dotem jam ſibi conſtituram Raptori reſtituere, tum ob præjudicium, quod inde inferretur filiis ex dicto matrimonio natis, tum etiam quia id totum eſſet in fraudem dicti Decreti, & directo tenderet contra formam præſcriptam ab ipſo Concilio, cujus intentio fraudaretur, & fraus nemini patrocinari debet *cap. Super literis* 20. *de reſcr. cap. In noſtra* 10. *de ſepult.* & *cap. Avaritiæ* 5. *de elect. in* 6. & teſtatur Corrad. *in Praxi Diſpenſ. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 72. ſe pluries videſſe Supplicationes in Romana Curia formatas pro Diſpenſatione obtinenda ſuper aliquo Impedimento cum expreſſione Raptus ſecuti, in quibus fuerat expreſſum; Oratricem Raptam eſſe divitem, & non indigere, & totum iſtud fuiſſe in eiſdem Supplicationibus deletum, tanquam contrarium diſpoſitioni ipſius Concilii, & fuiſſe reſcriptum

juxta

juxta formam ſolitam, & à Concilio præſcriptam. Crediderim tamen poſſe Judicem delegatum, cujus arbitrio id remittitur, mitius agere eo caſu; & ſi mulier dives ſit, & non egeat, modicam dotem af-
25 ſignare, ac conſtituere. At dubitari poteſt, an, ſi Rapta nubat Raptori, amittat ipſius Raptoris bona, quæ, ut diximus, ſtatim fiunt ipſius Raptæ. In qua re aliqui docent, amittere, quia eadem Lex Civilis, quæ juſſit, ut bona Raptoris fiant Raptæ, eadem decrevit, ut Rapta, ſi Raptori nubat, illa amittat, quod idem opportune animadvertunt Lapus, & alii, quos refert Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 11. *n.* 27. Alii contra ajunt, non amittere, quia *Authent. de raptu mulier.* §. *Unico*, *verbo Sancimus*, quo ſtatui-
26 tur, bona deperdi à Rapta, ſi Raptori nubat, ſuit correptum de Jure Canonico; unde cum Jus Canonicum irritationem hujuſmodi matrimonii per Legem Civilem factam correxerit, conſequenter correxit hanc diſpoſitionem, quæ fundata erat in eo, quod tale matrimonium cum Rapta contractum nullum eſſet. *Gloſſa in cap. De puellis* 4. *Nullatenus*, *cauſa* 36. *quæſt.* 2. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 12. *num.* 26. Tuſch. *concluſ.* 149. *numer.* 2. *lit. M.* Ita Hoſtien. Goffredus, Francus, Decius, Abbas, & alii relati à dicto Sanch. *l. c.*

At nobis placet Doctrina Rebuff. *in Praxi Benef. Regula de Diſpenſat. in Gradibus prohibitis*, *Gloſſ.* 7. *num.* 1. cui adhæret Rot. *in noviſſimis deciſ.* 316.
27 *num.* 40. coram Coccino, nempe, quod ſi Raptor contrahat cum Rapta, & petatur Diſpenſatio à Papa, tunc ſeparari debeant ratione delicti pro tempore, quouſque ad arbitrium Commiſſarii, congruam egerint pœnitentiam, & poſtea diſpenſetur cum illis, & facta Diſpenſatione omnes pœnæ Legales ceſſabunt; colligitur *ex Gloſſ. in c. De puell.* 4. *cauſa* 36. *q.* 2.

28 Adnotandum quinto; pœnas Infamiæ, & Depoſitionis, ac Dotationis, contra Raptores à Concilio ſtatutas, non obligare ante Judicis ſententiam, ut bene docent Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 18. *nu.* 1. Coninck *Diſp.* 31. *Dub.* 4. *numer.* 48. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 13. *num.* 4. Filiuc. *qq. mor. tomo* 1. *tract.*
29 10. *part.* 2. *cap.* 8. *nu.* 264. Excommunicationem vero non eſſe reſervatam Pontifici, quamvis ſit latæ ſententiæ. Bonac. *de Matrim. q.* 4. *puncto* 18. *n.* 9. Averſ. Coninck, & Filiucc. *ll. cc.*

30 Adnotandum ſexto, quod ſi ob aliud Impedimentum dirimens, quod inter contrahere volentes adeſſet, requireretur Diſpenſatio Summi Pontificis, neceſſe eſt, ut de Raptu ſecuto mentio omnino fiat, alias omnis Diſpenſatio ſuper alio Impedimento obtenta ſubreptitia erit, & nulla, ut bene docet Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 25. *nu.* 19. quia Papa nullo modo intendit Diſpenſationem concedere, dum hujuſmodi Raptus præceſſerit, ut teſtatur Trullenck *tomo* 3. *lib.* 7. *cap.* 10.
31 *dub.* 11. *num.* 8. & Rebuff. *l. c. Gloſſa* 6. Eo magis, quia Raptor de Jure Civili non poteſt matrimonium contrahere cum Rapta. Rebuff. *l. c. l. un. C. de raptu virg.* Tuſch. *l. c. n.* 17. licet aliter diſponatur de Jure Canonico, *cap. penult. & cap. final. de raptor. cap. Tria*, 8. *& cap. Denique* 9. *d. cauſa* 36. *quæſt.* 2. Un-
32 de ad hoc, ut Diſpenſatio valida ſit, neceſſe eſt, ut Papa ſciat, Oratricem fuiſſe raptam ad finem matrimonii contrahendi, alias omnis Diſpenſatio, tanquam contra mentem Pontificis extorta, nulla, & invalida erit.

Eſt autem hujuſmodi crimen adeo deteſtabile, ut ab illo Papa maxime plurimum abhorreat, & propterea in omnibus Mandatis Diſpenſationibus matrimonalium, quas committit exequendas, apponit Clauſulam, *Dummodo dicta mulier propter hoc rapta non fuerit*, & hoc juxta Regulam 49. Cancellariæ Apoſtolicæ, ubi dicitur *Voluit*, *quod in Literis Diſpenſationum*, *ſuper aliquo gradu Conſanguinitatis*, *vel Affinitatis*, *aut alias prohibito*, *ponatur Clauſula*, *Si*
33 *mulier rapta non fuerit*; & ſi ſcienter ponatur Clauſula addita in quaterno; cujus Clauſulæ appoſitæ in quaterno ſenſum exponunt, Rebuff. *d. Gloſſ.* 7. *& in add. in Reg. Cancell. ad Regulam* 50. *circa finem*, & Rot. *d. deciſ.* 336. eſſe eundem, quem ſupra adnotavimus; & quamvis Clauſula, *Dummodo dicta* 34
mulier propter hoc rapta non fuerit, in Mandato non fuiſſet appoſita, adhuc ſubintelligeretur de ſtylo Curiæ, per ea, quæ docent Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 25. *n.* 19. & Pirrh. Corrad. *in Praxi Diſpenſ. Apoſt. lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 54. unde ſive expreſſa ſit in Mandato, 35
ſive omiſſa, ſi Delegatus repererit Oratricen fuiſſe raptam propter matrimonium, non poterit Diſpen- 36
ſationem exequi, ſed opus erit novas literas in forma *Perinde valere* à Pontifice impetrare, quæ contineant totum factum, prout vere ſe habuit, & propterea exponi debebit, *quod Oratoribus alias ſcienti-* 37
bus ſe tali Impedimento dirimenti eſſe impeditos, *Orator prædictus*, *non quidem peccandi data opera ut crimine admiſſo hæc cauſa foret Pontificem*, *& Sedem Apoſtolicam ad miſericordiam*, *& gratiam erga illos faciliores reddendi*, *præfatam Oratricem è domo parentum rapuit*, *eamque carnaliter cognovit*, & narratur tota ſeries facti; Et deinde dicitur: *Cum autem dicta Oratrix ab Oratore ſeparata*, *& in loco tuto*, *& libero conſtituta*, *Oratorem eundem in virum habere conſentiat*, *& niſi matrimonium inter eos contrahatur dicta mulier diffamata*, *& innupta remaneret*, *graviaque exinde ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri*, *propterea cupiunt invicem matrimonialiter copulari*, *&c.* & eo caſu ſolet Pontifex committere Epiſcopo Oratorum, ſeu ejus Vicario in Spiritualibus 38
Generali, ut *Depoſita per eum ſpe cujuſcunque muneris aut præmii*, *etiam ſponte oblatis*, *&c. & impoſita Oratoribus propter inceſtum hujuſmodi*, *ac alia præmiſſa arbitrio ſuo*, *gravi pœnitentia ſalutari*, *& quatenus pro præmiſſis Cauſa contra ipſos Oratores quoquomodo deducta fuerit*, *Parito judicato*, *& dummodo Oratrix prædicta ab Oratore ſeparata*, *& in loco tuto*, *& libero conſtituta*, *ipſum Oratorem in virum habere conſentiat*, *& cum Decreto*, *quod Oratorum alter alteri ſupervivens perpetuo abſque ſpe Conjugii remaneat; & poſtquam Orator eandem Oratricem decenter arbitrio Delegati dotaverit abſolvat*, *& diſpenſet in forma*.

Adnotandum ſeptimo, non poſſe Epiſcopum ab- 39
ſolvere ab excommunicatione propter Raptum incurſa, eo caſu, quo Diſpenſatio petita ſit à Pontifice, & ab ipſo commiſſa Delegato; quamvis enim dicta abſolutio non ſit reſervata Pontifici, ut diximus, & proinde poſſit Epiſcopus illam dare, nihilominus dum pro matrimonio contrahendo Diſpenſatio Pontificis neceſſaria ſit, & Raptus exprimatur, prout de neceſſitate exprimi debere adnotavimus, Papa Diſpenſationem petitam committendo, totum negotium aſſumit, & per hujuſmodi manus appoſitionem Inferiorum manus ligantur, ut eſt *Textus in cap. Ut noſtrum* 56. *de appellat.* & docent Barboſ. *in Votis Canonicis lib.* 2. *Voto* 33. *concluſ.* 5. *num.* 57. Puteus *deciſ.* 180. *n.* 3. *lib.* 3. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 574. *num.* 3. *& num.* 6. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſ.* 52. *num.* 17. Riccius *in Praxi Fori Eccleſ. reſolut.* 278. *num.* 1.

Adnotandum octavo, Decretum Concilii, lo- 40
quens de Raptu, eſſe generaliter intelligendum de Raptu cujuſcunque mulieris ſive ſit virgo, ſoluta, conjugata, vidua, honeſta, inhoneſta, etiam meretrix, & quantuncumque infamis, ſive ſit extranea, conſanguinea, affinis, vel aliter contrahere Impedita, dummodo ad effectum matrimonii contrahendi ſecutus fuerit Raptus; Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 13. *num.* 14. Bonacin. *de Matrim. quæſt.* 4. *puncto* 18. *num.* 7. Averſ. *de Matrim. quæſt.* 12. *ſect.* 3. *verſ. Ad incurrendum*. Filiuc. *d. cap.* 8. *num.* 266. quia Concilium indiſtincte, & abſque ullo diſcrimine qualitatum loquitur; & ubi lex non diſtinguit, nos diſtinguere non debemus. Redenaſch. *conſ.* 1. *n.* 162.

Adnotandum nono, eos tantum ſubjici pœnis 41
contra Raptores inflictis, qui ad ipſum fœminæ Raptum cooperantur, non autem alii, qui poſt Raptum cooperarent, & Raptorem juvarent ad contrahendum cum Rapta; unde ſi Petrus, inſcio Cajo, 42
fœminam rapiat, ut ipſi Cajo nubat, validum erit matrimonium inter Cajum, & Raptam, ſi hæc libere conſentiat, quamvis etiam adhuc non ſit extra Pe-

tra Petri poteſtatem; Sanch. *lib. 7. diſp. 13. num. 6.* Filiuc. *d. cap. 8. num. 266.* Simili ratione, ſi Pa-
43 rochus ſciens fuiſſe ſecutum Raptum inter contrahere volentes, eorum matrimonio aſſiſteret, prout etiam teſtes, qui hujuſmodi matrimonio intereſſent, non eſſent his pœnis plectendi, niſi ipſe Parochus, vel teſtes ante Raptum promiſiſſent dicto matrimonio aſſiſtere, unde Raptor animoſior factus eſſet ad rapiendum; Ita Sanch. *diſp. 13. num. 1. circa finem*; Averſ. *d. quæſt. 12. ſect. 3. verſ. Et quoad complures.*

44 Nota decimo, impediri ipſos ſolos Raptorem, & Raptam, quin inter ſe matrimonium contrahere poſſint, quamvis enim alii cooperantes ſubjaceant aliis pœnis in Decreto comminatis, ſi tamen nullum aliud obſtaret Impedimentum, cum Rapta contrahere poſſent, quia Concilium ſe ita reſtrinxit, ut inter ſolos Raptores, & Raptam non poſſit matrimonium conſiſtere, quamdiu hæc in poteſtate manſerit Raptoris; unde cum ſimus in pœnalibus, non eſt facienda extenſio, *l. ſi Præſes, ff. de pœnis, Regula, In pœnis 49. & Regula, Odia reſtringi 15. de Regulis Juris in 6.*

45 Nota undecimo, Raptorem dici illum, qui mandat tertio, ut pro ipſo Mandante fœminam rapiat; quamvis enim in aliis pluribus agentes, & conſentientes pari pœna puniantur, *cap. Primo de off. Delegat.* Farin. *Conſ. Crimin. 66. n. 18. lib. 1.* Sperell. *dec. 108. n. 2.* Cæphal. *conſ. 282. n. 22. tom. 3.* Pariſ. *de Conſid. quæſt. 22. n. 5.* nihilominus in caſu, de quo agimus, Mandans, & non qui exequitur, re-
46 manet impeditus ad contrahendum, quia Mandanti, & non Exequenti tribuitur actus. Gratian. *Diſcept. Forenſ. cap. 553. n. 2. tom. 3.* Pariſ. *de Conſid. qu. 33. n. 41.* Sperell. *deciſ. 14. n. 8.* Lother. *de Re Benef. lib. 1. qu. 38. num. 255.* Tuſch. *concluſ. 154. n. 1. tom. 1. lit. A.* Poſtius *Reſolut. 57. n. 24.* Farinac. *Conſ. Crim. lib. 1. conſ. 85. n. 76.* qui enim per aliud facit, per ſe ipſum facere intelligitur, *l. ſi per alium, ff. ne quis in Jus voc.* Rot. penes Farinac. *tom. 2. deciſ. 662. n. 2.* unde dictus Mandans, & non Mandatarius Impedimentum incurret.

47 Nota duodecimo, Raptum, quid fieret ex cauſa libidinis explendæ, vel ob aliam cauſam, quam matrimonii contrahendi, non comprehendi in Decreto Concilii, nec impedire matrimonium, ſed illum ſolum Raptum impedire, qui fieret ad effectum matrimonii contrahendi, quia intentio Concilii in Impedimento ſtatuendo ea præcipue fuit, providere libertati matrimonii, ut bene docent Sanch. *lib. 7. diſp. 13. n. 4. & n. 14.* Coninck *diſp. 32. dub. 4. n. 48. in fine;* Leſſius *de Juſtitia, lib. 4. cap. 3. dub. 9. n. 70.* Averſ. *de Matr. d. ſect. 3. verſ. Alioqui*, Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. n. 265.* Dian. *par. 3. tract. 4. reſol. 261.* Donat. Anton. de Marin. *Reſol. Quotid. lib. 1. cap. 301. n. 6.* Stephan. à S. Gregor. *d. cap. 108. in fine*, & alii plures, quos refert Barboſ. *in Collect. ſuper Concilio ad ſeſſ. 24. de Reform. Matrimonii, cap. 6. num. 2.* & ſic fuiſſe à Sacra Congregatione deciſum, die 23. Januarii 1586. teſtatur Pyrrhus Corradus *in Praxi Diſpenſat. Apoſt. lib. 7. cap. 6. n. 48.* & comprobatur ex ſtylo Romanæ Curiæ, qui ſe ita habet, ut in omnibus Literis Diſpenſationum, quæ committuntur Ordinariis, ad clauſulam, *Dummodo mulier rapta non fuerit*, addit verba, *Propter hoc*, unde ceſſat omnis cauſa dubi-
48 tandi; at ſi ad finem explendi libidinem, & ſimul contrahendi matrimonium factus fuiſſet Raptus, inſurget Impedimentum, quia ad illud incurrendum ſufficit, quod in Raptore adfuerit dictus finis; quod autem hic ſit conjunctus cum alio fine, parum refert, quia ſufficit ad incurſum Impedimenti adfuiſſe finem matrimonii contrahendi.

49 Nota decimotertio, Raptum propriæ Sponſæ ipſi Raptui conſentientis non dirimere matrimonium, nec ſubjacere Sponſum ſic rapientem pœnis contra Raptores apoſitis; cum etenim Sponſus aliquod jus habeat in ſponſa, non vocatur in Jure proprio Raptus, ita Sanch. *lib. 7. diſp. 12. num. 15.* Leſſius *de Juſtitia, lib. 4. cap. 3. dub. 9. num. 70. verſ. De Juſtis de Diſpenſ. Matrim.* *Tertium*: Layman. *n. 3. l. c.* Filiuc. *d. cap. 8. n. 266.* Genuenſ. *Practic. Fori Eccleſ. quæſt. 693.* amplia, quamvis etiam parentes Raptæ contradicant, 50
quia ad valorem matrimonii conſenſus parentum ne- 51
ceſſarius non eſt. Bellarmin. *in Controv. Fidei, tom. 3. cap. 19. de Matrimon. controv. 5. lib. unic. tertia propoſ.* Sylveſt. *verbo Luxuria, qu. 6. dict. 2.* Farin. *Praxi Crimin. part. 5. quæſt. 145. n. 86.* Leo *in Praxi Sacræ Pœnitens. part. 2.* ubi *de Impediment. dirim. verſ. Limita tamen, pag. mihi 223.* Alex. de Nevo *conſ. 8. n. 3.* Si etenim præceſſerunt tractatus de matri- 52
monio ineundo, & fuerunt contracta Sponſalia, non dicitur Raptus; colligitur *ex cap. Accedens 7. de Raptoribus, & cap. Cum cauſam 6. de Raptorib.* ubi Alexander II. Papa, reſpondit non eſſe proprie Raptum, 53
nec matrimonium impediri, quando tractatus de matrimonio legitime contrahendo, vel ſponſalia præceſſerunt; & ideo puella conſentiens de domo Patris, vel Tutoris, quamvis ipſis reclamantibus abducatur; vide Sanch. *d. diſp. 12. n. 16.* Si tamen, poſt contracta ſponſalia, Sponſa nollet adimplere, 54
vel nollet abduci, & ideo invita abſtraheretur, tunc quidem erit Raptus, & Raptor ſubjicietur pœnis in Decreto Concilii ſtatutis.

Nota decimoquarto, eſſe Raptum, ſi puella recuſaret abduci; at parentes, vel alii, qui puellæ cu- 55
ram haberent, abductioni conſentirent; quia parentes, & alii prædicti nullum Jus habent in corpus ipſius. Averſa *l. c.* At ſi parentes reſiſtant, & fœmi- 56
na conſentiat, ex quo hoc caſu Jus Civile correctum fuit per Jus Canonicum, ut colligitur *cap. Cum cauſam 6. de Raptoribus*, & docent Sanch. *lib. 7. diſp. 12. num. 15.* Boſſ. *Pract. Crimin. titul. de Raptor. mulier. num. 17.* Steph. à S. Gregor. *d. cap. 108. n. 10.* ideo non procedit hoc caſu diſpoſitio Concilii; idem Sanch. *lib. 7. diſp. 13. num. 13.* Leſſius *d. cap. 3. n. 70.* Riccius *Deciſ. Curiæ Neap. deciſ. 342. n. 5. part. 4.* Coninck *diſp. 31. n. 48.* Steph. à S. Gregor. *n. 7.* & Averſ. *ll. cc.* quia intentio Concilii in ſtatuendo Impedimento, & infligendis pœ- 57
nis contra Raptores, ea potiſſimum fuit, conſulere libertati matrimonii; cum itaque puella ſua ſponte conſentiat in matrimonium, non eſt neceſſarius parentum, nec aliorum conſenſus; ut docent Doctores ſupra *n. 47.* citati, quibus addo Reja *Reſp. Caſ. Conſcient. part. prim. caſ. 18. fol. mihi 69.* Franciſc. Leon. *in Theſ. Fori Eccleſiaſtici part. 2. cap. 9. n. 12.* Bellarmin. *de Matrim. lib. 1. cap. 19. & 20.* Bonacin. *de Matr. qu. 4. punct. 17. num. 23.* & ita definitum fuit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrimon. in princip.* Quamvis enim *l. Unica, §. Et ſi quidem, verſ. Pœnas autem, C. de Raptu virginum*, dicatur committi Raptum, ſive mulier abduci velit, ſive nolit, id procedit ex præſumptione, qua Lex Civilis in foro fori utitur, quia cum ad matrimonium non requiratur de neceſſitate con- 58
ſenſus parentum, ſi puella ſponte, & ultro ſequitur virum, non dicitur Raptus. Navarr. *lib. 5. Conſil. titul. de Raptorib. conſil. unic. num. 1. in prima editione*, & alii, quos ſupra citavimus. Certum namque, & indubium eſt, quod ad hoc, ut vere ſit Raptus, requiritur violentia, alias non Raptus, ſed fuga vo- 59
luntaria mulieris dici poteſt, ut bene dictus Navarrus *l. c. verſ. Nota quod Raptus.* Bonac. *d. qu. 4. punct. 18. n. 5.* Stephanus à S. Gregorio *d. cap. 108. n. 8.* Tuſch. *concl. 6. n. 1. lit. R. tom. 6.* immo ſi puella conſentiret abductioni, & poſtea reſiſteret copulæ, non ta- 60
men dici poteſt Raptus, at è converſo, ſi renueret abduci, & poſtea conſentiret copulæ, eſſet Raptus, 61
quia initium ſpectatur, *l. Decius 14. ff. ad l. Juliam de Sicariis.* Sanchez *lib. 7. diſp. 12. n. 7.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. n. 258.*

Nota decimoquinto, eſſe Raptum eo etiam caſu, 62
quo poſt matrimonium ratum, ſed non conſummatum, Sponſus raperet per vim Sponſam invitam, quæ vellet frui ſpatio duorum menſium ſibi à Jure conceſſorum ante conſummationem matrimonii, quia vere illam abducit invitam cauſa matrimonii conſummandi, & facit illi injuriam, cum Sponſa jus habeat debitum juſte denegandi infra dictum bime-

ſtre, ut interim deliberare poſſit de ſtatu eligendo ita Bonacina *d. punct.* 18. *n.* 13. Azor. & Molin. *de Juſtitia*, penes ipſum Bonac.

Nota decimoſexto, non ſolum prohiberi matrimonium inter Raptorem, & Raptam eo tempore,
63 quo Rapta in poteſtate manet Raptoris, ſed nec valida, nec licita eſſe ſponſalia dicto tempore contracta, ut bene docent Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 13. *n.* 17. Bonac. *d. punct.* 18. *n.* 10. Layman. *lib.* 5. *d. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 13. *in fine*. Averſ. *quæſt.* 12. *ſect.* 3. *verſ. Dirimit.* Donat. Anton. de Marinis *Reſol. Quotid. lib.* 1. *cap.* 301. *num.* 9. quia prohibito matri-
64 monio intelliguntur conſequenter prohibita ſponſalia, quæ ad illud contrahendum obligant.

65 Nota decimoſeptimo, doctrinam Marci Antonii Genuenſ. *in Praxi Curiæ Archiepiſc. cap.* 20. *n.* 11. nullatenus eſſe admittendam, dum docent, non conſiderari Raptum ſine ſtupro, quia id non eſt verum, in Praxi receptum, cum Concilium loquatur de Raptoribus quibuſcunque; nec diſtinguit an copula ſequatur, necne; vide Sanchez *d. diſp.* 13. *num.* 8.

66 Nota decimoctavo, non dici Raptum, ſi quis, cauſa deflorandi virginem illam non educat è domo, in qua reperitur, ſed de uno cubiculo ad aliud;
67 ſic etiam dum illam in via publica repertam, in agrum vicinum per aliquot paſſus trahat, ut abu-
68 tatur; aliter tamen eſſet, ſi in aliquam domum, aut in alium locum extra illum agrum, ſeu domum abduxiſſent; vide Sanchez *d. diſp.* 13. *num.* 7. & Bonac. *d. punct.* 18. *n.* 8. Tuſchus *concluſ.* 6. *n.* 1. *tom.* 6. *lit. R.* Clar. *§. Raptus*, *in princip.* Dicetur
69 tamen Raptus, ſi quis puellam, quæ ad ſe accedere nolebat, vocare feciſſet per vicinam in domo ipſius vicinæ, in qua ipſe vir antea ad hunc effectum abſconditus eam ſtupraret, quæ alias ad dictam domum nullo modo acceſſiſſet, ſi ſciviſſet ibi Stupratorem manere; Genuenſ. *in Praxi Archiepiſc. Neap. cap.* 20. *n.* 11. Stephan. à S. Greg. *d. cap.* 108. *n.* 9. & patet ex *l. unica*, *§. Et ſiquidem*, *verſ. Pœnas autem*, *C. de raptu virginum*, ubi dicitur *Niſi odioſis artibus circumvenerit*.

70 Nota decimonono, nec dici Raptum (quicquid alii contradicant) eo caſu, quo ſolis importunis precibus, aut mercede aliqua abſtrahatur, niſi hujuſmodi preces tales eſſent, ut violentiæ æquiparentur. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 13. *n.* 11. Gutier. *de Matrim. d. cap.* 86. *n.* 15. Bonac. *de Matrim. qu.* 4. *punct.* 18. *n.* 5. & 6. Sperell. 6. *deciſ.* 150. *n.* 37.
71 unde hoc caſu Raptor puniendus non erit ordinaria pœna, contra Raptores ſtatuta, ſed alia mitiori, & extraordinaria.

72 Nota vigeſimo, quæſtionem magnam eſſe inter Doctores, an ſit vere Raptus matrimonium dirimens, ſi fœmina robuſta, vel auctoritate pollens, rapiat virum; in qua re plures ſunt, qui exiſtimant, non dirimi matrimonium, nec incurri Impedimentum, quia in *l. unica*, *C. de raptu virginum*, fit ſolum expreſſio de viris qui rapiunt fœminas; confirmant ex diſpoſitione Concilii, cujus Decretum loquitur de Rapta; unde cum ſit pœnale, non eſt extenden-
73 dum ad Raptricem, & ultra proprios terminos,
74 maxime quia in odioſis maſculinum non concipit fœmininum; & cum rariſſime eveniat, quod fœmina rapiat virum; & de eis, quæ raro contingunt, Lex non curat; ſic docent Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 12. *n.* 25. & *diſp.* 13. *n.* 16. Pont. *de Matr. lib.* 7. *cap.* 69. Bonac. *d. punct.* 18. *num.* 7. Filiuc. *d. cap.* 8. *n.* 260. Steph. à S. Greg. *d. cap.* 108. *n.* 10. Ricc. *deciſ.* 342. *n.*
75 5. *part.* 4. Alii tamen longe probabilius docent, incurri Impedimentum, & pœnas à Concilio comminatas; ſi etenim Raptus ſequatur ad effectum matrimonii contrahendi, & fiat abductio cum violentia, prout diximus requiri ad Raptum conſtituendum, certum eſt contraveniri per hujuſmodi Raptum fini ipſius Concilii, quod prudentiſſime, ac ſaluberrimo conſilio hoc Impedimentum ſtatuit, ne libertas matrimonii lædatur; unde ſi caſus eveniat, ut fœmina fortis, & robuſta, vel auctoritate pollens, rapiat virum, ut evenire poteſt in aliquo adoleſcente puſillanimo, ad finem contrahendi cum ipſo matrimonium: & quis dubitet per hujuſmodi Raptum perinde ac per Raptum factum à viro, matrimonii libertatem non impediri? Et quod præcitata Lex 76
de ſolis viris raptoribus loquatur, id poteſt procedere, quia Leges, commoditatis gratia, proferunt ex parte una nomen maſculinum, & ex alia fœmininum, v. gr. Raptorem, & Raptam, non quia ſuam juſſionem velint juxta ſonum materialem ipſorum nominum reſtringere, ſed potius præſumendum eſt, ut velint, commutatis ob paritatem rationis nominibus, idem intelligere de Raptrice, & Raptore; eadem enim ratio prorſus militat de Raptore, ac de Raptrice, quia tam ille, quam hæc, omnino requiritur, quod libere conſentiant in matrimonium, & ſint in plena libertate alias non eſſet verum matrimonium, ut alibi diximus, & præſertim præſenti Libro; unde cum eadem ratio in utroque militet, eadem debet pro utroque eſſe Juris diſpoſitio *l. Illud*, *ff. ad l. Aquil.* Barboſ. *de Offic. & Poteſtate Epiſcop. alleg.* 35. *n.* 4. Marant. *Reſponſ.* 2. *num.* 40. *part.* 2. & faciunt dicta *cap. ſequenti*; & ſi Raptus impedit matrimonii contractum inter perſonam raptri- 77
cem, & perſonam raptam, dicendum eſt, tam ex parte fœminæ, quam viri, Impedimentum contrahi, ſi Raptus committatur; & proinde Decretum Concilii perſonam rapientem comprehendere, ſive vir ſit, ſive fœmina. Nec facit ratio, quæ pro contraria opinione adducitur, nempe dictum Decretum, cum pœnale ſit, & correctorium, non eſſe ultra 78
proprios terminos extendendum: quia etiam hoc caſu, dum eadem ratio omnino militat, extendi debet, ut bene concludunt Navarrus *lib.* 4. *Conſil. titul. de Conſ. & Affin. conſ.* 3. *à num.* 6. *in prim. editione*, Sanch. *d. diſp.* 13. *num.* 17. quando enim verba adaptari poſſunt mulieribus, ſive maſculis, 79
& materia poteſt convenire utrique ſexui; maſculinum comprehendit fœmininum, etiam in pœnalibus, & odioſis, juxta doctrinam Bartoli communiter receptam, *in l. Jura*, *ff. de legib.* & faciunt dicta per Menoch. *conſ.* 406. *num.* 32. 46. & 48. *vol.* 5. & per Lælium Altograd. *conſ.* 86. *num.* 40. *lib.* 1. Unde dum Jura prohibent, ne vir occidat uxo- 80
rem, ne vir contrahat cum Moniali, ita extendi debent, ut comprehendant etiam uxores occidentes maritos, & fœminas contrahentes cum Monachis; Textus eſt clarus *in Clem. pr. de regul.* qua cavetur, ut Religioſi Mendicantes ex licentia Pontificis tranſeuntes ad non Mendicantes, vocem, & locum in Capitulo minime habeant; & tamen Gloſſa, ubi verbo *Quoslibet in fine*, extendit eandem prohibitionem etiam ad Moniales ſic tranſeuntes, *& in l. unica*, *C. de raptu virginum*, declaratur, 81
fœminam raptricem incurrere pœnas Raptus; quia vir & fœmina non ad imparia judicantur *cap. Si quis uxorem*, *el primo cauſ.* 32. *quæſt.* 1. ita nobiſcum ſentiunt Averſ. *de Matrim. qu.* 12. *ſect.* 3. *verſ. At affirmandum*. Pariſ. *de Reſignat. Benef. lib.* 12. *qu.* 4. *nu.* 32. & id probabile ait Sanch. *d. diſp.* 12. *n.* 24. ita etiam docent alii plures à dictis Sanch. & Averſa citati, & apertiſſime poſt illos docet Fontanell. *de Pactis Nupt. clauſul.* 5. *Gloſſ.* 5. *part.* 2. *num.* 54. ubi ex Angelo teſtatur, in Civitate Florentiæ 82
combuſtam fuiſſe quandam Meretricem, eo quod rapuerat quendam pulchrum Puerum, quem caſum refert etiam Clar. *l. c.* ubi pro hac opinione refert *Gloſſ. in d. l. unica*, *verbo Sponſam*; Marſilium, & alios.

Nota vigeſimo primo; quod quandocunque adfuerit Raptus, ſive is factus ſit conſentiente Rapta, ſi- 83
ve ea invita, nullo modo poterit concedi licentia contrahendi inter ſe matrimonium, niſi prius Rapta in loco tuto, & extra Raptoris poteſtatem poſita ſit: alias matrimonium inter dictos Raptorem, & Raptam ſubſecutum, nullum erit, & invalidum; quia quamvis ad evitandas pœnas contra Raptores ſtatutas, ea, quæ in quibuſdam caſibus ſupra adnotavimus, vera ſint, ad effectum tamen, ut non adſit Impedimentum matrimonium impediens, ac dirimens, 84
attenta diſpoſitione Concilii, neceſſe eſt, ut Rapta in loco tuto, & in plena libertate ponatur, & ejus voluntas circa matrimonium exploretur, & in illud libe-

libere consentiat, vide Bonac. *de Matrim. qu.* 4. *punct.* 18. *n.* 11. Aversa. *de Matr. qu.* 12. *sect.* 3. *vers. Dirimitque*. Filiuc. *d. cap.* 8. *n.* 262.

85 Porro Raptus crimen adeo Jura detestantur, ut si Raptor probare vellet Raptam rifisse dum ipsam rapuit, & proinde Raptui consensisse, non audiatur, Alexan. de Nevo *cons.* 12. *n.* 10. Menoch. *de Præ-*
86 *sumpt. dict. præs.* 4. *nu.* 22. Et si ob Raptum condemnatus sit appellare non possit. Marant. *in Speculo part.* 6. *vers. Appellatio*, *n.* 284. & ubicunque re-
87 periatur, puniri possit. Riccius *in Praxi Fori Eccles.*
88 *resol.* 82. *nu.* 1. & si cum Rapta se in Ecclesiam recipiat, Rapta adhuc auferatur ab eo. Gutier. *Practicab. Q. lib.* 3. *qu.* 5. *n.* 1. Sperell. *decis.* 127. *n.* 34.
89 Immo si Raptor, & Rapta dicant matrimonium inter se contraxisse, adhuc non evitabunt pœnas Raptus, si signa contraria extent, ut quia mulier plorabat, vel signa mœroris ostendebat, quia præsumitur seducta. Cæpolla *cons.* 56. *per totum*. Tuschus *d. conclus.* 6. *num.* 5.

90 Cæterum de Raptore Sponsæ alienæ adnotandum est, ut Impedimentum hujusmodi sit, ne postea possit cum quacunque alia matrimonium contrahere,
91 immo ipsamet Sponsa rapta, si copulæ consentiat, non poterit postea aliud matrimonium licite inire; si tamen contrahat, validum erit, quia id non est impedimentum dirimens. Glossa *in cap. Statutum* 34. *caus.* 27. *qu.* 2. Sanch. *d. disp.* 12. *n.* 43. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 9. *n.* 285. Ratio hujusmodi Impedimenti est, quia dum quis alienum matrimonium perturbat, debet & ipse prohiberi, ne
92 aliud contrahat: ad hoc tamen Impedimentum contrahendum requiritur, ut Sponsus de præsenti contradicat, nam si consentiat, vel non contradicat, seu copulam ignoret, non dicetur Raptus, nec erit inductum Impedimentum, quia non est perfecta injuria facta matrimonio, nec est violentia illata viro, quæ ad Impedimentum contrahendum attenditur. Sanch. *n.* 47. & 48. *l. c.* & quamvis rapiatur aliena
93 Sponsa, ad effectum cum ipsa contrahendi, adhuc incurretur Impedimentum, quia vere perturbatur alienum matrimonium: Quod idem procedere, si impor-
94 tunis precibus, quæ violentiæ æquiparantur, extorqueatur Sponsi consensus, docent Sanch. *lib.* 7. *disp.* 12. *n.* 48. & 49. Tancredi *de Matrim. lib.* 7. *qu.* 3. *num.* 13. & 14.

95 Tandem, ut huic Capiti finem imponam, concludo cum Pontio *de Matrim. lib.* 7. *cap. ultim. n.* 6. hoc Impedimentum locum habere in illis solis locis, in quibus Concilium Tridentinum receptum est; in aliis vero id servari, quod antiquo Jure statutum fuit *in cap. finali, de raptoribus*.

CAPUT XIX.

De Matrimonio Clandestino.

SUMMARIUM.

1 *Contrahentes matrimonium clandestine intra gradus prohibitos scienter, ex Sacro Concilio Tridentino separari debent, & spe Dispensationis carent; quod procedit etiamsi consummare ausi fuerint.*
2 *Et idem est, si ignoraverint, quia Solemnitates neglexerint.*
3 *Quod Decretum intelligitur de quocunque Impedimento ex quavis causa dirimenti.*
4 *Lex pœnalis ad alium casum extenditur, quando militat eadem ratio in lege expressa.*
5 *Immo magis attendenda est ratio, quam ipsa lex.*
6 *Virtus legis non consistit in proprietate verborum, & cortice, sed in mente, & sensu.*
7 *Clandestine contrahentes, ultra excommunicationem, & alias pœnas in Concil. Trid. statutas, incurrunt alias, in peculiaribus Constitutionibus Clementis V. & Clementis VII. decretas.*
8 *Tenor Constitutionis Clementis V. super matrimonio Clandestino.*
9 *Tenor Constitutionis Clementis VII. super eadem materia.*
10 *Dispensatio super matrimonio clandestino fraudulenter, & dolose celebrato inter conjunctos, concedi non potest ex Constitutione Pauli IV.*
11 *Tenor d. Constitutionis refertur.*
12 *Dispensationem super hujusmodi matrimonio clandestino Pontifices vel denegant, vel difficillime, & nonnisi ex causis urgentissimis concedunt.*
13 *Absolutio ab excommunicatione incursa per dictos contrahentes clandestine, licet non sit reservata Pontifici, nihilominus, quando manus imponit concedendo Dispensationem, manus Inferiorum ligantur.*
14 *Ad incurrendas pœnas prædictas, non sufficit matrimonium promittere, seu contrahere, & consummare, sed requiritur, ut coram Parocho, & Testibus cum scientia Impedimenti fiat; si enim non adsit præsentia Parochi, & Testium, non erit matrimonium.*
15 *Nec per consensum, ac copulam subsecutam ratificatur.*
16 *Clandestine contrahentes, non possunt testari, neque alios hæredes habere, quam venientes ab intestato.*
17 *Cadunt à potestate in filios legitimos.*
18 *Amittunt ipso Jure dominium suorum bonorum.*
19 *Cadunt à lucris dotalibus.*
20 *Fiunt eo ipso infames.*
21 *Et hæ pœnæ appellantur etiam Ecclesiasticæ, & comprehenduntur in mandato Pontificis ad dispensandum concesso.*
22 *Hæ pœnæ non incurruntur ante Judicis sententiam, & solum in foro fori.*
23 *Pœnas supradictas, & censuras incurrunt non Impediti, si de facto, & clandestine contrahant matrimonium, licet alii contradicant.*
24 *Nec easdem incurrunt, quamvis errore ducti putarent inter se adesse Impedimentum dirimens, quod tamen non adesset.*
25 *Minusque eas incurrunt contrahentes clandestine ob metum cadentem in constantem virum.*
26 *Impediti, qui coram Parocho, & Testibus matrimonium inter se contrahunt per verba de præsenti, sub conditione*, si Papa dispensaverit, *has pœnas non incurrunt.*
27 *Quod si absque d. conditione contractum sit, pœnas incurrent, & Matrimonium erit clandestinum.*
28 *Matrimonium duplici modo dicitur clandestinum: primo, si absque Denunciationibus: secundo, si absque præsentia Parochi, & Testium contrahatur.*
29 *Matrimonium contractum spretis Denunciationibus, erit illicitum, & clandestinum, at validum*, & num. 116.
30 *Matrimonium vero contractum absque Parochi, & Testium præsentia, erit non solum illicitum, & clandestinum, sed nullum, & irritum.*
31 *Quod procedit & in Matrimonio contracto in articulo mortis ad reparandum honorem fœminæ, ac legitimandum prolem, quod non poterit fieri absque interventu Parochi, & Testium.*
32 *Nec Episcopus potest dispensare, etiam in casu urgentissimæ necessitatis, ut Matrimonium, absque Parocho, & Testibus celebretur, quia Concilium Matrimonium aliter factum annullat.*
33 *Immo attenta d. prohibitione Concilii, nec Papa potest, absque justa causa, licite dispensare, quamvis Dispensatio sit valida, si concessa fuerit.*
34 *Parochus assistens Matrimonio clandestino, incurrit pœnam Suspensionis triennalis.*
35 *Sed ut eam incurrat, requiritur sententia Judicis.*
36 *Facta dicta declaratione, absolutio à d. pœna est Papæ reservata, nec potest Episcopus super ea dispensare*, num. 41.
37 *Testes hujusmodi clandestino Matrimonio assistentes extraordinarie puniuntur.*

38 *Eidem pœnæ subjicitur Parochus, qui licet hujusmodi Matrimonio non assisteret, tamen sciens, non prohibuisset.*

39 *Pœna tamen hujusmodi potest minui, vel prorogari, attenta qualitate facti.*

40 *Immo, & post Concilium eadem pœna est correcta, si Parochus assistat cum singulari Teste.*

41 *Matrimonium censetur in facie Ecclesiæ celebratum, quamvis in privatis domibus fiat, dummodo interveniant Parochus, & Testes.*

42 *Nec refert sive de die, sive de nocte celebretur.*

43 *Immo Ordinarius prohibere non potest, ne Matrimonia domi celebrentur.*

44 *Parochus tenetur assistere Matrimonio eorum, qui in ejus Parochia domicilium habent.*

45 *Subditus ille proprie dicitur, qui quoad domicilium subest.*

46 *Nomine Parochi venit quilibet Sacerdos, ab ipsomet Parocho, vel ab Ordinario deputatus ad assistendum Matrimonio, quamvis absque scriptura, sed oretenus deputatus sit.*

47 *Parochus tenetur adnotare in Libro propterea confecto Matrimonia suorum Parohianorum alias mortaliter peccat, &* n. 49.

48 *Quia cum ad Parochum spectet fidem facere de hujusmodi matrimoniis, debent probari per hujusmodi Librum.*

50 *Domicilium contrahitur statim, ac in loco quis cœpit habitare animo habitandi majori parte anni.*

51 *Nec erit expestanda d. major anni pars, sed statim, ac habitare, eo animo incipiunt, fiunt Parochiani.*

52 *Si fœmina coram suo Parocho Matrimonium ex aliqua causa invalidum contraxisset, & deinde ad domum Concubinarii se transferat, animo cum eo ibi permanendi, non posset valide Matrimonium coram d. suo Parocho de novo contrahere, seu ratificare.*

53 *Quod procedit, quamvis habens domicilium in una Parochia, in alia simulate, & animo proprium Parochum fraudandi, habitare cœperit; dummodo animum vere habeat in ea habitandi.*

54 *Matrimonium celebratum coram Parocho rurali, dum rus ad paucos dies, vel recreationis causa, incolitur, non valet.*

55 *Valebit tamen Matrimonium contractum coram Parocho loci, in quo quis moratur, tanquam Prætor, Judex, Medicus, &c.*

56 *Sufficit ad validitatem Matrimonii præsentia Parochi Sponsæ, vel Sponsi, nec vitiabit, si Parochus Sponsi in Parochia Sponsæ assistat, vel è contra.*

57 *Immo, nec peccabit Parochus assistens Matrimonio extra fines suæ Parochiæ, cessante scandalo, & accedente justa causa.*

58 *Limitatur tamen, si fieret invito, & contradicente Parocho loci.*

59 *Quilibet alius Sacerdos deputatus ab ipso Parocho potest assistere Matrimonio.*

60 *Immo hujusmodi delegatio Sacerdotis poterit fieri à Parocho, seu Ordinario extra fines suæ Parochiæ, vel Diœcesis, quia hujusmodi licentia non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quæ potest ubique exerceri.*

61 *Ordinarius poterit extra suam Diœcesim super Denunciationibus dispensare.*

62 *Parochus potest suas oves extra Territorium absolvere.*

63 *Domicilium habens in duabus Parochiis, & in eis æqualiter habitet, v. gr. tempore æstivo in una, & hyemali in alia, poterit in utraque Sacramenta recipere, & proinde Matrimonium contrahere.*

64 *Habitans in confinio duarum Ecclesiarum Parochialium, erit Parochianus illius Parochiæ, in qua domus aditum frequentatum magis habet.*

65 *Et si Domus haberet duas Portas, quarum quælibet in diversis Parochiis sita esset, censebitur Parochianus illius, in qua residet Porta principalis.*

66 *Parochus, quamvis esset irregularis, & excommunicatus, potest valide Matrimonio assistere, dummodo actualiter non sit depositus.*

67 *Ac poterit licentiam assistendi alteri Sacrdoti concedere.*

68 *Immo prædicta poterit, quamvis Beneficium amiserit, ut quia infra annum non fuerit promotus ad Sacerdotium, vel aliud incompatibile assecutus fuerit, quia titulo, & possessione non censetur adhuc spoliatus.*

69 *Parochus, quamvis adhuc Sacerdos non sit, potest matrimonio assistere.*

70 *Sed non poterit dare licentiam assistendi alteri non Sacerdoti.*

71 *Nec vitiabit, si talis Sacerdos delegatus à Parocho, non esset ab Ordinario approbatus, vel esset degradatus, vel excommunicatus, dummodo sit Sacerdos.*

72 *Nec vitiabit, quamvis Delegatus à Parocho vere esset Laicus, si communi existimatione reputaretur Sacerdos.*

73 *Matrimonium celebratum coram Parocho, qui se vere Parochum putabat, ratione vicinitatis, vel alia verisimili causa, validum est.*

74 *Assistere non posset Sacerdos, qui à Parocho excommunicato fuisset substitutus Vicecuratus durante Impedimento, quia talis Vicecuratus ad assistendum Curæ animarum ab excommunicato Parocho deputari nequit, cum sit Jurisdictionis.*

75 *Matrimonio non solum assistere potest Parochus, sed etiam Episcopus, & ejus Vicarius Generalis, Legatus, seu Nuncius Sedis Apostolicæ in Provincia sibi assignata, Cardinales in Ecclesia eorum Titulorum, Capitulum Sede vacante, necnon omnes Prælati Jurisdictionem Episcopalem habentes, respectu eorum, in quos habent Jurisdictionem, & tandem Summus Pontifex omnibus Christifidelium matrimoniis assistere potest.*

76 *Et hi omnes respectu eorum Subditorum, possunt alium Sacerdotem ad assistendum deputare.*

77 *Quod idem poterunt dictorum Prælatorum Vicarii Generales, quia vere Ordinarii sunt.*

78 *Vicarius tamen Foraneus, non poterit assistere, nec licentiam assistendi concedere, quia non comprehenditur sub nomine Ordinarii, nec facit unum, & idem Tribunal cum Episcopo.*

79 *Vicarius Generalis Episcopi, aliorumque Prælatorum, Jurisdictionem Episcopalem habentium, quamvis non sit Sacedos, adhuc assistere poterit matrimonio.*

80 *Idem dicendum de Episcopo nondum Sacerdote, qui nihilominus potest matrimonio assistere.*

81 *Archiepiscopus non potest conjungere in matrimonium subditos Suffraganeorum suorum, nec licentiam assistendi concedere, nisi in casibus ad eum per appellationem devolutis, & aliis permissis.*

82 *Quia non est Ordinarius in Diœcesibus suorum Suffraganeorum.*

83 *In actu tamen Visitationis hujusmodi licentiam assistendi concedere posset etiam inter personas suis Suffraganeis subditas.*

84 *Quia visitando dicitur Ordinarius etiam Diœcesis Suffraganei.*

85 *Ad validitatem Matrimonii, si celebretur coram Sacerdote ad assistendum deputato, requiritur, ut licentia præcesserit, alias est nullum; nec suffragatur, si postea subsequatur, nec per ratihabitionem.*

86 *Jurisdictio per ratihabitionem non confertur, sed debet esse formalis, & expressa concessio.*

87 *Delegatus ad assistendum matrimonio debet habere notitiam licentiæ sibi concessæ.*

88 *Quia hæc licentia, cum sit quoddam gratuitum privilegium, non dicitur perfectum, donec de illo scientiam non habeat ille, cui conceditur.*

89 *De hujusmodi licentia debet certo constare, cum ex ea pendeat valor, seu nullitas matrimonii.*

90 *Licentiam concessam fuisse, an Sacrdos delegatus*

gatus debeat credere contrahere volentibus, necne.

91 Licentia si extorta sit per metum cadentem in constantem virum, matrimonium nihilominus postea coram dicto Sacerdote secutum, erit validum.

92 Prout nec vitiabitur si à Parocho sit dolo, & mendaciis impetrata.

93 Licentia non vitiatur, si concessa sit ab Ordinario non intendente in animo eam concedere.

94 Revocata licentia, non vitiantur gesta post revocationem, si Delegato nondum intimata esset.

95 Matrimonium celebratum absque interventu Parochi est adeo nullum, ut nec sanari possit, quamvis contraheretur coram mille testibus, & semper erit clandestinum.

96 Præsentia Parochi est de essentia, nec per æquipollens potest suppleri.

97 Testes omnes ad matrimonium sunt idonei, sive sint masculi, sive fœminæ, sive consanguinei, etiam pater & mater, vel domestici, infames, impuberes, dummodo rationis compotes sint.

98 Neque obstabit si testes dolo, vel ad aliud vocati sint, dummodo sint præsentes, etiam per vim retenti, & consensum contrahentium intelligant.

99 Aliter tamen dicendum, si Parochus, vel Testes ebrii essent, vel infantes, quia his in casibus matrimonium non valeret.

100 Præsentia Parochi, & Testium debet esse simultanea, & non successiva.

101 Parochi, & Testium præsentia est de forma; & quæ sunt de forma, debent intervenire eodem tempore, quo actus in esse producitur.

102 Parochus quamvis contradiceret, & assistere recusaret, nihilominus valide contraherent, si cætera concurrant.

103 Matrimonium si contrahendum sit per Procuratorem, non erit necessaria ætas, quæ requiritur in Procuratore ad celebrandum instrumenta laicalia, sed sat est ut habeat usum rationis, & possit consensum sui Principalis explicare.

104 Opinio eorum, qui tenent, sufficere Testes in matrimonio intervenire pariete intermedio, dummodo notam vocem habeant, non est amplectenda in re tam gravi.

105 Cœcus non est in matrimonii materia testis habilis, etiamsi contrahentium notas voces habeat.

106 Si Parochus, & Testes assistant, non vitiabitur matrimonium, quamvis per Interpretem mutuus consensus exprimatur.

107 Quia matrimonia per Interpretem contrahi possunt.

108 Matrimonium per Interpretem celebratum, est validum, etiamsi contrahentes dicant Interpretem fuisse mentitum, dummodo de partium consensu electus fuerit.

109 Solemnitates Concilii habent locum in locis, in quibus Concilium ipsum est receptum; in aliis vero locis erunt valida, si celebrentur prout ante Concilium.

110 Solemnitates Concilii licet non serventur per Catholicos in Regionibus, quæ temporali Dominio Hæreticorum subsunt, ubi carentes Parochis, contrahunt coram Prædicante, tamen matrimonia sunt valida.

111 Si in aliqua Civitate sit publicatum Decretum Concilii, hodie tamen excluſi sint proprii Pastores, cum Catholici sint in statu, quod non possint servare Solemnitates, valide contrahent absque eis.

112 Si incola loci, ubi promulgatum est, & viget Concilium, se transferat ad locum, in quo Decretum non sit promulgatum, validum erit matrimonium ibi per eum contractum absque præsentia Parochi, & Testium.

113 Idque procedit tam in locis Fidelium, in quibus promulgatio Decreti defuit, quam in Regionibus Infidelium, in quibus promulgatio non est expectanda.

114 Verum si incola loci, in quo Decretum Concilii non est receptum, veniat ad locum, ubi est promulgatum, quamvis etiam per solum transitum, & velit ibi contrahere, non valebit matrimonium absque præsentia Parochi, & Testium.

115 Denunciationes matrimonii in Parochiis utriusque Sponsi, si sint ex diversis Parochiis fieri debent.

116 Denunciationes non sunt de essentia matrimonii, & sunt constitutæ ad detegendum Impedimentum, quod licet vere non adsit, nihilominus sunt faciendæ.

117 Matrimonio celebrato spretis Denunciationibus, si super eo Impedimentum detegatur, & Dispensatio petatur, quamvis ante celebrationem nulla Impedimenti suspicio adesset, exprimenda erit omissio earum, alias Dispensatio erit invalida.

118 Matrimonio celebrato spretis Denunciationibus, si postea detegatur Impedimentum occultum, in quo casu necessitatis Episcopus posset dispensare, hoc tamen casu non poterit, quia ob d. omissionem reddiderunt se Dispensatione indignos.

119 Amplia, id procedere etiam quando fraudulenter, & dolose licentiam omittendi Denunciationes ab Ordinario extorserint.

120 Quod procedit, etiamsi cum ignorantia Impedimenti contractum fuerit matrimonium.

121 Et filii exinde suscepti erunt illegitimi, detecto Impedimento dirimenti, ex quo erit nullum, & clandestinum matrimonium ob spretas Denunciationes, & num. 124.

122 Quod procedit quamvis alter Conjugum esset in bona fide.

123 Immo etiamsi essent dubii de validitate matrimonii.

125 Filii, ut sint legitimi, duo copulative requiruntur, nempe publicitas in contrahendo, & bona fides contrahentium.

126 Denunciationes fuisse omissas, vel de licentia Ordinarii remissas, est exprimendum in Supplicatione ad obtinendum Dispensationem super matrimonio clandestino, & irrito ob Impedimentum detectum, alias Dispensatio non valet.

127 Præsumptio, quod Denunciationes præcesserint ex diuturnitate temporis, habet locum quoad favorem legitimitatis prolis, & pro foro externo, non vero si agatur de petenda Dispensatione, detecta post celebratum matrimonium.

128 Nonnulli probabiliter docent eos, qui spretis Denunciationibus contraxerunt quamvis cum ignorantia Impedimenti, attenta gravitate Præcepti, peccare quoties inter se copulam habent, quia se exponunt periculo, quod adsit aliquod Impedimentum.

129 Si vero bona fide, de licentia Ordinarii, absque dolo, & fraude fuerint omissæ, prout justa causa omitti possunt, tunc, quamvis postea Impedimentum detegatur (dummodo tempore celebrati matrimonii ignorantiam ejusdem haberent) nullam incurrunt pœnam, & num. 130.

131 Unde si Impedimentum sit occultum, & concurrant alia requisita, poterit hoc casu Episcopus dispensare; & si petatur à Pontifice, facilius dispensabit.

132 Ordinarius absque justa, & rationabili causa dispensans, ut Denunciationes omittantur, peccat mortaliter, & Dispensatio est illicita.

133 Quia requiritur justa causa ad dispensandum, & num. 134.

135 Hujusmodi tamen justas causas Ordinarius non tenetur judicialiter cognoscere, sed sufficit, ut ipse sciat adesse.

136 Et tutius procedet, si saltem duos testes super eadem justa causa summarie examinabit, qui eam justificent.

137 Non est tamen necesse, ut hujusmodi informationes in actis redigat, nec processum fabricet.

138 Sed sufficit, ut in Decreto Dispensationis asserat, quod ex justis causis animum suum moventibus, & coram eo verificatis, dispensat.

139 *Dispensatio super omissione Denunciationum potest fieri ab Ordinario, etiam extra suam Diœcesim, cum non sit actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ.*

140 *Formula d. Dispensationis.*

141 *Ordinarius tenetur, si justa causa concurrat, dispensare super Denunciationibus Postulantes, maxime si ob dictam justam causam sequeretur scandalum, vel suspicio esset malitiosi Impedimenti.*

142 *Immo habens justam causam, si non dispenset, peccat mortaliter, si ex denegatione sequeretur damnum publicum, aut privatum, aut scandalum; secus autem eo secluso,* & num. 143.

144 *Si de malitioso Impedimento, & de scandalo timeretur, & Ordinarius adiri non posset pro Dispensatione, vel ipse injuste denegaret, unde imminerent gravia scandala, & periculum esset in mora, posset Parochus, dimissis Denunciationibus, assistere hujusmodi matrimonio.*

145 *Et sic contractum esset validum.*

146 *Quando Dispensatio est debita, & Ordinarius denegat, potest à d. denegatione appellari.*

147 *Appellatio vero an detur ad effectum suspensivum, & devolutivum, vel ad utrumque, & quando,* & num. 148.

149 *Quando datur appellatio ad effectum devolutivum, Superior tenetur vel dispensare, vel cogere Inferiorem, ut dispenset.*

150 *Si Sponsi sint diversarum Diœcesum, poterit utriusque Episcopus cum ambobus dispensare super Denunciationibus, quia in hac re Contrahentes censentur unica persona, & ratione connexitatis potest alteruter Episcopus utrumque Sponsum dispensare,* & num. 151.

152 *Episcopus alterum delegare potest, ut dispenset.*

153 *Quod idem potest facere Vicarius Generalis, sed in casu particulari.*

154 *Quamvis Dispensatio super Denunciationibus concedatur, & matrimonium celebrari possit, tamen remanet obligatio, ut fiant ante matrimonii consummationem, alias peccabunt mortaliter, cum se exponant periculo, quod adsit Impedimentum dirimens.*

155 *Potest Ordinarius, si melius sibi videatur, ut dd. Denunciationes omittantur, eas remittere, quia id totum ejus prudentiæ est remissum.*

156 *Quæ tamen prudentia debet regulari cum arbitrio boni viri.*

157 *Causæ justæ à Denunciationibus dispensandi, quot, & quæ sint, cognitio ad Ordinarii arbitrium collatum est, quod tamen regulari debet à prudentiæ legibus.*

158 *Disparitas status notabilis Contrahentium est causa sufficiens concedendi d. Dispensationem.*

159 *Quod idem procederet si ambo Contrahentes essent valde senes, & ægre ferrent fieri publicationes, eo quod, ut plurimum deriduntur, cum irreverentia ejusdem Sacramenti.*

160 *Secunda causa est, si virgo sit sub tutela iniqui Tutoris, qui eam viro ignobili, & disparis conditionis tradere intendit.*

161 *Tertia causa est, quando nullus adest trimor Impedimenti; qui si non adsit, Denunciationes, ob quem finem fuerunt inductæ, dispensari possunt.*

162 *Quarta est, dum Magnates sunt contracturi, quia non contrahunt ipsi, nisi cum magna deliberatione, & eorum Impedimenta sunt nota, dummodo tamen hi sint noti Ordinario, aliisque gravibus personis, & Ordinarius sciat non adesse Impedimentum.*

163 *Quinta est, si aliqui in Concubinatu permanentes, existimentur tanquam vir, & uxor, & ob verecundiam nollent eorum matrimonium publicari.*

164 *Sexta est, secundum aliquos, quando instat tempus, quo nuptiæ prohibentur; & si expectaretur, non possent ipsæ nuptiæ benedici, vel fornicationis periculum esset.*

165 *Id tamen non admittendum casu, quo appareret, ipsos contrahere volentes ex malitia voluisse nuptias differre ad illud tempus, ut Denunciationes omitterentur; nam secluso periculo urgenti, Dispensatio concedi non debet.*

166 *Nec hæc causa temporis admittitur per Concilium Provinciale Mediolani.*

167 *Si tamen cum d. causa temporis prædicti conjungeretur imminens periculum fornicationis, vel quid simile, poterit Ordinarius dispensare.*

168 *Septima causa à multis reputatur esse, dum post matrimonium legitime contractum reperiatur aliquod Impedimentum occultum, super quo Dispensatio jam facta sit.*

169 *Id tamen existimatur procedere juxta opinionem eorum, qui etiam in casu Impedimenti occulti sentiunt debere convalidari matrimonium coram Parocho, & Testibus, quia tunc requirerentur novæ Publicationes, vel saltem esset necessaria Dispensatio.*

170 *Sed nos in casu Impedimenti occulti, & Dispensationis super eo legitime factæ, certe existimamus non esse repetendas Denunciationes.*

171 *Octava causa est, dum repentinus casus offert rationem status contrahendi matrimonium, ut si qui in Concubinatu deprehensi essent plectendi à Judice, & ut pœnam vitarent, possent dispensari à Denunciationibus.*

172 *Sic pariter si quis esset statim longe abiturus, & ad reparandum honorem fœminæ, vel ad prolem legitimandum, vellet ex improviso ante discessum contrahere.*

173 *Nona causa est periculum animæ, ut, si duo concubinarii velint contrahere matrimonium, ut in bono statu constituantur, & interim dubitaretur, quod carnaliter commiscerentur.*

174 *Decima causa est, dum ex dilatione tot dierum timerent sibi aliquod grave damnum, molestiam, aut amissionem.*

175 *Undecima, si periculum adsit, ut alter ex Contrahentibus voluntatem mutet, & in præjudicium animæ tenderet, veluti si esset meretrix, & timeretur, ne rediret ad lupanar.*

176 *Duodecima est, evitatio scandalorum, ob aliquam factionem, quæ cessaret statim secuto matrimonio; maxime si timeretur, quod de facto matrimonium impediretur.*

177 *Dummodo tamen contrahere volentes sint legitimæ ætatis, & in eorum plena libertate, remota fraude, & dolo.*

178 *Decimatertia est, si quis in mortis articulo constitutus velit Concubinam ducere, ut prolem legitimaret, & securior obiret.*

179 *Immo si eo casu periculum sit in mora, nec Ordinarius adiri posset, nec adsit Impedimentum dirimens, quamvis sit in casu non permisso matrimonio assisteret absque Denunciationibus factis, vel non habita ab Ordinario licentia, peccet mortaliter, & pœnas incurrat; tamen Parochus poterit licite, & valide assistere, cum adsit causa urgentissima,* & num. 180.

181 *Debet tamen Parochus, si infirmus convalescat, facere Denunciationes ante matrimonii consummationem.*

182 *Decimaquarta causa est, si vir fœminam defloraverit, & damnum amissæ virginitatis reparare intendit, & periculum esset in mora.*

183 *Idem erit, si duo sibi invicem dedissent fidem de matrimonio contrahendo, & alter tam levis esset, ut probabiliter à fide resiliret, & expediat utrique Contrahenti scilicet, ne resiliendo peccet, & alter fraudetur matrimonio.*

184 *Decimaquinta est probabilis suspicio, ut matrimonium malitiose, & injuste impediri possit.*

185 *Tunc enim una tantum Denunciatione præmissa, vel omnibus præteritis, Ordinarius poterit dare licentiam matrimonium celebrandi, cum clausula, quod Sponsi abstineant à copula, donec fiant Publicationes.*

186 *Si tamen impediretur non malitiose, sed ex causa, veluti si filius contrahere vellet cum persona inhonesta, infami, vel satis inferioris conditio-*

ditionis, pater haberet justam causam impediendi, nec esset causa justa dispensandi; secus tamen si pater non haberet justam causam impediendi.

187 *Regulariter tamen præsumuntur parentes injuste matrimonium impedire, maxime si filii habeant Novercam.*

188 *Decimaseptima, si aliquibus valde expediret conjugium, & timor esset, ut impediretur.*

189 *In omnibus casibus, in quibus olim licita erant matrimonia clandestina, nunc justa est causa dispensandi à Denunciationibus.*

190 *Casus, in quibus Ordinarius teneatur dispensare, referuntur; & si deneget, culpæ reus erit.*

191 *Parochus in casibus, quibus Ordinarius adiri non potest, tenetur matrimonio assistere, etiam Denunciationibus omissis, si justa, & urgentissima causa concurrat,* & num. 192.

193 *Tamen quando contrahentes vellent omittere in spretum Ecclesiæ, tunc non tenetur assistere, sed potius mori.*

194 *Denunciationes, ut rite, & valide fiant, debent Festis diebus inter Missarum solemnia fieri, dum multitudo Populi in Ecclesia adest.*

195 *Nec potest Episcopus dispensare, ut ferialibus diebus fiant.*

196 *Possunt tamen fieri die pro Festo habito, quando ingens Populi multitudo conveniat.*

197 *Denunciationes hujusmodi continuis diebus fieri non debent, sed inter unam, & alteram, duorum dierum intervallum interponi debet.*

198 *Si infra quatuor menses post factas Denunciationes matrimonium non contrahatur, erit opus illas repetere, vel saltem unam, vel duas ad arbitrium Ordinarii.*

199 *Quando Denunciationes omittuntur, & matrimonium contrahitur, debent infra octo dies à die contracti matrimonii fieri, & interim consummari non debet matrimonium.*

200 *Episcopus non potest ratione hujusmodi remissionis, & Dispensationis Denunciationum imponere aliquam mulctam pecuniariam.*

201 *Excipe tamen, nisi aliquod delictum præberet justam causam dispensandi, v. gr. ob concubinatum, vel defforationem, quia tunc non ratione Dispensationis, sed in pœnam delicti potest mulctam injungere.*

202 *Dispensationem à Denunciationibus concedere potest non solum Episcopus, sed etiam Vicarius Generalis.*

203 *Dum aliquid Episcopo concessum est, persona Vicarii non censetur exclusa, sed potius sub ejus dispositione comprehensa.*

204 *Et proinde in nominatione Episcopi facta in Concilio, nisi facta sit cum dictione taxativa* tantum, *includitur Vicarius Generalis.*

205 *Unde à sententia Vicarii non licet appellare ad Episcopum.*

206 *Appellatio datur de minori Judice ad majorem.*

207 *Prælati inferiores Episcopo, Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, hujusmodi Dispensationem cum Subditis concedere possunt.*

208 *Prælati exempti, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem, possunt regulariter ea omnia facere quæ sunt Jurisdictionis.*

209 *Quod procedit, & in Abbatibus, qui habent Jurisdictionem.*

210 *Denunciationibus factis, sciens inter contrahentes adesse aliquod Impedimentum, quamvis sit occultum, & probari non possit, tenetur manifestare.*

211 *Nec excusabitur ab obligatione denunciandi, quamvis exinde secuturum sit damnum tertio, & quamvis ipse solus sciat, & sub secreto acceperit, vel audiverit dici ab aliis.*

212 *Nec tamen tenetur, si accepisset à persona nil certum sciente, vel levi, vel si non meminit à quibus audierit.*

213 *Impedimentum denuncians, non est necesse, ut sit omni exceptione major, dummodo sit fide dignus.*

214 *Nec rejicitur à testificando, quamvis sit criminosus, vel sanguine alterutri parti conjunctus, & suam turpitudinem allegaret.*

215 *Deponere tamen debet cum juramento, referendo causam sui dicti.*

216 *Denuncians Impedimentum Consanguinitatis, vel Affinitatis, sufficit si deponat de auditu à Majoribus, & gradus ipsos distincte referat, ex utraque parte illos computando.*

217 *Denuncians Impedimentum, si nolit, non debebit parti nomen suum publicari, nisi Sponsalia jurata præcessissent.*

218 *Denuncians falsa Impedimenta ad impediendum matrimonium, pœna extraordinaria est puniendus à Judice Ecclesiastico.*

219 *Requisita ad hoc, ut unicus testis impediat matrimonium contrahendum.*

220 *Quamvis præsumi possit, quod Impedimentum ab aliis reveletur, non tamen quis excusatur, nisi sciat fuisse revelatum.*

221 *Si Impedimentum sit occultum, & ex ejus manifestatione oriri posset infamia, tunc prius debebit Impeditos admonere; quod si à Conjugio non desistant, vel Dispensationem non obtineant, tenetur revelare.*

222 *Limita tamen, quando Impedimentum adeo occultum sit, ut ipse solus noverit, & oriretur ex infamia, aut peccato, & contrahentes sint in bona fide, & exempla afferuntur,* nu. 223. & 224.

225 *Parochus sciens extra Confessionem inter contrahere volentes adesse Impedimentum, quod ipse solus sciat, & si præhabita monitione non desistant à contrahendo, tenetur Ordinario denunciare; & hoc casu deponet uti testis cum ipse non sit Judex.*

226 *Ordinarius autem, qui Judex est, si ipse solus sciat Impedimentum occultum, quod probari non potest, assistere poterit, vel alium deputare ad assistendum, quia cum ipse sit Judex, non potest esse testis.*

227 *Scitus Impedimentum sub sigillo Sacramentalis Confessionis, non tenetur illud manifestare.*

228 *Secus tamen si sciat extra Confessionem Sacramentalem, licet habeat sub sigillo Confessionis, & recepisset flexis genibus,* num. 230.

229 *Secretum naturale non est servandum, quando tenderet in præjudicium tertii.*

231 *Impedimentum occultum quis non tenetur revelare, si prudenter timent sibi ex d. revelatione secuturum maximum detrimentum, vel magnum scandalum, & exemplum affertur,* nu. 232.

233 *Nec quis tenetur revelare, quando non posset absque gravi incommodo facere.*

234 *Impedimentum occultum denunciare quis non tenetur, si sciat super eo Dispensationem fuisse jam obtentam, dummodo sit adeo occultum, ut publicari non possit; quia si verisimiliter posset manifestari, & Dispensatio obtenta esset pro foro conscientiæ tantum, teneretur hoc casu denunciare.*

235 *Impedimenta quoque tantum impedientia, licet non dirimentia, denunciari debent.*

236 *Quid faciendum sit à Parocho, vel Ordinario, cui impedimenta occulta denunciata fuerunt.*

237 *Forma petendi Dispensationem super matrimonio clandestine contracto, cum Impedimento dirimenti, & quomodo Dispensatio concedatur,* n. 238.

239 *Pontifex difficilliter dispensat super matrimonio clandestino; & dispensando, multas conditiones adjicit à Delegato servandas, & quas.*

240 *Si adesset culpa Parochi, debet ea exprimi Pontifici, & tunc additur in literis Clausula,* Punito Parocho arbitrio Ordinarii.

241 *Parochus, qui dolo interfuit matrimonio clandestino, puniri potest pœna arbitraria, sed etiam triennali suspensione.*

242 *Pontifex ex quibus causis moveatur ad dispensandum super matrimonio clandestine celebrato.*

243 *Si impediti inter se contrahant, non tamen consumant, sub conditione* si Papa dispenset, *non incurrent excommunicationem, neque alias pœnas.*

244 *Qui clandestine contraxerunt, si nullum aliud adsit Impedimentum, non egebunt Dispensatione, si*

iterum velint rite contrahere juxta formam Concilii Tridentini.

245 *Quando tamen hujusmodi matrimonium clandestinum esset publicatum, & timerentur scandala, opus esset licentia Episcopi ad iterum contrahendum.*

1 COntra eos, qui clandestine, & de facto matrimonium contrahunt, extat Decretum Sacros. Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Reform. Matrimonii, cap.* 5. quo decernitur: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe Dispensationis careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed & consummare ausus fuerit: Quod si ignoranter id fecerit, siquidem Solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit,* 2 *eisdem subjiciatur pœnis; non enim dignus est, quod benignitatem Ecclesiæ facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.*

Hoc Decretum ampliant Doctores mox citandi, ut intelligi debeat, non solum de impeditis ratione Consanguinitatis, vel Affinitatis verum etiam 3 ex causa cujuscunque alterius Impedimenti dirimentis, quia eadem prorsus ratio militat; & ubi 4 eadem ratio in Textu expressa omnino militat, Lex, quantuncumque pœnalis, ad illum casum extenditur; Ita Sanchez *de Matrimon. lib.* 3. *disp.* 42. *n.* 4. Bossius *de Matrim. contractu, cap.* 8. *n.* 27. *& cap.* 11. *num.* 165 Layman. *Theol. Mor. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. Avers. *de Matrim. qu.* 7. *sect.* 3. *vers. At vero.* Corradus *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 8. *cap.* 3. *n.* 2. quamvis etiam verba deficiant. Sperellius *decis.* 112. *num.* 11. Ratio namque est anima Legis: Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *qu.* 40. *num.* 5 19. Sperell. *decis.* 147. *n.* 47. Immo magis est attendenda ratio, quam ipsamet Lex Paris. *de Resignat. Benef. lib.* 9. *qu.* 4. *n.* 20. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 48. *n.* 55. quia virtus Legis non consistit 6 in proprietates verborum, & cortice, sed in mente, & sensu, *l. Scire oportet, §. Aliud. ff. de excusat. tutor.*

7 Ultra dictas pœnas à Concilio statutas, incurrunt etiam sic clandestine contrahentes excommunicationem, & alias pœnas, & præjudicia in peculiaribus Constitutionibus Clementis V. & Clementis VII. contenta, quarum tenores hic subnectere placuit; Prima est videlicet.

8 *Eos, qui Divino timore postposito in suarum periculum animarum, scienter in gradibus Consanguinitatis, & Affinitatis, Constitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; nec non Religiosos, & Moniales, ac Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere; præcipientes Ecclesiarum Prælatis, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuncient, seu à suis Subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab invicem, & Absolutionis obtinere beneficium mereantur; Per prædicta quoque Juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.*

Alia Clementis VII. infra sequitur.

9 *Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis salutem, & Apostolicam Ben dictionem. Quia plerumque in futurorum eventibus imbecillitas humani judicii adeo fallitur, ut quod utile non solum conjuctura, sed etiam attenta, & provida consideratio pollicebatur, id prorsus inutile, & animarum saluti maxime damnosum reperiatur Propterea nonnunquam expedit, ut Gratiæ, quæ olim consulto, & rationabili de causa concedi videbantur, multo consultius in posterum denegentur, id quod necessitas præsentis provisionis evidenter ostendet. Sane postquam fœlicis recordationis Clemen. Papa V. Prædecessor Noster in Concilio Viennensi eos, qui Divino tempore postposito in gradibus Consanguinitatis, & Affinitatis contra Canonicas sanctiones matrimonia scienter in suarum periculum animarum contrahere præsumpsissent, excommunicationis sententiæ ipso facto decreverat subjacere; præcipiendo Ecclesiarum Prælatis, ut tamdiu excommunicatos publice nunciarent, seu nunciari facerent, donec separarentur ab invicem, & beneficium Absolutionis obtinerent; Sedes Apostolica, & Romani Pontifices Prædecessores Nostri considerantes gravia oriri posse scandala, si matrimonia hujusmodi scienter contracta, & carnali copula consummata, per divortium dirimerentur; ad obviandum hujusmodi, scandalis, & ne mulieres perpetuo diffamatæ remanerent, inducebantur ad dispensandum cum illis, qui in gradibus hujusmodi prohibitis matrimonia ipsa scienter contraxissent; propter quod multi volentes in gradibus prohibitis matrimonia contrahere, ac sperantes veniam, & absolutionem, ac Dispensationem à Sede prædicta facilius obtinere posse, illa passim contrahere, & carnali copula sub tali spe consummare præsumpserunt: Quæ abusio, & corruptela cum jamdiu propter inveteratam hominum malitiam, & nimiam d. Sedis in absolvendo, ac dispensando facilitatem adeo creverit, ut cupientes in gradibus prohibitis hujusmodi contrahere, nullo pacto id facere vereantur, & unde scandalis remedia petebant, inde scandalorum materia, & occasionata videatur. Nos, quorum interest Agrum Domini ita colere, ut virtutes in eo crescant, abusiones vero quæcunque tollantur, ac malis moribus via, & aditus omnis præcludatur hujusmodi fraudibus, & dolis, per quos multi Dispensationes in præjudicium animarum suarum è nobis extorquere, ac clementia, & misericordia Apostolica sub spe veniæ, quæ ut experientia rerum magistra docet, peccandi viam pandit abuti non cessant, obviare volentes, habita super his cum Fratribus nostris matura deliberatione, de ipsorum Fratrum consilio, omnibus denunciandum, seu intimandum duximus, quod in posterum cum illis, qui in gradibus prohibitis matrimonia scienter contraxerint, etiamsi illa consummaverint, non intendimus dispensare; sed illa, scandalis, quæ oriri posse formidaretur, minime, attentis, omnino separari mandabimus: Absolutionem dumtaxat penitentibus misericorditer concessuri, cum gratia dignus non sit, qui Canonum conditorem contemnit, illique cum animæ suæ detrimento injuriam facit; & ut intentio nostra facilius ad effectum perducatur, ac omnibus innotescat, vobis, & vestrum cuilibet in virtute S. Obedientiæ mandamus, quatenus præsentes Literas, seu earum transumpta, quibus manu publici Notarii subscriptis, & alicujus Prælati, seu in Ecclesiastica Dignitate constituti, Sigillo munitis, eandem prorsus fidem, ac ipsis originalibus Literis præstari volumus, in singulis Ecclesiis Civitatum, & Diœcesum vestrarum etiam vulgari sermone publicari, & ipsarum Ecclesiarum Valvis affigi faciatis, ne aliquis ullo unquam tempore hujus nostræ incommutabilis intentionis, & voluntatis ingnorantiam prætendere, seu allegare possit. Nulli ergo hominum liceat hanc Paginam Nostræ intentionis mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1524. sexto decimo Kal. Septembris, Pontificatus Nostri Anno Primo.*

Aliam insuper Constitutionem edidit Paulus IV. 10 qua non solum adimit spem obtinendi Dispensationem super matrimonio sic fraudulenter, & dolose inter conjunctos infra secundum gradum contracto, verum etiam prohibet omnino, ne Dispensatio super hujusmodi matrimonio contrahi possit; cujus Constitutionis tenor infra sequitur.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei: Ad per 11 *petuam rei memoriam: Ab ea ipsa die, qua Divina bonitas nos (licet tanto oneri impares) regendæ universalis ejus Ecclesiæ præficere dignata est, nunquam cessavimus cogitare, quo pacto singuli abusus nostra diligentia tollerentur, diversas superinde Constitutiones, juxta casuum exigentiam, quotidie promulgan-*

mulgando, & publicando: Hinc est quod cum (sicut nobis nuper innotuit) à nonnullis annis citra introductum sit, ut qui matrimonium in secundo Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu contrahere anhelant, scientes se Dispensationem à Sede Apostolica super hujusmodi matrimonio contrahendo obtinere non posse, sub fiducia illam super eodem matrimonio, postquam contractum fuerit, reportandi, matrimonium ipsum de facto contrahant, ac carnali copula consumment, excommunicationis sententiam in Concilio Viennensi contra matrimonia in gradibus prohibitis scienter contrahentes promulgatam damnabiliter incurrendo. Et deinde sub prætextu, quod si divortium fieret, gravia exinde inter eos, & eorum Consanguineos, & Affines scandala possent verisimiliter exoriri, & mulier perpetuo diffamata remaneret, absolutionem necessariam & Dispensationem opportunam, quasi sibi debitas, concedi expostulent, sicque absolutionem, & Dispensationem (quas alias non obtinerent) eo prætextu, ut plurimum reportent in scandalum plurimorum. Nos considerantes præmissa causam tribuere delinquendi, & incestum committendi, ac ex delicto, loco pœnæ, commodum, & appetitus satisfactionem reportari, malitiis hominum occurrere volentes, per has nostras omnibus innotescere volumus, quod nos lapso tempore infra, quod notitia præsentium in partibus ex quibus similes Dispensationes peti continget, verisimiliter haberi potuerit, Absolutiones, & Dispensationes hujusmodi ex prætextu predicto, etiamsi proles ex matrimonio sic contracto subsecuta fuerit, nullatenus, sed solum ex causa urgentissima pro bono publico, & à Jure considerata, per nos tantum, & non alium approbanda, concedemus; & quod Dispensationes ex alia causa nostris temporibus perpetuo exulabunt, quod nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicantes. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis infrigere, vel ei ausu temerario contraire: Si qui autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno I. D. 1555. Idibus Decembris; Pontificatus Nostri Anno Primo.

Ex tenore dictarum Constitutionum clare constat, quam grave scelus sit matrimonium scienter, & clandestine ab Impeditis contrahi, & quantum Summi Pontifices ab eodem scelere abhorreant; unde merito Dispensationem super hujusmodi matri-
12 monio, vel denegant, vel difficillime, & nonnisi ex urgentissimis causis, & cum multis modificationibus concedunt, prout in ejus formula adnotavimus.
13 Et licet absolutio ab excommunicatione, ut supra, in dicta Clementina *Eos* imposita, non sit Poncifici reservata, ut ex Clementina prima *de Consanguinit.* & docent *Gloss.* ibi *penult.* & Navarr. *lib. 5. Concil. titulo de Privileg. conf. 1. nu. 3. in prima editione*; nihilominus quia Papa concedendo Dispensationem assumit totum factum, ac negotium, ligantur manus inferiorum; unde alius à Papa non poterit absolvere, per ea, quæ diximus *c. 18. n. 19.*

Sunt tamen videnda, quæ diximus *lib. 1. cap. 4.* ubi adnotavimus, quod ad incurrendas hujusmodi pœnas non sufficit promittere matrimonium, & de facto inter se contrahere, ac etiam habere copulam,
14 sed requiritur omnino, ut matrimonium coram Parocho, & Testibus cum scientia Impedimenti dirimentis contrahatur; si etenim non adsit præsentia Parochi, & Testium, non est matrimonium, ut docent Doctores ibi citati; immo nec per consensum, ac copulam subsecutam convalidabitur, itaut
15 possit esse verum matrimonium, quia ratificatio matrimonii clandestini mediante copula, cessavit post Concilium. Marant. *part. 1. resp. 6. n. 89.* Avers. *de Matrim. qu. 2. sect. 2. vers. Id vero totum*, Piasec. *in Praxi Episc. part. 2. cap. 4. num. 31.* Navarr. *lib. 4. Cons. titul. de spons. cons. 38. prim. editione.*
16 Aliis etiam pœnis, & præjudiciis de Jure Civili inflictis subjaceant sic clandestine contrahentes, quia non possunt testari, nec alios successores habere, nisi eos, qui alias veniunt ab intestato, *l. si quis*
17 *incesti 6. C. de incest. & inut. nupt.* cadunt à testate in filios alias legitimos; dict. Auth. *Incestas nuptias*; cadunt ipso Jure à dominio suorum bonorum, 18
cap. Cum secundum leges 19. de hæret. in 6. d. Auth. Incestas nuptias; cadunt à juribus dotalibus, *l. qui contra 4. C. de incest. & inut. nupt.* fiunt eo ipso 19
infames. dict. Auth. *Incestas nuptias*, multisque aliis 20
pœnis sunt puniendi. Et cum omnes dictæ pœnæ canonizatæ fuerint per Clem. unicam, *de consanguinit. & affinit.* ideo hæ pœnæ appellantur etiam pœnæ Ecclesiasticæ, & proinde comprehenduntur etiam in mandato Pontificis ad dispensandum con- 21
cesso. Hæ tamen pœnæ non incurruntur ante Judicis sententiam, & solum incurrunt in foro fori; *d.* 22
cap. Cum secundum leges, & l. ejus, qui delatorem 29.

An autem hujusmodi pœnas, & Censuras incurrant non impediti, si de facto, & clandestine inter 23
se matrimonium contrahant, dissident Doctores; nonnulli affirmant, inter quos Cæval. *QQ. Comm. contra Communes qu. 5. à n. 8.* Rot. *in Lucana Hospitalis de Insula, 13. Junii 1576. quæ est Decisio 8.* apud Farinac. *in Decisionib. 2. tom. Consilior. Crimin.* & plures alii, quos refert Sanch. *lib. 3. disp. 2. à nu. 3. usque ad n. 5.* tamen probabilius negant alii, relati à Sanchez *lib. 3. d. disp. 2. num. 5.* Gutier. *de Matrimon. cap. 53. n. 3.* Bos. *de Matrim. contractu, cap. 6. n. 4.*

Amplia, ut nec easdem pœnas, & censuras incur- 24
rant, quamvis falso errore ducti putarent inter se adesse Impedimentum dirimens, quod tamen vere non esset, textus est *in cap. Si vero d. 2. de sent. excommunic.* & docent Sylvest. *in Summa, verbo Excommunicatio 9. num. 77. vers. Tertio, quod si contraxit*; nec pariter incurret pœnas contra clandesti- 25
ne scienter contrahentes statutas, qui metu cadente in constantem virum contrahit. Sylvest. *verbo Excommunicatio 9. num. 78. vers. Quinto.*

Prout nec incurrent impediti, qui coram Paro- 26
cho, & Testibus matrimonium inter se contrahant per verba de præsenti, sub conditione, *si Papa dispensaverit*; quia ipsum matrimonium refert solum ad tempus habile, itaut antea vere non sit matrimonium; & proinde facta Dispensatione requiretur novus consensus, ut nos late diximus *lib. 1. Quod* 27
si hujusmodi matrimonium contractum sit absque ea conditione (quicquid alii in contrarium sentiant) dicendum est, incurrere dictas pœnas, & Censuras; & matrimonium sic contractum clandestinum erit, vide Gutier. *Can. QQ. lib. 1. cap. 22. n. 21.* & alios Doctores, quos propterea citavimus supra.

Duplici casu matrimonium dicitur clandestinum. 28
Primo, si Denunciationibus spretis contractum sit; Secundo, si absque præsentia Parochi, & duorum, vel trium Testium fiat. Primo casu matrimonium erit quidem illicitum, & clandestinum, attamen 29
validum. Sanch. *de Matr. lib. 3. disp. 5. n. 3.* Seraphin. *dec. 1099. n. 4.* Layman. *Theol. Mor. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 9.* Avers. *de matrim. q. 7. sect. 1. vers. Certum tamen* Trullenck *Oper. Moral. tom. 3. lib. 7. cap. 6. dub. 8. n. 1.* Piasecius *in Praxi Episc. part. 2. c. 4. n. 29.* Rubeus *dec. 431. n. 11. tom. 2.* At secun-
do casu, si absque Parocho, & Testibus fiat, non so- 30
lum illicitum, & clandestinum erit, sed irritum, & nullum; ut concludunt communiter Doctores; ne de hoc dubitari potest, cum sit de fide, ita disponente Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matr.* his verbis: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus Testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos facit, & annullat.* Ratio differentiæ inter utramque clandestinitatem est, quia primo casu Concilium dum statuit Denunciationes matrimonii esse faciendas, non apponit Decretum irritans, & matrimonium annullans, sicut è converso apponit, & irritat eo casu, quo absque præsentia Parochi, & Testium fiat, quia intendit, ut de matrimonio contracto Ecclesiæ publice constet, si etenim non constaret, posset quis, vivente primo Conjuge, aliud matrimonium con-

tra-

trahere, & alia innumera incommoda poſſent inde provenire; unde etiam in articulo mortis ad repa-
31 randum honorem fœminæ, ac legitimandam prolem, non poterit abſque Parocho eſſe matrimonium. Sanch. *de Matr. lib.* 3. *Diſp.* 17. *n.* 14. Panimoll.
32 *Idea ſedandi Jurgia forenſia, conſt.* 18. *n.* 15. unde non poterit Epiſcopus etiam in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis diſpenſare, ut matrimonium abſque Parocho, & Teſtibus celebretur, ut bene Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 17. *num.* 6. quia Concilium id de forma requirit, & aliter facta matrimonia annullat; immo
33 attenta dicta prohibitione Concilii, & declaratione per ipſum facta, quod ſic contrahentes debeant carere ſpe Diſpenſationis, nec ipſemet Papa poteſt abſque juſta cauſa ſuper dicto matrimonio licite diſpenſare; quamvis enim Diſpenſatio, etiam abſque cauſa facta, valida ſit (exceptis caſibus, in quibus non poſſe diſpenſari, diximus ſupra præſenti Libro) ipſe tamen ſic diſpenſando mortaliter peccaret, per ea, quæ diximus.

34 Nec poterit Parochus Matrimonio Clandeſtino aſſiſtere, alias incurrit pœnam Suſpenſionis triennalis, *cap. fin. de Cland. Deſponſ.* Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 46. *n.* 8. Gutier. *de Matr. cap.* 75. *num.* 9. Squillante *de Obligat. Cleric. part.* 2. *num.* 112. Ventrigl. *Praxi d. annot.* 3. *n.* 17. Boſſ. *de Matr. c.* 6. *n.* 16. Majol. *de Irregul. lib.* 3. *cap.* 25. *verbo Clandeſtinum Matrimonium*. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 191. Averſ. *de Matr. q.* 7. *ſect.* 3. *verſ. Pœna vero*, ubi declarat intelligi, ut ſit ſuſpenſus ab exercendis actibus Ordinis, & Officii Clericalis: Ad hoc tamen, ut Parochus hujuſmodi Suſpen-
35 ſionem incurrat, requiritur ſententia Judicis. Averſ. *l. c.* Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 48. *num.* 24. Facta autem
36 à Judice declaratione, abſolutio à dicta pœna erit Papæ reſervata, ut dictus Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 52.
37 & Averſ. *l. c.* Teſtes etiam hujuſmodi Matrimonio ſcienter aſſiſtentes poſſunt ab Ordinario pœna arbitraria puniri. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 46. *num.* 8. Ventrigl. *annot.* 3. *d. n.* 19. Averſ. *l. c. verſ. Deinde*. Boſſ. *l. c. n.* 17. *quæſt.* 48. *n.* 1. Sperell. *deciſ.* 112. *n.* 49. ut eidem pœnæ ſubjiciatur Parochus, qui li-
38 cet hujuſmodi matrimonio non aſſiſteret, tamen ſciens non prohibuiſſet; poſſe tamen hujuſmodi pœ-
39 nam, ex juſta cauſa minui, vel prorogari, facti qualitate conſiderata, docet idem Sanch. *l. c. n.* 2. quia jure aſſignatur miniſterio Hominis imponenda; immo
40 & poſt Concilium eſſe eandem pœnam correctam, ſi Parochus aſſiſtat cum ſingulari Teſte, affirmat idem Sanch. *n.* 4. *l. c.* At facta per Judicem declara-
41 ratione incurſus pœnæ, non poteſt Epiſcopus ſuper ea diſpenſare; vide Sperell. & Sanch. *ll. cc.* Matrimonium tamen cenſebitur in facie Eccleſiæ contractum, quamvis in privatis domibus celebretur, dummodo coram Parocho, & Teſtibus fiat. Barboſ. *d. Offic. & Poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *num.* 37. & 38. Leo *in Theſ. fori Eccleſiaſtici par.* 2. *cap.* 9. *n.* 48. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 15. *n.* 20. Bonac. *de Matr. quæſt.* 2. *punct.* 6. *propoſ.* 1. *num.* 4. Rot. penes Farinac. *dec.* 390. *n.* 65. Rot. *in noviſſimis deciſ.* 380. *n.* 35. coram Coccino; ſic etiam celebratiſſimus Doctor no-
42 ſter Hieronym. Palm. *conſ.* 87. *num.* 58. nec refert ſive de die, ſive de nocte celebretur; Poſſevin. *de Off. Curati cap.* 10. *num.* 15. Sannazar. *cap.* 3. *artic.* 4. *n.* 54. immo nec poſſe Ordinarium prohibere, ne Matrimonia domi celebrentur, refert fuiſſe
43 à S. Congregatione deciſum Corrad. *in Praxi Diſp. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 31. quod idem ſentiunt Barboſa, & Poſſevinus *ll. cc.*

Et quoniam ad valorem matrimonii requiritur præſentia Parochi, & Teſtium, ut diximus, etſi matrimonium ſpretis Denunciationibus contrahatur, adhuc Clandeſtinum erit; ideo de ipſis Parocho, Teſtibus, & matrimonii Denunciationibus, & harum Diſpenſatione magis practicabilia hic ſubnectere opportunum erit; Primo.

44 Quod attinet ad Parochum, ſciendum eſt ad illum Parochum ſpectare matrimonio aſſiſtere, in cujus Parochia Contrahentes domicilium habent, & cui principaliter in loco domicilii Animarum cura incumbit. Piaſæcius *in Praxi Epiſc. d. cap.* 4. *n.* 32. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 23. *num.* 14. & plures Doctores propterea citati ab Aug. Barboſ. *de Offic. & Poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *n.* 56. quia ille proprie, & vere dicitur Subditus, qui quoad domicilium ſubeſt. Se- 45
raphin. *deciſ.* 843. *num.* 1. Redenaſch. *conſ.* 1. *num.* 98. Socc. *in cap. Propoſuiſti num.* 1. *de foro competenti*.

Nomine Parochi venit hoc caſu quilibet Sacer- 46
dos ab ipſomet proprio Parocho, vel ab Ordinario deputatus ad aſſiſtendum matrimonio, quamvis etiam abſque ullius ſcripturæ teſtimonio, ſed oretenus deputatus ſit. Bonac. *de Matr. quæſt.* 2. *punct.* 8. *num.* 10. Piaſæc. *l. c. num.* 31. Tenebitur tamen Parochus adnotare in Libro propterea confecto ma- 47
trimonia Parochianorum, alias mortaliter peccabit. Gratian. *dicept. for. cap.* 653. *n.* 63. & 64. quia cum ad Parochum ſpectet fidem facere de hujuſmodi matrimoniis, debent probari per hujuſmodi Librum. 48
Gratian. *l. c. n.* 60. Rot. coram Cavaler. *deciſ.* 444. *n.* 4. & per partitas ex eodem libro extractas. Rot. *in poſthum. Farinaccii part.* 2. *deciſ.* 117. Rot. *dec.* 157. *num.* 2. *part.* 2. *diverſ.* unde cum caſu deficiat in 49
ſuo munere in re valde gravi, non excuſabitur à peccato mortali.

Tunc autem dicitur fuiſſe contractum domicilium 50
ſtatim ac in loco quis habitare cæpit animo ibi habitandi majore parte anni. Sà *in Aphoriſm.* §. *Matrimonium* 2. Pont. *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 13. §. 1. *num.* 4. Verricell. *de Miſſionibus Apoſt.* 174. *n.* 19. Sanch. & Barboſ. *ll. cc.* unde opus non erit expectare, ut majori parte anni Sponſi habitaverint in
Parochia, ſed ſtatim ac eo animo habitare incipiunt, 51
fiunt Parochiani; cum ad ipſum domicilium conſtituendum ſufficiant animus habitandi, & habitatio. Vivian. *de Jurepatronat. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 32. Menoch. *de Præſumpt. lib.* 6. *Præſumpt.* 42. Marant. *Reſp.* 94. *num.* 79. Unde ſi v. gr. fœmina coram
ſuo Parocho matrimonium ex aliqua cauſa invali- 52
dum contraxiſſet, & deinde ad domum concubinarii ſe tranſtuliſſet animo cum eo ibi perpetuo permanendi, non poſſe valide matrimonium coram dicto ſuo Parocho de novo contrahere, ſeu ratificare, ut bene Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 23. *num.* 15. Bonac. *de matrimon. q.* 2. *puncto* 8. *n.* 3. *verſ. Secundo patet.* Barboſ. *in Coll. Concilii ad ſeſſ.* 24. *c.* 1. *num.* 7. quia cum primum matrimonium fuerit nullum, & ipſa alibi Domicilium contraxit, oportet matrimonium ratificare coram Parocho domicilii.

Amplia, itaut prædicta vera ſint, quamvis ha- 53
bentes domicilium in una Parochia, in alia, data opera, ſimulate, & animo proprium Parochum fraudandi, habitare cœperint, dummodo vere animum habeant in hac habitandi. Sanch. *d. lib.* 5. *diſp.* 25. *n.* 11. Bonac. *de Matr. qu.* 2. *punct.* 8. *num.* 4. Filiuc. *qq. mor. tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 19. *in fine*. Boſſ. *de matrim. contractu cap.* 4. *num.* 18. ſunt tamen plura hic oportune adnotanda.

Primo, non valere matrimonium celebratum co- 54
ram Parocho Rurali, dum rus ad paucos dies, vel recreationis cauſa incolitur, quia is non eſt proprius Parochus. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 23. *n.* 9. Bonac. *d. punct.* 8. *n.* 3. Garc. *de Benef. part.* 5. *cap.* 7. *num.* 11. *in Reſponſ. Sacræ Congr. ad* 4. *Propoſitione*. Barboſ. *d. alleg.* 32. *num.* 66. & *de Off. Parochi cap.* 21. *num.* 42. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 131. *in* 55
fine; valebit tamen coram Parocho loci, in quo contrahens moratur tanquam Prætor, Judex, ſeu Medicus. Barboſ. *in Collect. Concilii ad ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *num.* 10. referens ſic fuiſſe à S. Congregatione deciſum.

Secundo adnotandum, ſufficere ad matrimonii 56
valorem præſentiam Parochi Sponſi, vel Sponſæ; nec vitiabitur ſi Parochus Sponſi in Parochia Sponſæ, vel è converſo aſſiſtant. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 19. *num.* 11. *verſ. Tenendum tamen*. Coninck *de Sacramentis diſp.* 27. *dub.* 2. *concluſ.* 3. *num.* 19. Laiman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Bonac. *l. c. n.* 7. Filiuc. *d. cap.* 6. *num.* 202. Averſ. *de Matr. qu.* 6. *ſect.* 3. *verſ. Quando autem*. Rubeus *dec.* 629. *n.* 5.

tom. 2. Rot. *in rec. pœnes* Farinac. *tom.* 2. *decis.* 390. *num.* 6. Rot. coram Merlin. *decis.* 194. *n.* 6. Ratio est, quia fini Concilii dum petit assistentiam Parochi, tendit ad tollendam Clandestinitatem, & ut de matrimonio contracto Ecclesiæ constet, unde parum refert, an Parochus ratione connexionis necessariæ, & individuitatis matrimonii habeat assistendi jurisdictionem; immo nec peccaret Parochus, cessante scandalo si justa causa suadente
57 assisteret matrimonio extra fines suæ Parochiæ, & Diœcesis. Sanch, *lib.* 3. *disp.* 19. *nu.* 14. Bonac. *de Matr. q.* 2. *puncto* 8. *n.* 14. Coninck *d. disp.* 27. *dub.* 2. *concluſ.* 6. *num.* 23. & probabile censet Dian, *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 232. quamvis non desint, qui hanc doctrinam impugnent. Ratio dictæ doctrinæ est, quia hi actus non exercentur cum pompa, aut strepitu, ut collatio Ordinum, & Confirmationis, Benedictio nuptiarum, vel matrimonii denunciationes, quia dum actus publici exercerentur, offenderetur quidem Superior in suo loco, si alius extraneus hujusmodi actus per se publicos exerceret; at dum privato modo actus exercentur, ut audiendo Confessiones, & matrimonio sui Subditi assistendo, non offenditur Jurisdictio alicujus. Id tamen limitarem,
58 nisi fieret invito Parocho loci, seu expresse contradicente, ut bene animadvertit dictus Aversa in fine dicti Periodi.

59 Adnotandum tertio, non solum posse Parochum extra fines suæ Parochiæ matrimonio sui Subditi assistere, sicut diximus, sed posse etiam sic assistere alium Sacerdotem ab ipso Parocho deputatum, quia eadem ratio militat in utroque. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 34. *num.* 3. Filiuc. *d. cap.* 6. *n.* 217. Aversa. *d. quæst.* 6. *vers. Circa usum*. Steph. à S. Greg. *de univ. tract. de Vinc. Divin. Piet. lib.* 3. *cap.* 98.
60 *num.* 19. Immo ipsa delegatio Sacerdotis poterit ab ipso Parocho, vel ab Ordinario extra fines Parochiæ, vel Diœcesis fieri, quia hujusmodi licentia non est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, & gratiosæ, quæ extra locum propriæ jurisdi-
61 ctionis exerceri potest. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 34. *n.* 2. Coninck *de Sacram. disp.* 27. *dub.* 2. *num.* 23. Bonac. *l. c. num.* 14. Barbos. *de Offic. & Potest. Parochi, alleg.* 32. *n.* 114. Squillan. *de Privileg. Cleric. c.* 2. *n.* 8. Bonac. *l. c. n.* 14. Aversa. *q.* 6 *sect.* 3. *vers. valebit.* Boss. *de Matrimonii contractu, d. cap.* 7.
62 *num.* 69. sic etiam poterit Parochus proprias oves extra Territorium absolvere. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 34. *n.* 2. Pellicion. *QQ. Illustr. q.* 7. *col.* 2. *in fine*.

63 Quarto adnotandum, quod si quis haberet domicilium in duabus Parochiis, & in eis æqualiter habitaret, v. gr. tempore hyemali in una, & æstivo in alia, poterit in unaquaque Sacramenta recipere, & proinde matrimonium coram altero ex dictis Parochis contrahere. Sanch. *lib.* 3. *tota disp.* 24. Filiuc. *d. cap.* 6. *num.* 211. *& sequent.* Bossius *de Matrimon. contractu cap.* 4. *num.* 4. *&* 5. cum dicta æqualis habitatio non sit accipienda mathematice, sed morali modo. Sanch. *d. disp.* 24. *num.* 3.
64 Boss. *l. c.* At si quis habitaret in confinio duarum Ecclesiarum Parochialium, erit Parochianus illius Parochiæ, in qua domus adicum magis frequentatum habet. Boss. *d. cap.* 4. *num.* 7. Barbos. *de Off. & Potest. Episc. alleg.* 32. *num.* 71. & si domus haberet
65 duas Portas, quarum quælibet in diversis Parochiis sita esset, censebitur Parochus illius Parochiæ, in qua residet Porta principalis, & magis frequentata, vide Barbos. *l. c.*

66 Quinto adnotandum, posse Parochum valide matrimonio assistere, quamvis sit irregularis, vel excommunicatus non toleratus, dummodo non actualiter depositus; quia sufficit si adhuc titulum, & possessionem Beneficii retineat. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 21. *n.* 4. Bonac. *de Matrim. q.* 2. *punct.* 8. *num.* 21. Coninck *disp.* 27. *dub.* 2. *concluſ.* 7. *num.* 24. Layman. *num.* 5. *l. c.* quia Parochus matrimonio assistens non exercet proprie actum Jurisdictionis, sed tantum auctoritatem sua præsentia præstat; unde quamvis dictas exceptiones patiatur, poterit assistere, ut diximus, ac
67 etiam licentiam alteri Sacerdoti ad assistendum concedere; quia concedere hujusmodi licentiam non est proprie actus Jurisdictionis; & dum non est privatus auctoritate assistendi, sic nec potestate delegandi, dummodo expresse deleget. Sanch. *d. disp.* 21. *num.* 7. Bonac. *de Matrim. quæst.* 2. *puncto* 8. *num.* 22. Barbos. *alleg.* 32. *num.* 110. Immo prædicta po- 68
terit, quamvis Beneficium amiserit, ut quia infra Annum non fuerit promotus ad Sacerdotium, vel aliud incompatibile assecutus fuerit; licet enim sit ipso Jure titulo privatus, nondum tamen est possessione spoliatus & interim præsumitur habere justam causam retinendi. *Cap. licet Episcopus* 28. *de Præb. & Dignitat. in* 6. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 22. *num.* 62. Filiuc. *tomo* 1. *tract.* 10. *part. prim. cap.* 6. *numer.* 207.

Sexto adnotandum, posse Parochum matrimo- 69
nio assistere, quamvis Sacerdos adhuc non sit; quia hujusmodi assistentia pendet à Concilii dispositione, ex qua solum collgitur necessariam esse Parochi assistentiam, ut bene Sanch. *lib.* 3. *disp.* 20. *num.* 3. Coninck *disp.* 27. *dub.* 2. *concluſ.* 5. *num.* 21. Layman. *d. cap.* 4. *num.* 4. Pont. *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 1. Bonac. *d. puncto* 8. *num.* 16. Aversa. *dict. quæst.* 6. *sect.* 3. *vers. Posse tamen* Zerol. *in Praxi Epis. part.* 2. *verbo Matrimonium* §. 2. At non poterit dare licentiam assistendi alteri non Sacerdoti, sic 70
enim est de forma ex verbis dicti Concilii, ibi, *vel alio Sacerdote*. Sanch. *num.* 9. Filiuc. *num.* 203. Layman. & Aversa. *ll. cc.* Nec vitiabit si talis Sacer- 71
dos delegatus à Parocho non esset ab Ordinario approbatus, vel esset excommunicatus non toleratus, vel irregularis, Sanch. Filiuc. & Steph. à S. Greg. *ll. cc.* vel si esset degradatus, quia licet degradatus sit, tamen Sacerdos est. Bonac. *d. puncto* 8. *num.* 23. Barbos. *d. alleg.* 32. *num.* 111. *in fine*; vel si esset Regularis, dummodo sit Sacerdos. Aversa. *l. c. vers. Ex opposito*. Bossius *de Matrimonii contractu cap.* 4. *num.* 111. Immo non vitiabit, quam- 72
vis delegatus à Parocho vere Laicus esset, si communi æstimatione reputaretur Sacerdos; quia delegatio, & licentia assistendi ei dant titulum præsumptum, & concurrit etiam communis error, quibus concurrentibus Jurisdictio confertur, ut bene Sanch. *lib.* 3. *disp.* 22. *num.* 60. Filiuc. *d. cap.* 6. *num.* 206. Merolli. *tomo* 3. *disp.* 7. *cap.* 4. *dub.* 26. *num.* 251. Bonac. *de Matr. quæst.* 2. *puncto* 8. *num.* 30. & alii plures, quos propterea *cap.* 5. citavimus; sic pariter 73
valere matrimonium celebratum coram Presbytero, qui se vere Parochum putabat, ratione vicinitatis, vel alia verisimili causa docet Bossius *de Matrim. contractu d. cap.* 44. *num.* 99. Non tamen assistere posset Sacerdos, qui à Parocho excommunicato fuisset substitutus Vice-Curatus ad exercendum Curam 74
Animarum durante Impedimento ipsius Parochi, quia cum substituere Vice-curatum ad exercendum Curam Animarum fuerit actus Jurisdictionis, certum est non potuisse valide substitui ab excommunicato Parocho, vide Sanch. *lib.* 3. *disp.* 30. *num.* 10. Barbos. *d. alleg.* 32. *n.* 119. *in fine*.

Septimo, adnotandum non modo Parochum, vel 75
alterum Sacerdotem ab eo Delegatum ad assistendum, posse Matrimonio assistere, ut supra, sed posse etiam Episcopum, & ejus Vicarium Generalem, Legatum, seu Nuncium Sedis Apostolicæ in Provinvia sibi assignata, Cardinales in Ecclesiis eorum Titulorum, Capitulum Sede Vacante, necnon omnes Prælatos Jurisdictionem Episcopalem habentes, respectu eorum, in quos Jurisdictionem habent, & tandem omnibus Christifidelium matrimoniis, ubique terrarum celebratis Summum Pontificem assistere posse. Et hos omnes respectu eorum Subditorum posse etiam alium Sacerdotem ad assistendum deputare; si- 76
quidem nomine Ordinarii Pastoris veniunt. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 28. *per totum*; Coninck *disp.* 27. *dub.* 2. *concluſ.* 1. *n.* 16. Bonac. *d. puncto* 8. *n.* 10. Filiuc. *l. c. num.* 214. Trullenck *Oper. Mor. lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 3. *num.* 1. Boss. *de Matrimonii Contractu cap.* 4. *num.* 55. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 212. Quod idem 77
poterunt etiam dictorum Prælatorum Vicarii Generales, quia vere Ordinarii sunt. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 29. *num.* 19.

num. 19. Non tamen poterit assistere, nec licen-
78 tiam assistendi dare Vicarius Foraneus, quia hic non comprehenditur sub nomine Ordinarii, nec facit unum, & idem Tribunal cum Episcopo. Sanch. *d. disp.* 29. *num.* 20. Pontius *lib.* 5. *cap.* 11. *num.*
79 22. Et quamvis Vicarius Generalis Episcopi, vel aliorum Prælatorum Jurisdictionem Episcopalem habentium, non sit Sacerdos, adhuc assistere poterit, cum assistat uti Ordinarius, & uti Parochus. Pont. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 11. Bossius *de Matrimonii Con-*
80 *tractu cap.* 4. *num.* 62. Sic dicendum est de ipso Episcopo, quia quamvis nondum Sacerdos esset, adhuc poterit assistere. Avers. *de matr. quæst.* 6. *sect.* 3. *vers. Posse tamen in fine.*

Non tamen poterit Archiepiscopus conjungere in
81 matrimonium Subditos Suffraganeorum suorum, nec licentiam assistendi concedere, quia non est Ordina-
82 rius in Diœcesibus Suffraganeorum suorum, nisi in casibus ad eum per appellationem devolutis, & in aliis nonnullis casibus, de quibus *in cap. Pastoralis, de Offic. Ordinarii.* Sanch. *lib.* 3. *disp.* 29. *num.* 3. Pont. *lib.* 5. *capit.* 10. *numer.* 9. In actu tamen Visi-
83 tationis posse Archiepiscopum licentiam concedere matrimonia contrahendi inter personas suis Suffraganeis subditas, docent expresse Barbos. *dict. allegat.* 32. *numer.* 125. Pelliccion. *Illustr. I. V. Q.* 6. *cap. prim. pag. Mihi* 35. *col.* 2. *in princip.* Bos. *d. cap.* 4.
84 *numer.* 54. Quia Archiepiscopi Jurisdictio, dum Suffraganeorum Diœceses visitat, est Ordinaria, illique ratione proprii muneris competit, & proinde etiam poterit hujusmodi matrimoniis eo casu assistere.

85 Octavo, adnotandum necesse esse ad valorem matrimonii, si coram Sacerdote ad assistendum Deputato celebretur, ut licentia matrimonium præcesserit; alias nullum erit matrimonium, quamvis postea dicta licentia, vel ratihabitio subsequeretur. Mantic. *dec.* 311. *num.* 6. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 35. *nu-*
86 *mer.* 18. Pont. *lib.* 5. *cap.* 29. *num.* 1. quia Jurisdictio non confertur per ratihabitionem, sed debet esse formalis, & expressa concessio, ut concludunt præcitati Doctores, eo maxime, quia Sacramentum cum sit res præsens, idest quæ fit in præsenti, non potest habere dependentiam à futuro eventu, vide Pon-
87 tium *l. c.* Requiri etiam, ut Delegatus ad assistendum habeat notitiam dictæ licentiæ sibi concessæ, concludunt Barbos. *de Offic. Parochi cap.* 21. *numer.* 75. Pont. *lib.* 5. *cap.* 29. *numer.* 8. quia hæc licentia
88 cum sit quoddam gratuitum Privilegium non dicitur perfectum, nec vires habere donec ille, cui conceditur, non habeat de ea notitiam. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 36. *num.* 2. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 26. *à*
89 *num.* 11. Immo debet de illius concessione certo constare, cum concessa non præsumatur, & ob id cum magna circumspectione est agendum, cum ex hujusmodi licentia pendeat valor, seu nullitas matrimonii, ut bene animadvertunt Sanch. *d. lib.* 3. *disp.* 37. *à num.* 2. Coninck *disp.* 27. *dub.* 3. *n.* 39. Pont. *lib.* 5. *c.* 29. *n.* 8. Bonac. *de matr. q.* 2. *puncto* 8. *num.* 38. Filiuc. *d. c.* 6. *n.* 221.

Permittunt plerique ex præcitatis Doctoribus, ut possit Sacerdos credere contrahere volentibus, si af-
90 ferunt obtinuisse hujusmodi licentiam, & afferant certa signa, vel ipsi asserentes sint Personæ ita fide dignæ, ut de veritate nullo modo dubitari posse videatur. Quicquid tamen isti dicant, non auderem in re tam gravi hanc Doctrinam approbare, in his etenim, quæ ad externam Ecclesiæ gubernationem spectant, non creditur testantibus in propria causa, ut etiam præfati Doctores concordant. Unde posset afferri grave præjudicium matrimonio, & proli indenatæ, quia non posset probari matrimonium hujusmodi esse validum, si Sacerdos, cujus assertioni de licentia obtenta, credi debet. Seraphin. *de-*
91 *cis.* 1099. *num.* 3. non potest aliter de licentia obtenta testificari, quam per ipsorum contrahentium dictum, qui non possunt in causa propria testificari, *ut diximus libr. prim.* Si tamen de concessa licentia constet, quamvis fuisset per metum cadentem in constantem Virum extorta, Matrimonium postea secutum non vitiabitur. Sanchez *dict. lib.* 3. *disp.* 39. *numer.* 13. Filiuc. *tomo prim. tract.* 50. *part. prim. capit.* 6. *num.* 225. Bossius *de matrim. Contr. cap.* 4. *a num.* 125. Steph. à S. Greg. *d. cap.* 48. *num.* 28. prout nec vitiabit, quamvis dolo, aut mendaciis à dicto 92
Parocho hujusmodi licentia impetrata fuisset, ut v. gr. si falso nomine alicujus magnatis petita esset, & dictus Parochus aliter non concessisset, quia hujusmodi falsitas non est circa causam finalem, ut bene Sanchez *num.* 14. & Filiuc. *numer.* 227. *ll. cc.* & faciunt ea, quæ diximus *libr. prim. cap.* 4. *numer.* 19. 93
Prout nec vitiaretur dicta licentia, si concessa fuisset ab Ordinario non intendente in animo eam licentiam concedere, ut animadvertunt Gutier. *de matrim. cap.* 63. *num.* 28. Sperell. *dec.* 30. *num.* 20. vel si tantum verbaliter concessa fuisset. Bos. *dict. cap.* 94
4. *num.* 113. vel si revocata fuisset, sed nondum dicta revocatio esset Delegato intimata, quia adhuc valebunt gesta vigore dictæ licentiæ, ut docet Sanchez *lib.* 3. *disp.* 36. *num.* 9. & faciunt dicta à nobis *lib.* 1. *cap.* 5.

Cæterum est ita necessaria Parochi præsentia ad ma- 95
trimonii valorem, ut si hoc coram mille testibus contrahatur, at deficiat præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis, ab eo, sive ab Ordinario deputati, adhuc dicatur matrimonium clandestinum, nullumque, & irritum erit. Gonzal. *Glossa* 48. *num.* 30. quia præsentia Parochi est de forma, nec potest per æquipollens suppleri; & Decretum Concilii matrimonia ali- 96
ter quam præsente Parocho, & Testibus celebrata, annullat, & irritat.

Diximus ad matrimonii validitatem, & ne Clandestinum sit, requiri de necessitate, ut ultra Parochum, ipsius celebrationi duo saltem Testes intersint, ita disponente Concilio Tridentino *l. c.* sciendum tamen est id rite contrahi, sive dicti Testes masculi 97
sint, sive consanguinei, etiam pater, mater, vel domestici, infames, impuberes (dummodo rationis compotes sint) infideles, servi, Moniales, Religiosi Claustrales, vel alias testificari incapaces, vide Sanch. *lib.* 3. *disp.* 41. *num.* 5. Coninck *disp.* 27. *dub.* 4. *concluf.* 2. *n.* 41. Bonac. *de matr. q.* 2. *punct.* 8. *propos.* 2. *num.* 43. Laymanus *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. *vers. Secundo necesse.* Ratio est, tum quia Constitutio Concilii Tridentini correctoria Juris veteris extendi non debet, maxime cum procedat contra valorem matrimonii, cujus causa favorabilis est; *cap. ultimo, de sent. & re judic.* tum etiam quia Testium defectum supplet auctoritas Parochi, cui multum in Jure tribuitur. *Cap. Cum esses* 10. *de testam. & ultim. voluntat.* Nec pariter obstabit, si dicti Testes dolo, 98
seu ad aliud vocati sint, sive casu præsentes, seu si ad id fuerint vi detenti, seu etiam coacti, dummodo consensum contrahentium intelligant, & ad id quod agitur advertant. Sanch. *libr.* 3. *disp.* 39. *num.* 9. 11. & 12. Coninck *num.* 44. Bonacin. *numer.* 45. *ll. cc.* Gonzal. *Gloss.* 48. *num.* 7. ubi refert sic fuisse à Sacra Congregatione decisum. Immo nec obstabit quamvis Testes rogati non fuerint. Sanch. *d. disp.* 41. *nu.* 7. Possevin. *de Off. Curati, cap.* 10. *num.* 22. Ventrigl. *l. c.* Bonac. *num.* 44. *ll. cc.* Aliter autem dicendum es- 99
set, si Parochus, vel Testes essent ebrii, vel dormientes, seu non adverterent, vel essent infantes, quia his casibus matrimonium non valeret. Rubeus *in Annot. ad dec.* 431. *num.* 26. Ventrigl. *in Praxi annot.* 3. *num.* 5. Bos. *de matrim. contract. c.* 5. *n.* 5. quia Testes adesse, & non intelligere, vel adesse & non esse capaces, itaut testificari non possint, paria sunt, unde his casibus non satisfit intentioni Concilii, & quidem non dicitur præsens, qui licet corpore locum occupet, mente tamen, & animo abest, ut bene Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *qu.* 40. *num.* 81. *l. coram Titio* 209. *ff. de verb. signific.*

Circa prædicta nota primò; præsentiam Parochi, 100
& Testium ad valorem matrimonii requisitam, debere esse simultaneam, & non successivam. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 41. *num.* 3. Bonacin. *n.* 41. Filiuc. *n.* 229. 101
ll. cc. quia tum Parochi, tum Testium præsentia est de forma. Rubeus *loc. cit. num.* 32. & quæ sunt de forma, debent intervenire eo tempore, quo actus in

esse

esse producitur. Barbosa *in Votis Canonicis, libr.* 1. *Vot.* 4. *num.* 70. Quamvis autem Parochus contradi-
102 ceret, & assistere recusaret, tamen valide contraherent, si in reliquis non adesset aliud Impedimentum, quia coram Parocho, & Testibus vere contrahunt: vide Hieronymum Palma *cons.* 87. *num.* 56.

103 Nota secundo, quod si matrimonium contrahendum sit per Procuratorem, non erit necessaria in eo ætas, quæ ad celebrandum Instrumenta Laicalia in Procuratore requiritur, sed quoad hoc sat erit, si in tali ætate sit, ut habeat usum rationis, qui sufficiens sit ad consensum sui principalis explicandum. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 41. *num.* 8. Ventrigl. *dict. annotat.* 3. *numer.* 11. Bossius *de Matrim. Contractu, cap.* 3. *numer.* 276.

Nota tertio, non esse amplectendam opinionem Doctorum, qui docent sufficere, ut Testes interve-
104 niant matrimonio pariete intermedio, dummodo notam habeant vocem contrahentium, quia in re tanti momenti, ubi de forma requiritur præsentia simultanea Parochi, & Testium, alias matrimonium sit nullum, non est fidendum de cognitione vocum, quæ ut plurimum fallaces sunt, & non certæ; & ideo Concilium requirit præsentiam Parochi, & Testium, ut evitentur mala, scandala, & dubietates, quæ in contrahendis matrimoniis, & eorum validitate insurgunt; & propterea ne de contractu matrimonii dubitari possit, necesse est, ut Testes præsentes sint, videant, advertant, & intelligant quicquid per contrahentes fit: vide Ventrigl. *in Praxi dict. annotat.* 3. *num.* 13. Molin. *de Ritu Nupt. & Pactis in Matrimonio conventis, lib. ... differ.* 11. *à num.* 120. Unde
105 infertur, etiam cœcum post Concilium non esse idoneum testem in matrimonii contractum, quamvis contrahentium voces notas habeat. Mascard. *de probat. concl.* 278. *num.* 7. Ventrigl. *num.* 14. *loc. c.* quia cœcus potest in vocis cognitione facile decipi. *cap. Nec aliqua* 27. *quæst.* 1. sic docent Barbos. *d. alleg.* 32. *num.* 87. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 849. *à num.* 20. Farinac. *de Oppos. contra Testes, qu.* 61. *Opposit.* 10. *n.* 35. Mascard. *de probat. concl.* 278. *nu.* 7. Ventrigl. *d. annot.* 3. *nu.* 14. quicquid doceant Sanch. Henriq. Gutier. Filiuc. Pont. & alii relati à Boss. *de Matrimonii Contractu, cap.* 3. *n.* 23.

106 Nota quarto; si Parochus, & Testes assistant, non vitiabitur matrimonium, quamvis per Interpretem mutuus contrahentium consensus exprimatur, sicut etiam alii contractus possunt per Interpretem stipulari, *l. pr. §. fin. ff. de verb. obligat.* & quod possint ma-
107 trimonia per Interpretem contrahi, expresse docent Barbos. *in Collect. ad Decretales, tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *cap.* 7. *n.* 8. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 39. *n.* 3. Zerol. *in praxi Episc. part.* 2. *verbo Matrimonium*, §. 5. Bonacin. *de matr. qu.* 2. *punct.* 8. *numer.* 7. Vivald. *in Candelabro, part.* 1. ubi *de matr. num.* 36. & novissime Verricell. *q.* 180. *num.* 3. quicquid contradicat Pont. *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 10. quia ad validitatem matrimonii sat est, si contrahentes intelligant mutuum consensum per Interpretem, cum nil aliud requirat Concilium, nisi ut illi mutuum consensum intelligant; & ideo si contrahentes, & Parochus intelligant per Interpretem mutuum consensum, concurrentibus insuper aliquibus externis signis, ipsum consensum denorantibus, non videtur posse de validitate hujusmodi matrimonii dubitari.

108 Proponit quæstionem Verricell. *de Mission. Apost. quæst.* 180. *numer.* 10. an sit validum matrimonium, sic per Interpretem celebratum, si contrahentes dicant, Interpretem fuisse mentitum; & concludit validum esse, si de communi partium consensu electus fuisset.

109 Nota quinto; solemnitates à Concilio requisitas circa matrimonii contractum locum habere, & servari debere in locis, in quibus Concilium ipsum receptum est; in aliis vero locis, ubi receptum non esse necessarias; unde in his locis si celebrentur, prout ante Decretum Concilii fiebat, valida erunt; idque colligitur ex dispositione ipsius Concilii, ubi decernitur, *Decretum ejusdem Concilii in unaquaque Parochia suum robur habere incipiat post triginta dies à die prima publicationis, & consequenter, dum adhuc publicatum non est, non incipit habere robur*; ut bene prædicta docent Verricell. *quæst.* 174. *num.* 4. Gutier. *de matrim. cap.* 61. *num.* 11. Rota in Posthumis Farinacii *dec.* 610. *num.* 5. *part.* 2. Immo non solum
in locis, ubi receptum non est Concilium, prædicta 110
rite procedunt, sed locum habent etiam in illis Regionibus, quæ temporali Dominio Hæreticorum subsunt, in quibus non adsunt Parochi, nec Episcopi; & proinde Catholici in illis locis valide matrimonium contrahunt non servatis Concilii solemnitatibus, ut in Saxonia, ubi coram Prædicante contrahunt; vide Verricell. *quæst.* 145. *nu.* 11. & 12. Avers. *de matrim. quæst.* 6. *sect.* 2. *vers. Jam vero.* Rubeum *in Annot. ad dec.* 431. *num.* 55. *tom.* 2. Layman. *l. c. num.* 7. qui loco citato ex Bellarmino docet, quod
licet in aliqua Civitate publicatum sit Decretum Con- 111
cilii, hodie tamen cum expulsi fuerint, nec adsint proprii Pastores, contrahunt valide coram Prædicante, ut prius, vel etiam sine Prædicante; cum etenim his locis in tali rerum statu Decretum Tridentini servari non possit, non est existimandum Impeditam esse libertatem matrimonii valide contrahendi, unde si incola Parochiæ, seu loci, in quibus promulgatum est Concilium, & in suo robore viget Decre- 112
tum ipsius Concilii, se transferat ad Parochiam, seu locum, in quibus Decretum Concilii promulgatum non est, & ibi contrahat, valebit hujusmodi matrimonium absque præsentia Parochi, & Testium celebratum; Idque procedet non solum in locis Fide- 113
lium, in quibus promulgatio Decreti Concilii defuit, sed etiam in Regionibus Infidelium, in quibus promulgatio non est expectanda. At è converso, si
incola loci, in quo Decretum Concilii promulga- 114
tum non fuit, perveniat ad locum, ubi promulgatum est, quamvis etiam per solum transitum sit, & velit ibi contrahere, non valebit matrimonium absque præsentia Parochi, & Testium. Verricell. *q.* 252. *nu.* 4. Avers. *de matrim. l. c. vers. At quia contingit*, ubi testatur de communi, quia attenditur locus contractus, ut bene probat Bossius *de matr. contractu, cap.* 1. *num.* 80.

Denunciationes matrimonii in Parochiis utriusque 115
Sponsi (si ex diversis Parochiis sint) fieri debere, docent Sanchez *lib.* 3. *disp.* 6. *nu.* 4. Coninck *d. disp.* 27. *dub.* 5. *concl.* 2. *n.* 50. Ricc. *in Praxi Fori Eccl. resol.* 437. *n.* 1. Avers. *d. q.* 7. *sect.* 1. *vers. Debentque denunciationes.* Quamvis tamen hæ statutæ, ac necessariæ sint ad detegenda Impedimenta, quæ inter contrahere volentes existerent, non tamen sunt de essentia ma- 116
trimonii, ut diximus *n.* 29. & proinde earum omissio si absque justa causa fiat, reddit quidem matrimonium illicitum, sed tamen est validum.

At si celebrato matrimonio spretis denunciationi- 117
bus aliquod Impedimentum detegatur, super quo Dispensatio necessaria sit, quamvis etiam ante matrimonii contractum nulla suspicio Impedimenti fuisset, necesse erit in Dispensatione petenda exprimere omissionem Denunciationum, alias Dispensatio inde secuta erit nulla, & invalida, quia fuit omissa forma, à Concilio in matrimonio præscripta; & Concilium disponit, sic contrahentes, carere debere spe Dispensationis, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 6. vide Sanch. *lib.* 3. *disp.* 45. *num.* 3. Layman. *d. lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. *circa finem*, Bossium *l. c.* Trullenck *Oper. Moral. tom.* 3. *l.* 7. *cap.* 10. *dub.* 5. *n.* 11. Avers. *qu.* 7. *sect.* 3. *vers. Aliam quoque pœnam.*

Pluribus etiam pœnis subjiciuntur matrimonium 118
contrahentes spretis Denunciationibus. Primo, quia si Impedimentum, quod post hujusmodi matrimonium detegeretur, esset occultum, & concurrerent qualitates, ob quas præsenti Libro diximus posse in casu necessitatis dispensare Episcopum, tamen hoc casu dispensare non poterit. Coninck *disp.* 27. *num.* 81. Layman. *Theolog. Moral. d. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. Boss. *de matrim. contract. cap.* 8. *num.* 28. cum ob dictam dolosam omissionem se reddiderint Dispensatione indignos, non etenim malitia debet alicui patrocinari, ut alibi diximus. Amplia, ut
idem verum sit, & rite procedat etiam eo casu, quo 119
frau-

fraudolenter, & doloſe licentiam Denunciationes omittendi ab Ordinario extorſerint, quia etiam iſto caſu, attenta dicta fraude, & malitia, reddiderunt ſe indignos Diſpenſatione. Amplia inſuper, ut quam-
120 vis cum ignorantia Impedimenti contractum fuerit matrimonium, & proinde proles ſuſcepta eſſet ille-
121 gitima. *cap. ex tenore* 14. *qui filii ſint legitimi*. Pontius *lib.* 11. *cap.* 2. §. *Unico in princ.* Gutier. *de matr. cap.* 71. *num.* 2. quæ etiam erit illegitima, quamvis
122 unus ex Conjugibus bonam fidem habuerit. *d. cap. ex tenore*; Maſcard. *de probat. concl.* 708. *numer.* 5. Gutier. *de matrim. d. cap.* 71. *num.* 2. Seraphin. *dec.* 1099. *num.* 1. Barboſ. *in Votis Canonicis dict. voto* 2. *num.* 22. Averſa *de matrim. quæſt.* 22. *ſect.* 2. *fere in*
123 *princip.* Immo quamvis etiam parentes fuiſſent dubii de validitate matrimonii: Barboſ. *l. c. num.* 24. 34. & 37. nihilominus ex hujuſmodi matrimonio nullo ob Impedimentum dirimens, quod poſtea detectum
124 fuerit, & clandeſtino ob ſpretum Denunciationum, filii ſuſcepti erunt illegitimi. *cap. Cum inhibitio* 3. *de clandeſt. deſponſat.* Gutier. *d. cap.* 71. *num.* 8. Zerol. *in Praxi Epiſc. part.* 1. *verbo Matrimonium, verſ. Tertio, cum hæc materia.* Boſs. *de matrim. contractu cap.* 8. *num.* 45. Averſ. *quæſt.* 7. *ſect.* 3. *verſ. Rurſus in fine*. Cucch. *lib.* 5. *Inſtitut.* . . . Fragoſ. *de Regim. Chriſt. Reip. part.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 6. *num.* 41. Ad hoc enim ut filii dicantur legitimi, duo copulative requiruntur, nempe publicitas in contrahendo, & bona
125 fides in contrahentibus, ut bene Barboſ. *in Votis Canonicis lib.* 1. *Voto* 2. *num.* 12. Unde ſi contrahentes ſpretis Denunciationibus matrimonium contraxerunt, quamvis in aliis adfuerit bona fides, ſubjacent pœnis, & Cenſuris, à dicto Concilio contra clandeſtine contrahentes inflictis; & proinde neceſſe erit in
126 Supplicatione deſuper porrigenda Pontifici exprimere, an Denunciationes ſpretæ, ſeu omiſſæ fuerint, vel de licentia Ordinarii remiſſæ, & ſic ſe habet notorius Curiæ ſtylus; nec facit, quod ex diuturnitate temporis poſt matrimonium contractum præſumatur interveniſſe ſolemnitates legitimas, & Denunciationes rite præceſſiſſe, ut alibi, & præſertim hoc *cap.* diximus, quia oportet, ut Papa in hujuſmodi Diſpenſatione concedenda ſciat an Oratores contrafecerint diſpoſitioni Concilii, & conſequenter debeant nunc carere ſpe Diſpenſationis per ea, quæ dixi-
127 mus; & propterea Doctores, qui docent ex diuturnitate temporis præſumi ſolemnitates interveniſſe, & Denunciationes præceſſiſſe, intelligendi ſunt quoad favorem legitimitatis prolis in foro externo: vide Menochium *conſ.* 622. *numer.* 15. & 16. Boſſium *de matrim. contractu cap.* 8. *num.* 66. & 80. Gutier. *dict. cap.* 71. *num.* 11. Immo nec deſunt, qui probabiliter docent, eos, qui ſpretis Denunciationibus contraxerunt, quamvis cum ignorantia Impedimenti contraxerint, attenta gravitate præcepti peccare to-
128 ties quoties inter ſe copulam habeant, quia ſemper ſe exponunt periculo, quod adſit aliquod Impedimentum, & quod fornicentur; Ita Sanchez *libr.* 3. *diſp.* 11. *num.* 5. Coninck *dict. diſp.* 27. *dub.* 6. *num.* 54. Bonac. *de matrim. quæſt.* 2. *punct.* 6. *num.* 9. Barboſ. *alleg.* 32. *num.* 3. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 32. *num.* 237. quod eſt maxime conſiderandum; ſi tamen bona fide, de licentia Ordinarii, nulloque interve-
129 niente dolo, ac fraude Denunciationes omiſſæ ſint, prout eo caſu ex juſta cauſa omitti licite poſſe affirmant Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 9. Layman. *l. c. numer.* 11. tunc quamvis poſtea Impedimentum detegatur (dum-
130 modo tempore celebrati matrimonii ignorantia ipſius Impedimenti probabilis fuerit) contrahentes non videntur in culpa, nec aliquam pœnam incurrunt, quia ſi non præceſſit culpa, non debetur pœna, *l. aliud eſt fraus* 131. & *l. ſi qua pœna* 144. *ff. de verb. ſignif.* Seraphin. *dec.* 668. *num.* 2. Farinac. *Conſ. Crim. lib.* 1. *conſ.* 15. *num.* 36. Tuſch. *Practic. Concluſ. num.* 5. *lit. P. concl.* 211. cum non poſſit conſiderari delictum, ubi non ſit dolus. Seraphin. *num.* 3. *loc. cit.* Lorher. *de Re Benef. lib.* 2. *quæſt.* 52. *numer.* 85. Gratian. *Diſcept. Forenſ. cap.* 765. *num.* 48. & 53. Immo dicitur juſte, & bene fieri quod lege permittente fit, *l. ſi quis ſit fugitivus*, & *l. Gracch.* 4. *C. ad l. Jul. de adult.* Seraphinus *dec.* 401. *num.* 14. Barboſ. *in Votis Canonicis lib.* 1. *voto* 2. *num.* 17. Ricciull. *de Jure Perſonar.* 2. *cap.* 44. *num.* 4. Farinac. *Conſil. Crim. lib.* 1. *conſ.* 49. *num.* 2. Tuſch. *concluſ.* 208. *num.* 1. *d. lit. P.* Unde ſi Impedimentum ſit occultum, & concurrant 131
alia requiſita, poterit hoc caſu etiam Epiſcopus diſpenſare; & ſi Diſpenſatio petatur à Summo Pontifice, facilius cum his diſpenſabitur.

Dixi, ſi de licentia Ordinarii ex juſta cauſa Denun- 132
ciationes omiſſæ ſint; quia ſi abſque juſta, & rationabili cauſa Ordinarius in illis diſpenſaret, illicita eſſet hujuſmodi Diſpenſatio, & Ordinarius ſic diſpenſans peccaret lethaliter, ut probant Sanchez *libr.* 3. *diſp.* 8. *num.* 2. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 9. *num.* 5. quia ſi ſine cauſa fieret, non Diſpenſatio, ſed diſſipatio eſſet, ut dicemus *lib.* 3. *cap.* 1. & quod juſta cauſa requiratur, ut licite Ordinarius diſpenſet, 133
docent expreſſe Coninck *d. diſp.* 27. *dub.* 6. *num.* 55. Menoch. *conſ.* 69. *num.* 62. & 63. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 32. *num.* 234. Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 8. *num.* 1. Gutier. *de matrim. cap.* 57. *in princip.* Bonacin. *de matrim. quæſt.* 2. *punct.* 6. *num.* 7. *verſ. Tertio dubium eſt.* Averſ. *de matrim. d. quæſt.* 6. *ſect.* 2. *verſ. Utque rite &c.* Trullenck *d. cap.* 6. *dub.* 9. *num.* 2. & alii communiter.

Quia cum Concilium *ſeſſ.* 4. *cap.* 1. hoc negotium relinquat prudentiæ, & judicio Ordinarii, itaut, ſi expedire judicaverit, diſpenſet, intelligi debet, ut hujuſmodi arbitrium ſit prudentiale, & regulatum. Me- 134
noch. *conſ.* 69. *num.* 62. & 63. *vol.* 1. Trullenck *l. c.* & nos diximus *lib.* 1.

Non tamen tenebitur Ordinarius hujuſmodi cauſas judicialiter cognoſcere; ſed ſufficiet, ut ex infor- 135
mationibus habitis ſibi videatur juſtam cauſam adeſſe, ut bene animadvertunt Sperell. *dec.* 109. *num.* 50. Reginald. Sanch. Ricc. & Bonac. *ll. cc.* Unde antequam Ordinarius ſuper hujuſmodi Denunciationibus diſpenſet, debebit ſe diligenter informare; & tutius 136
procedet, ſi ſaltem duos Teſtes ſummarie examinet, qui cauſam diſpenſandi juſtificent, & nullum inter contrahere volentes Impedimentum exiſtere concludant; & ſic ſe ſervaſſe teſtatur Sperell. *dec.* 109. *numer.* 49. & millies practicaſſe. Non tamen neceſſe erit hujuſmodi Teſtium informationes in Actis redigere, nec proceſſum fabricari, ſed ſufficiet, ut 137
in Decreto Diſpenſationis aſſeratur, quod ex juſtis cauſis animum ſuum moventibus, & coram ſe ve- 138
rificatis, diſpenſat, vide Sperell. *num.* 52. *loc. cit.* Et cum hujuſmodi Diſpenſatio non ſit actus Juriſdictionis contentioſæ, ſed voluntariæ, poterit ab Ordinario fieri etiam extra ſuam Diœceſim, ut docent 139
Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 8. *num.* 6. & alii, quos ſupra diximus.

Formula autem hujuſmodi Diſpenſationis fieri poterit infraſcripto, ſeu ſimili modo.

N. Vic. Generalis &c. Univerſis &c. Notum faci- 140
mus &c. Qualiter ſumptis informationibus opportunis, & certificati nullam eſſe Canonici Impedimenti ſuſpicionem inter N. & N. ex juſtis cauſis animum noſtrum moventibus conceſſimus, tenoreque præſentium concedimus licentiam, & facultatem Parocho, ad quem ſpectat, ut quamvis Denunciationes Matrimonii non præceſſerint, ſi nullum aliud obſtet Canonicum Impedimentum, ſervataque in reliquis forma Tridentini Concilii, ipſos in Matrimonio conjungere poſſit; ita tamen, ut infra quindecim dies tres Denunciationes à Concilio præſcriptæ legitime fiant, & interim Sponſi à carnali copula abſtineant.

In fidem &c.

At ſicut non poteſt Ordinarius abſque juſta cauſa 141
has Denunciationes remittere, ut diximus; Ita è converſo, ſi cauſa juſta poſtulet, tenetur ex juſtitia ad petitionem Partis ſuper ipſis Denunciationibus diſpenſare, maxime ſi ob dictam injuſtam denegationem ſequeretur ſcandalum, vel ſuſpicio eſſet malitioſi impedimenti; Ita docent Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 10. *numer.* 6. Eſcobar *Theolog. Moral. tractat.* 7. *exam.* 9. *capit.* 3. *numer.* 79. *verſ. contracto matrim.* quibus caſibus Ordinarius reus erit culpæ dictam Diſpenſationem denegando; immo quia difficillime dari poteſt 142

caſus,

casus, ut si justa causa requirat Dispensationem, ex illius denegatione non timeantur mala, & scandala; ideo plures Doctores absolute docent, Ordinarium mortaliter peccare quoties habens, justam dispensandi causam in hujusmodi Denunciationibus, non dispensat; quia Ordinarius tenetur ex officio non denegare Sacramenta, maxime si ex denegatione potest aliquod scandalum publicum, vel privatum sequi; Quicquid tamen isti dicant, secluso damno publico, vel privato, à priori sententia tanquam pro-
143 babiliori non recederem, cui adhærent, Sanch. *l. c.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. cap. 5. num. 179.* Steph. à S. Greg. *cap. 97. num. 10.* Tusch. *conclus. 457. n. 8. lit. D.* prope finem, & alii plures.

Porro est ita necessarium, & utile Christianæ Reipublicæ scandalis obviare, ut si de illis secuturis, seu
144 de malitioso impedimento probabilis timor adesset, & casus non ferret, ut matrimonii contractus differretur donec præmissæ essent Denunciationes, & Ordinarius adiri non posset pro Dispensatione, vel si Ordinarius injuste, & indebite Dispensationem denegasset, unde scandala gravia imminerent, & periculum esset in mora, posset Parochus, dimissis Denunciationibus, hujusmodi matrimonio assistere, Squillant. *de Obligat. Cleric. part. 2. num. 124.* Barbos. *d. alleg. 32. num. 53.* Sanc. *num. 25. & num. 29.* Filiuc. *num. 182. ll. cc.* Avers. *q. 7. sect. 2. vers.*
145 *Si tamen.* & sic contractum fuisse validum quoddam matrimonium censuit S. Congregatio Concilii in una Mediolanensi *die 23. Februarii 1630.* teste Corrado *in Praxi Disp. Apost. lib. 7. cap. 7. num. 26.* quia necessitas nullam legem agnoscit.

146 Quando Dispensatio est debita, & Ordinarius dispensare recusat, posse à dicta injusta denegatione appellari, docent Sanch. *lib. 3. disp. 10. à num. 12. & præsertim num. 20.* Filiuc. *l. c. num. 181.* Pelliccion. *Il. v. Juris q. 6. cap. 1. pag. Mihi 35. col. 2.* At quando detur appellatio ad effectum devolu-
147 tivum, & suspensivum, vel ad effectum devolutivum tantum, dic, quod si Judex nolit dispensare, eo casu quo Dispensatio sit debita, potest appellari ad utrumque effectum. Sanch. Filiuc. & Pelliccion *ll. cc.* quia ille, cum quo est dispensandum, habet actionem ex præcepto Legis, ut secum dispen-
148 setur. At quando Jus Dispensationem ex causa remittit conscientiæ Ordinarii, vel quando Ordinarius non tenetur quidem eo quod non est debita Dispensatio, sed tamen justa causa adest dispensandi, tunc si nolit dispensare, poterit ab injusta denegatione appellari ad effectum devolutivum, non autem suspensivum. Sanch. *d. disp. 10. num. 19. & num. 21.* Avers. *q. 7. sect. 2.* Filiuc. *l. c.* Steph. à S. Gregor. *num. 12. l. c.* & eo casu Superior tenebitur vel dispensare, vel
149 cogere Inferiorem, ut dispenset. Barbos. *nu. 52.* Sanch. & Filiuc. *ll. cc.* Hostiens. *in summa lib. 5. titul. de Dispensat. num. 2.* Sperell. *decis. 111. num. 11.*

150 Si Sponsi, qui contrahere volunt, sint diversarum Diœcesum, poterit utriusque Episcopus cum ambobus dispensare, ut bene docent Sanch. *lib. 3. disp. 7. num. 5. vers. Ultima conclusio.* Bonac. *d. Matr. quæst. 2. puncto 6. propos. 2. num. 7.* Coninck *de Sacrament. Disp. 27. dub. 6. numer. 54.* Avers. *quæst. 7. sect. 2. vers. Superior vero, in fine.* Escobar. *Theolog. Moral. tract. 7. exam. 9. cap. 3. num. 79.* Barbos. *d. alleg. 32. num. 35.* & novissime Boss. *de Matrim. Contractu cap. 7. num. 39.* & in hanc sententiam inclinare videtur Dian. *part. 3. tract. 4.*
151 *resol. 239.* Ratio est, quia in hac re censentur contrahentes unica persona, & ratione connexionis Causæ uterque censetur alterius Prælato subjectus; & sicut potest alteruter Episcopus utrumque Sponsum matrimonialiter conjungere, ita poterit cum utroque in Denunciationibus dispensare; unde audiendi non sunt Doctores, qui restringunt hanc potestatem ad illum solum Episcopum, in cujus Diœcesi celebrandum est matrimonium; & sentiunt, alterum Episcopum posse tantummodo dispensare cum sibi subdito, vel delegare Dispensationem alteri sibi bene viso. At quicquid isti dicant prima opinio est verior, nec ab ea est recedendum.

Et non solum Episcopus poterit per se ipsum dis- 152
pensare, sed poterit alterum delegare ut dispenset. Bonac. *de Matr. q. 2. puncto 6. num. 7. vers. Sed modo.* Reginald. *lib. 31. cap. 32.* Sanch. *d. disp. 7. num. 20.* Coninck *d. disp. 27. dub. 6. conclus. 3. n. 55.* Quod idem faceret, poterit etiam Vicarius Gene- 153
ralis Episcopi, non tamen generaliter, sed in casu particulari. Sanch. *d. disp. 7. num. 21.*

Id quidem est singulariter adnotandum, quod 154
quamvis dispensetur super Denunciationibus, ut diximus, & proinde matrimonium, illis omissis, contrahatur, adhuc tamen remanet obligatio, ut ante ipsius matrimonii consummationem fiant; alias si antequam factæ sint, consummassent matrimonium, sic contrahentes morraliter peccabunt, cum se exponant periculo, quod adsit inter eos Impedimentum dirimens, & copulam habendo fornicentur; immo toties quoties copulam eo casu habeant, peccabunt, ut diximus *n. 128.* Potest tamen Ordinarius, si me- 155
lius sibi videatur, ut dictæ Denunciationes omittantur, eas remittere, quia id totum ejus prudentiæ, & judicio Concilium remittit, ut diximus; quamvis debeat hujusmodi facultate arbitrio boni viri uti, idemque arbitrium ratione regulari *l. Vir bonus ff. Judic. solvend.* cum arbitrium sibi concessum habeat lo- 156
cum in casu limitato, quo propterea ad libitum uti non licet, quia limitata causa limitatum producit effectum. *l. cum servo, in princ. de contr. empt.*

Quæ autem, ac quales causæ sint justæ, itaut Or- 157
dinarius licite possit super hujusmodi Denunciationibus dispensare, dico illas plures esse, quæ non omnes possunt ita excogitari, ut singillatim recenseantur, sed bene ab ipso Ordinario erunt animadvertendæ, & diligenter considerandæ an sufficientes sint, quia Concilium remittit Ordinarii prudentiæ, & arbitrio; quod arbitrium, quamvis aliquantulum minuat Juris rigorem, Sperell. *decis. 101. num. 47.* tamen esse debet prudentiale, & regulatum. Sanch. *lib. 3. disp. 8. num. 1.* Genuens. *in Praxi cap. 20. num. 30. in addit.* Sperell. *decis. num. 19.* Marant. *Respons. 12. num. 47. part. 3.* Non enim debet Vir bonus subitanea voluntatis motione commoveri, sed Juris terminis temperari; cum arbitrium non voluntate, sed ratione regatur, ut bene Seraphin. *decis. 1017. num. 4. Marant. Resp. 64. num. 49. part. 4.* Infrascriptæ tamen sunt principaliores causæ, & frequentius usu receptæ.

Prima causa est, si inter contrahere volentes ad- 158
sit notabilis status disparitas, ut si valde nobilis ducere vellet personam vilem; vel valde dives duceret pauperem, senex juvenculum, vel vir honestæ vitæ duceret infamem, Sanch. *lib. 3. disp. 9. num. 3.* Filiuc. *tom. pr. tract. 10. part. 1. cap. 5. num. 178.* Genuens. *l. c.* Avers. *d. q. 7. sect. 2. vers. Pluresque* Boss. *de Matrimon. Contract. cap. 7. num. 85.* Quod idem procedet dum ambo contrahere volentes sint valde senes, & ægre ferant matrimonii pu- 159
blicationes fieri, eo quod senes sic contrahendo, ut plurimum deridentur cum irreverentia etiam ejusdem Sacramenti, ut bene notant Sanch. *num. 3.* Avers. *vers. Plerique ll. cc.* Layman. *Theol. Mor. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 11.*

Secunda causa est, si virgo sit sub tutela iniqui 160
Tutoris, qui eam viro ignobili, & disparis conditionis tradere intendit. Sanch. *lib. 3. disp. 9. num. 13.* Genuens. *l. c. vers. Quarta desumit* Steph. à S. Greg. *lib. 3. cap. 97. num. 9. vers. Septima causa.* Boss. *de Matr. Contractu cap. 7. num. 81.* & eo magis si filia esset major annis 25. ut opportune animadvertit idem Boss. *num. 80. l. c.* vel si ipse Tutor, vel Parentes causa consumandi patrimonium filiæ nollent eam in matrimonio collocare, & timor sit, ut matrimonium impediant. Sanch. *num. 11.* & Filiucc. *ll. cc.*

Tertia causa est, quando nullus adest timor im- 161
pedimenti inter contrahere volentes, quia causa, ob quam fuerunt ordinatæ Denunciationes, ea fuit, ut impedimenta detegantur, si ergo nullus omnino adest impedimenti timor, poterit in Denunciationibus dispensari, ita, ex Paludano Soto, Vega, & aliis,

aliis, docet Sanch. *d. Disp. 9. nu. 7.* ita etiam Steph. à S. Greg. *l. c.* Boss. *num. 89.* & Filiuc. *ll. cc.*

162 Quarta est, dum Magnates sunt contracturi; hi etenim non solent nisi cum magna deliberatione matrimonium contrahere, & eorum Impedimenta nota sunt, dummodo hi noti sint Ordinario, aliisque gravibus personis, & propterea Ordinarius certo sciat nullum adesse Impedimentum: Leo *in Thes. Fori Eccles. part. 2. cap. 9. num. 54.* Sanch. *num. 6. l. c.* Bonac. *de Matr. q. 2. punct. 6. num. 7. vers. Quinto est.* Pontius *lib. 5. cap. 32. num. 1.* Layman. *num. 11.* Boss. *num. 88.* Aversa. Stephan. à S. Greg. & Filiucc. *ll. cc.*

163 Quinta causa est, si aliqui in concubinatu permanentes existimantur tanquam vir, & uxor, quia verecundia, quam haberent in publicando hujusmodi matrimonio, sufficit pro causa Dispensationis in ipsis Denunciationibus. Sylvest. *verbo Matrimonium 6. q. 7. dict. 2.* Sanch. *num. 5.* Coninck *num. 17.* Aversa. *vers. pluresque num. 86.* Filiuc. & Steph. à S. Greg. *ll. cc.*

164 Sexta causa est (secundum aliquos) quando instat tempus, quo nuptiæ prohibentur, videlicet Adventus, seu Quadragesimæ; & si expectarentur donec præmissæ fuissent Denunciationes, non possent ipsæ nuptiæ benedici, vel interim periculum esset fornicationis. Filiuccius, Bonacina, Aversa, & Steph. à S. Greg. *ll. cc.* Id tamen non admitterem eo
165 casu, quo appareret ipsos contrahere volentes ex malitia voluisse differre nuptias ad tempus illud eo fine, ut Denunciationes omitterentur, ne Impedimenta deregerentur, & quidem secluso urgenti periculo incontinentiæ, seu alicujus malitiosi Impedimenti, hæc ex se non videtur sufficiens causa ad dispensandum, prout sic responsum fuisse à Sacra Congregatione, refert Genuens. *l. c.* Nec pariter hæc causa admittitur per Concilium Provinciale Mediolani,
166 ubi de Sacramento Matrimonii agitur; si tamen cum dicta conjungeretur alia causa, ut periculum immi-
167 nens fornicationis, vel quid simile, poterit Ordinarius dispensare.

168 Septima causa à multis reputatur esse, dum post matrimonium legitime contractum reperiatur aliquod Impedimentum occultum, super quo Dispensatio jam facta sit; Filiuc. *d. cap. 5. num. 178.* Sanch. *d. disp. 9. num. 9.* testans de communi Doctorum sententia. Id tamen puto procedere tantum juxta opinionem
169 Doctorum, quia etiam in casu Impedimenti occulti sentiunt, convalidari debere matrimonium coram Parocho, & Testibus, quia tunc requirerentur novæ publicationes, vel saltem esset necessaria nova
170 Dispensatio. At nos in casu Impedimenti occulti, & Dispensationis super eo legitime factæ, certo existimamus non esse de necessitate repetendas Denunciationes, per ea, quæ diximus.

171 Octava causa est, dum repentinus casus offert rationem statim contrahendi Matrimonium, ut si qui in Concubinatu, deprehensi, essent plectendi à Judice & ideo ad effectum, ut Judici dicere possint se esse Conjuges, & se eximere à pœnis, poterit super Denunciationibus Dispensari; Sanch. *num. 16.* Filiucc. *num. 178.* Boss. *num. 92.* Aversa. & Steph. à S. Greg. *ll. cc.* sic pariter si quis esset statim longe abiturus,
172 & ad reparandum honorem fœminæ, vel ad prolem legitimandum vellet ex improviso ante discessum contrahere, ut animadvertit Boss. *l. c.*

173 Nona causa est periculum animæ, ut si duo concubinarii velint matrimonium contrahere, ut in bono statu constituantur, & periculum sit ne interim dum fiunt Denunciationes carnaliter commisceantur, Sanch. *num. 17.* Boss. *num. 93.* Filiuc. & Steph. à S. Greg. *ll. cc.*

174 Decima causa est, dum aliqui ex publicis Denunciationibus, aut ex dilatione tot dierum timerent sibi aliquod grave damnum, molestiam, aut amissionem alicujus notabilis commodi sibi, vel suis Conjunctis, Aversa. *sess. 2. d. vers. Pluresque*

175 Undecima causa est, si periculum adsit, ut aliquis ex contrahere volentibus voluntatem mutet, & id tenderet in præjudicium animæ, ut quando meretrix in lupanari exposita velit matrimonium contrahere; ut sic à malo statu, in quo reperitur, desistat, & periculum adsit ne ipsa, aut Sponsus mutet voluntatem, si contractus matrimonii differatur post matrimonii denunciationes, Sanch. Filiuc. & Aversa. *ll. cc.*

Duodecima causa est, evitatio scandalorum ob ali- 176
quam factionem, quæ cessaret statim secuto matrimonio. Sanch. *num. 18.* Stephan. à S. Greg. *ll. cc.* maxime si ob dictas factiones dubitetur, quod matrimonium de facto Impediatur; dummodo tamen
contrahere volentes sint legitimæ ætatis, & in eo- 177
rum plena libertate, omni tamen dolo, & fraude cessantibus, Sanch. & Filiuc. *ll. cc.* Boss. *num. 98. l. c.*

Decimatertia causa est, & affinis octavæ supra 178
adnotatæ, v. gr. si quis in mortis articulo constitutus, velit concubinam ducere, sive ad effectum ut proles ex ea suscepta legitima fiat, sive ut securior suus transitus reddatur, Sanch. *numer. 10.* Filiucc. Aversa. & Steph. à S. Greg. & Boss. *num. 90. ll. cc.* Immo si eo casu periculum sit in mora, nec
possit Ordinarius adiri, nec inter contrahere volen- 179
tes adsit Impedimentum dirimens, nam si in casu non permisso, Matrimonio assisteret, absque Denunciationibus factis, vel non habita ab Ordinario licentia assistendi ante Denunciationes, peccaret mortaliter, & Suspensionem per triennium ab Officio incurreret, *ut diximus num. 34.* & docent Doctores penes dictum Barbos. *d. alleg. 32. num. 7.*) poterit Parochus licite, & valide omissis Denunciationibus Matrimonio assistere ex tacita, & præsumpta licentia Episcopi, ne in casu tam urgentis necessitatis, dum non patet aditus ad Ordinarium, contrahere volentes remaneant absque Conjugio. Isto namque casu stante imminentis mortis periculo (nisi inter contrahe- 180
re volentes adesset aliquod Impedimentum dirimens) nulla solemnitas requiritur, ut bene docuit Egr. Doctor noster Balthass. de Tomasis 1. *Decade tract. 1. titulo 9. n. 121.* & Geminian. & Gabriel penes ipsum; debet tamen Parochus, si infirmus convalescat, facere Denunciationes ante consummationem
hujusmodi Matrimonii, ut bene docent Sanch. *lib. 3.* 181
disp. 10. n. 25. Bonac. *de Matr. q. 2. puncto 6. dub. 3. n. 7. in fine*, & alii quos supra *n. 15. citavimus.*

Decimaquarta causa est, si Vir Fœminam defloravit, & damnum amissæ virginitatis reparare intendit, &, si Matrimonium causa præmittendi Denunciationes differretur, periculum esset in mora, Boss. *l. c. num. 91.* Sanch. *lib. 3. disp. 9. num. 15.* ubi etiam concludit idem esse si Fœmina non esset virgo, sed tamen infamata esset, quia similiter valde expediret hujusmodi Matrimonium.

Idem erit, si duo sibi ad invicem dedissent fidem 183
de Matrimonio centrahendo, & alter tam levis est, ut probabilis timor adsit, attenta hujusmodi levitate, seu aliis conjecturis, fore, ut injuste à fide data resiliat, quia hoc Conjugium valde expedit utrique contrahenti, uni nempe, ne mortaliter peccet injuste resiliendo, & alteri ne fraudetur matrimonio sibi juste debito, ut bene idem Sanch *l. c.*

Decimaquinta causa est, dum probabilis suspicio 184
habetur, ut matrimonium malitiose, & injuste impediri possit. Sanch. *d. disp. 9. num. 10.* Filiuc. *l. c.* Pont. *lib. 5. cap. 32. num. 2.* Bonac. *de Matrim. q. 2. puncto 6. dub. 3. num. 7.* tunc enim, vel unica
tantum Denunciatione præmissa, vel omnibus præ- 185
termissis, poterit ab Ordinario dari licentia matrimonium celebrandi cum clausula, quod Sponsi abstineant à consummatione, donec fuerint omnes legitime factæ, nisi magis expediens Ordinarius judicaverit illas omitti, *ut diximus num. 155.*

Dixi, si periculum sit, ut matrimonium malitio- 186
se impediatur, quia si filius contrahere vellet cum persona inhonesta, & infami, vel satis inferioris conditionis, licitum est patri suadere filio suum bonum, & obiicere tam grave malum, & incommoda, quæ ex hujusmodi Matrimonio timeri possunt, & filius eo casu tenetur obedire patri. Unde si pater haberet justam causam impediendi, non crediderim timorem hujusmodi impedimenti, modo prædicto dati, esse ex se causam sufficientem ad dispen-

san-

fandum. At si pater non haberet justam causam impediendi, aliter esset dicendum: Vide Steph. à S. Greg. & Genuens. *ll. cc.* Sanch. *d. disp. 9. numer.* 10. ubi etiam docet, tunc esse vere justam causam dispensandi, quando parentes minis, dolo, vi, falsitate, aut falsis suppositis testibus, vel calumniis matrimonium impedirent; non autem si adsit justa impediendi causa ob notabilem disparitatem, nec parentes volunt impedire violenter, sed precibus, vel suasionibus, quia ibi nihil malitiæ adest, sed parentes utuntur jure bene consulendii filiis: & regulariter etiam præsumuntur parentes injuste matri-
187 monium impedire, si impediant matrimonium filiæ, quæ transcendit ætatem viginti quinque annorum; tunc enim parentes sunt in culpa, & videntur in mora constituti: vel si filii habent novercam, quia tunc facile præsumitur ex malitia matrimonium impediri, ut deficiat hujusmodi soboles, & hæreditas perveniat ad filios secundi matrimonii; vel ne pater privetur usufructu hæreditatis maternæ, ut bene prædicta animadvertit idem Sanchez *ubi supra*.

188 Decimasexta causa est, affinis alteri quam supra diximus, nempe si aliquibus valde expediret conjugium, & timor esset, ut impediretur. Sanch. *nu.* 14. & Steph. à S. Greg. *ll. cc.* quia isto casu olim licita erant matrimonia clandestina; & quidem regula generalis constitui potest, ut in omnibus casibus, in
189 quibus licita erant matrimonia clandestina, justa sit causa in Matrimonialibus Denunciationibus dispensandi, vide Sanch. *l. c.*

190 Casus, in quibus Ordinarius tenetur dispensare exemplificant Sanch. *libr.* 3. *dicta disp.* 10. *numer.* 6. Filiuc. *d. cap.* 5. *num.* 179. nempe, si sequatur scandalum, aut sit suspicio malitiosi impedimenti: si subditis valde expediat ad bonum animæ, aut corporis Dispensatio, ut quia vir defloravit fœminam, & eam intendit ducere, & est periculum mutationis voluntatis in ipso viro: Vel si contrahere volentes maneant in concubinatu, & velint contrahere, periculumque sit in mora; vel si morti proximus velit ducere concubinam, ut prolem legitimet, vel in bono statu decedat; & tandem concludit idem Sanch. *loc. citat.* quod si citra causam justam majoris boni Prælatus his casibus Dispensationem deneget, reus erit culpæ.

Hæc, quæ supra proxime dicta sunt, ideo in compendium redegi, ut sciat Parochus, in casibus ibi contentis teneri Episcopum super Denunciationibus dispensare; & intelligat, quod in casibus, in quibus tenetur Episcopus dispensare, si periculum sit in
191 mora, itaut non possit adiri Ordinarius, potest ipse Parochus, immo debet Sponsos, vel unica Denunciatione præmissa, vel omnibus prætermissis, prout casus urgentia requiret, in matrimonium conjungere, ut bene docent Sanch. *lib.* 3. *disp.* 10. *num.* 27. Coninck *disp.* 27. *dub.* 5. *num.* 52. Layman. *loc. cit. vers. His adde primo* Barbos. *de Offic. & Potestate Episcopi dict. allegat.* 32. *numer.* 53. Bonac. *de matrim. quæst.* 2. *puncto* 6. *num.* 7. Filiuc. *d. cap.* 5. *num.* 182. Pontius *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 8. Avers. *quæst.* 7. *sect.* 2. *vers. Si tamen*. Quamvis etenim Parocho non competat jus dispensandi in Denunciationibus, nisi ex delegatione Episcopi: Sanch. *lib.* 3. *disp.* 7. *num.* 17.
192 & docent communiter Doctores; tamen ad illum pertinet in casu urgentis necessitatis, quia non patet aditus ad Ordinarium, declarare, Legem de præmittendis Denunciationibus per epichejam cessare, ut exemplificari potest, si morti proximus velit cum concubina contrahere, ut bene animadvertit Layman. *l. cit.*

Immo poterit Parochus metu mortis, seu deprædationis, & pro illis evitandis, assistere matrimonio non præmissis Denunciationibus, quia Præcepta Ec-
193 clesiæ non obligant cum tanto rigore. Excipe tamen nisi id à contrahentibus fieret in spretum, & contemptum Ecclesiæ, quia tunc teneretur potius mori, quam assistere. Sanch. *d.* 10. *num.* 31. Avers. *l. c.* Steph. à S. Greg. *univers. tract. de vinculis Divin. Pietatis cap.* 97. *num.* 14.

Ad hoc autem, ut Denunciationes rite, & valide fiant, debent diebus Festis fieri inter Missarum so- 194
lemnia, dum Populi multitudo in Ecclesia adest, ita disponente Tridentino Concilio *dict. sess.* 24. *cap.* 1.
nec potest Episcopus dispensare, ut ferialibus diebus 195
fiant, cum Episcopus non possit super Conciliari dispositione, ex quo est inferior Concilio, & proinde non possit inferior in lege Superioris se ingerere, ut alibi diximus.

Posse tamen has Denunciationes fieri in die Pro- 196
festo, quando ingens Populi multitudo ad Ecclesiam accessit, docent Sanch. *lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 10. Squillant. *de Obligat. Cleric. part.* 2. *num.* 116. Bonac. *de matrim. quæst.* 2. *puncto* 6. *num.* 18. immo etiam extra Ecclesiam fieri posse, si concurrat ingens Populi multitudo, & in loco apto, ut ad multorum notitiam deveniant, docent idem Sanch. *num.* 9. Bonac. *num.* 17. Layman. *num.* 10. & Avers. *ll. cc.* ita etiam Trullenck *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 7. quia hoc modo optime satisfit menti, & intentioni, ob quam principaliter Concilium Denunciationes faciendas decrevit.

Nec est prætereundum, quod Denunciationes hu- 197
jusmodi continuis diebus fieri non debent, sed inter unam, & alteram Denunciationem duorum saltem dierum intervallum interponi debet, ut sic in pluribus Conciliis, nempe Colonense, & Maguntino definitum fuisse, testatur Pontius *l.* 5. *cap.* 30. *num.* 8. à quibus nil diversum statuit Tridentinum, sed solum ne diu differantur Denunciationes, sed Festis mutuo succedentibus, modo non continuatis diebus, absolvantur. Sic etiam adnotarunt Coninck *disp.* 27. *dub.* 5. *numer.* 47. & Layman. *l. cit.* Ratio est, ne nimis cito absolvantur, itaut non possint Impedimenta deregi, ob quam rationem non debebit Parochus statim matrimonio assistere, sed expectari debebit aliquantulum temporis, ut si qui Impedimenta sciant, denunciare possint; Avers. *loc. citat.* ubi etiam declarat tempus duorum dierum regulariter censeri competens spatium ad effectum prædictum.

Et nisi infra quatuor menses ad summum post fa- 198
ctas Denunciationes matrimonium contrahatur, opus erit illas, vel saltem aliquas, unam, vel duas arbitrio Ordinarii repetere, ut sic fuisse à Sacra Congregatione decisum, refert Barbos. *d. alleg.* 32. *n.* 55. & in Rituali Romano præscribitur terminus duorum mensium, itaut nisi infra dictum tempus matrimonium celebratum fuerit, sint repetendæ.

Addit idem Barbos. *l. c.* Sacram Congregationem 199
censuisse, ut quando omittuntur Denunciationes, & Matrimonium contrahitur, debeant infra octo dies à die contracti matrimonii computandos fieri, & antequam factæ fuerint, non consumari matrimonium.

Nec poterit Episcopus ratione hujusmodi Denun- 200
ciationum remissionis, ac Dispensationis præcise imponere aliquam pecuniariam mulctam. Sanch. *lib.* 3. *dict. dis.* 10. *numer.* 9. Filiuc. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 180. Avers. *d. quæst.* 7. *sect.* 2. *vers. Dumq; Prælatus*. Steph. à S. Greg. *d. cap.* 97. *num.* 11. Boss. *cap.* 7. *num.* 105. quia Concilium Tridentinum concedit quidem dispensandi facultatem, non tamen concedit, ut possit Ordinarius obligationem Legis in aliam materiam commutare; immo *sess.* 25. *cap.* 18. præcipit Dispensationes gratis fieri debere; excipit tamen 201
Sanch. *l. cit.* nisi delictum aliquod præberet justam causam dispensandi, v. gr. ob Concubinatum, vel defloration em virginis, quia tunc poterit, non ratione Dispensationis, sed in pœna delicti aliquam mulctam injungere.

Qui autem possint in hujusmodi Denunciationibus 202
dispensare, dic posse non solum Episcopum, sed etiam ejus Vicarium Generalem. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 7. *num.* 6. Squillant. *de Oblig. Cleric. part.* 2. *num.* 121. Ricc. *in collect. part.* 3. *collect.* 702. Bonac. *de matr. qu.* 2. *punct.* 6. *num.* 7. *vers. Dixit*. Gratian. *Discept. For. cap.* 841. *num.* 10. *tom.* 5. Trull. *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 9. *num.* 2. quia appellatione Ordinarii veniunt Episcopus, & Vicarius. Paris. *de Resign. Benef.*

lib. 3. *quæst.* 11. *num.* 22. Layman. *lib.* 5. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. *circa fin.* Pont. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 11. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 29. *numer.* 5. Marant. *in Spec. Advocat. part.* 4. *dist.* 5. *num.* 12. *&* 13. Garz.
203 *de Benef. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 21. & innumeris citatis sic concludit Sbroz. *de Offic. Vic. lib.* 2. *quæst.* 55. & dum aliquid Episcopo conceditur, persona Vicarii non excluditur, sed potius sub ejus dispositione comprehensa videtur. *Gloss. in cap. Presbyt. unic. de capillis Menoch.* Grat. *Discept. For. cap.* 841. *numer.* 14. *&* 15. Barbos. *de Appellat. verb. Appellativa* 89. *num.* 25. Marant. *Resp.* 25. *num.* 40. *part.* 1. *&* *Resp.* 68. *num.* 83. *part.* 3. & proinde in nominatione E-
204 piscopi facta per Concilium, nisi facta sit cum dictione taxativa tantum, includitur Vicarius Generalis. Sbroz. *de Offic. Vic. lib.* 2. *quæst.* 43. *num.* 29. *&* *lib.* 3. *quæst.* 171. *num.* 2. Marant. *Resp.* 2. *num.* 4. *part.* 2. Barbos. *d. Appell.* 702. *in princ.* dicitur namque Episcopi socius in administratione Episcopali, & Jurisdictione. Lother. *de re Benef. lib.* 1. *quæst.* 28.
205 *num.* 130. unde à sententia Vicarii non licet appellare ad Episcopum. Sbroz. *de Offic. Vic. lib.* 3. *quæst.* 2. *num.* 1. Garz. *de Benef. d. cap.* 8. *numer.* 28. Meroll. *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 535. quia appellatio à mi-
206 nori Judice datur ad majorem; cum ergo Episcopus, & Vicarius constituant unum, & idem Tribunal, *cap. Rom. de Appell.* Rota *dec.* 474. *numer.* 3. *part.* 2. *rec.* Trullenck *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 3. *num.* 2. Gratian. *l. c. num.* 17. & factum à Vicario censeatur factum ab ipso Episcopo: *Gloss. in d. cap. Presb.* Rebuff. *in prax. titulo de Vicar. Episc. num.* 40. Barbos. *in Vot. Can. l.* 2. *Vot.* 56. *num.* 68. Marant. *l. c. num.* 51. & habeantur pro unica persona, & unico corpore: Grat. *Discept. For. cap.* 809. *num.* 15. Barbos. *n.* 72. *l. c.* nec inter ipsos detur medium. Barbos. *n.* 73. *l. c.* Hujusmodi appellatio facta ab Episcopo ad Vicarium censeretur facta de seipso ad seipsum.
207 Poterunt etiam in hujusmodi Denunciationibus cum suis subditis dispensare alii Prælati Episcopo inferiores, Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, nullique Diœcesano subditi, cum ipsi etiam sub nomine Ordinariorum veniant. Navarr. *l.* 4. *consil. titul. de sponsa. consil.* 5. *num.* 2. *in prim. edit.* Sanch. *dict. l.* 3. *disp.* 7. *num.* 4. Barbos. *d. allegat.* 32. *num.*
208 30. quia Prælati exempti, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem, possunt regulariter ea omnia facere, quæ sunt Jurisdictionis: vide dictum Navarr.
209 *l. c.* Abbates etiam, qui Ordinarii sunt, & Jurisdictionem habent quasi Episcopalem, dispensare possunt, cum ea omnia regulariter possint circa eorum subditos, quæ possunt Episcopi in eorum Diœcesibus in his, quæ sunt Jurisdictionis. Sanch. *dict. disp.* 7. *num.* 4. *&* *disp.* 28. *num.* 6. *eod. lib.* Navarr. *l. c.* Ricc. *in collect. dec. dict. collect.* 702. Zerol. *in Praxi Episc. part.* 1. *verb. Denunciationes*. Barbos. *de Jure Eccl. Univ. l.* 1. *capit.* 17. *numer.* 97. Alii etiam dispensare possunt, quos supra ad *num.* 75. diximus, venire sub nomine proprii Ordinarii respectu eorum subditorum.

Et quoniam matrimonii Denunciationes ideo sta-
210 tutæ sunt, ut illis mediantibus Impedimenta detegantur, propterea, qui novit Impedimentum adesse inter contrahere volentes, quamvis id occultum sit, & probari non possit, tenetur vi Denunciationum manifestare, quia non agitur de pœna alteri infligenda, sed de evitando damno spirituali proximi. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 13. *num.* 2. Coninck *dict. disp.* 27. *dub.* 7. *conclus.* 1. *num.* 61. Bonacin. *de matrim. quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 20. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 185. Barbos. *dict. allegat.* 32. *numer.* 25. Avers. *quæst.* 7. *d. sect.* 4. *vers. Tenetur*; nec excusa-
211 bitur quis ab obligatione denunciandi, quamvis ex ipsa Denunciatione secuturum sit damnum tertio, & quamvis etiam ipse solus Impedimentum sciverit, vel sub secreto acceperit, vel ab aliis dici audierit, dummodo personæ, à quibus dici audivit, sint fide
212 dignæ; non tamen si accepisset à persona nil certum sciente, vel levi, vel si non meminit à quibus dici audierit; vide Sanch. *lib.* 3. *disp.* 13. *num.* 7. Pont. *lib.* 5. *cap.* 34. *numer.* 1. Bonac. *l. c.* Filiuc. *d. cap.* 5. *num.* 186. Boss. *de matrim. contr. cap.* 7. *numer.* 164. Steph. à S. Greg. *d. cap.* 97. *num.* 19. Avers. *d. quæst.* 7. *sect.* 4. Nec requiritur, ut Impedimentum denuncians 213
sit omni exceptione major, dummodo sit fide dignus; immo nec rejicitur à testificando, quamvis crimino- 214
sus sit, vel sanguine conjunctus alterutri parti, quamvis etiam turpitudinem suam alleget. Sanch. *libr.* 1. *disp.* 71. *num.* 4. Genuens. *in Praxi Cur. Arch. Neap. cap.* 21. *num.* 7. Debet tamen cum juramento depone- 215
re, referendo causam scientiæ sui dicti; & si Impedimentum sit Consanguinitatis, vel Affinitatis, suf- 216
ficit si deponat se audivisse à majoribus suis saltem duobus, & gradus ipsos Consanguinitatis, vel Affinitatis referat distincte, ex utraque parte illos computando ad formam *cap. Licet ex quadam, de testib.* ita Sanch. *l.* 1. *disp.* 71. *n.* 11. Avers. *q.* 7. *sect.* 5. *vers. Debet ergo*; vide, quæ late circa hanc obligationem diximus *lib.* 1. quæ hic repetere superfluum esset. Et si nolit nomen suum publicari parti, non erit de ne- 217
cessitate publicandum, nisi sponsalia jurata præcessissent. Sanch. *l.* 1. *disp.* 71. *n.* 3. Mascard. *de prob. concl.* 1033. *n.* 4. Ventrigl. *in praxi annot.* 38. §. *Unico*, *n.* 1. Avers. *d. q.* 7. *sect.* 5. *vers. Debet ergo*. Boss. *de matr. contractu*, *d. cap.* 7. §. 36.

Si quis tamen falsa Impedimenta denunciet, & 218
ut matrimonium impediat, pœna arbitraria erit puniendus à Judice Ecclesiastico. *cap. Cum inhibitio* 3. *in fin. de clandest. desponsa.* Barbos. *d. alleg.* 32. *n.* 24. Menoch. & Ugolinus penes ipsum.

Requisita, quæ concurrere debent ad hoc, ut uni- 219
cus testis impediat matrimonium contrahendum, diximus *dict. capit.* ubi diximus, an fama sola sufficiat, & quæ sit differentia inter famam, & rumorem.

Quamvis autem facile possit præsumi, quod Im- 220
pedimentum ab aliis reveletur, non tamen quis excusabitur à Denunciatione facienda, quia sub dicta præsumptione omnes possent excusari; & tamen facile venire posset, ut Impedimenta non denunciarentur ab aliquo. At si quis sciret jam fuisse ab aliis denunciatum, tunc non tenebitur, quia jam fuit obligationi satisfactum.

At si Impedimentum sit occultum, & ex ejus ma- 221
nifestatione oriri possit infamia, ut quia v. gr. procedat ex copula illicita, poterit, immo debebit ille, qui Impedimentum novit, prius secreto admonere Impeditos, qui contrahere volunt, vel eorum alterum, ut à conjugio contrahendo desistant, & si desistant satisfactum erit obligationi; si vero desistere nolint, vel antequam contrahant, Dispensationem non impetrent, de qua ipsi, qui Impedimentum scit, legitime constet, prout etiam dum ab initio monitionem profuturam non speret, tenetur hujusmodi Impedimentum quantumcumque occultum revelare Parocho, aut Prælato, quia bonum animæ, & valor Sacramenti omnino præferri debent bonæ famæ. Sanch. *l.* 3. *disp.* 13. *numer.* 3. Reginald. *l.* 31. *cap.* 28. *nu.* 228. Filiuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 185. Bonac. *de matrim. quæst.* 6. *punct.* 6. *num.* 20. Avers. *l. c. vers. Item tenentur*, & alii communiter.

Hæc Conclusio à nonnullis limitatur. Primo limi- 222
tatur, ita ut locum non habeat, si Impedimentum ita occultum esset, ut ipse solus noverit, & tamen oritur ex infamia, aut peccato, & contrahentes sunt in bona fide, nisi speretur monitionem profuturam; sic Barbos. *d. alleg.* 32. *n.* 26. Pont. *de matr. l.* 5. *cap.* 34. *n.* 5. *&* 6. & in hanc opinionem inclinare videtur Dian. *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 221.

Duos casus exemplificat Pontius *de matr. cap.* 34. 223
n. 10. in quibus docet, non teneri quem ad revelandum; primus est, si, v. gr. Pater ex duabus fœminis duos filios, masculum ab una, & fœminam ab altera suscepisset, & deinde ipsi Impedimentum ignorantes contrahere vellent insimul, & matre defuncta, solus pater hujusmodi Impedimentum novit; quam doctrinam in casu dicto approbat. Boss. *de matr. contract. cap.* 7. *num.* 162.

Secundus casus, quem proponit Pontius, est, si fœ- 224
mina suscepisset filiam ex proprio filio, ignorante eam fœminam à se cognitam esse suam matrem, & deinde is

de is filius cum sua sorore, immo ejus filia contrahere intendat, & sola mater sciat Impedimentum; & hanc doctrinam idem Bosf. *l. c. nu.* 160. tenet.

At melius Sanch. *lib.* 3. *disp.* 15. *n.* 11. Coninck. *disp.* 27. *concl.* 4. *num.* 66. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 11. loquentes de Parocho, docent, non posse Parochum matrimonio assistere, si extra Confessionem sciat inter contrahere volentes aliquod adesse Impedimentum, quamvis ipse solus Impedimentum sciat, nec probari possit, & quamvis infame sit, & matrimonium publice petant; sed si præhabita monitione impediti à matrimonio contrahendo desistere nolint, teneri denunciare Ordinario, quia hoc casu deponet, ut testis, cum ipse in hac causa Judex non sit, nec ad ipsum spectet de matrimonii Impedimentis cognoscere, ut alibi diximus. Ordinarius autem, qui Judex est, si ipse solus Impedimentum occultum novit, quod probari non potest, videtur posse assistere matrimonio, vel licentiam alteri concedere ad assistendum; quia cum ipse sit Judex, non potest esse testis, sed tenetur judicare secundum acta, & probata: sic Sanch. *l. c.* quamvis non desint, qui probabilius existiment, non posse eo casu Ordinarium assistere, nec matrimonium permittere; sed teneri rem ad suum Superiorem deferre, de qua re videndi sunt dictus Bossius *cap.* 7. *num.* 206. Coninck. *num.* 66. & 67. *ll. cc.*

Limitatur secundo prædicta conclusio, itaut quis non teneatur, immo non possit, nec debeat Impedimentum revelare, si id sub sigillo Sacramentalis Confessionis acceperit, cum non liceat ob quodcunque damnum vitandum frangere sigillum Confessionis. Ita bene docent Sanch. *lib.* 3. *disp.* 13. *n.* 6. Coninck. *disp.* 27. *dub.* 7. *concl.* 1. *n.* 61. Filiuc. *d. cap.* 3. *n.* 186. Aver. *d. sect.* 4. *vers. Tenetur denunciare*, & faciunt ea, quæ diximus. Quod verum est, si vere hujusmodi notitia procedat ex vera, & effectiva Sacramentali Confessione; quia si quis habuit notitiam Impedimenti sub sigillo Confessionis, & tamen vere facta non fuerit Confessio, tenebitur nihilominus denunciare, quia tunc non plus obligatur, quam ob Sacramentum secreti servandum, quo casu Lex de vincendo animæ periculo vincit Legem de servando secreto naturali, cum dicta Denunciatio in præjudicium tertii non tendat; ita bene animadvertit Vivald. *in Candelab. part.* 1. *tit.* 12. ubi *de Sigil. Confess. n.* 37. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 13. *nu.* 6. Steph. à S. Gregor. *l. c.* Amplia, ut teneatur denunciare, quamvis ille, qui sub sigillo manifestavit, genuflexus fuerit, & facto signo S. Crucis dixerit orationes, quæ Confessioni præmitti solent, quia tamen Confessionis sigillum non est, quando detegitur ad effectum petendi consilium, & non animo illud vere fatendi. Coninck. *n.* 66. Filiuc. *ll. cc.* Sanchez *d. num.* 6. ubi plures pro hac opinione refert.

Tertio limitatur supradicta conclusio, itaut quis non teneatur Impedimentum occultum revelare, si prudenter timeat ex dicta revelatione secuturum sibi maximum detrimentum, vel magnum scandalum inter alios. Navarr. *in Summa*, *cap.* 22. *nu.* 83. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 13. *n.* 4. Pont. *lib.* 3. *cap.* 34. *nu.* 2. Aversa. *d. sect.* 4. *vers. Non autem*. Steph. à S. Greg. *lib.* 3. *cap.* 97. *nu.* 19. Coninck. *disp.* 27. *nu.* 62. Bonac. *de Matr. qu.* 6. *punct.* 6. *num.* 20. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 5. *n.* 185. Fragos. *de Regim. Chr. Reip. par.* 1. *lib.* 5. *disp.* 12. *n.* 352. qui exemplificat casum, v. gr. si quis post copulam cum Bertam habitam vult ducere sororem ipsius Bertæ, quæ vel reputatur virgo, vel jam nupsit viro nobili, & honesto, & non potest Impedimentum manifestari, absque notabili infamia. Ratio hujus limitationis est, quia hoc casu nec correctio fraterna, nec Præceptum Ecclesiæ obligant. Ampliant hanc Doctrinam Coninck & Bonac. *ll. cc.* ut nec quis teneatur revelare, quando non potest absque suo gravi incommodo hujusmodi Denunciationem facere.

Quarto limitatur; ut quis non teneatur Impedimentum occultum denunciare, si sciat fuisse super eo obtentam Dispensationem, quia tunc sublato per Dispensationem Impedimento, perinde est ac si Impedimentum non adfuisset: Intellige tamen, ut hujusmodi Impedimentum sit ita occultum, ut publicari non possit; quia si esset aliis ita notum, ut tractu temporis possit verisimiliter detegi in foro Ecclesiæ, & Dispensatio solum obtenta sit pro solo conscientiæ foro, teneretur hoc casu denunciare; quia cum hujusmodi Dispensatio non prosit pro foro externo, immineret periculum dissolvendi in Judicio matrimonium; unde necesse erit, antequam contrahatur matrimonium, providere: vide Sanch. *d. disp.* 13. *n.* 8. Pont. *lib.* 5. *cap.* 33. *n.* 6. & *cap.* 34. *n.* 1. *in fin.* Aversa. *vers. Nec tenebitur*, *l. c.* Steph. à S. Gregor. *n.* 20. & Bosf. *nu.* 167. *ll. cc.*

Et non solùm quis tenetur revelare Impedimenta matrimonium dirimentia (ut diximus) sed tenebitur etiam denunciare solùmmodo impedientia; ut si sciret aliquem ex contrahere volentibus esse simplici Voto Castitatis, vel Religionis adstrictum, vel si teneretur sponsalibus cum alia persona contractis; Vide Aversa. *l. c. vers. Debent denique*.

Quid autem faciendum sit à Parocho, quidve ab Ordinario, si Impedimenta occulta sibi denuncientur, instituti nostri non est indicare, quamobrem ad eos, qui materiam hanc pertractant, erit recurrendum.

Quod attinet ad Praxim impetrandi Dispensationem in Romana Curia super matrimonio clandestine contracto, in primis exprimi debet Pontifici:

Quod ipsi alias scientes se tertio Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso, hæc causa foret Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam ad Misericordiam, & Gratiam erga ipsos faciliores reddendi, matrimonium inter sese per verba de præsenti clandestine, & de facto contraxerunt, illudque carnali copula consummarunt; cum autem Oratores prædicti in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; & si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri. Cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari; Et eo casu Papa Dispensationem concedendo committere solet Delegato, *ut à generali excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrerunt, incestus reatu, & excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat, ac cum eisdem Oratoribus, quod (Impedimento Tertii Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante) matrimonium inter sese de novo publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in postmodum remanere libere, & licite valeant, &c. dispenset, &c. non obstantibus, &c. imposita Oratoribus propter incestum hujusmodi, aliaque præmissa arbitrio Delegati gravi Pœnitentia salutari, & recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habendæ Dispensationis &c. incestum non commiserint, & quatenus contra ipsos causa in judicium quoquomodo deducta fuerit, parito judicato, & cum Decreto, quod Oratorum alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat. Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam nunciando.*

Sciendum est Pontificem se reddere difficilem ad dispensandum super Clandestino Matrimonio, & quando dispensat multas conditiones adjicit à Delegato servandas; nempe

1 Quod Oratores absolvat à Censuris ad effectum Gratiam consequendi.

2 Quod gravem utrique Oratori imponat Pœnitentiam salutarem.

3 Quod Oratores jurent incestum non commisisse sub spe facilius obtinendi Dispensationem.

4 Quod, quatenus causa contra ipsos quoquo modo in Judicium deducta fuerit, pareant Judicato, &

5 Quod Oratorum alter alteri supervivens perpetuo absque spe Conjugii remaneat.

Si adesset culpa Parochi, debet id exprimi Pontifici, & tunc additur in Literis clausula: *Et punito Parocho arbitrio Ordinarii*: Unde puniri poterit non solum pœna arbitraria, sed etiam triennali suspensione, juxta dispositionem Capituli *Cum inhibitio, finali, de clandest. desponsat.* ubi habentur hæc verba:

Sane si Parochianis Sacerdos tales Conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui etiam præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus si culpæ qualitas postulaverit; Cui Capitulo non est derogatum per Concilium *sess.* 24. *cap.* 1. dum statuit Parochum esse graviter puniendum.

242 Causa, quæ movet Pontificem ad dispensandum in proposito casu, est evitatio scandalorum, quæ verisimiliter timentur, nisi matrimonium legitime, ac rite contrahatur, quia ut plurimum inimicitiæ, jurgia, & scandala inde oriri solent, & periculum adest incontinentiæ, & concubinatus, & quod mulier ratione infamiæ diffamata, & innupta remaneat, & cum periculo animæ vivat; vide Menoch. *cons.* 385. *n.* 7. *volum.* 4. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *nu.* 9. Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib.* 8. *cap.* 1. *nu.* 1. quia Papa semper studet obviare scandalis, & sic indicant ejus verba in Literis hujusmodi Dispensationum apponi solita, nempe, *Nos igitur, qui salutem quærimus singulorum, ac scandalis, ne eveniant, quantum cum Domino possumus libenter obviamus, &c.*

243 Si impediti inter se contrahant (non tamen consumant) sub conditione *si Papa dispensaverint*, non incurrere excommunicationem, & alias Pœnas in dicta Clementina *Eos, qui*, & aliis Constitutionibus contentas, & etiam à Concilio statutas, diximus *lib.* 1. quia dum contrahentes sub dicta conditione contrahunt, non contrahunt pro tunc, sed pro tempore, quo per Dispensationem erunt facti habiles, vide Doctores, & Jura, quæ ibi pro hac opinione citavimus; & quidem quotidiana Praxis sic habet, quod omnes fere contractus, in quibus superioris confirmatio necessaria est, fieri solent sub conditione Beneplaciti Papæ, vel Principis, vel ejus supremæ Curiæ, ut est notorium.

Tandem pro conclusione hujus Capitis animad- 244
vertendum est, Concilium inhabilitare clandestine contrahentes ad sic denuo contrahendum, unde infertur, ex hac sola ratione clandestinitatis, si nullum aliud Impedimentum adsit, non requiri Dispensationem, si denuo rite contrahere velint coram Parocho, & Testibus in facie Ecclesiæ servata forma Tridentini Concilii, sic bene Zerol. *in Praxi Episc. part.* 1. *verbo Matrimonium, vers. Octavo, quod agendum*; Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 6. *n.* 190. Gutier. *de Matrim. cap.* 75. *num.* 3. Avers. *de Matrim. qu.* 6. *sect.* 8. *in princip.* & celebratissimus Doctor noster Hieronym. Palma *cons.* 87. *num.* 73.

Quando tamen hujusmodi matrimonium clande- 245
stinum esset publicatum, & timerentur scandala, opus esset licentia Episcopi ad denuo contrahendum; vide Filiuc. *l. c.* ad illum enim spectat de Impedimentis Matrimonii cognoscere, & inquirere potest contra utentes matrimonio clandestino ob animarum salutem, ut bene docent dicti Filiuc. & Zerol. *ll. cc.*

DE DI-

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

An Causa justa requiratur ad hoc, ut valide, & licite Dispensatio Matrimonialis concedatur.

SUMMARIUM.

1 *Dispensationes omnes Matrimoniales ex veris, & rationalibus causis concedi debent, alias gratia erit subreptitia*, num. 3.
2 *Et gratis concedi debent.*
4 *Pontifex est supra Concilium.*
5 *Et potest dispensare etiam absque causa super iis, quæ de Jure Ecclesiastico sunt.*
6 *Sola voluntas Pontificis habet vim legis.*
7 *Tamen ut licite, & absque peccato dispenset, requiritur justa causa.*
8 *Idque adeo verum est, ut nec de consensu contrahere volentium possit Pontifex de potestate absoluta absque causa licite dispensare.*
9 *Dispensatio, quamvis à Lege, & Canone committatur arbitrio, & prudentiæ Dispensantis, tamen d. arbitrium debet esse à Jure regulatum.*
10 *In exordio Literarum, & Bullarum Pontificis, maxime in Beneficialibus, ex stylo Curiæ Romanæ exprimi solent causæ, ex quibus motus fuit Pontifex ad dispensandum.*
11 *Nullam Dispensationem Matrimonialem Papa solet concedere sine causa; & licet eam non exprimat, tamen non dicitur dispensare sine ea.*
12 *Leges sunt quoddam commune bonum, quod omnes æqualiter respicit.*
13 *Dispensatio est vulnus Juris.*
14 *Dispensare non potest qui est Juris interpres.*
15 *Dispensatio à Papa facta absque justa causa, erit valida, sed quoad Deum erit illicita*, nu. 16.
17 *Papa non debet ad libitum sua authoritate uti, sed cum causa, & ad bonum commune.*
18 *Est differentia inter Dispensationes, quæ fiunt per Pontificem, vel alium Prælatum in propria, vel inferioris Lege, & illas, quæ per ipsum Pontificem in Lege Dei, vel alium inferiorem in Lege Superioris fiunt.*
19 *Illæ enim si sine causa fiant, illicitæ quidem, sed validæ erunt.*
20 *Quæ vero in Lege Superioris per Inferiorem fiunt, nisi justa adsit causa, non solum illicitæ, verum & invalidæ erunt.*
21 *Pontificem voluisse aliquem à Lege dispensare sine justa causa, nunquam præsumitur.*
22 *Nec est credibile, Deum suo Vicario in terris potestatem concessisse, ut temere, & sine causa, Vota, Juramenta, aliaque Divinæ Legis præcepta relaxaret.*
23 *Utens Dispensatione concessa à Lege Superioris absque causa, peccat, ac si contraveniret absque Dispensatione.*
24 *Et sic Dispensatus tenetur exequi, quod Lex jubet, non obstante Dispensatione.*
25 *Licet in foro externo puniri non possit.*
26 *Dispensatio Summi Pontificis pro Foro externo super matrimonio inter impeditos contracto, liberat à pœna temporali.*
27 *Dispensans ut supra à Lege superioris sine causa, puniri potest.*
28 *Amplia, ut sit illicita, & invalida Dispensatio, pro Foro externo, quamvis causa justa adesset, sed Inferior dispensans non eam prægnovisset.*
29 *Dispensatio ut supra concessa pro Foro interno, si vere justa causa adsit, valebit, donec pro Foro externo revocetur.*
30 *Dispensatio ab Inferiore in Lege Superioris concessa absque justa causa, est nulla, etiamsi fuisset ab ipsomet Vice gerente concessa, qui solet dispensare de plenitudine potestatis, quia nunquam præsumitur Principem alicui potestatem dispensandi concessisse cum plenitudine potestatis.*
31 *Quamvis Papa, & alii inferiores, potentes cum aliis dispensare, possint etiam secum in iisdem proprie, & direct dispensare.*
32 *In Dispensatione, à Pontifice etiam* Motu proprio *facta, præsumitur semper justa causa.*
33 *Dum Papa dispensat in Jure Divino, & Naturali, causa justa non præsumitur, nisi exprimatur, & probetur.*
34 *Aliter enim est in Foro conscientiæ, in quo pro Superiore præsumendum, donec de defectu causæ subdito constet.*
35 *Commissa Dispensatione à Superiore alicui, præsumitur Dispensantem causam justam habuisse, & Delegatus tenetur exequi nulla causa requisita.*
36 *In Foro externo non est credendum Prælato, se habere facultatem Dispensandi à Lege Superioris ex justa causa, nisi probetur ostenso rescripto.*
37 *Nisi Delegatus esset in excelsa dignitate constitutus, aut ageretur de præjudicio tertii.*

38 *Tamen pro Foro conscientiæ cuicunque viro timorato, vel Confessario credendum erit.*

39 *Petens Dispensationem absque causa, peccabit mortaliter petendo illicitum.*

40 *Utens dicta Dispensatione, licet fuerit concessa à Dispensante à propria, vel Inferioris Lege, peccabit toties quoties, &c.*

41 *Contrarium verius est, quod utendo non peccet.*

42 *Peccatum erit mortale tam quoad petentem, quam Dispensantem, si Dispensatio concedatur absque causa in Lege Superioris, nisi levitas materiæ excuset.*

43 *In propria tamen Lege, quamvis non desint qui existiment esse mortale, quando Lex, in qua dispensatur, obligat sub mortali, tamen verius est non esse, nisi adsit scandalum, & grave aliorum damnum.*

44 *Si ob causam falsam petatur Dispensatio, eadem erit nulla, quamvis in propria lege facta sit.*

45 *Causa Dispensationis duplex esse potest, nempe finalis, & impulsiva.*

46 *Finalis causa quæ sit.*

47 *Causa finalis dicitur causa, & origo omnium aliarum causarum.*

48 *Causa finalis dicitur conditio sine qua non.*

49 *Et ejus defectus semper reddit causam nullam.*

50 *Cessante causa cessat dispositio.*

51 *Ejusque defectus non sanatur, quamvis cesset dolus, & malitia.*

52 *Quia eo casu Oratores excusantur à culpa, non tamen actus irritus convalidatur.*

53 *Impulsiva causa, quæ dicatur.*

54 *Clausula* si preces veritate nitantur, *non habet locum quoad causam impulsivam.*

55 *Si in supplicatione porrecta Pontifici pro Dispensatione unica causa allegetur, censetur finalis.*

56 *Si vero plures causæ afferantur, quæ erit finalis.*

57 *Si plures causæ afferantur, & finalis tantum sit vera, & cæteræ falsæ, Dispensatio, nihilominus valebit.*

58 *Coram Delegato sufficit verificare solam causam finalem Dispensationis.*

59 *Causæ plures si fuerint adductæ, & adæquatæ, itaut ex qualibet earum fuisset concessa Dispensatio, adhuc sufficiet unam ex eis verificari.*

60 *Si vero omnes causæ allegatæ, quamvis sufficientes ad concedendum, ita expositæ sint, ut nequeat percipi, quæ ex eis moverit ad dispensandum, quid tunc attendi debeat,* & n. 61.

62 *In dubio præsumendum pro valore actus.*

63 *Causæ omnes in rescripto per Papam appositæ censentur finales.*

64 *Si ex causis allegatis nulla de per se sit sufficiens, sed simul unitæ moverent Pontificem ad dispensandum, tunc nisi eæ sint omnes veræ, gratia erit subreptitia.*

65 *Causæ sunt per se sufficientes, quando de stylo, & consuetudine Cancellariæ Apostolicæ ex quavis ex eis sola allegata concedi solet Dispensatio.*

66 *Stylus Curiæ denotat mentem Papæ.*

67 *Causa in dubio censetur impulsiva, & non finalis, nisi sola sit allegata.*

68 *Causa quando dicatur justa, & licita, necne.*

69 *Causa, ut justa dicatur, non oportet, ut ex ea necessario debeat Dispensatio concedi, sed sufficit justam esse posse, quamvis necessaria non sit.*

70 *Quamvis etiam vere non esset sufficiens, & justa, sed prudenter, & bona fide sufficiens haberetur à Dispensante, etiam in Lege Superioris.*

71 *Facultas dispensandi extenditur ad causam dubie justam.*

72 *Et in casu dubio licite potest dispensari.*

73 *Superior non tenetur judicialiter cognoscere de existentia, & justitia hujusmodi causæ, sed sat est, ut quocunque modo cognoscat.*

74 *Amplia, prædicta procedere, & vera esse, etiam casu quo Dispensatio fieret in Jure Dei ex commissione suo Vicario facta, v.gr. in votis, juramentis, in concessione Indulgentiarum, si Dispensans rationabiliter existimet causam justam subesse.*

75 *Et quamvis post Dispensationem, sic bona fide factam, constet eam causam non fuisse sufficientem, Dispensatus, qui bona fide proposuit; erit tutus in conscientia.*

76 *Immo nec peccabit proponens bona fide causam insufficientem, quia suum non est judicare an causæ sint justæ.*

77 *Dispensatio an sit valida, si causa Pontifici narrata cesset, & distingue, aut cessat antequam Pontifici proponatur, & tunc Delegatus non poterit dispensare,* & nu. 78.

79 *Si plures sint allegatæ causæ, & una per se sit sufficiens, licet aliæ cessent, Dispensatio valebit.*

80 *Si causa cesset post mandatum Pontifici ad dispensandum, sed antequam facta fuerit Dispensatio à Delegato, non poterit Delegatus Dispensationem exequi, nec contrarii sunt audiendi,* num. 81.

82 *Si causa finalis cesset facta executione Dispensationis, licet nondum secuto Matrimonio, Dispensatio non vitiatur.*

83 *Si dubium esset an causa Dispensationis cessasset, præsumendum est adhuc durare.*

84 *Dispensatio valida censeri debet, si dubium proveniat ex eo quod executor munus suum non recte executus fuisset.*

85 *Prout si dubitaretur, an satis probata fuisset veritas narratorum, quia in dubio præsumitur pro validitate.*

86 *Pro validitate Dispensationis præsumitur; & qui illam impugnare vult, tenetur contrarium probare.*

87 *Dispensatus est tutus in conscientia, etiamsi dubium sit, an Prælatus legitimam habeat potestatem dispensandi si sit in possessione, & titulum habeat.*

88 *Amplia, etiamsi postea detegatur titulum fuisse nullum, nam nihilominus gesta valebunt.*

89 *Secus tamen si reperiatur caruisse titulo collato à legitimo Superiore.*

90 *Si causa Pontifici allegata non probaretur coram Ordinario, sed alia allegaretur, quam Papa de stylo admisisset si esset narrata, non poterit nihilominus Delegatus dispensare.*

91 *Rescripta Papæ sunt stricti Juris, nec sunt extendenda.*

92 *Dispensatio quo difficilior est, eo majores requiruntur causæ.*

93 *Casus difficiliores ad dispensandum qui sint.*

94 *Ad dispensandum in Voto solemni Religionis, requiritur causa gravissima, & qualis debeat esse.*

95 *In Dispensatione Voti simplicis non admittitur sola solutio Compositionis pecuniariæ, si nulla alia causa executioni Voti obstet, & quando sufficiat,* num. 96.

97 *Et quæ causæ sint sufficientes.*

98 *Votum raro remittitur, sed tantum commutatur.*

99 *Conservatio Ducatus, & Marchionatus in progenie non est justa causa dispensandi à Voto Castitatis, vel Religionis.*

100 *Nec est sufficiens causa, si quis laboraret morbo continuo, & subveniri posset actibus venereis, sed tamen ad commutandum.*

101 *Quando causa est temporalis fit commutatio mixta cum aliqua Dispensatione.*

102 *Ad dispensandum in Voto pœnali Castitatis, aut Religionis, minor causa requiritur, quam in Voto absoluto.*

103 *Major causa exigitur si concurrant vinculum Voti, & Juramenti.*

104 *Non tamen exigitur major causa ad commutandum.*

105 *Causa, quæ esset sufficiens ad dispensandum in Voto, non semper est sufficiens ad dispensandum in Voto non petendi Dispensationem.*

106 *Minor causa desideratur in Dispensatione super tempore executionis Voti, quam super ejusdem Voti Dispensatione.*

107 *Ad dispensandum super Voto Professionis desideratur*

tur causa, quæ bonum commune respiciat, & quæ sint.

108 *In paternitate, seu maternitate spirituali urgentissima causa requiritur, quia vix, & difficiliter dispensatur, & quomodo reguletur Dispensatio.*

109 *In compaternitate facilius, & ex levioribus causis dispensatur.*

110 *Non in omnibus gradibus Consanguinitatis, vel Affinitatis eadem causa sufficiet, sed in propinquioribus major desideratur.*

111 *Causæ urgentissimæ requiruntur ad dispensandum in primo, & secundo grædibus Consanguinitatis, vel Affinitatis, & quando concedatur.*

112 *Causæ, quæ solent admitti ad dispensandum in secundo gradu referuntur.*

113 *Et in his gradibus propinquioribus facilius dispensatur cum divitibus, quam cum pauperibus, & de ratione.*

114 *Impedimentum publicæ Honestatis etiam in primo gradu non comprehenditur sub d. Decreto Concilii, prout nec Impedimentum Affinitatis ex copula fornicaria proveniens.*

115 *In gradibus remotioribus, nempe secundo, & tertio, vel in tertio, & quarto, vel quarto simplici Consanguinitatis, vel Affinitatis dispensatur ex causis levioribus.*

116 *Si Dispensatio petatur ad reparandum honorem mulieris, & scandala vitanda attenta copula carnali, vel suspecta conversatione, si Oratores sint conjuncti gradibus remotioribus, sufficit exprimere, quod mulier nisi matrimonium contraxisset, diffamata, & innupta remaneret.*

117 *At in propinquioribus majores causæ requiruntur.*

118 *Causæ multæ leves, quarum singulæ non sufficerent ad dispensandum, simul junctæ quando sufficere possunt, & quæ sint.*

119 *Pontifex potest quamlibet causam sibi bene visam admittere ad dispensandum.*

120 *Licet soleat eas remittere Congregationi Concilii discutiendas, an sint justæ, necne.*

121 *Causæ de stylo Curiæ Romanæ sufficientes, & ad praxim deductæ, recensentur.*

122 *Causæ, quæ dicto* nu. 121. *recensentur, sufficiunt generaliter pro omnibus Dispensationibus tam matrimonialibus, quam aliis.*

123 *Causæ vero particulares pro Dispensationibus matrimonialibus tantum quæ sint.*

DEcernit Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 6. cap. 2. de Reformat. Matrimon.* ut
1 Dispensationes omnes ex veris, & rationabilibus causis concedantur; & *sess. 24. de Reform. Matrimon.*
2 *cap. 5.* expresse statuit, ut in Matrimoniis contrahendis, vel nulla omnino detur Dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur: & tan-
3 dem *sess. 25. de Reform. cap. 18.* ait dispensare sine causa nil aliud esse, quam ad transgrediendas Leges aditum aperire, & proinde decernit, quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, dispensandum esse, id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscunque, ad quos Dispensatio pertinebit, sit præstandum, aliterque facta Dispensatio subreptitia censeatur.

4 Et quamvis Summus Pontifex, cum sit supra Concilium, Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. §. 1. Proœmial. num. 62.* Cassador. *decis. 2. nu. 4. de Præbend.* Leo *in Thes. Fori Eccles. part. 1. cap. 8. num.* 14. non ad-
5 stringatur Decretis Concilii, & proinde in his, quæ de Jure Ecclesiastico sunt, possit absque ulla causa valide dispensare, ut concludunt Doctores infra *n. 16.* citandi, cum sit solutus Legibus, *cap. Proposuit 4. de concess. Præb. l. Princeps ff. de legib.* Sylvest. *verbo Dispensatio, qu. 2. n. 5.* & in his ejus suprema auctoritas sit pro causa. Card. Tusch. *concluf. 485. num. 26.*
6 Sperell. *decis. 109. nu.* 33. immo ejus sola voluntas habeat vim Legis, *l. sed quod Principi, Instit. de Jure naturali gent. & Civil. Gloss. in l. Relegati, ff. de pœnis*, Cæval. *QQ. Commun. contra Comm. qu. 578. num. 8.* Cornel. *cons. 312. n. 2. vol. 1.* cum ejus sit destruere, cujus est condere. Sylvest. 5. *Dispensat. qu. 3. n. 5.* Farinac. *Cons. Crim. lib. 1. cons. 85. nu. 88.* nihilominus ad hoc ut licite, & absque peccato Dispen- 7
satio concedatur, justa causa requiritur. Sylvest. *verbo Dispensatio, qu. 3. num. 5.* Navarr. *in Summa cap. 25. nu. 74. in fine.* Escobar *Theol. Mor. tract. 1. exam. 16. cap. 2. in princip.* Gamb. *de Off. & Pot. Leg. lib. 10. num. 360.* Meroll. *tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 15. nu. 242.* Sanch. *de Matr. lib. 8. disp. 17. num. 24.* Salas *de Legib. disp. 20. sect. 4. num. 37.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. nu. 313.* Bonac. *de Legib. disp. 1. quæst. 2. punct. 3. propos. 1. n. 1.* Pont. *de Matrim. lib. 8. cap. 14. n. 7.* Layman. *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 13.* Valer. *Diff. utr. For. verbo Dispensat. diff. 2. n. 4.* Diana *part. 8. tract. 3. vers. His tamen non obstantib.* Averl. *Tract. de Matr. qu. 19. sect. 4. in princip.* Pignatell. *Controv. Forens. cap. 71. nu. 3. Centur. I.*
Idque adeo verum est, ut nec de consensu ambo- 8
rum, qui insimul contrahere volunt, possit Pontifex de potestate absoluta absque causa licite dispensare, ut bene Gutier. *Can. QQ. lib. 1. cap. 17. n. 42.* Immo quamvis ex ipsa Lege, & Canone Dispensatio committatur arbitrio, & prudentiæ Dispensantis, tamen absque causa dispensari non poterit, quia in- 9
telligitur de arbitrio, & judicio prudentiali, & à Jure regulato, ut bene animadvertunt Sperell. Decis. *d. decis. 109. num. 19. & 22.* Leoncill. *de Paupertatis opibus, part. 1. q. 3. n. 93.* Donat. Anton. de Marinis *Resol. Quotid. lib. 1. cap. 81. nu. 7.* Patet aperte ex ipsa definitione Dispensationis, nempe *Juris communis relaxatio facta cum causæ cognitione ab eo, qui potestatem habet*, ut diximus *lib. 1. cap. 1. num. 7.*
constat etiam ex inconcusso Romanæ Curiæ stylo, 10
quo factum est, ut in exordio Literarum, & Bullarum Pontificis, maxime in Beneficialibus, semper apponatur aliqua causa, qua Pontifex exprimat, se motum fuisse ad concedendum, v. gr. *vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia tuæ probitatis, ac virtutum merita, quibus apud nos fide digno commendari testimonio nos inducunt, ut ea tibi favorabiliter concedamus, quæ tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna, &c.* ut inde dignoscatur Papam non concedere absque causa, ut animadvertit Sperell. *d. dec.*
109. *nu.* 18. Et quamvis Papa aliquando videatur 11
concedere Dispensationes Matrimoniales absque causa, cum nullam exprimat in mandato, sed tantum dicat ex certis rationabilibus causis animum moventibus, tamen vere non dispensat absque causa, quia tunc major Compositio solvitur, quæ cum in pios usus erogetur, ut in redemptionem Captivorum, in auxilium pro expeditionibus contra Turcas, vel Infideles, vel in Ecclesiarum restaurationem, ad bonum publicum tendit, & ad illud valde confert, & proinde est justa causa dispensandi, ut infra in alio capitulo latius dicemus, & docent Sanch. Coninck Filiuc. & alii Doctores ibi citati.

Et quidem cum Leges sint quoddam commune bo- 12
num, quod omnes æqualiter respicit, & prohibitio facta sit pro bono publico, ut in dubio præsumitur, *cap. Erit autem lex, dist. 4.* Lother. *de Re Benef. lib. 2. qu. 36. nu. 13.* At cum Legum finis sit commune Reipublicæ bonum. Leotard. *Tract. de Usur. qu. 60. nu. 32.* & Dispensatio sit vulnus Juris *cap. Ipsa pie-* 13
tas 24. caus. 23. qu. 4. Rot. *decis. 240. nu. 1. part. 1. Divers.* Barbos. *de Off. & Pot. Episcop. alleg. 33. n. 7.* Riccius *in Praxi Rerum Fori Eccles. resol. 410. nu. 3.* non potest Dispensator, qui est Juris Interpres, 14
Gloss. in cap. Interfectores 5. caus. 33. qu. 2. Speculator *Tit. de Dispensat. in princ.* absque justa causa quem ab obligatione justæ Legis eximere, id enim esset contra justitiam legalem, & distributivam, & proinde 15
Dispensatio etiam per ipsum Pontificem in propria Lege facta, quando non subest justa causa erit quidem 16
valida. Barbos. *de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 1. §. 6. num. 199.* Gamb. *de Pot. Legati, lib. 10. nu. 442.* Pont. *lib. 8. cap. 5. num. 3. part. 1. Tract. de Legib. resol. 32.* at quoad Deum erit illicita, nec facit quod in propria Lege facta sit. Dispensatio namque Papæ procedit à potestate Clavium, quæ est ministerialis,

& data Pontifici ad ædificationem, & non ad deſtructionem, teſte Divo Paulo 2. *ad Cor.* 10. & propterea non debet Pontifex ad libitum dicta poteſtate uti, ſed ſub certa regula, & menſura ad bonum commune pertinentibus, ſub qua non continetur Diſpenſatio ſine cauſa, cum illicita ſit (ut diximus.) Unde ſi ſine cauſa fiat, non Diſpenſatio, ſed diſſipatio erit, non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem tendens, ut opportune animadvertunt Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 6. *verſ. Deinde*, Laymanus *l. cit.* Gutier. *Can. QQ. l.* 1. *cap.* 17. *num.* 43. Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 17. *num.* 2. Pont. *lib.* 8. *cap.* 14. *à num.* 1. Sperell. *d. dec.* 109. *num.* 8. Menoch. *conſ.* 15. *nu.* 35. *vol.* 1. Anchar. *conſ.* 261. *num.* 4. Fragoſ. *Regim. Chriſt. Reip. part.* 1. *l.* 1. *diſp.* 3. *num.* 225. 17

Porro eſt maxima differentia inter Diſpenſationes, quæ fiunt per Pontificem, vel alium Prælatum in propria, vel inferioris Lege, & illas, quæ per ipſum Pontificem in Lege Dei, vel alium inferiorem in Lege Superioris fiunt. Illæ enim ſi ſine cauſa fiant, illicitæ quidem, ſed tamen validæ erunt, ut diximus; hæ vero, quæ in Lege Superioris per Inferiorem fiunt, niſi juſta cauſa adſit, non ſolum illicitæ, verum etiam invalidæ erunt. Valerius *Diff. utr. For. verbo Diſpenſatio*, *diff.* 1. *num.* 1. Sanch. *l.* 8. *diſp.* 17. *num.* 4. Covarruv. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. §. 9. *nu.* 11. Rodrig. *in Summa*, *part.* 2 *cap.* 31. *num.* 12. *& cap.* 33. *nu.* 1. Pont. *l. c.* Meroll. *d. cap.* 6. *num.* 201. Sperell. *d. dec.* 109. *num.* 3. *& dec.* 115. *num.* 32. Barboſ. *de Jure Eccl. Univ. l.* 1. *cap.* 2. *num.* 124. Fragoſius *Regim. Chriſt. Reip. part.* 1. *l.* 3. *diſp.* 6. *nu.* 13. Eſcobar. *d. exam.* 16. *num.* 121. *verſ. Diſpenſatio in Lege ſuperioris*: Gamb. *d. l.* 10. *n.* 293. Bonac. *d. punct.* 3. *num.* 14. Layman. *d. cap.* 22. *num.* 11. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 26. *n.* 194. Salas *d. ſect.* 4. *nu.* 30. *&* 32. Filiuc. *d. cap.* 10. *n.* 309. Steph. à S. Greg. *de Vincul. Div. Piet. l.* 3. *cap.* 112. *num.* 22. Ratio eſt, quia tunc diſpenſatur in bonis alienis, & in aliena voluntate, & ideo non eſt in libera voluntate Inferioris Legi Superioris derogare, niſi in quantum illis expreſſe, vel præſumptive ſecundum caſuum contingentiam à Superiore permittatur. 18

Intentio autem Pontificis certe non eſt, nec præſumi debet, ut velit quempiam in ſua lege diſpenſare ſine juſta cauſa, ut inter alios ponderat Averſ. *de matrim. quæſt.* 19. *ſect.* 4. *verſ. Dico Diſpenſationis*. Pontius *num.* 8. Bonac. *num.* 12. *ll. cc.* prout nec etiam credibile eſt ipſum Deum ſuo Vicario in terris, poteſtatem conceſſiſſe, ut temere, & ſine cauſa Vota, ſeu juramenta, aliaque Divinæ Legis præcepta relaxet; ſic enim ſe habet Summus Pontifex ad Legem Dei, ſicut inferior ad Legem ipſius Pontificis, vel alterius Superioris, ut ponderat idem Sanch. *n.* 4. *l. c.* Sperell. *d. dec.* 109. *n.* 16. Idque eſt adeo verum, ut 21 22

ſi quis diſpenſetur abſque cauſa in Lege Superioris, peccabit toties quoties Diſpenſatione utetur, eo modo, quo peccaret, ſi contraveniret Legi nulla habita Diſpenſatione, quia cum ea Diſpenſatio ſit nulla, ut diximus, nullum producit effectum; cum paria ſint aliquid non fuiſſe factum, vel fuiſſe nulliter factum. *l. non putavit*, §. *Quamvis*, Barboſ. *in Vot. Can. Vot.* 2. *num.* 23. Læl. Altograd. *conſ.* 23. *num.* 33. *l.* 1. Tuſch. *concl.* 87. *num.* 1. *lit. P.* Gratian. *Diſcept. For. capit.* 746. *numer.* 2. & propterea ea Diſpenſatio, cum nulla ſit, ei non prodeſt, nec illum excuſat quoad Deum. Ita Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 18. *num.* 11. Valer. *Diff. utr. Fori*, *verbo Diſpenſatio*, *diff.* 1. *numer.* 1. Pont. *de matrim. l.* 8. *d. capit.* 14. *numer.* 2. Averſa *de matrim. dict. ſeſſ.* 4. *verſ. Item requiritur*, Barboſ. *de Jure Eccl. Univ. l.* 1. *cap.* 2. *numer.* 124. & proinde diſpenſatus tenebitur, Diſpenſatione non obſtante, id exequi, quod Lex jubet, ut bene idem Sanch. *nu.* 13. *l. c.* Quamvis ſecus ſit pro foro externo, in quo hujuſmodi Diſpenſatio excuſat, itaut non poſſit ſic diſpenſatus accuſari, vel puniri ſi contraveniat Legi, in qua fuit diſpenſatus. *Gloſſ. in cap. Non eſt Voti* 5. *verbo adimplere de Vot. & Vot. redempt.* Valer. *l. c. n.* 3. *& diff.* 6. *d. verbo Diſpenſatio*, *n.* 1. Sylv. *verbo Diſpenſatio*, *q.* 7. *n.* 12. Leo *in Theſ. For. Eccl. part.* 2. *cap.* 8. *in fine*. 23 24 25

Quia Diſpenſatio Summi Pontificis pro foro exter- 26

no ſuper matrimonio inter Impeditos contracto liberat à pœna temporali. Rebuff. *in Praxi Benef. part.* 2. ubi *de Diſpenſatione ratione ætatis*. §. *licite*. Bartol. de Saxo Ferrato *inter Conſilia Matr.* Zilett. *Vol.* 1. *conſ.* 88. *n.* 12. Genuenſ. *Practic. Fori Eccl. q.* 703. *n.* 1. ubi aſſerit ſic fuiſſe in Luſitania judicatum.

Et non ſolum hujuſmodi Diſpenſatio ſic in Lege Superioris ſine juſta cauſa facta, illicita, & invalida erit, ut diximus, ſed ipſe Inferior diſpenſans, cum agat contra Legem Superioris, puniendus erit. Sylveſt. *verb. Diſpenſatio*, *quæſt.* 2. *num.* 4. Sperell. *dec.* 115. *num.* 24. 27

Amplia, ut non ſolum illicita, & invalida ſit dicta Diſpenſatio, ſine cauſa facta, ut diximus, ſed etiam illicita, & invalida ſit (ſaltem in foro externo) quamvis cauſa juſta vere adeſſet; at Inferior illa non præcognita diſpenſaſſet, vide rationes, & jura propterea abducta per Sanch. *l.* 8. *d. diſp.* 17. *nu.* 10. Barboſ. *de Jure Eccl. Univ. l.* 1. *cap.* 11. §. 6. *n.* 198. Navarr. *in Man. prælud.* 9. *num.* 15. & conſtat aperte ex verbis ipſius Concilii *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 18. ibi -- *Quod ſi urgens, majorque ratio quandoque poſtulaverit cum aliquibus eſse diſpenſandum, id cauſa cognita, &c.* & poſtmodum ſubjungit, *aliterque facta Diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur*. Dixi nullam, & illicitam eſſe pro foro externo, quia pro foro interno, ſi vere cauſa juſta adſit, valebit in eo foro Diſpenſatio, donec pro foro externo revocetur, quia nullibi habetur eam Diſpenſationem in foro conſcientiæ nullam eſſe; vide Sanch. *d. diſp.* 17. *num.* 11. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 310. 28 29

Amplia ſecundo, ut nulla ſit Diſpenſatio ab Inferiore in Lege Superioris, abſque juſta cauſa facta, quamvis facta fuiſſet ab ipſomet Vices-Gerente Principis, qui ſolet Diſpenſare de plenitudine poteſtatis; quia nunquam præſumitur Pontificem, ſeu Principem alicui poteſtatem diſpenſandi conceſſiſſe cum plenitudine poteſtatis; Gamb. *d. l.* 10. *num.* 295. & nos late diximus *l. prim.* 30

Amplia inſuper, ut quamvis Papa, & alii inferiores, potentes cum aliis diſpenſare, poſſint ſecum etiam in iiſdem proprie, & directe diſpenſare, Sperell. *dec.* 111. *num.* 44. Eſcobar. *Theol. moral. tract. primo*, *exam.* 16. *cap. prim. verſ. Num poſſit*; Sanch. *l.* 8. *diſp.* 3. *à num.* 6. *uſque ad numer.* 10. Salas *de leg. diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 41. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *d. reſol.* 6. *verſ. Ex his infertur*. Pont. *l.* 8. *d. cap.* 14. *num.* 5. Rodrig. *in ſumma part.* 2. *cap.* 22. *num.* 3. Meroll. *tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 4. *num.* 149. quia nec Juri naturæ, nec Eccleſiæ repugnat, hanc diſpenſandi Juriſdictionem erga ſe ipſum exercere, cum ſit voluntaria Juriſdictio; unde poteſt quis plurium vices ſubſtinere, dummodo unius actus exercitium non obſtet exercitio alterius; tamen id facere non poterit abſque juſta cauſa, quia tenetur jure Naturæ non diſcordare à ſubditis ſine cauſa, ut bene inter alios concludunt Pont. & Dian. *ll. cc.* 31

Amplia quarto, ut quamvis in Diſpenſatione Pontificis ſi *motu proprio* in ſua Lege fiat, ſemper præſumatur juſta cauſa; Gratian. *diſcept. for. capit.* 959. *num.* 4. & 5. Sanch. *d. diſp.* 17. *num.* 14. Salas *de Legib. d. ſect.* 4. *num.* 33. Pariſ. *de reſignat. l. prim. quæſt. prim. numer.* 10. Lother. *de re Benef. l. prim. quæſt.* 11. *num.* 8. & 31. Capyc. Latr. *dec.* 190. *num.* 24. Tuſch. *concl.* 458. *num.* 6. *lit. D.* Rot. *inter impreſſ. poſt prim. volum. conſil. Farinacii dec.* 108. *numer.* 3. nihilominus dum Papa diſpenſat in Jure Divino, & Naturali, cauſa juſta non præſumitur niſi exprimatur, & probetur; & ideo neceſſe eſt pro ejus validitate in foro externo, ut de dicta cauſa conſtet. Sanch. *dict. diſp.* 17. *num.* 14. Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 311. Tuſch. *l. c. num.* 1. & 15. Gutier. *Can. Quæſt. l. prim. cap.* 19. *num.* 5. Ricc. *in praxi fori Eccl. reſol.* 410. *num.* 3. Pyrrh. Corrad. *in praxi diſpenſ. Apoſt. l. prim. capit. prim. num.* 7. Quod idem procedit ſi in Jure Gentium diſpenſetur. Maſcard. *de Probat. concluſ.* 276. *numer.* 4. & 18. vel diſpenſatio ſit contra jus. Pariſ. *conſ.* 68. *num.* 225. *part.* 4. quia in his, niſi cauſa exprimatur, eaque certa ſit, & aperta, non præſumitur; quamvis aliter dicendum ſit pro foro conſcien- 32 33 34

scientiæ, quia in illo præsumendum est pro Superiore, donec subdito de defectu causæ non constet, ut dicemus infra; unde inferior, cui commissa est à Superiore Dispensatio, præsumere potest causam fuisse ab ipso Superiore prægnitam, dum sibi commissa fuit exequutio Dispensationis, & proinde poterit Delegatus eam dispensationem exequi, quamvis nulla ibi expressa sit causa, vide Meroll. *tom.* 2. *disp.* 4. *cap.* 6. *dub.* 11. *num.* 205. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 17. *num.* 6. *part.* 8. *tract.* 3. *res.* 19. *in fine*.

36 Et licet pro foro externo credendum non sit Prælato asserenti se ex justa causa in Lege Superioris dispensasse, vel dispensare, cum in hoc foro commissio delegationis sit probanda ostenso Rescripto, cum non præsumatur, Sanch. *d. disp.* 17. *num.* 17. Meroll. *l. c. num.* 267. *&* 268. Tusch. *conclus.* 481. *num.* 1. *lit. D.* Bellamera *cons.* 10. *num.* 43. Sperell. *decis.* 115. *num.* 25. & nos fusissime diximus *libro primo*, nisi Delegatus esset in excelsa dignitate constitutus,

37 nec ageretur de præjudicio tertii. Sanch. *l. c. num.* 19. Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 312. tamen pro foro conscientiæ credendum erit cuicunque viro timorato,

38 vel Confessario, Filiuc. *l. c.* & nos late diximus *lib. pr. cap.* 8.

Est autem ita necessaria causa in dispensatione concedenda, ut non solum illa deficiente non possit

39 fieri, ut diximus, sed nec licite possit peti ab ipso dispensatione indigente; adeo ut si quis aperte petat dispensationem absque causa, peccabit petendo illicitum, & inducendo Superiorem ad peccatum, ita Sanch. *lib.* 8. *disp.* 18. *num.* 8. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 12. *&* 13. Pontius *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 5. Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 314. Avers. *d. q.* 19. *sect.* 4. *vers. Ita requiritur*. Unde si hujusmo-

40 di dispensatione utatur, licet concessa fuerit à Dispensante in propria Lege, vel inferioris, peccabit toties quoties, juxta doctrinam Sanch. *lib.* 8. *disp.* 18. *num.* 11. Filiuc. *l. c.* & plurium aliorum Doctorum; quia quamvis per Dispensationem sublata sit obligatio Legis humanæ, tamen remanet obligatio Legis naturalis, quæ dictat neminem debere discrepare à suo toto sine causa. At verius puto se-

41 cluso scandalo, & damno tertii non peccare in hujusmodi usu; quamvis enim peccaverit petendo dispensationem illicitam, tamen fuit valide concessa, unde per dispensationem fuit omnino ablatum impedimentum, & sic dispensatus remansit liber à Legis obligatione perinde ac si, quoad ipsum, ea Lex non adesset; unde utendo dispensatione non committit culpam; vide Pont. *d. cap.* 14. *num.* 5. Escobar. *d. Exam.* 16. *cap.* 4. *vers. Quidnam*, quod idem probabile ait idem Sanch. *d. disp.* 18. *n.* 10.

42 Quale autem sit peccatum, tam quoad dispensantem, quam quoad petentem, concludunt plerique Doctores, quod in lege Superioris Dispensando, vel absque causa Dispensationem petendo, sit mortale, nisi levitas materiæ excusaret; sic sentiunt Sanc. *lib.* 8. *disp.* 18. *num.* 1. Sperell. *decis.* 109. *num.* 13. quia absque causa, & præter intentionem Superioris dissipat, & prodigit bona aliena. At in propria Lege,

43 quamvis non desint qui existiment ex se esse mortale quando Lex, in qua, Dispensatur, obligat sub mortali, ut inter alios, docet Layman. *d. cap.* 22. *n.* 12. verius tamen est, non esse ex se mortale, nisi adsit scandalum, vel grave aliorum damnum, ita Sanch. *d. disp.* 18. *n.* 7. Pontius *d. cap.* 14. *num.* 4. Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *propos.* 1. *n.* 1. Salas *de legib. d. disp.* 20. *sect.* 5. *num.* 54. *vers. Sed probabilius*, Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 6. *vers. Sed ego*, Sperell. *l. c.* Barbos. *de Jure Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 11. *§.* 6. *num.* 198.

44 Si petatur dispensatio ob causam, quæ tamen falsa sit, nulla & invalida est Dispensatio, quamvis in propria Lege facta sit; idque procedit non defectu potestatis, sed defectu intentionis in concedente, qui non intendit dispensare nisi veris existentibus narratis. Avers. *d. sect.* 4. *vers. Dico*, Dispensationis, & nos fusissime diximus *lib.* 1. *cap.* 6.

45 Duplex esse potest causa dispensationis, nempe finalis, & impulsiva,

Finalis causa est, quæ funditus, & ex toto mo- 46
vet animum disponentis, aliter verisimiliter non cessuri; Lother. *de re benef. lib.* 2. *q.* 36. *n.* 28. eaque principaliter à concedente consideratur, & in illam veluti in scopum ipsius mens dirigitur, Barbos. *in Vot. Canonic. lib.* 2. *vot.* 69. *num.* 6. estque dispensationis ipsius Principis inductiva, Roman. *cons.* 180. *num.* 6. Lother. *l. c. num.* 4. Unde causa finalis di- 47
citur causa causarum. Bellamera *in proœm. Decretal. super. Gloss. rubr. num.* 9. Lother. *lib.* 1. *qu.* 6. *num.* 3. & cum sit fons, & origo omnium aliarum causarum, *Marant. resp.* 4. *num.* 71. *part.*... Mantic. *de conject. lib.* 6. *tit.* 14. *n.* 7. dicitur esse ea causa, propter quam Princeps concedere vult, & ea 48
non existente concedere non vult, & proinde resolvitur in conditionem, sine qua non; Layman. *Theol. mor. d. cap.* 22. *num.* 22. & consequenter ejus defectus semper reddit gratiam nullam, cum omnino 49
tollat voluntarium, Barbos. *in dictis votis d. lib.* 2. *voto* 17. *n.* 78. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resolut.* 61. *&* 91. Sanchez. *lib.* 8. *disp.* 21. *n.* 11. Redenasch. *cons.* 7. *num.* 15. ipsaque causa cessante, cessat dispensa- 50
tio; *Cap. Si pauper* 30. *de præb. & dignit. in sexto*, Capyc. Latr. *decis. Sacri Consilii Neapolitani*, *decis.* 148. *num.* 46. *&* *decis.* 200. *num.* 76. *&* *num.* 90. Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp.* 20. *q.* 7. *n.* 2. Donat. Ant. de Marin. *Resol. quotid. cap.* 87. *num.* 2. Redenasch. *cons.* 7. *num.* 13. Leoncill. *de paupertatis opibus part.* 37. *cap.* 2. *remed.* 11. *num.* 2. Hieronym. Palm. *cons.* 9. *num.* 10. *&* *cons.* 12. *n.* 14. Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 10. *num.* 5. *&* *num.* 7. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 30. *num.* 14. Ricc. *in prax. for. Eccles. resol.* 410. *n.* 8. Lother. *d. lib.* 1. *q.* 41. *n.* 5. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 752. *num.* 76. Barbos. *de Axiom. Axiom.* 4. *num.* 16. Marius Antonin. *var. resol. lib.* 1. *res.* 3. *num.* 20. Sperell. *decis.* 78. *num.* 27. nec sanatur hujusmodi defectus, quamvis cesset dolus, & malitia, sed ignoranter, & bona fi- 51
de id sequutum sit. Sanc. *l. c. num.* 14. Flamm. Paris. *de confid. q.* 46. *num.* 54. Dian. *d. resol.* 91. Petr. Paul. Paris. *cons.* 51. *n.* 28. *lib.* 4. Lother. *d. lib.* 2. *q.* 8. *n.* 83. quia licet eo casu Oratores excusentur à 52
culpa, non tamen ob id convalidatur actus alias nullus, & irritus, Bonacin. *de leg. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 8. *vers. Ratio nostra*, Sanch. *d. disp.* 21. *num.* 41. *&* *latius num.* 56. cum non attendatur ad simplicitatem, & ignorantiam Oratorum, sed ad intentionem Concedentis, qui in tantum concedere intendit, in quantum sibi narrata vera sint; si tamen postea cesset, vide quæ dicemus infra. Impul- 53
siva causa dicitur illa, ob quam Rescribens facilius quidem perita concedit, sed ita ut etiam sine ipsa secundum causæ merita, & secundum rectam rationem Princeps esset nihilominus concessurus. Coninck. *de Sacram. disp.* 33. *num.* 58. Sanch. *d. disp.* 21. *num.* 8. Lother. *d. tract. de re benef. lib.* 1. *q.* 45. *n.* 46. Nec proprie ista impulsiva dicitur causa, sed mo- 54
tivum quoddam ad magis adjuvandum animum Concedentis; & quoad hanc causam non videtur habere locum Clausula *si preces veritate nitantur*, ut docet Laym. *d. c.* 22. *num.* 22. & nos late diximus *lib.* 1. *cap.* 6.

Si in supplicatione porrecta Pontifici pro dispensa- 55
tione unica causa allegetur, illa censetur finalis, quia cum nulla alia causa exprimatur, non potest alio modo præsumi, prout nec præsumi Potest Pontificem sine ulla causa dispensationem concessisse, maxime attenta clausula *si preces &c.* quæ solet opponi; unde si hæc non sit vera, vel deficiat, maxime ante factam Dispensationem (ut dicemus infra) dispensatio ullo procul dubio est invalida. Coninck *l. c. n.* 59. Sanch. *d. disp.* 21. *num.* 41. Layman. *l. c. n.* 23. Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 53. Bonac. *d. punct.* 4. *n.* 8. Pont. *lib.* 8. *cap.* 17. *§. Ult. n.* 41. Avers. *d sect.* 4. *vers. Item. requiritur*, Escobar. *Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *vers. Est ne valida*, *&* *tract.* 7. *exam.* 9. *cap.* 8. *num.* 102. *vers. Rescriptorum*, Barbos. *d. voto* 17. *num.* 82.

Si vero plures causæ afferantur, tunc illæ causæ 56
censentur finales, quæ moraliter loquendo, quodammodo

modo rem, in qua Dispensandum est, afficiunt, & dispensationem æquam reddunt, & rationabilem; & ex his si una saltem sufficiat, & ex se moveat
57 Pontificem ad dispensandum, reliquæ causæ credi possunt impulsivæ; & proinde attenta ea causa ex se sufficienti, & vera, quamvis aliæ causæ adjunctæ, essent falsæ, subsistinebitur gratia dispensationis, Sanch. *d. disp.* 21. *num.* 44. Pont. *d. cap.* 17. *§. Ultimo*, *num.* 41. Bonacin. *l. c. vers. Si vero plures causæ* Filiuc. *tomo* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 324. Dian. *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 65. *vers. Negant vero*. Pureus *lib.* 1. *decis.* 69. *in princip.* Masc. *de probat. tom.* 3. *concluf.* 325. *n.* 8. Unde coram Delegato, in verificatione precum sufficiet solam causam finalem verificari, quia ob dictam solam causam quatenus vera existat, conceditur dispensatio; & clausula, *si preces veritate niti repereris*, licet in numero plurali sit apposita, tamen de sola causa finali est intelligenda, ut pluribus rationibus subsistinet Sanch. *l. c.* & nos late diximus *lib.* 1. *cap.* 6.

59 Quod si causæ plures adductæ sint, eæque fuerint adæquatæ, itaut ex qualibet earum concessa fuisset dispensatio, adhuc sufficiet unam ex eis verificari, ex rationibus supradictis, sicut docent Sanch. & Dian. *ll. cc.* Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *q.* 47. *num.* 71. Sperell. *decis.* 30. *num.* 39. Escobar. *Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 4. *in fine*; Quod est adnotandum, & menti tenendum, cum multa hinc possint tolli dubia; si vero omnes causæ allegatæ, quam-
60 vis sufficientes sint ad concedendum, ita expositæ essent, ut dignosci non possit, quæ ex eis moverit Pon-
61 tificem, ut v. gr. si peteret Dispensationem super Voto, & allegaret duas causas, nempe periculum incontinentiæ (& hæc vera sit) & quod ex primo motu, vel absque debita deliberatione voverit, & hæc falsa sit, docet Layman. *l. c.* attendendum esse, non ad intentionem postulantis, nempe quam præcipuæ ex his causis proponere intenderit, sed potius ad intentionem Pontificis, qua scilicet ex illis causis magis motus sit ad concedendum, quatenus ex verbis Rescripti colligi possit, cum semper ad mentem concedentis attendi debeat, ut docent Layman *l. c.* Rubeus *decis.* 254. *num.* 3. *tom.* 3. Pont. *de Matrim.*
62 *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 5. At in æquali dubio potius præsumendum est pro valore actus, & potius, ut valeat, quam pereat, ut concludunt dicti Layman. *l. c.* & Sanch. *d. disp.* 21. *num.* 5. Animadvertit Barbos. *in votis canonicis lib.* 2. *d. voto* 17. *num.* 89. om-
63 nes causas per Papam in Rescripto appositas censeri finales; unde si hæ cessent, cessabit dispensatio.

64 At si ex causis allegatis nulla de per se sufficiens esset, sed simul junctæ moverent Pontificem ad dispensandum, tunc nisi eæ omnes veræ sint, gratia erit subreptitia, & nulla. Pont. *de Matr. lib.* 8. *cap.* 17. *§. ult. nu.* 41. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 4. *num.* 8. Layman. *l. c.* Dian. *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 53. Escobar. *l. c.*

65 Tunc dicuntur causæ esse per se sufficientes, quando de stylo, & consuetudine Cancellariæ Apostolicæ, ex quavis ex eis sola allegata concedi solet Dispensatio; & proinde insufficientes censentur
66 eæ, quarum quælibet si seorsum, & de per se adducatur, non admittitur de stylo, nec sufficit ad impetrandum, Pontius *l. c.* quia stylus Curiæ denotat mentem Papæ, Mandos. *ad Reg. Cancell. in proœmio quæst.* 2. *num.* 3. Lother. *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 40. *num.* 69.

67 Et in dubio an causa allegata censeatur finalis, vel impulsiva, censenda est impulsiva, nisi sola allegata sit, Sanch. *d. disp.* 21. *num.* 20. *& num.* 25. Escobar. *d. cap.* 4. *num.* 124. *vers. Dubitatur*, Pontius *d. cap.* 17. *num.* 41. Bonaccin. *de legib. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 6. *num.* 4. *vers. Verum si dubitetur*. Leo *in prax. Sacr. Pœnitent. part.* 1. *ubi de transgress. votorum*, *vers. Contrariæ autem*, *pag. Mihi* 62. quia (ut diximus) in dubio præsumendum est pro valore actus, & magis valeat, quam pereat.

Quando taciturnitas veri, vel expressio falsi dispensationem vitient, diximus *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 40. Ubi etiam diximus de causis intrinsecis, & extrinsecis, & earum diverso effectu, *& à num.* diximus de expressione facta causa demonstrationis, & alia facta causa taxationis.

Certum itaque indubiumque est requiri causam justam ad hoc, ut dispensatio licita, & aliquando etiam valida sit. Qualis autem esse debeat hujusmodi cau- 68
sa ad hoc ut sufficiens sit, non potest dari certa regula, ut dicemus infra; concludunt tamen plerique Doctores, requiri, ut ea bonum commune aliquo modo spectet; unde cum commune bonum nascatur fere ex bono privatorum communiter, sufficit, ut notabile horum bonum dispensationem exigat, quando illud tale est, ut ex eo bonum commune aliquo modo juvati possit, ut recte docent Coninck *de Sacrament. disp.* 33. *dub.* 5. *num.* 43. Pont. *lib.* 8. *d. cap.* 14. *num.* 12. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 1. Avers. *d. sect.* 4. *vers. Jam quia in fine*; Sperell. *decis.* 109. *num.* 27. Non tamen ita justam es- 69
se oportet, ut ex ea necessario debeat dispensatio concedi, sed sufficit justam esse posse, quamvis necessaria non sit, vide Pontium *l. c.* & quamvis etiam vere hujusmodi causa non esset sufficiens, & justa, sed 70
prudenter, & bona fide legitima, & sufficiens à dispensante putaretur, adhuc valida esset Dispensatio, quamvis in lege Superioris fieret, Sanch. *lib.* 8. *d. disp.* 17. *num.* 8. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *d. cap.* 22. *num.* 12. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 26. *num.* 196. Dian. *part.* 1. *tract. de Legibus*, *resol.* 33. & in dubio an causa sit justa, est in benigniorem partem inclinandum; & in dubio speculativo, credendum facultatem extendi ad causam dubie justam. Aliter enim 71
esset hujusmodi Potestas multis scrupulorum occasionibus exposita, & si ad solas causas certo justas extendi deberet, Fidelium Animæ, prout dispensantium mentes continuis scrupulis angerentur, & nulla fere Dispensatio fieret, in qua non remaneret aliquid dubitandum, & vix auderent Superiores dispensare. Verum quidem est, quod, ut Superior licet dispen- 72
set, debebit in causa dubia practice judicare licitum esse sibi in tali casu Dispensare, alioquin cum eo dubio Dispensando peccaret; Ita bene Sanch. *lib.* 8. *disp.* 17. *num.* 9. Meroll. *disp.* 4. *cap.* 6. *num.* 207. *tomo* 2. Barbos. *de Jure Eccles. univ. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 198. Reginald. *lib.* 31. *d. cap.* 26. *num.* 195. Sylvest. *Verbo Dispensat. q.* 14. *num.* 20. *in fine* Escobar. *Theol. mor. d. cap.* 4. *vers. Dubitat Prælatus*. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 29. Boss. *mor. var. part.* 2. *titulo* 1. §. 45. *num.* 1676. Salas *de legibus disp.* 20, *sect.* 5. *num.* 65.

Immo nec tenebitur Superior cognoscere judicia- 73
liter de existentia, & justitia hujusmodi causæ, sed sat erit, ut quocumque modo cognoscat; Sanch. *lib.* 8. *disp.* 4. *num.* 19. Bonacin. *de legibus*, *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 17. Escobar. *Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 2. *vers. Necessum ne*.

Amplia prædicta, itaut vera sint, & rite proce- 74
dant, eo etiam casu, quo Dispensatio fieret in jure Dei ex commissione suo Vicario facta, v. gr. in Votis, Juramentis, in concessione Indulgentiarum, si Dispensans rationabiliter existimet causam justam subesse; Sanch. *d. disp.* 17. *num.* 8. Layman. *l. c.* & quam- 75
vis post dispensationem sic bona fide factam constet eam causam non fuisse sufficientem, dispensatus, dum bona fide proposuit eam causam putando esse sufficientem, erit tutus in conscientia Sanch. *lib.* 8. *disp.* 17. *num.* 9. Navarr. *in manual. prælud.* 9. *num.* 13. *in* 76
fine, immo nec peccavit sic bona fide causam insufficientem proponendo, quia suum non est judicare an causæ justæ sint, & legitimæ, sed id ad Superiorem spectat, ita Sanch *l. c. num.* 8. *& num.* 9. Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 314. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 29.

At dubium est, an sit valida Dispensatio, si cau- 77
sa Pontifici narrata cesset; Pro cujus dubii resolutione præmittendum est, causam Dispensationis cessare 78
posse, vel antequam Pontifici proponatur pro Dispensationis impetratione; Vel post mandatum Pontificis ad Dispensandum Delegato commissum, sed nondum exequutum; vel post Dispensationem à Delegato factam nondum tamen effectu consummato;

vel

vel post Dispensationem factam, & effectum consummatum, nempe matrimonium contractum.

79 Quoad primum tempus, jam diximus supra, quod si unica causa allegata fuerit, & ea falsa sit, vel deficiat, non possit Delegatus dispensare, cum fuerit obreptitie extortum mandatum de Dispensando; si vero plures causæ allegatæ sint, inter quas aliqua sit, quæ ex se sufficiat ad impetrandum, & hæc vera sit, valere dispensationem.

80 Quoad secundum tempus, dic non posse delegatum dispensare, si antequam facta fuerit dispensatio à Delegato, causa finalis cessat; quia causa cessante, cessare debet effectus, ut diximus; & cum potestas dispensandi Delegato concessa; sit limitata, & conditionata, itaut si preces veræ sint dispenset; si hæ falsæ sint, vel ante Dispensationem deficiant, non potest delegatus Dispensationem exequi; Meroll. *disp. 4. cap. 6. dub. 2. num. 319. tom. 2.* Gutier. *qq. Canon. libr. 2. cap. 15. num. 132. & de Matr. cap. 126. num. 2.* Sanch. *lib. 8. disp. 30. n. 12.* Garzia *de Benef. part. 6. cap. 2. num. 280.* Pont. *lib. 8. cap. 20. num 3.* Bonacin. *de leg. disp. 1. q. 2. puncto 10. propos. 2. num. 3.* Leo *in Praxi S. Pœnit. part. 1. ubi de transgress. votor. vers. Dicendum tertio, pag. Mihi 67.*

81 Nec sunt audiendi Garzia, Pirrh. Corradus, & alii à nobis *lib. 1. cap. 6. num. 294.* citati, dum docent sufficere, si causa vera sit tempore exequutionis Literarum per Delegatum faciendæ; prout nec placet Doctrina Gutierrez, Mascardi, Caputaquensis, & aliorum, qui sentiunt sufficere si verificentur tempore impetrati mandati ad Dispensandum; quia in dubium est respectu harum Dispensationum, quæ per Pontificem absolute non fiunt, sed committuntur Ordinario requiri, ut causa vera sit, non solum tempore supplicationis porrectæ, & Delegationis factæ, sed vera etiam sit tempore exequutionis à Delegato faciendæ, quia tempus petitæ Dispensationis à Pontifice, & exequutionis à Delegato factæ unicum tempus reputatur; sic bene Sanchez, Merolla, Pontius, Bonacina, Diana, Reginaldus, Filiuccius, Trullenck, & alii à nobis propterea citati *d. cap. 6. num. 229.* ubi *num. 302.* diximus validam esse Dispensationem, si causa vera fuerit tempore impetrati rescripti, quamvis medio tempore cessarit, si postea reviviscat, & tempore exequutionis ab Ordinario faciendæ vera sit, quia utroque tempore, nempe Impetrationis rescripti, & exequutionis Ordinarii vera est.

82 Quoad tertium tempus dic non vitiari Dispensationem, si post Dispensationem rite, & legitime factam, causa finalis cesset nondum sequuto Matrimonio, & proinde nondum consummato effectu dispensationis; Ita Gutierr. *de matrim. cap. 126. num. 2.* Garzia *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 291.* Reginald. *lib. 32. cap. 27. num. 212.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 6. num. 67.* Pelliccion. *Illustr. utr. Jur. Quæst. qu. 25. cap. 2. pag. mihi 216. col. 2. in fine*, Pont. *de Matr. lib. 8. cap. 22. num. 4.* Trullenck *d. dub. 6. num. 5.* Dian. *part. 8. tract. 3. resol. 24. vers. Sed negativam.* Barbos. *de Jure Eccles. univ. lib. 1. cap. 11. §. 6. num. 197.* & hanc doctrinam probabilem esse dicit Bonac. *de legib. disp. 1. qu. 2. puncto 10. §. 1. propos. 3. num. 9.* & Sanch. *d. disp. 30. n. . . .* dicit non posse quem damnari, si hanc opinionem amplectatur, cum habeat pro se graves Auctores, nec sit rationibus destituta; ratio est, quia cum jam fuerit sublatum impedimentum ob Dispensationem, & relaxata Lex, quæ illud inducebat, non potest amplius reviviscere idem impedimentum, nisi de novo à Legislatore inducatur; unde cum non fuerit ulterius ab eo inductum, cessavit impedimentum.

Ob supradictas rationes cessat omnis difficultas respectu validitatis Dispensationis; quamvis enim post matrimonium jam rite contractum cesset causa, ob quam ipsa Dispensatio facta fuit, valida erit Dispensatio, sicut expresse docent Sanchez *lib. 8. disp. 30. num. 10.* Trullenck *lib. 7. cap. 10. dub. 6. num. 6.* Rot. in Posthumis Farinacii *decis. 642. num. 6.* Rot. coram Durano *dec. 154. num. 20.* Bonac. *de Legib. disp. 1. qu. 2. punct. 10. §. 1. propos. 4. n. 11.* Coninck *dicta disp. 33. dub. 6. num. 12.* Lother. *de Re Benef. lib. 2. qu. 32. n. 124.* Dian. *par. 8. tract. 3. resol. 77.* Escobar. *l. c. vers. Num. dispens.* Quod idem dicendum erit, quoties actus, vel effectus Dispensationis non possit commode revocari, ut si quis obtinuisset Beneficium cum Dispensatione, si postquam plene obtinuit beneficium cesset causa, ob quam fuit dispensatus, nihilominus Beneficium retinebit. Sic Irregularis dispensatus ex causa ad omnes Ordines recipiendos, si post susceptum Subdiaconatum cessaret causa, nihilominus ad reliquos Ordines promoveri poterit, quia oppositum esset ei valde incommodum, & difficile; vide Dian. *l. c.* & Trullenck ubi supra, *n. 8.*

Aliter tamen esset dicendum, si effectus Dispensationis esset divisibilis, & non omnino consummatus, ut si quis ob aliquam infirmitatem dispensatus à jejunio Quadragesimæ, media Quadragesima convaluerit, cessat Dispensatio, & tenetur ad jejunium. Trullenck & Bonac. *ll. cc.*

Quod diximus valere Dispensationem factam, quamvis postea causa cesset, limitant nonnulli, itaut verum sit, si causa non omnino cessaverit, sed remanserint aliquæ reliquiæ, quia in moralibus, minor causa desideratur ad licitum concessionis usum, quam ad ipsam concessionem; ita Sanch. *lib. 8. disp. 30. num. 8.* Coninck *de Sacramentis d. disp. 33. num. 103. in fin.* P. Leo *in Praxi Sacræ Pœnitentiar. par. prim.* ubi *de Transgress. Votor. versic. Quod intellige, pag. mihi 66.* quicquid tamen isti, & alii dicant, probabilius puto, post factam Dispensationem ad unicum actum valere Dispensationem, quamvis tunc causa omnino cesset, quia, ut diximus tunc fuit relaxata Lex, & Impedimentum non fuit à Legislatore denuo constitutum; & eo magis id verum 83
est, si dubium esset an causa Dispensationis cessasset, necne: quia præsumi debet non cessasse; possessio enim stat pro Dispensatione, quam constat valide concessam fuisse. Bonac. *de Leg. l. c. num. 10.* Sanch. *d. disp. 30. num. 9.* Trullen. *d. dub. 6. num. 5.* P. Leo *l. c. vers. Quod intellige, pag. mihi 66.* Dian. *part. 8. tract. 3. resol. 77.* Escobar. *Theol. Mor. tract. 1. exam. 16. cap. 3. in princ.* Pari modo valida 84
censeri debebit Dispensatio, si dubium proveniret ex eo, quod Executor munus suum non recte executus fuisset, quia in hujusmodi dubio, pro ipso, ut recte, & rite processerit, stat præsumptio. Rub. *decis. 451. num. 6. tom. 2.* Seraphin. *dec. 338. n. 2.* Gratian. *Discept. Forens. cap. 155. n. 3.* & quod fecerit diligentias ad exequendum officium suum necessarias, idem Rubeus *decis. 740. num. 13. tom. 3.* Barbos. *in Votis Canonicis, lib. 2. Vot. 17. num. 85.* Vel si dubitaretur, an satis probata fuisset veritas narratorum. P. Leo *in d. Praxi l. c. vers. Atque ita,* 85
pag. mihi 62. quia in dubio præsumendum est pro validitate Dispensationis, & magis ut valeat, quam pereat, ut diximus alibi; unde si quis velit illam 86
impugnare, tenebitur contrarium probare. Achill. de Gossa *decis. 12. alias. 176. num. 3. de Probat.* cum hujusmodi præsumptio Juris relevet Dispensatum ab onere probandi. Lother. *de Re Benef. lib. 2. qu. 46. n. 25.* Paris. *de Resignat. lib. 13. qu. 5. n. 3.* Mantic. *de Conjectur. lib. 6. tit. 3. n. 45.* Donat. Anton. de Marin. *Resol. Quotid. lib. 1. cap. 27. num. 6.* & transfundat in Adversarium onus probandi. *L. sive possidetis, C. de Probat.* Mantic. *l. c.* Lother. *d. lib. 2. qu. 43. n. 74.* Marius Antonin. *Var. Resol. lib. 2. resol. 51. n. 5.* Merlin. Pignatell. *Contr. Forens. Centur. 1. cap. 13. n. 18.* Rot. inter impress. post 2. Volum. Consil. Farinacii *decis. 315. n. 7.* Hujusmodi præsumptio dicitur liquidissima probatio. Donat. Anton. de Marin. *l. c. n. 7.* Mantic. *l. c.* Lother. *d. qu. 43. n. 61.* Gamb. *de Off. & Pot. Legat. lib. 3. n. 333.* Gonzal. *ad. Reg. 8. Cancell. §. 7. proœm. n. 141.* Marius Antonin. *l. c.*

Movet quæstionem Meroll. *tom. 1. disp. 3. cap. 3. Corollar. 14. num. 180.* an Dispensatus sit tutus in conscientia, si dubium sit, an Prælatus, qui dispensavit, habeat potestatem dispensandi; & concludit, quod 87
si Su-

si Superior sit in possessione, non possit in dubio sua possessione spoliari, donec moraliter certe constet de defectu legitimæ potestatis; unde si adhibita diligentia dubium vinci non possit, suo munere fungi poterit; & quamvis tractu temporis detegatur, Superiorem illum non fuisse legitimum, adhuc valebit Dispensatio, si re vera habebat titulum co-
88 loratum à legitimo Superiore, dato etiam, quod esset nullus respectu alicujus Impedimenti occulti. At si detegatur, caruisse titulo colorato à legitimo Su-
89 periore, non valebit Dispensatio, quia primo casu, valent gesta, sive ille sit Ordinarius, sive Delegatus, quoniam communis error dat Jurisdictionem, ut dictus Meroll. *l. c.* & nos late diximus *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 41.

90 Circa prædicta est adnotandum, quod si causa Pontifici allegata non probaretur coram Ordinario, sed coram eo alia causa vera allegaretur, quam Papa de stylo admisisset, si exposita fuisset, tamen non poterit Delegatus dispensare; quia cum Literæ Pontificis restringantur ad propositam causam, non est in potestate Delegati aliam admittere, nec suam Jurisdictionem ultra expressa in Mandato prorogare. Paris. *cons.* 64. *num.* 18. *& cons.* 67. *num.* 235. *part.* 4. Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 55. quamvis similia sint. Sbrozius *de Off. Vicar. lib.* 1. *qu.* 67. *num.* 5. Hujusmodi namque Dispensationum Literæ tantum valent, quantum so-
91 nant, ut alibi diximus; & cum omnia Rescripta Papæ sint stricti Juris, ut diximus alibi, non sunt extendenda. *Cap. Quia non nulli* 4. *cap. Significante* 34. *& cap.* Rodulph. 35. *de Rescript.* Marius Antoninus *Var. Resol. lib.* 1. *Resol.* 39. *num.* 11. Pyrrh. Corrad. *l. c. n.* 57. Paris. *de Resignat. lib.* 9. *qu.* 17. *n.* 39. Marant. *Resp.* 13. *n.* 36. *&* 37. *part.* 1. Rubeus *decis.* 446. *n.* 8. *tom.* 2.

92 Et quoniam quo difficilior est Dispensatio, eo majores, & urgentiores requiruntur causæ. Coninck *d. disp.* 33. *num.* 44. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 7. & gravius est dispensare in Jure Divino, quam in
93 humano; plus etiam est dispensare in Cognatione spirituali, quam in carnali; plus in Paternitate, quam in Compaternitate; plus insuper in Consanguinitate, quam in Affinitate; plus in linea recta, quam in collaterali; plus in propinquioribus, quam in remotioribus gradibus, ut opportune animadvertit idem Sanch. *l. c.* Ideo ut aliqua sigillatim adnotemus, sciendum est, ad dispensandum in Voto solemni Religio-
94 nis, requiri causas gravissimas, nec sufficere causas privati boni; sed requiri, ut hujusmodi Dispensatio ad commmune bonum fiat, cum fieri non possit absque aliquo status Religiosi detrimento; vide Sanch. *lib.* 8. *disp.* 8. *n.* 8. unde requiritur, quod causa talis sit, ut executioni Dispensationis obstet, vel ex ea causa Dispensatio cedat in honorem Dei. Coninck *de Sacrament. disp.* 33. *dub.* 5. *concl.* 2. *n.* 50. quia non censetur Deum dedisse facultatem Prælato remittendi Jus, quod ipse in homines habet, nisi id in ejus honorem cedat; & cum Dispensans in his alienum Jus tanquam Œconomus dispenset, habet potestatem limitatam.

95 In Dispensatione Voti simplicis non admittitur sola solutio Compositionis pecuniariæ, si nulla alia causa executioni Voti obstans reperiatur. Sanch. *lib.*
96 8. *disp.* 20. *num.* 6. ubi tamen ait posse admitti ad commutandum, si hujusmodi eleemosyna esset æqualis obsequii Divini, ac Votum, quod idem confirmat Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 320. Unde pro hujusmodi Dispensatione duplices causæ à Doctoribus as-
97 signari solent; aliæ ex parte materiæ, & aliæ ex parte Voventis: Ex parte materiæ, ut quando prudentis judicio ob mutationem circumstantiæ dubitatur, an Voti materia inutilis facta sit, vel mala, vel majus bonum impediens: ex parte Voventis, ut si ob fragilitatem, vel pravum habitum, aut ex aliorum consortio, quod vitare non potest ille, qui vovit, est in gravi periculo frequenter peccandi contra Votum, vel quando ob scrupulos continuo anxius est, an Voto satisfecerit, v. gr. an satis attente legerit, vel recitaverit Orationes, quas vovit; vel quia magna sequitur difficultas adimplendi Votum antea non prævisa; vel saltem non ita perpensa; vel si ob publicam pacem, necesse est eum, qui Castitatem vovit, nubere; vel si dubium sit, an Votum ab initio obligaverit, vel an deliberare, & cum intentione vovendi id fecerit, quia cum in dubio præsumatur pro Voto, opus est Dispensatione.

Et tamen nota, raro contingere supradictas cau- 98
sas ex se esse sufficientes, ut Vota omnino remittantur, sed tantum ut commutentur; vide Coninck *d. disp.* 33. *n.* 55. Immo docet Sanch. *lib.* 8. *disp.* 20. *n.* 25. non esse justam causam ad dispensandum in Vo- 99
tis Castitatis, vel Religionis ad conservationem Ducatus, seu Marchionatus in progenie *& n.* 26. addit nec esse sufficientem causam ad dispensandum, si quis 100
laboraret morbo continuo, & judicio Medicorum subveniri posset actibus venereis, sed tantum ad 101
commutandum; & sic dum causa est temporalis, vel insufficiens, fit commutatio mixta cum aliquali Dispensatione; & ideo in Literis hujusmodi Dispensationum dici solet, *misericorditer dispensando commutes*, ut bene animadvertit P. Leo *in Praxi Sacræ Pœnitent. part.* 1. ubi *de Commut. Votor. vers. Ex prædictis, pag. mihi* 92. Minor autem causa requiritur ad dispensandum in Voto pœnali Castita- 102
tis, aut Religionis, quam in absoluto, quia illud minus voluntarium est, ut animadvertit, Sanch. *lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 29.

Quando concurrunt simul vincula Voti, & jura- 103
menti, expresso utroque, major causa exigitur ad dispensandum, quia duo vincula magis, & fortius ligant, quam unum, ut alibi diximus: non tamen exigitur major causa ad commutandum: ratio diffe- 104
rentiæ est, quia per Dispensationem extinguuntur duo vincula, quæ, ut diximus, cum plura sint, magis ligant, quam unum; & ideo major causa requiritur, ut utriusque Dispensationem, & ablationem compenset. At per commutationem neutrum vinculum tollitur, sed transfertur in aliam materiam; quare satis est materiam subrogatam, esse æqualem materiæ promissæ, & juratæ, cum eadem maneat dupliciter debita. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 20. *n.* 30.

Causa, quæ esset sufficiens ad dispensandum in 105
Voto, non semper erit sufficiens ad dispensandum in Voto non petendæ Dispensationis; sed quando eadem causa reperitur in utroque Voto, sufficiet pro utroque; v. g. si quis imprudenter, & absque matura deliberatione, aut metu levi coactus, Castitatem vovisset, ac postea mutato consilio, omnino libere vovit, se non petiturum Dispensationem in priori Voto, sufficiet ad dispensandum in utroque eadem in causa, quæ alias sufficiens esset ad dispensandum Voto simplici; sufficeret etiam ad dispensandum in utroque vehemens frequentis transgressionis periculum, quia eadem causa afficit utrumque Votum. Vide Sanch. *d. disp.* 20. *n.* 31.

Multo minor causa desideratur in Dispensatione 106
super tempore executionis Voti, quam super vera ejusdem Voti Dispensatione, quia priori casu remanet obligatio Voti, & sola executio differtur. Sanch. *n.* 32. *l. c.*

Ad dispensandum super Voto Professionis deside- 107
ratur causa, quæ bonum commune respiciat, ut pacis totius Regni, vel ejus conversionis ad Fidem; quia Dispensatio hæc fieri nequit absque aliquo status Religiosi detrimento, ut animadvertit Sanch. *lib.* 8. *disp.* 8. *n.* 8. Aliquas præcisas causas pro dispensando cum Monachis, seu Monialibus ad matrimonium adnotat Gratianus *Discept. Forens. cap.* 457. *usque ad num.* 22. Vide etiam Puteum *decis.* 139. *n.* 4. *lib.* 3.

Pro Dispensatione facienda in matrimonio rato, quæ causæ soleant admitti, diximus *lib.* 2. quas hic repetere superfluum esset.

In paternitate, seu maternitate spirituali, vix, aut 108
raro, & cum maxima difficultate, & non sine urgentissima causa dispensatur; & tunc regulatur prout in primo Affinitatis, vel in primo & secundo, vel secundo Consanguinitatis, vel Affinitatis: At in Compaternitate longe facilius dispensatur, & tunc 109
sufficiunt causæ leviores.

Quoad gradus Consunguinitatis non omnes causæ 110
æque

æque admittuntur pro omnibus gradibus, quia, sicut supra diximus, quo propinquior est gradus, eo difficilior redditur Dispensatio, & major causa exigitur; unde super primo Affinitatis ex linea transversali (cujus prohibitio æqualis videtur cum secundo Consanguinitatis, ut docet Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepiscopalis Neopolit.*) vel in primo, &
111 secundo, ex communi stipite provenientibus, tam Consanguinitatis, quam Affinitatis, sive ex uno, sive ex diversis stipitibus Impedimenta proveniant, requiruntur causæ urgentiores, attenta maxime dispositione communi *sess. 24. cap. 5. de Reformat. Matrimonii*, quæ prohibet fieri Dispensationem in secundo gradu, nisi inter magnos Principes, & ex publica causa; unde raro aliæ causæ admitti solent, quam ad scandala vitanda, ad reparandum honorem mulieris, vel ob solutionem magnæ, & extraordinariæ summæ pecuniarum, in publicos, & pios usus erogandæ, ut diximus supra, & latius infra dicemus; vel pro Illustris Familiæ conservatione, vel ut bona in eadem familia conserventur, vel ob excellentiam meritorum, vel ad stabiliendam inter Principes Fideles pacem, vel benevolentiam inter ipsos conservandam. Quod si aliqua ex dictis gravibus causis non adsit, tunc pluries ex levioribus conjunctim admitti solent, juxta illud, *Singula, quæ non prosunt, multiplicata juvant.*

112 Aliquas ex præcisis, quæ solent admitti in secundo gradu, referunt Navarr. *lib. 4. Cons. titul. de Consanguinit. & Affinit. cons. 6. n. 1. in prim. edit.* & Sanch. *lib. 8. disp. 19. n. 4.* nempe si matrimonium esset contractum cum ignorantia rigorosæ prohibitionis Concilii; si habita esset proles; si matrimonium ex longo tempore esset male contractum; si scandalum timeretur ex separatione; si fœmina pauper sit, & patruelis illam ducere velit: Et in his gradibus
113 propinquioribus facilius dispensatur cum divitibus, & potentibus, non quia id sit acceptio personarum, ut stulte garriunt Hæretici, sed quia horum concordia, pax, & mutua benevolentia magis ad commune bonum est necessaria, ut animadvertunt Sanc. *lib. 8. disp. 19. n. 5.* Filiuc. *tract. 10. part. 2. cap. 10. n. 319. tom. 1.* Coninck *disp. 33. dub. 5. num. 44.* Pont. *lib. 8. cap. 14. num. 7.*

Animadvertunt nonnulli Doctores, inter quos Sanch. *lib. 8. disp. 19. num. 3.* Navarr. *lib. 4. Consil. tit. de Consanguin. & Affinitat. cons. 8. n. 8. in pr. edit.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. n. 319.* Trullenck *lib. 7. cap. 19. dub. 2. n. 15. tom. 3.* Sub dicto decreto, & prohibitione Concilii non comprehendi Impedimentum publicæ honestatis, etiam in
114 primo gradu, nec Impedimentum Affinitatis ex copula fornicaria proveniens, quia hæc sunt multo minora Impedimenta; & cum dictum Decretum sit pœnale, nec de publica honestate faciat mentionem, non est extendendum ultra expressa.

115 In aliis gradibus remotioribus, nempe secundo, & tertio, vel in tertio, seu tertio & quarto, vel quarto simplici Consanguinitatis, vel Affinitatis, tam si ex uno communi, quam si ex pluribus, & multiplicatis stipitibus proveniant Impedimenta, admittuntur causæ leviores, ut angustia loci, defectus dotis, ætas mulieris, sedatio inimicitiarum, compositio litium, & similes.

116 Si Dispensatio petatur ad reparandum honorem mulieris, & scandala vitanda, attenta copula carnali, vel suspecta conversatione præhabita, si Oratores sint conjuncti remotioribus gradibus, sufficit exprimere, quod nisi matrimonium contraheretur dicta mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri.

117 At in propinquioribus, nempe infra secundum, vel in ipso secundo, non sufficiunt dictæ causæ, sed requiritur, ut, nisi matrimonium contrahatur, Oratrix innupta, & graviter diffamata remaneret, & gravia scandala trimeantur, & utrique Oratori etiam vitæ periculum immineat.

Et quoniam singula, quæ non prosunt, multiplicata juvant, Afflict. *decis. 13. num. 24.* Fontanell. *de pact. nuptial. claus. 6. Gloss. 3. part. 2. num. 17.* Gratian. *Discept. Forens. cap. 18. num. 19. part. 1.* ideo 118
multoties evenit, ut multæ causæ leves, quarum singulæ non sufficerent, v. gr. si Oratrix sit patre orbata, habeat plures filios ex alio matrimonio, quibus valde conferat habere unum, qui loco patris naturalis de eis curam habeat; multoties etiam nobilitas Oratricis, conjunctis aliquibus aliis causis, 119
movet Pontificem ad dispensandum. Nec desunt aliæ causæ, quæ movere possint Pontificem ad dispensandum, quæ cum innumeræ esse possint, impossibile est illas singillatim adnotare; potest enim Pontifex quamlibet causam rationabilem sibi bene visam admittere, cum id ejus arbitrio, & judicio remittatur, teste Gamb. *de Off. & Potest. Leg. lib. 10. n. 176. vers. Decimo quæro*; quamvis verum sit, quod si proposita causa non sit in usu, soleat ipse Pontifex dictam causam committere discutiendam ad Eminentiss. DD. Cardinales Sacri Concilii; quæ Sacra Congragatio habet facultatem ab ipso Pontifice 120
eas causas, earumque sensum, & an justæ, & sufficientes sint declarandi.

Infrascriptæ autem de stylo Romanæ Curiæ sunt 121
usu receptæ, & ad praxim deductæ, nempe

1 Utilitas Ecclesiæ; *cap. Necessaria 6. cap. Conjug. 17. caus. 1. qu. 7.*

2 Scandalum, quod ut evitetur, est justa causa ad dispensandum, *cap. Cum teneamur 6. de Præb. & Dignit. Gloss. in cap. de Rescript.*

3 Majus bonum, vel evitatio majoris mali; *cap. Dispensationes 16. dicta caus. 1. qu. 7.*

4 Necessitas, *d. cap. Necessaria, causa 1. qu. 7.*

5 Merita personæ; *cap. Innotuit 20. de elect. & cap. De multa 28. de Præb. & Dignit. in fin.*

6 Loci difficultas, vel angustia; *cap. Ad audientiam 3. de Eccl. ædificand. vel reparand.*

7 Tempus, *d. cap. Necessaria 6. caus. 1. qu. 7.* multa enim fiunt ratione temporis, quæ alias fieri prohibentur; *cap. Baptizari 3. dist. 5. & cap. Ne quod absit 98. dist. 4.*

8 Ætas, vel senilis, vel puerilis, cujus ratione facilius dispensatur; *cap. Pœnitentes 63. dist. 50. & cap. Si duo 4. caus. 35. qu. 6.*

9 Futurum bonum, ut si dispensetur, v. gr. cum Hæreticis, ut cæteri ad S. Matris Ecclesiæ gremium, & Fidei Catholicæ puritatem redire incitentur; *cap. Ipsa pietas 24. caus. 23. qu. 4.*

10 Commune bonum, ut quando pro Dispensatione Matrimoniali, vel Indulgentiarum concessione, injungitur onus solvendi aliquam summam, quæ in pios, & publicos usus erogari debeat; vide, quæ supra diximus, & dicemus infra in alio Capitulo.

11 Eventus rei; *cap. Decernimus 2. de Judiciis.*

12 Proles ex Consanguinea suscepta; *cap. Quia circa 6. de Consang. & Affin.*

13 Pietas *cap. Porro primo de Cleric. Pugnant. in Duell.*

14 Misericordia; *cap. In singul. 19. dist. 86.*

15 Religio; *cap. Si quis Diacon. 29. dist. 50.*

16 Personarum numerus ad sedandas dissentiones, & strages vitandas; *cap. Sane 2. de tempor. Ordinat.*

Plura de hujusmodi causis videri possunt, penes Sanch. *lib. 8. disp. 19.* Pontium *lib. 8. cap. 14. à num. 11.* Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispen. Apost. lib. 1. cap. 1.* Sperell. *dec. 109. à num. 27.* Sylvest. *verbo Dispensatio.*

Causæ, quas supra diximus, faciunt generaliter 122
pro omnibus Dispensationibus, tam matrimonialibus, quam aliis. Illæ vero, quas infra declarabimus, sunt particulares, & speciales pro matrimonialibus, & sunt de stylo Romanæ Curiæ usu rece- 123
ptæ: nempe, angustia loci; ejusdem difficultas defectu, seu carentia dotis; sedatio inimicitiarum; proles numerosa Oratoribus; ætas Oratricis, ne Conjugia cum Hæreticis fiant; excellentia meritorum; solutio majoris Compositionis, ex qua bonum publicum promoveatur; conservatio bonorum in familia; conservatio Illustris Familiæ; scandalorum evitatio; matrimonium ignoranter cum Impedimento dirimenti contractu. Quarum causarum intelligentiam, & alia magis practicabilia, infra, Deo dante, adnotabimus.

C A-

CAPUT II.

De Causa ob Angustiam Loci.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensationis inter Conjunctos cupientes matrimonialiter copulari insimul, eo quod pares conditionis ob angustiam loci non inveniant.*
2 *Angustia loci debet verificari quoad locum originis Oratorum, & non Domicilii,* & nu. 100.
3 *Nisi Pontifex sciens esse eos tali loco ortos, & concedere vellet, ut hujusmodi causa verificaretur in solo loco domicilii.*
4 *Causa angustiæ loci prius admittebatur, non solum in locis angustis, verum etiam in locis amplis, & Civitatibus magnis; sed postea fuit, quoad Civitates, denegata.*
5 *Quod extenditur etiam ad Suburbia, nisi per milliare circiter à Civitate distent.*
6 *Solet tamen adhuc admitti in Civitatibus angustis, quæ tercentum focularia, non excedunt.*
7 *Sed antequam in Romana Curia d. causa admittatur, debet exhiberi fides Ordinarii Civitatis, quod ea non excedat tercentum focularia.*
8 *Et in Literis Dispensationis apponitur clausula,* dummodo prædicta Civitas tercentum focularia non excedat.
9 *Civitas dicitur omnis populatio, quæ habet Episcopum, & est caput Diœcesis,* nu. 11.
10 *Quamvis Oppidum, vel Urbs constituatur ex constitutione ædificiorum, maxime si sint Mœniis munita, non tamen dicitur Civitas.*
12 *Nec veniunt sub d. prohibitione Oppida terræ, & loca insignia, licet sint plena populo, & in eis verificari potest causa angustiæ loci.*
13 *Ad verificationem d. causæ non solum considerari debet qualitas ipsius loci, sed etiam Oratricis, veluti an in loco possit esse alius æqualis, qui non sit affinis.*
14 *Hujusmodi angustia non est adeo stricte accipienda, ut necessaria sit exacta perquisitio, an sint in Oppido pares, qui non sint Consanguinei, sed morali modo, & non adeo stricta intelligenda est, ut licet aliqui adsint, tamen difficile erit eis nubere,* & num. 16. & 23.
15 *Paritas, & disparitas ex quibus inter Oratores considerari possit.*
17 *Matrimonium non est restringendum ad unum, vel alterum præcise, neque debet esse coactum.*
18 *Immo si varia esse possint matrimonia, debet dari optio.*
19 *Angustia verificatur, si adductum fuerit Pontificis pro causa finali, quod major pars Concivium loci, cujus angustia adducitur, Oratrici sint adeo conjuncti, ut Impedimentum, dirimens intercedat, & de ratione,* num. 20.
21 *Fieri non posse videtur, quod commode fieri nequit.*
22 *Difficile æquiparatur impossibili.*
24 *Causa angustiæ satis probata diceretur, si Oratrix per aliquod spatium temporis, v. gr. quinque, aut sex annos fuisset ornata, & exposita ad nubendum, & nullus æqualis eam petiisset, quamvis aliquis tractu temporis illam posset ducere,* num. 25.
26 *Angustia sufficit, ut verificetur de tempore petitæ, & executæ Dispensationis; nec obstat quod in futurum æqualis inveniri valeat.*
27 *Angustia verificata dicitur, si fœmina, quæ nubere intendit, habeat quidem in suo loco plures æquales, non consanguineos, vel affines, at ea sit ætate longæva, vel ex alio matrimonio filios habeat, vel sit deformis.*
28 *Et eo magis dicitur verificata, si mulier sit aliquo crimine, & vitio diffamata, & hujusmodi vitia, quæ sint.*
29 *Mulier rixosa describitur.*
30 *Non dicitur æqualis fœminæ juveni quamvis vir alias paris conditionis esset, qui haberet filios ex alio matrimonio, vel esset valde deformis, lusor, & malis moribus imbutus.*
31 *Indignus Conjux judicatur, qui malis moribus imbutus est, vel bonis inæqualis.*
32 *Paria sunt non posse, vel posse, sed non sine dedecore.*
33 *Non debet judicari æqualis mulieri juveni vir senex, adeout matrimonium inter pares contrahi dicatur.*
34 *Aequalitas inter Conjuges laudatur.*
35 *Si inter Sponsos adsit disparitas ætatis, arguitur metus.*
36 *Mulier nupta seni vocatur vidua,* & nu. 38.
37 *Adeout gaudeat privilegiis viduarum, & habeat electionem fori.*
38 *Matrimonium mulieris juvenis, cum viro sene improbatur.*
39 *Romani de mense Maii non ducebant uxores, sed mense Junii, & de ratione.*
40 *Zelotypia est senibus perpetua comes.*
41 *Papa sæpe movetur ob Conjugum disparitatem ad dispensandum super matrimonio rato, & non consummato, eo quod infelices exitus solent hujusmodi matrimonia habere.*
42 *Quod dictum est de viro sene, procedit & in viro juvena, qui ducet uxorem senem, quia censetur ductus ad eam ducendum propter dotem.*
43 *Aequalitatis ætatis inter Conjuges, est mutuæ eorum fœlicitatis, & amicitiæ causa.*
44 *Omne animal diligit sibi simile.*
45 *Deus formavit Adæ Evam uxorem illi similem.*
46 *Mala, quæ oriantur ex disparitate Conjugum referuntur remisstive.*
47 *Si in Oppido adsit fœmina nobilis, quæ ex angustia loci intendit nubere consanguineo; si adsit vir ignobilis, sed Doctor, is dicitur æqualis, ob dignitatem Doctoratus.*
48 *Servi, qui non possunt habere Dignitates, non possunt esse Doctores.*
49 *Privilegium Doctoratus inductum est favore publico.*
50 *Comitissa nubens Doctori non dicitur nubere indigno: distingue tamen, quando iste Doctor esset eximius doctrina, & tunc dicitur æqualis mulieri, secus si sit ignarus, & simplex privilegium habeat,* nu. 52. & 58.
51 *Nobilitatis tria genera referuntur.*
53 *Differentia maxima est inter Doctores, & Doctorellos.*
54 *Literati sunt admittendi ad officia Nobilium, & illis comparantur.*
55 *Fœmina nupta nobili, eo mortuo retinet dignitatem, & nobilitatem, quam ex primo viro acquisivit,* & num. 64.
56 *Doctor de Jure Canonico præfertur nobili ex inferiori genere.*
57 *Nobilitas, quæ ex scientia, & propria virtute acquiritur, præfertur nobilitati, quæ ex factis Prædecessorum ad posteros descendit.*
58 *Doctor ignarus gaudere non debet privilegio Doctoratus, nec Doctoris nomen meretur.*
59 *Doctori ignaro præferendus est Scolaris scientia major.*
60 *Mulier si sit nobilis, sed pauper, si intendit nubere, & in Oppido sint ignobiles, sed divites, non tenetur eis nubere, sed dispensari potest cum consanguineo, ob angustiam loci, quicquid alii sentiant,* num. 62. & 68.
61 *Nobilis dicitur, qui pecuniis abundat, & divites nobilium appellatione veniunt.*
63 *Mulier ignobilis nubens viro nobili, efficitur nobilis.*
65 *Tamen nobilis mulier nubens viro ignobili amittit nobilitatem.*
66 *Matrimonia inter nobiles, & ignobiles non solent parere fœlices exitus, sed rixas, & jurgia.*
67 *Apud Romanos prohibitum erat patriciis cum plebeis*

plebeis matrimonium contrahere, & de ratione.

69 *Fœmina an petere poſſit Diſpenſationem ob hanc cauſam, ſi in ejus Oppido non ſint æquales, ſed in locis finitimis, & ſuæ Patriæ cohærentibus non deſint perſonæ paris conditionis, & negative tenent nonnulli, ſed verior eſt ſententia affirmativa,* ut num. 70.

71 *Diſpenſatio Papæ, abſque ulla reſtrictione, & limitatione intelligenda eſt.*

72 *Papa quod facile poterat exprimere, & non expreſſit, præſumitur id facere noluiſſe.*

73 *Papa movetur ad diſpenſandum ex hac cauſa, quia duriſſimum eſt mulieri nubere extra ſuam Patriam.*

74 *Unuſquiſque præſumitur velle vivere in Patria ſua, quæ cuique chariſſima eſt.*

75 *Amor Patriæ vincit omnia, & prævalet amor erga Patrem.*

76 *Patria potius eſt colenda, quam Mater.*

77 *Filio licet occidere Patrem contra Patriam venientem, tanquam hoſtem.*

78 *Patria unicuique eſt alter Deus.*

79 *Exilium à Patria eſt acerbiſſima pœna.*

80 *Perdens ſuam Civitatem, dicitur mediam capitis diminutionem pati.*

81 *Civitas Lucenſis laudatur.*

82 *Ex Civitate Lucenſi orti ſunt tres Pontifices.*

83 *Necnon ſexaginta Cardinales, & ultra.*

84 *Et innumeri Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi.*

85 *Plures Principes, qui Lucæ orti fuerunt, referuntur.*

86 *Luca fuit à multis Imperatoribus innumeris privilegiis decorata.*

87 *Fuit Ducali dignitate illuſtrata à Ludovico Bavaro.*

88 *Fuit reſtituta ad priſtinam Libertatem per Carolum IV. Imperatorem anno* 1369.

89 *Reſpublica Lucenſis, & ejus Cives laudantur.*

90 *Cives Lucenſes ab Imperatoribus titulo* Spectabilium *decorantur, qui titulus Comitibus, Marchionibus, & Epiſcopis competit.*

91 *Epiſcopus Lucenſis utitur Pallio Archiepiſcopali, & Cruce, ex Pontificum Indulto.*

92 *Eſt Comes, & habet plura Oppida ſuæ temporali Juriſdictioni ſubjecta.*

93 *Capitulum Cathedralis Lucanæ, habet plures Terras ſuæ Ditioni abdictas.*

94 *Canonici ipſius Capituli habent uſum Mitræ.*

95 *Epiſcopo Lucenſi conceditur id, quod conceditur Cardinalibus Legatis.*

96 *Et Canonicis datum eſt, quod Epiſcopis conceditur.*

97 *Templa, & Cœnobia Civitatis Lucanæ laudantur.*

98 *Lucana Civitas prima inter omnes Etruriæ Civitates Anno* 68. *Fidem adepta fuit.*

99 *Innumera Corpora Sanctorum in ea recoluntur, & Imago Vultus Sancti cælitus emiſſa veneratur.*

101 *Si fuerit erratum in expreſſione Loci, Literæ per Delegatum non poſſunt expediri, niſi prius correcto errore in Dataria, ſeu ubi fuerunt expeditæ.*

102 *Ad evitandum errorem Loci quid obſervent practici Curiales, & quando eis de vero Loco Originis non conſtat.*

103 *Expreſſio Diœceſis Oratricis eſt neceſſaria in Diſpenſatione, ob anguſtiam, alias Diſpenſatio eſſet ſubreptitia.*

104 *Si Alienigena impetraſſet Beneficium à Papa, non facta mentione ſuæ Diœceſis, Gratia eſſet ſubreptitia.*

105 *Si Oratores eſſent diverſarum Diœceſum, de utraque fieri debebit mentio in petitione Diſpenſationis ob anguſtiam.*

106 *Et tunc ſolent dirigi Literæ Ordinario Oratricis.*

107 *Si petatur Diſpenſatio ob Anguſtiam utriuſque Loci, & reperiatur Oratores eſſe de eodem Loco, non vitiabitur gratia, & ſufficit verificari anguſtiam ejus Loci.*

108 *Quando Oratores petunt Diſpenſationem ob anguſtiam, & ſint conjuncti in ſecundo, & tertio gradu, tunc quia Diſpenſatio redditur difficilior, ſolet addi clauſula,* Et ſi extra.

109 *Clauſula,* Et ſi extra, *quid importet.*

110 *Ob difficultatem verificationis d. clauſulæ, loco illius, ſolet exprimi,* quod Oratores ſunt de honeſtis Familiis.

111 *Quæ expreſſio auget expenſam Diſpenſationis, & Compoſitionis in ducatis quinque, ſed reddit Diſpenſationem faciliorem, & tutiorem.*

112 *Expreſſio qualitatum nullo alio in caſu deſideratur, niſi quando Oratores velint ſe eximere à probatione d. clauſulæ,* Et ſi extra.

113 *Vel niſi adducatur ipſa qualitas ob cauſam finalem Diſpenſationis.*

114 *Exceptio nobilitatis, & qualitatis quando ſit uti narrativa, & ad pompam, non eſt neceſſe, ut verificetur.*

115 *Delegatus debet exequi Literas, verificatis prius tantum cauſis finalibus, nec attendere debet illas cauſas, quæ in genere allegatæ ſunt.*

116 *Clauſula,* de prædictis te diligenter informes, *appoſitæ in Literis, refertur ad Impedimenta, ſuper quibus petitur Diſpenſatio.*

117 *Expreſſio qualitatis Oratorum, ſi fiat ad effugiendum clauſulam* Et ſi extra, *vel conjungatur cum alia cauſa, tunc probari debet.*

118 *Nobilitas, ſeu alia qualitas quando dicatur adduci in cauſam finalem.*

119 *Verba,* ut aſſeris, *vel,* ſicut aſſerunt, *& ſimilia poſita in Literis, transferunt onus in aſſerentem probandi aſſerta.*

120 *Nobilitas non ineſt à natura, ſed in dubio eſt probanda.*

121 *Quando in Literis fuerit dictum,* ut aſſeritur, *per hoc verbum imperſonaliter prolatum, non inducitur obligatio probandi qualitatem expreſſam.*

122 *Quando in Literis fuerit dictum ſimpliciter, Oratores eſſe nobiles, ſufficit coram Delegato probare nobilitatem Patris.*

123 *Et quod Oratores nobiliter vivunt.*

124 *Si vero fuerit dictum, eſſe de nobili genere procreatos, tunc non ſufficiet probare eos nobiliter vivere, ſed probanda erit nobilitas Patris, & Matris.*

125 *Quando Diſpenſatio fundatur ſuper hujuſmodi cauſa nobilitatis, diſtingui debet, an Nobilitas ſit ex genere, ſeu ex Honoribus, vel Privilegio.*

126 *Deferentes eadem Arma, & Inſignia dicuntur de eadem Domo, & Familia.*

127 *Quoad probationem tamen nobilitatis, non ſufficit deferre eadem Arma, nec eſſe de Domo, ſed eſt probanda.*

128 *Omnis Populus dividitur in Nobiles, & Plebeios.*

129 *Nobilitas in tres gradus dividitur, videlicet ex Genere, vel ex Honoribus, & Virtute, aut ex Principis privilegio.*

130 *Nobiles genere, alii dicuntur Illuſtres, & alii non Illuſtres, & qui ſint hujuſmodi.*

131 *Nobiles ex Honoribus, & Virtute qui ſint.*

132 *Nobiles ex privilegio qui ſint.*

133 *Plebeiorum duplex eſt genus, Honeſtorum nempe, & vilium.*

134 *Viles qui dicantur.*

135 *Honeſtorum genus quale dicatur.*

136 *Teſtes ad probandum nobilitatem, quid deponere debeant.*

137 *Nobilitas probatur ex publica voce, & fama, & ex communi exiſtimatione.*

138 *Si probari debeat Oratorem eſſe de Nobili genere procreatum, quid debeat probari.*

139 *Probationem conſtituit Nobilitatis probatio, quod Oratores deferant ſuper eorum Inſignia Galeam apertam.*

140 *Hiſtoriæ, & Cronichæ valde conferunt ad probandam Nobilitatem.*

141 *Sufficit tamen regulariter Nobilitatem probari ex latere Patris.*

142 *Ad probandum, quod Oratores sint Personæ principales, sufficit probare eos esse Viros potentes, & valde divites.*

143 *Ad probandum Oratores esse ex honestis Familiis, sufficit, ut Testes deponant eos honeste vivere, & nullo turpitudinis vitio eorum Familiam laborare.*

QUod cum dicta Oratrix in dicto loco, propter illius Angustiam, Virum sibi non Consanguineum, vel Affinem, paris conditionis, cui nubere possit invenire nequeat &c. cupiunt invicem Matrimonialiter copulari sed quia Tertio, & Quarto à communi stipite provenientibus Consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; Quare &c. Quandoquidem hæc causa frequentissime adducitur, & super illius intelligentia in dies occurrit de multis dubitari, ideo plura hic erunt opportune adnotanda. 1

2 Et primo adnotandum est, hanc causam verificari debere quoad locum originis Oratorum, & non Domicilii, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 6. nisi Pontifex 3 sciens Oratores esse ex tali loco ortos, tamen concederet, ut hujusmodi causa verificaretur in solo loco Domicilii. Secundo adnotandum, transactis 4 temporibus usque ad Annum Nonum Pontificatus Pauli V. hanc causam passim admissam fuisse, non solum in locis angustis, verum etiam in insignibus, amplis, & Populo plenis, & etiam in Civitatibus magnis, & principalibus, immo in ipsamet Alma Urbe, cum possent Oratrices talis esse qualitatis, ut quoad eas non invenirentur Viri paris conditionis, quibus nubere possent; at dictus Pontifex, re mature perpensa, cum prorsus inverisimile videretur posse ita facile in magnis, & insignibus Civitatibus hanc causam verificari, jussit in posterum quoad Civitates denegari, & proinde præcepit Officialibus ad id præpositis, ne illam deinceps admitterent, & sic à dicto tempore usque 5 in hodiernum diem observatum fuit; & non solum quoad Civitates, verum etiam quoad Suburbia hæc causa denegata fuit, nisi per milliare, vel circiter à Civitate distarent, teste Pirrh. Corrad. *in Prax. Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 42. Sunt ta- 6 men nonnullæ angustæ Civitates, quæ tercentum focularia non excedunt, ut Vicar. Mussalubretr. Capritan. & similes; & in his attenta hujusmodi angustia, adhuc solet ista causa admitti, ob verisimilem præsumptionem, quod attenta earum exiguitate, non possit Oratrix ibi Invenire virum paris conditionis, cui nubere possit. Requiritur tamen, 7 ut antequam hujusmodi causa in Romana Curia admittatur, exhibeatur fides Ordinarii dictæ Civitatis, quod Civitas ipsa dicta tercentum focularia non excedat, & absque ea fide, nullatenus admittitur; Immo in Literis, per quas committitur Dispensatio, 8 apponitur Clausula, *dummodo præfata Civitas tercentum focularium numerum non excedat:* Quod idem observatur, tam si ambo Oratores sint de dicta Civitate oriundi, quam si unus sit de Civitate, & alter de alio loco; quo casu utriusque loci angustia verificari debet, ut suo loco diximus, & dicemus infra.

9 Quænam sit proprie Civitas, dicendum est, esse omnem Populationem, quæ habet Episcopum, & est Caput Diœcesis, *cap. In illis* 2. *dist.* 80. Fontanell. *de pact. nupt. clausul.* 4. *Gloss.* 11. *num.* 15. quam- 10 vis enim Oppidum, vel Urbs constituatur ex constitutione Ædificiorum, maxime si sit mœniis munita, & spatiis, & Delubris distincta; non tamen dicitur Civitas ea Domiciliorum collocatio ita compacta, sed potius Universitas Civium, & Inquilinorum, iisdem utentium legibus, & moribus; sed Civitas in casu, de quo agimus, ea proprie dicitur, 11 & de ea sola est intelligendum, quæ sit muris cincta, habeat proprium Episcopum, & cujus legibus Castra, in ejus Territorio constituta, vivere debent; 12 vide Pirrh. Corrad. *l. c.* Unde sub nomine Civitatum non comprehenduntur Loca illa, & Oppida, quæ cum insignia sint, ex communi usu loquendi solent Civitates appellari, ut idem Pirrh. Corrad. *l. c.* proinde sequitur, quod seclusis solis illis Civitatibus, quæ tercentum focularia excedunt, in aliis omnibus Oppidis, Terris, & Locis, quantumcumque insignibus, & Populo plenis, soleat admitti; cum probabile sit, quod quamvis ea Oppida sint plena Populo, adhuc possit dari casus, ut tales qualitates in Oratrice concurrant, ut intuitu illius verificari possit causa angustiæ in ipsomet Loco, in quo ob illius amplitudinem, & Populi multitudinem, verificari non possit quoad alias, in quibus dictæ qualitates non concurrant; ad verificationem etenim hujus Causæ, non solum considerari debet 13 qualitas ipsius Loci, nempe, an sit insignis, vel angustus, sed magis, & præcipue ad qualitates Oratricis, quæ tales esse possunt, ut in Loco, quamvis amplo, insigni, & pleno Populo, virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, non inveniat.

Nec adeo stricte accipienda est hujusmodi angu- 14 stia Loci, ut necessaria sit exacta perquisitio, an sint in Oppido pares Oratrici, non consanguinei, vel affines, qui illam ducere velint, sed morali modo est intelligenda, ut, licet sint in Oppido aliqui non consanguinei, vel affines paris conditionis, attamen difficile est, ut nubere possit æquali sibi, suisque parentibus grato, ut bene docet Avers. *de Matr. q.* 19. *sect.* 4. *vers. Secundo &c.* & nos late dicemus infra; cum etenim paritas, vel disparitas 15 in matrimoniis ex pluribus consideretur, & potissimum ex Oratorum nobilitate, potentia divitiis, honore, ætate, genio, & moribus *cap. Super eo, el* 2. *de testib.* Tusch. *conclus.* 157. *num.* 2. *lit. N.* & matrimonia debeant esse libera: *cap. Gemna* 29. *de spons. & Matrim.* & nos alibi diximus; nimis enim durum esset, si fœmina, vel innupta remanere cogeretur, vel ad unum, & alterum præcisum matrimonium invita, & cum animi mœrore arctaretur; quod nec exuberanti Summi Pontificis benignitati consentaneum est, nec præsumi debet ejus 16 intentionem esse, ut ex nimis stricta interpretatione hujusmodi angustiæ, fœmina, vel innupta cum animæ periculo remanere, vel absque ejus consensu matrimonium inire cogatur, ut diximus, & in- 17 numera scandala, rixæ, & dissentiones inde oriantur, cum matrimonia coacta infelices exitus habere soleant, *cap. Requisivit* 17. *de sponsalib.* Marius Antonin. *var. Resol. lib.* 1. *resol.* 79. *num.* 2. Unde 18 si varia esse possint matrimonia, dabitur ei optio; sic bene docent Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 14. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 5. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 93. *vers. Sufficiens etiam.*

Pluribus casibus verificabitur causa Angustiæ Loci,

Primo namque verificabitur, si major pars Concivium, vel Personarum Oppidi, vel alterius Loci, cujus angustia fuit in causam finalem Pontifici 19 adducta, sint Oratrici infra quartum gradum conjuncti, vel sint affines, vel alio impedimento dirimenti impediti, quominus cum ea matrimonium contrahere possint: sic bene docent Sanch. *d. disp.* 19. *num.* 13. *& num.* 14. Navarr. *in Man. cap.* 22. *num.* 87. Zerol. *in Prax. Episc. ver. Dispensatio, in principio, part.* 1. Avers. *d. sect.* 4. Filiuc. *qq. moral. tomo* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *nu.* 316. Ita etiam sentire Petrum de Ledesma, Ludovicum Lopez, Grassium, & Vegam, testatur idem Sanch. *l. c.* Ratio est, 20 quia cum numerus æqualium, quibus fœmina nubere posset, restringatur, redditur difficile, ut nubat æquali; difficile vero illud dicitur, quod vix fieri potest. *Gloss. in cap. Quantumlibet dist.* 47. *S. Difficile:* Fusc. *de visit. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 5. Id autem non 21 videtur posse fieri, (maxime his casibus) quod commode fieri non potest, *cap. Faciat homo* 15. *causa* 22. *q.* 2. *l. Nepos Proculo ff. de verbor. significat.* Cæval. *QQ. commun. contra commun. q.* 828. *num.* 225. Paccin. *de Visit.* 1. *part. q.* 6. *num.* 1. Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 34. *&*

lib. 8.

lib. 8. *cap.* 10. *num.* 14. Genuens. *in Prax. Cur. Archiepiscopal. Neap. cap.* 20. *num.* 6. Franc. Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 1. *c.* 11. *n.* 8. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 237. *num.* 24. & difficile æqui-
22 paratur impossibili *l. cum hæres* §. 1. *ff. de stat. lib.* Franc. Leo, & Tusch. *ll. cc.* Læl. Altograd. *cons.* 84. *num.* 37. *lib.* 1. Barbos. *mox citandus:* Et valde difficilium, & impossibilium idem est judicium *l. si Apud Julianum* 40. §. *Constat. ff. de legat. d. l. Nepos Proculo* 25. *ff. de verb. signif.* Barbos. *de Axiom. usufrequ. Axiom.* 118. *num.* 8. Menoch. *de arbitr. casu* 421. *num.* 69. *lib.* 2. Unde in verificatione
23 Angustiæ Loci coram Delegato facienda, crediderim sufficere, si testes deponant, quod morali hominum existimatione in eo Loco non judicentur pares, nisi consanguinei, sicut docent Pont. *de Matr. lib.* 8. *cap.* 21. §. 2. *n.* 22. & Avers. *l. c.* prout & sufficere, si deponant, nullum esse in Oppido paris conditionis Oratrici, eidemque non consanguineum, vel affinem, qui illam ducere velit, ut dictus Pyrrh. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 58. Sic pariter satis ve-
24 rificatam causam Angustiæ existimo, si Oratrix per aliquod competens spatium, v. g. per quinque, aut sex annos fuisset ornata, & exposita ad nubendum, & tamen nullus æqualis illam in Uxorem petiit, quia cum ejus pudor, & muliebris honestas non patiatur de per se quærere virum, *cap. Honorantur* 13. *causa* 32. *q.* 2. Ludovis. *decis.* 414. *n.* 11. Fontanell. *de Pact. nupt. tom.* 1. *clausul.* 4. *Gloss.* 2. *n.* 5. Redenasch. *cons.* 1. *num.* 78. si per dictum tempus nullus æqualis eam in Uxorem petiit, præsumi potest valde difficile esse, ut in dicto Loco nubere possit æquali non consanguineo, vel affini; nec videtur
25 adstringi ulterius expectare, ne innupta cum periculo animæ remaneat; quamvis enim fieri possit, ut tractu temporis aliquis illam ducat, tamen cum futura sint incerta, Antonin. *Var. Resol. lib.* 3. *resol.* 1. *num.* 52. maxime cum dependeant ab aliena voluntate, & nemo possit de futuris divinare, cum id ad solum Deum pertineat, *l. quod quidam*, §. *Quod dicitur, ff. de acquir. hæred. cap.* 1. *Ut nostrum, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Gomez. *reg. de Annali poster. q.* 15. *lit. N.* Tusch. *conclus.* 519. *num.* 1. *lit. D.*

Sufficit verificari Angustiam Loci de tempore petitæ, & executæ dispensationis, prout sonant verba
26 Literarum, quæ denotant tempus præsens; quod autem possit evenire, ut futuro tempore inveniat æqualem, non habetur in consideratione; futura enim, quæ certam spem de præsenti non habent, & possunt esse, vel non esse, non habentur in consideratione, *l. Nam ad ea, ff. de legib. l. sciendum*, §. *Penult. ff. Qui satis d. cog.* Salgad. *Labyrint. credit. part.* 2. *cap.* 22. *num.* 101. quia non futurus eventus, sed præsens rei status attendi debet, ut dictus Salgad. *loc. cit. num.* 11. & sic fuisse responsum ab Urbe in casu simili est adnotatum in quodam Libro, intitulato *Regist. Literar. Apost.* qui conservatur in Cancellaria Episcopali Lucana *ad fol.* 67.

Et quoniam ad constituendam æqualitatem inter Conjuges, & ad hoc ut paria, & convenientia judicentur Conjugia, multæ conditiones exiguntur, ut diximus, ideo opportunum erit aliqua dubia enucleare.

27 Et primo dicendum est, verificari Angustiam Loci, si fœmina, quæ nubere intendit, haberet quidem in suo Loco, & Oppido plures æquales non consanguineos, vel affines, at quia sit ætate longæva, vel ex alio matrimonio filios habeat, vel sit deformis, difficile est ut nubat æquali, quia ex his matrimonia redduntur disparia, & inæqualia, ut bene ponderat Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 29. & eo magis verificabitur hujusmodi causa, si fœmina non inveniat virum æqualem, eo quia sit de aliquo cri-
28 mine, & vitio diffamata, vel quia sit rixosa, maledica, & malis moribus imbuta, quia his casibus non immerito, sed prudenter alii, quamvis alias æquales, & non consanguinei, vel affines, eam du-
29 cere recusant. *Melius est enim habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, & iracunda.* Pro-

verb. cap. 11. *Et melius est habitare in angulo tecti, quam cum uxore maledica in domo communi*, S. Hieronymus *contra Jovinianum cap.* 15. idque eo magis procedit, si sit Impudica, quam describens Boetius *de Scholastic. disciplin.* vocat Inferni januam, iniquitatis viam, scorpionis percussionem, viscarium scelerum, & puteum interitus: & propterea, licet dictæ male qualitates dent præcipuam causam, ut virum paris conditionis non inveniat, tamen vera est causa, ob quam petiit dispensationem, cujus verificatio sat est ex quacumque causa procedat, ut animadvertit idem Sanch. *l. c.*

Nec dicetur æqualis fœminæ, maxime juveni, 30
quamvis alias paris conditionis esset, vir, qui haberet filios ex alio Matrimonio præcedenti; vel esset valde deformis, vel gibbosus, vel strumis infectus, ut bene animadvertit Rub. *dec.* 493. *num.* 66. *tom.* 2. Et eo magis censebitur inæqualis, si sit malis moribus imbutus, ut quia Lusor, Concubinarius, Prodigus, Dilapidator, vel asperi ingenii, quia ex his disparitas constituitur. Sanch. *d. disp.* 19. *numer.* 15. Tiraquell. *de Leg. Connub. l.* 7. *in fine* Coninck *de Sacram. disp.* 33. *dub.* 5. *numer.* 46. Fontanell. *de Pact. nupt. tom.* 2. *claus.* 5. *Gloss. prim. part. prim. num.* 93. & si fœmina huic nuberet, indigno nuberet. Fontanell. *l. c.* Sanch. *lib.* 4. *disp.* 26. *à nu-* 31
mer. 23. *usq. ad nu.* 27. ubi declarat, indignum Conjugem judicari eum, qui vel sit malis moribus imbutus, vel non sit æqualis bonis fortunæ, nisi aliunde divitiarum excessus compensetur, vel si ob aliquod Impedimentum non possit cum eo contrahi matrimonium sine dispensatione; vel si non possit cum eo matrimonialiter conjungi absque dedecore; vide etiam Paul. Rub. *decis.* 493. illud etenim dicimus non posse, quod de honestate non possumus. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 891. *num.* 31. Caputaquens. *dec.* 266. *n.* 2. *part.* 1. Andr. Molfes. *Comment. ad Consuetud. Neapolit. tom.* 1. *part.* 5. *q.* 11. *n.* 9. Sanch. *lib.* 6. *disp.* 36. *num.* 12. & non posse, vel posse, sed non sine dedecore paria sunt. Michalor. 32
tract. de Fratrib. part. 3. *cap.* 13. *num.* 109.

Et eo magis non debebit judicari æqualis mulieri 33
juveni vir senex; ad hoc enim, ut matrimonia inter pares contrahi dicantur, debent Conjuges esse 34
ætate conformes; cum æqualitas sit amicitiæ mater, & Conjugatorum animis tranquillitatem influat, & pacem, ut animadvertit Barbos. *in Votis Canonic. lib.* 2. *Voto* 19. *num.* 39. unde optime canit Ovidius Epist. Dianiræ ad Herculem.

Si vis apte nubere, nube pari.

& in Proverb. *cap.* 5. scriptum est.

Lætare cum muliere Adolescentiæ tuæ;

& Boetius *lib.* 1. *de Music. cap.* 1. ait, *Quo major, & verior, stabiliorque similitudo fuerit, & æqualitas; eo firmior, atque arctior amicitia erit, atque benevolentia*; unde videmus juvenes inter se naturali propensione libere convenire, senes senioribus congregari, Doctores Doctorum cætus cupere, improbos improbis, divitesque divitibus associari; immo nec Leges ipsæ inter dissimiles, & inæquales matrimonia præsumunt. *l. Imperiali* §. *Immo ff. de nuptiis. Glossa in cap. Aliter, primo, causa* 30. *qu.* 5. §. *Contubernia*; Moscon. *de Majest. Milit. Ecclesiasticæ lib.* 2. *de Statu Conjugal. part.* 1. *cap.* 9. *pag. Mihi* 787. Barbos. *in d. Votis Canon. lib.* 2. *Vot.* 19. *n.* 48. Mascard. *de Probat. conclus.* 1025. *n.* 7. latissime Tiraquell. *de Leg. Connub. l.* 5. *n.* 31. & si 35
inter sponsos adsit disparitas ætatis, arguitur metus. Sperell. *decis.* 5. *num.* 58. & quod magis est, eædem 36
Leges viduam vocant mulierem seni nuptam; Sperell. *decis.* 156. *num.* 4. Ricc. *in Prax. Fori Eccles. resol.* 66. *in princip.* adeo ut ipsa gaudeat privile- 37
giis viduæ. Sperell. *l. c. n.* 21. & habeat electionem Fori, idem Sperell. *decis.* 158. *num.* 6. & in casibus veris viduis permissis trahere possit Laicos ad forum Ecclesiasticum, cum hoc etiam sit privilegium concessum miserabilibus personis, non habentibus proprium defensorem, ut idem Sperell. *d. decis.* 158. *num.* 7. Licet enim mulier nupta seni revera 38
nupta sit, tamen censetur vidua, cum habeat

maritum senem, ideoque inutilem; vide Meroll. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 855. Unde bene dixit Clemens Alexandrin. lib. 6. Stromatum; *Turpis res juveni uxori vir senex*, & Euripides in D. apud Stobæum cap. 49. *Senes; maritus uxori juveni amarus, & senex vir res inimica mulieri*; senectus enim tamquam exanguis, & frigida, est veluti amicitiæ inimica, eo quod senes ob naturæ deficientis imbecillitatem, his ut plurimum careant, quibus amicitia nititur, & conservatur, cum sint difficiles, intractabiles, queruli, morosi, tenaces, uxoribusque juvenibus tædio, contemptu, & odio. Et experientia docet, puellas nil magis odio habere, quam senum amplexus, unde Catullus; *Et senum amplexus cauta puella fugit*; & Plutarchus *Problem. cap.* 85. 39 refert, quod Romani de Mense Maii non ducerent uxores, sed de Mense Junii, ea ratione, quia Mensis Maii à majoribus, & Junius à junioribus dicti essent, eo quod nuptiæ juvenibus conveniant, & non senibus: Ipsi etiam viro seni uxor juvenis redditur incommoda, & propterea zelotypia est senibus perpetua comes, qua fit, ut Conjuges sibi 40 displiceant, & in perpetuis dissentionibus, querelis, & jurgiis vivant, facultates dissipentur; & omnia in pejus ruant; unde non immerito Lege Papiana cavebatur, ne sexagenarii uxorem ducerent, eo quod viderentur impotentes ad generandum, ut referunt Menoch. *de arbitr. libr. prim. casu* 89. *num.* 56. Isidor. Moscon. *l. c. & alii*; & Papa sæpe move- 41 tur ob Conjugum disparitatem ad dispensandum super matrimonio rato, & non consummato, quia hujusmodi matrimonia inter dispares contracta infelicissimos exitus habent, & innumera scandala, rixæ, & inimicitiæ inde exoriuntur, & aliquando etiam neces; ut animadvertit Sanch. *libr.* 2. *disp.* 16. *numer.* 2. & quidem multa exempla lamentabilium successuum ex inæqualitate Conjugum referunt Menoch. *cons.* 47. & 48. Sanch. *lib. prim. disp.* 11. *numer.* 8. Barbos. *d. vot.* 19. *num.* 39. Tiraquell. *d. l.* 5. *& alii*.

42 Ea, quæ hucusque dicta sunt de viro sene, qui ducat uxorem juvenem, repetenda sunt, si vir juvenis ducat uxorem senem; tunc enim verificabitur, quod dicit Nevizan. *in Sylv. Nuptial. libr.* 2. §. *Diviti non est nubendum, num.* 55. *Qui uxorem ducit divitem, ponit in domo tempestatem*; quia cum hoc casu præsumendum non sit, ut pro fœminæ pulchritudine, aut sensuali delectatione, vel naturali affectu vir juvenis animum duxerit, sed potius ob mulieris dotem, & divitias, infelicissimus exitus timeri potest, teste Tiraquell. *d. l.* 5. *num.* 16. ubi ait, *Ne quis cupiditate, aut ambitione allectus potentiorem se ducat in uxorem, nam dominos, & non affines habebit*, & talia Conjugia infelicia sunt; & Plautus in Asinaria *Argentum dote accepi, imperium vendidi*; Et Juvenalis satyra 6. *Intolerabilius nil est, quam fœmina dives: Veniunt à dote sagittæ*:

Qui hujusmodi matrimonia contraxerunt, testes mihi sint an vera dicam.

43 Quod si Conjuges sint ætate conformes, præsumi potest, ut sint etiam genio similes, unde quæ naturaliter placebunt uni, placebunt alteri, eritque inter eos benevolentia, & concordia, qua, teste Sallustio in Jugurtam, *Parvæ res crescunt*; & summa matrimonii felicitas est, mutua Conjugum amicitia, benevolentia, & concordia: ut bene Tiraquell. *dict. l.* 5. *num.* 18. ubi etiam ait, matrimonii concordiam juri patriæ potestatis esse præferendam; *& in Eccles. cap.* 15. scriptum est: *Inter eos, qui beatitudinis partes attingunt, numerantur vir, & uxor sibi bene consentientes*; & quidem ipsa nominis similitudo affectionem gignit; ut bene ponderant Tiraquell. *dict. l.* 5. *num.* 27. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 8. *num.* 105. Gratian. *Discept. For. capit.* 798. *num.* 1. Ricciull. *de Jure Pers. libr. prim. capit. prim. numer.* 8. *& in Eccles. cap.* 13. dicitur, *Omne* 44 *animal diligit simile sibi*; *Omnis caro ad simile sibi conjungitur*; *Et omnis homo simili sui sociabitur*; & Cicero in Catonem, *Pares cum paribus veteri Proverbio facillime congregantur*; & Plato in Laide ait, *simile simili semper necessario amicum esse*; Et Deus ipse omnium rerum conditor, dum Evam formare voluit, ut matrimonium cum Ada institueretur, di- 45 xit, *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, quod non solum ad similitudinem effigiei, sed & conditionis, & correspondentis ætatis referri potest. Quam multa autem mala ex Conjugum disparitate sequi soleant, 46 videndi sunt Menoch. *cons.* 385. *num.* 6. *Gabr. cons.* 186. *num.* 2. *l.* 4. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 16. *num.* 2. Tiraquell. *d. l.* 5. *per totum*, Fulgos. *l.* 6. *Historiar. cap.* 11. ubi refert exemplum de Joanna II. Regina Neapolis, quæ matrimonium contraxit cum Joanne Carazolo.

Sed dubium est, dato quod fœmina, quæ nubere intendit Consanguineo ex causa Angustiæ Loci, 47 nobilis sit, & principalis, & adsit in Oppido Legum Doctor ex vilibus, & ignobilibus parentibus natus, an iste dici possit æqualis ipsi mulieri nobili; & quidem videtur dicendum, esse æqualem, quia Doctoratus est dignitas, *cap. Quarto* 3. *de magistris*, Ricc. *in Prax. For. Ecclesiastici resol.* 467. *num.* 5. Alex. *cons.* 15. *lib.* 1. Philipp. Pasch. *tract. de Virib. patr. potest. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 69. Massobr. *de Concurs. requis.* 5. *dub.* 2. *num.* 4. & ob id servi, & alii, qui non possunt habere Dignitates, 48 non possunt esse Doctores; Alex. *l. c.* & ex hujusmodi privilegio causatur Nobilitas. Gratian. *Discept. Forens. cap.* 590. *num.* 20. Philipp. *l. c. n.* 71. Fragos. *mox. citand. n.* 145. & Doctores dicuntur illustres. Rogler. *de excellent. Juris Civil. inter consilia* Zilett. *post consilium* 87. *vol.* 1. & Doctor eximius, est nobilissimus. Genuens. *Pract. Fori Eccles. quæst.* 416. *num.* 4. nec posse renunciari privilegio Doctoratus, docet Merlin. *decis. Rotæ Lucens. decis.* 10. *num.* 4. cum hujusmodi privilegium inductum sit fa- 49 vore publico, & ut talis Dignitas in honore habeatur; & plures laudes Doctorum afferunt, Franc. Leo *in Thes. Fori Eccles. part.* 1. *cap.* 12. *num.* 27. Corrad. *in Templo omnium Judicum, lib.* 1. *cap.* 1. *q.* 2. *de Imperatore num.* 31. & 32. Massobr. *de Conc. l. c. n.* 3. Fragos. *de Regim. Christ. Reip. part.* 1. *lib.* 3. *disp.* 6. ubi *num.* 145. plura refert Doctorum privilegia. Unde Comitissa magna nubens Doctori, non dicitur nubere indigno. Genuens. *d. Prac-* 50 *tic. q.* 706. *num.* 3. Corrad. *d. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 9. *de Comite*. Menoch. *de Præsumpt.* 189. *num.* 86. Boss. *de Matr. cap.* 11. *num.* 168. Fontanell. *de Pact. Nupt. claus.* 7. *Gloss.* 3. *part.* 15. *num.* 63. Meroll. *tom.* 3. *disp.* 6. *cap.* 8. *dub.* 15. *n.* 79. Paschal. *l. c. n.* 68.

Nobilitas namque triplex est; Primo loco est Gen- 51 tilitia, secundo, ea est, quæ propria virtute acquiritur; ultimo loco est, quæ Principis privilegio obtinetur: quæ fuse agunt Tiraquell. Garcia, Jo: ab Ottalora *in peculiarib. tractatib. de Nobilit.* Tertaret. *de Nobilitat. gentilit.* & Riccard. *de Nobilitat. communicat.* unde cum iste habeat privilegium Doctoratus, videtur hujusmodi matrimonio dignus.

Tu tamen distingue; vel Doctor iste est eximius 52 doctrina, vel est Literarum ignarus; primo casu vere dici potest æqualis mulieri nobili, & illustris, quia Doctor ob ingentem tantum scientiam meretur hujusmodi titulum, ut dicit Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *qu.* 56. *num.* 73. ubi *n.* 74. ostendit esse maximam differentiam inter Doctores, & Doctorellos; quod 53 idem animadvertit Card. Tusch. *concl.* 556. *lit. D.* Et proinde cum scientia ipsa nobiliter, *Gloss. in cap. De multa* 27. *& cap. Venerabilis Frater* 37. §. *Nos igitur de Præbendis*. Gamb. *de Off. & Potest. Legat. lib.* 7. *num.* 265. Massobr. *de Conc. prælud.* 1. *num.* 10. Fragos. *de Regim. Christ. Reip. part.* 1. *lib.* 3. *disp.* 6. *n.* 150. sequitur, quod Literati sint admittendi ad of- 54 ficia Nobilium. Genuens. *d. Pract. qu.* 923. *num.* 4. Fragos. *l. c.* & Nobilibus comparentur. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancel. Gloss.* 4. *n.* 27. Gamb. *l. c. n.* 284. Marant. *Resp.* 51. *n.* 17. *part.* 3. Gomez. *ad Reg. Cancell. Reg. de Annali poss. qu.* 36. *lit. A.* & quoad effectum, ut fœmina nupta nobili, eo mortuo, retineat Dignita- 55 tem, quam ex dicto primo marito acquisivit, satis

super-

superque Doctor potest dici nobilis. Fontanell. *de Pactis nupt. tom. 2. claus. 7. Gloss. 3. part. 15. num. 62.*

56 & de Jure Canonico Doctor præfertur Nobili ex inferiori genere. Puteus *dec. 126. libr. 1.* quia multo

57 plus existimatur nobilitas, quæ ex scientia acquiritur, & propria virtute, quam quæ ex genere, & factis Prædecessorum ad posteros descendit. Fontanell. *l. c. num. 64.* Tusch. *concl. 157. num. 6. lit. N.* Fragos. *l. c. num. 136.* & Cicero in Oratione contra Crispum Salust. habita, respondendo exprobrationi contra se factæ, quod sui Majores fuissent ignobiles, & infimæ conditionis, respondit, *Se initium esse nobilitatis posteris suis, & majorem sibi gloriam ducere, aliis illam dare, quam ab aliis recipere*; & alibi idem Cicero, *Satius est enim me meis rebus gestis florere, quam Majorum opinione niti, & ita vivere, ut sim Posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum*: Unde Juvenalis Satyra Oct.

Nobilitas sola est, atque unica virtus;

& Seneca in Hercule furente;

Nobiles non sunt mihi Avi, nec aliis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus; *qui genus jactat suum*, *aliena jactat*.

Ovidius lib. 3. Metamorphos.

Nam Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi;
Vix ea nostra voco:

Et S. Hieronymus ad Cælantiam

Summa Nobilitas est clarum esse virtute.

Et propterea Doctor eximius mulieri nobili, & principali censetur æqualis, quia ejus virtus conjuncta cum insignibus Doctoratus, cum fœminæ nobilitate compensatur.

58 At si Doctor iste ignobilis sit, & ignarus, nedum titulum Doctoris meretur; nec simplex privilegium facit Doctorem. Francisc. Leo *in Thes. Fori Eccl. part. 1. cap. 3. num. 9.* immo nec Doctor ignarus Doctoratus privilegio gaudere debet. Gratian. *Discept. For. cap. 189. n. 29. & 30.* Hieronym. Palm. *cons. 61. n. 16.* & inclinat Mandos. *Reg. 16. q. 13.* quia cessante doctrina, quæ est causa privilegii, cessare debet ipsum privilegium. *cap. Si pauper 30. de Præb. Dignit.* Sanchez *l. 8. disp. 30. n. 14.* Gratian. *Discept. For. cap. 752. n. 76.* Sperell. *dec. 78. nu. 27.* & innumeri alii, quos *cap. 1.* citavimus.

59 Unde Doctori ignaro præferendum esse scholarem scientiam majorem, dicunt Mandos. *d. Reg. 16. qu. 17. n. 2.* Bos. *Mor. Var. part. 1. tit. 1. §. 21. n. 192.* Ex quibus sic deductis concluditur istum Doctorem non debere comparari cum nobilibus, cum in eo non concurrant qualitates requisitæ ad hoc, ut censeatur illustris.

60 Aliud dubium est, si mulier, quæ nubere intendit, sit nobilis, sed pauper, & sint in Oppido personæ ignobiles, sed divites, quæ illam ducerent cum parva dote, quam habet, an possit petere Dispensationem ob Angustiam Loci ad nubendum consanguineo paris conditionis: Et quidem Lother. *de Re Benef. l. 2. quæst. 5. num. 84.* Mascard. *de Probat. concl. 998. numer. 8. & 9.* Fontanell. *de Pact. nupt. tom. 2. claus. 7. Gloss. 3. part. 15. num. 57.* Tiraquell. *de Nobil. cap. 3. num. 22.* docent, nobilitatem cum divitiis in Connubiis compensari, quia nobilis est, qui pe-

61 cuniis abundat, & divitiis. Textus est *in l. Nobiliores, de Commerc. Mercator.* & docent Cævall. *QQ. Comm. contra comm. quæst. 688. numer. 12.* Fontanell. *num. 58. l. c.* & ipsæ pecuniæ nobilitant. Alberic. *in l. Imperatores, C. de Decurionib.* Tiraquell. *de Nobil. cap. 3. nu. 3.* & divitiæ, & Dignitates æquiparantur, *l. 1. ff. de Custod. Reor.* & docet Barbos. *de axiom. axiom. 64. n. 5.* Nobilium appellatione, quoad civilem, & politicum statum, venire etiam divites, immo nobilitas in matrimoniis sine divitiis solet parum attendi, sed potius sperni. Rot. coram Merlin. *dec. 708. num. 3.*

62 Quicquid tamen dictum sit, verius puto, posse hujusmodi Oratricem petere Dispensationem ad nubendum consanguineo æquali, allegando causam Angustiæ Loci, quia paritas debet considerari non ex divitiis, sed ex genere, & moribus; est textus singularis *in l. Judice, C. de nuptiis*; quem refert Genuens. *in Practic. Fori Ecclesiastici quæst. 706. num. 2.* Nec

63 tenetur fœmina nobilis, quamvis pauper sit, nubere viro ignobili, licet diviti, ob gravia præjudicia, in quæ incurrit nubens ignobili; quamvis enim mulier ignobilis nubens viro nobili efficiatur nobilis, *l. fœminæ, ff. de Senat. l. ultim. C. de Incolis, libr. 10. & l. Mulieres, C. de Dignitat. l. 12.* Fontanell. *de Pactis nupt. claus. 3. part. 15. num. 44. tom. 2.* Bonac. *de Legib. disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 2. num. 7.* Rot. coram Cavaler. *dec. 6. nu. 10.* Paschal. *de Virib. Patr. Potest. cap. 2. num. 33. part. 4.* cum illustretur radiis, & dignitate mariti. Carol. de Grass. *de Effect. Cleric. effect. 1. num. 163.* Capyc. Latr. *Dec. S. Concil. Neap. dec. 181. num. 38.* unde quamvis vidua efficiatur, re-

64 tineat privilegia, honores, forum, domicilium, & nobilitatem; tamen si fœmina nobilis nubat viro ignobili, perdit nobilitatem, & fit ignobilis. Tira-

65 quell. *de Nobilit. cap. 18. num. 16.* Barbos. *de Appellat. verbor. appellat. 164. num. 11.* Philip. Pasch. *l. c. num. 34.* Rot. coram Cavaler. *dec. 6. num. 11.* adeo ut; etiam mortuo viro, remaneat ignobilis. Rot. coram Cavaler. *l. c.* Meroll. *disp. 6. cap. 8. dub. 33. num. 206.* Balthas. de Tomasis *in Decade, tractat. 1. tit. 6. num. 12. fol. mihi 13.* quia uxor sequitur conditionem mariti. *l. Fœminæ, ff. de Senat.* Fontanell. *d. Gloss. 3. part. 14. num. 48. & 49.* & vilitas viri facit uxorem vilem. Cæsar de Grass. *dec. 162. alias pr. nu. 6.* Et quidem matrimonia inter nobiles, & ignobiles inita non solent parere fœlices exitus, immo 66 ut plurimum dissentiones, rixas, odia, & jurgia; cum etenim nobiles naturali propensione cupiant nobilibus commisceri, Conjuges ignobiles parvi faciunt, & se pudet habere affines disparis conditionis; è contra ignobiles divites eorum divitiis efflati, has potius, quam nobilitatem Conjugis pauperis pretiant; & proinde vere non potest inter eos esse mutua benevolentia, cum sit disparitas conditionis, ut bene concludit Ægyd. Column. *de Regim. Principum, l. 2. cap. 12.* ubi hæc verba ait: *Si nobilis nubat ignobili, non erit inter eos digna societas, sed unus alteri, ultra quam Leges Conjugii requirant, dominari conabitur*; unde salubri consilio à Romanis sanci- 67 tum fuit, ne patriciis cum plebeiis Romæ Connubium esset, *l. humilem de incest. nupt.* & testatur Dionysius Alicarnasseus *lib. 11.* Antiquitatum Romanarum, id factum fuisse, ut in perpetuum Patres à plebe diverterentur; sic si plebeii cum patriciis miscerentur colluvio gentium perturbationem auspiciorum publicorum; privatorumque afferret, nihil sinceri esset, nihil incontaminati, & eo discrimine sublato, nec se quisque nosse, nec suos, nec aliam vim Connubia promiscua haberent, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis, Patrumque, ut qui natus sit, ignoret cujus sanguinis, quorum Sacrorum sit, dimidius patrum, dimidius plebis, nec secum quidem ipse concors; vide Menoch. *cons. 225. n. 48. volum. 3.* ubi *lege 1. C. de natur. Liber.* refert, filios ex hujusmodi matrimoniis natos non fuisse legitimos. Ex quibus sic cumulatis constat, 68 posse fœminam nobilem petere Dispensationem ad nubendum consanguineo æquali ob hujusmodi causam, quamvis in Oppido sint ignobiles divites, qui eam in uxorem ducere vellent.

Adhuc dubium est, an fœmina possit petere Dis- 69 pensationem ob hanc causam, si in ejus Oppido non sint æquales, sed in locis finitimis, & suæ Patriæ cohærentibus non desint personæ paris conditionis, quibus commode nubere possit: Et videtur non posse petere Dispensationem, quia in Loco censeatur esse, qui parum distat ab illo. Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 43. num. 10.* Marant. *Respons. 19. part. 2.* Pelliccion. *QQ. Illustr. quæst. 5. cap. 1. col. 1. vers. Non dicitur*, & quod parum distat, nihil distare videtur. Bonac. *de matr. quæst. 1. punct. 4. prop. 1. n. 3.* cum parum, & nihil æquiparentur, *cap. Licet causam 9. §. Quamquam.* Marant. *l. c. num. 14.* Marius Antonin. *Var. resol. lib. 2. resol. 18. num. 6.* Leoncill. *de Paupertat. Opib. part. 2. privil. 116. nu. 38.* Grat. *Discept. For. cap. 120. nu. 3.* Simon de Præt. *de Interpret.*

pret. ultim. volunt. lib. 3. *fol.* 5. *nu.* 24. & de minimis nulla apud Prætorem habetur ratio, *l. in rebus comodatis* 18. §. *Possunt*, *in fine*, neque Lex de modico spatio æstimationem habet. Grat. *cap.* 413. *nu.* 29. Marant. *l. c. n.* 15. *&* 20. & proinde cum fœmina possit nubere viro paris conditionis in loco ita vicino, parum referre videtur, an in proprio, vel cohærenti loco nubere possit; maxime cum ob id non adstringatur parentes omnino deserere.

70 His tamen non obstantibus, absolute dicendum est, non teneri fœminam extra locum suæ Patriæ nubere in alio loco, quamvis vicino, & suæ Patriæ cohærenti, licet nubere possit æquali: ita expresse docent Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 13. Pont. *lib.* 8. *capit.* 21. §. 2. *num.* 22. Coninck *de Sacramentis*, *disp.* 33. *dub.* 5. *num.* 46. Filiuc. *qq. mor. tomo* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 316. Genuens. *in praxi cap.* 20. *num.* 4. *&* 5. Avers. *de matrim. quæst.* 19. *sect.* 4. *vers. Secundo*, *&c.* & ita fuisse à Sacra Congregatione decisum, testantur dicti Sanch. & Pont. *ll. cc.* nec de hoc dubitari potest, quia dum Supplicatio porrigitur Pontifici pro Dispensatione impetranda, ob hanc causam Angustiæ loci exponitur, Oratricem in dicto loco virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis non invenire; & proinde, dum Papa dispensationem concedit absque aliqua limitatio-
71 ne, seu restrictione, non est aliter interpretanda ejus mens, quam ejus verba sonant, Sanch. *lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 32. Pont. *de matr. lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 8. & si aliter voluisset, expressisset, *cap. Ad audientiam* 12. *de Decimis*, Cæval. *comm. contra comm. quæst.* 808. *num.* 87. Barbos. *de Axiom. Axiomate* 136. *num.* 5. &
72 si non expressit, cum facile posset exprimere, præsumitur noluisse, Menoch. *cons.* 30. *num.* 8. *vol. prim.* Hieronym. Palm. *cons.* 82. *numer.* 40. Paris. *cons.* 35. *num.* 18. *part. prim.* & contra eum, qui legem dicere potuit, est facienda larga interpretatio; Regul. *Contra eum*, *de regulis Juris in sexto*. Movetur autem Pontifex ad hujusmodi dispensationem concedendam, quia durissimum esset ipsi Oratrici, & ejus Parentibus, si extra suam Patriam nubere, & à suis amicis, vicinis, immo ab ipsis Parentibus, perpetuo cum communi amaritudine abstrahi cogeretur, ut bene inter alios animadvertunt Sanch. *l. c.* Reginald. *lib.* 31. *cap.* 26. *n.* 196. Anchar. *cons.* 75. *n.* 2.

74 Unusquisque enim præsumitur velle vivere in Patria sua. Mandos. *ad Regul. Cancell. regul.* 5. *quæst.* 4. *numer.* 5. cum nil dulcius sit, quam in sua Patria vivere, quæ omnibus charissima, atque dulcissima est. *l. qui habebat*, & ibi *Gloss. ff. de legat.* 3. Ancharan. *dict. cons.* 75. *num.* 1. *in fine*, & ad quam, ejusque res, mores, & qualitates laudandum, tuendum, & amandum naturaliter ducimur. *l. Veluti*, *ff. de Just. & Jure*, Diodorus Siculus *lib.* 4. quia amor Pa-
75 triæ vincit omnia; unde bene Ovid. ad Ruffinum, *Est & amor Patriæ ratione valentior omni*, cum prævaleat amori erga ipsum patrem; unde Patriæ potius quam Parentibus obtemperare debeamus. *l. Veluti*, *ff. de Just. & Jur.* vide Ancharan. *dicto cons.* 75. *num.* 3. *&* 4. Fragos. *de Regim. Christ. Reip. part. prim. Introduct. Procem. num.* 36. quod idem confirmat Divinus Plato *lib. de legib.* ubi dicit, Patriam potius esse
76 colendam, quam matrem, immo licet filio patrem contra Patriam venientem, tanquam hostem occide-
77 re. *l. Minime*, *ff. de Relig. & sumpt. fun.* Fragos. *l. c.* quia plus Patriæ, quam Parentibus debemus; & potius saluti Patriæ, ac paci, quam vitæ Parentum consulere tenemur. Fragos. *l. c.* nam Patriæ, ac Principi, ut pareamus Jure gentium insitum est. *l. Veluti*, *ff. de Just. & Jur.* optime Homer. 1. Odis. *Sane nihil dulcius sua Patria*, *neque Parentibus est; quamvis quis procul divitem domum in terra aliena habitet procul à Parentibus*: & Virgilius prima Ecogla canit

Nos Patriæ fines, *& dulcia linquimus arva*;

78 & sua Patria unicuique est quasi alter Deus, & primus, optimusque Parens, Marant. *Resp.* 52. *n.* 149. *part.* 2. ubi etiam *n.* 150. habetur, vocabulum Patria à Patre esse deductum, sed finiri fœminina terminatione, ut ex utroque Parente mistum esset, & propterea Ovidius de Ponto *lib.* 1. *Elegia* 4. canit

Non dubia est Itaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de Patriis posse videre focis.

Et tanquam acerbissima pœna fuit à Chartaginensi- 79
bus adinventum exilium à Patria, cum antea non esset, ut refert Lælius de Zanchis *de Privil. Eccl. Privileg.* 144. *nu.* 11. & perdens suam Civitatem dicitur 80
capite diminutus media capitis diminutione. *Instit. de cap. diminut.* & dicit Ancharan. *cons.* 75. *num.* 1. & Patriæ, ac nostra affectio eadem esse præsumitur. Tiraquell. *de Legib. Connub. l.* 7. *num.* 17. unde, ut diximus, à natura nobis insitum est, ut quisque Patriam suam, qualiscunque sit, laudet, extollat, ac prædicet; Et si Ulpian. *in l. prim. in princ. de censib.* Patriam suam mirifice commendat, laudibusque præclaris effert, & gloriatur se nobili ortum esse Patria; Nos Lucenses plurimum gloriari debemus de ea Civi- 81
tate ortos esse, quæ antiquitate, nobilitate, ac Religione nulli alii Italiæ Civitati cedit, omnes æquat, & innumeras antecedit. Antiquitate (inquam) quia per plures centenas annorum ante Urbem Romam condita; Nobilitate, quia ab ipso Civitatis exordio Senatum, & Rempublicam instituit, & semper magnifica, florida, potens, ac populo plena exstitit. Tres ex ea orti sunt Pontifices Maximi, Cardinales S. 82
Romanæ Ecclesiæ ultra sexaginta; innumeri insuper 83
Patriarchæ, Archiepiscopi, ejusque ac diversarum 84
Diœcesum Episcopi; Principes ex ea fuerunt Sigifre- 85
dus, Bonifacius, Matilda, Aldabertus, Vido, Lambertus, & alii plures. Hæc innumeris Othonis, Hen- 86
ricorum Tertii, & Quarti, Lotharii, Corradi, & Friderici Imperatorum Privilegiis decorata; sub Ca- 87
struccio Antelminellio à Ludovico Bavaro Ducali Dignitate illustrata; & tandem anno 1369. à Pisannorum tirannide per Carolum Quartum Imperatorem 88
liberata ad pristinam Libertatem restituta fuit, quam hucusque invictissime conservavit, & Deo favente conservabit. Et quidem incredibile est, quanta cum 89
prudentia, quantaque cum justitia, pietate, ac Religionis zelo Respublica hæc à suis Civibus gubernetur, & administretur; adeo ut istud Lucense aureæ Libertatis ornamentum, & Lucensis Populi gloriam omnes nedum Etruriæ, Italiæ, ac Europæ, verum etiam totius Terrarum Orbis Nationes admirentur. 90
Cives ipsi tum à Cæsarea, tum à Catholica Majestatibus *Spectabilium* titulo decorati, qui Titulus Illustris est, & Comitibus, Merchionibus, Ducibus, & Episcopis competit, ut probat Lancellott. Corrad. in *lib.* intitulato *Templum omnium Judicum*, *part.* 3. ubi de Provocatione *concl.* 77. *num.* 7. *&* *l.* 1. *cap.* 7. *de Præside*, *& Senatu*, *num.* 10. refert Dominos Præsidem, & Senatores Nobilissimæ Civitatis Mediolani ab eisdem Majestatibus in earum Rescriptis, ac Literis *Spectabiles* appellari. Lucensis Episcopus inter quin- 91
que Episcopos, qui in Universali Ecclesia ex speciali Summorum Pontificum Indulto Pallii Archiepiscopalis, & Crucis usu sunt decorati, comprehenditur. Barbos. *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 103. Moscon. *de Majest. Eccl. part.* 1. *l.* 1. *capit.* 8. *lit. C. pag. mihi* 236. Comes Palatinus à Cæsarea Majestate 92
creatus: plura Oppida ejus temporali Jurisdictioni habet subjecta. Capitulum Cathedralis innumeris prærogativis celebre, plures Terras ejus ditioni addictas dominatur. Canonici ipsi usu Mitræ singulari Sedis 93
Apostolicæ Privilegio decorati. Ex quibus sane arguitur, præclara fuisse Lucensis Civitatis, & Fidei, 94
ac Religionis merita; cum id, quod Cardinalibus Legatis conceditur, Lucensi Episcopo concedatur; 95
& quod Episcopis datur, Canonicis Lucensibus quoque datum sit. Augustissima hujus nobilissimæ Civi- 96
tatis Templa, Sacerdotum amplissima Cœnobia, Sacrarum Virginum sacratissima Claustra, & liberalissi- 97
ma Pauperum Xenodochia innatæ Lucensium Pietatis, Charitatis, ac Religionis certissima testimonia sunt: Et cum inter universas Etruriæ Civitates Anno 98
68. seu circiter, salutiferæ Incarnationis, prior Divinæ Gratiæ lumen adepta fuerit, non mirum, si ultra innumera Sanctorum Corpora, quæ in illa pie 99
venerantur, VULTUS SANCTI cœlitus demissa Imago huic soli Civitati, non sine Divini Numinis voluntate commissa fuerit.

Sed

Sed ut ad rem, à qua merito aliquantulum digressi fuimus, revertamur, videnda sunt, quæ diximus *lib. prim. cap. 6. num. 127.* ubi diximus in impetrationibus Dispensationum ob causam Angustiæ Loci, debere intelligi de Loco originis, & non Do-
100 micilii Oratorum, prout denotant verba Rescripti Apostolici, *Ex loco Coreliæ ortorum*. Nec facit quod Oratores in alio loco per tempus longissimum Domicilium contraxerint, quia adhuc attendi debet angustia Loci originis, ut ibi ad §. *Ortorum* fusissime diximus, quæ cum ibi videri possint, non est, quod hic repetamus: si tamen Oratores ex aliqua justa causa velint committi Dispensationem Ordinario Domicilii; vide quæ diximus *ad numer.* 485. Si in expressione Loci, seu Locorum Oratorum aliquis error sequeretur, vide quæ diximus *dict. capit. 6. ad* §. *Ex loco Coreliæ*, ubi concluximus esse subreptitiam Dispensationem, dum ob hujusmodi causam impetrata sit; quia cum nulla alia causa allegetur, quam eorumdem locorum Angustia, error
101 esset in causa finali, qui semper vitiat, ut ibi adnotavimus; unde non poterunt Literæ per Delegatum exequi, donec hujusmodi error correctus non fuerit in Dataria, seu Cancellaria Apostolica, ubi dictæ Literæ expeditæ fuerint. Solent tamen pra-
102 ctici Expeditores, & Solicitatores, ut omne periculum subreptionis, & nullitatis ob non expressionem veri Loci, evitent, in peritione dispensationis, dum non constat de vero Loco originis Oratorum, generaliter exponere, quod Oratrix in Locis, in quibus ipsa, & Sponsus orti sunt, in tali Diœcesi existentibus, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum Angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem, paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt Oratores invicem matrimonialiter copulari, &c. Et tunc non potest adesse error in expressione Loci, quia sufficit postmodum in verificatione coram Delegato facienda de precibus Pontifici porrectis, dicta Loca exprimi, & verificari eorum Angustiam; aliter tamen dicendum esset, si erratum fuisset in
103 expressione Diœcesis, quia de stylo Romanæ Curiæ semper exprimi debet præcisa Diœcesis Oratorum, quia Papa in omnibus Gratiis, quas facit, semper præsumitur velle unicuique in sua Diœcesi providere, ut diximus *libr. 1. capit. 4. numer. 6. &*
104 *capit. 6.* ob quam rationem si Forensis, vel Alienigena impetrasset Beneficium à Papa, non facta mentione suæ Diœcesis, Gratia esset subreptitia, & nulla ob defectum voluntatis Pontificis, qui, ut diximus, unicuique providere intendit in Patria sua; vide Vivian. *tract. de Jure Patronat. lib. 6. cap. 11. num.* 14. vide etiam Doctores, quos propterea alibi citavimus; unde si Oratores sint diversarum Diœ-
105 cesum, debebit de utraque fieri mentio, dicendo, v. gr. quod Oratrix in Locis, in quibus ipsa, & Sponsus orti sunt, in Diœcesibus Florentina, & Lucana existentibus, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum Angustiam &c. & tunc de stylo solent Literæ dirigi Ordinario Oratricis, nisi
106 ex speciali Gratia aliter concessum sit, ut diximus *dict. cap. 6.* Et quamvis petita fuisset Dispensatio ob Angustiam utriusque Loci originis Oratorum, & re-
107 periretur eos esse de uno, eodemque Loco, non vitiabitur Gratia, sed sufficiet verificari Angustiam ejus Loci, & sic continuo practicatur, dum hic casus contingit.

Et quoniam, sicut pluries diximus, quo propinquior est gradus, eo difficilior est Dispensatio; & major causa requiritur ad ejus impetrationem; ideo si Oratores, qui petunt dispensari, sunt conjuncti secundo, & tertio à communi stipite provenientibus consanguinitatis, vel se attinent eisdem secundo, &
108 tertio affinitatis gradibus, sive ab uno communi, sive à diversis, & multiplicatis Stipitibus proveniant dicta Impedimenta, vel cum dictis secundo, & tertio conjungantur alia Impedimenta in gradibus remotioribus, de stylo Curiæ addi solet Clausula, *Et si extra &c.* Quod cum dicta mulier in dicto Lo-
109 co, propter illius Angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; & si extra dictum Locum nubere cogeretur, dos, quam Oratrix habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere posset, invenire valeret: Cujus Clausulæ verificatio, cum valde difficilis sit, cum aliquando non possit fieri, ad effugiendam dictam clausulam, *Et si ex-* 110
tra, &c. & ejus difficultatem in verificatione, loco illius solet exprimi, quod Oratores sunt ex honestis Familiis: quæ expressio, licet augeat expen- 111
sam Dispensationis, & Compositionis in Ducatis quinque auri de Camera, vel circiter, est tamen in conscientia tutior, & in praxi facilior. Hæc tamen expressio qualitatum Oratorum in nullo alio casu est 112
necessaria, nisi quando Oratores velint se eximere à probatione dictæ Clausulæ, *Et si extra, &c.* ut diximus, vel quando ipsam qualitatem adducant in causam finalem Dispensationis; & proinde si Ora- 113
tores sint Comites, Marchiones, vel Barones, non tenentur ex necessitate de hujusmodi qualitatibus facere mentionem, quia sicut Summus Deus non habet acceptionem personarum, sic nec ejus Ministri eam debent habere; & ita inconcusse servare stylum Romanæ Curiæ testatur Pyrrhus Corradus *in Prax. Dispensat. Apostol. libr. 7. capit. 2. numer.* 19.

Aliquando in Literis Apostolicis Nobilitas, vel 114
alia qualitas Oratorum exprimitur, nulla expressa causa Dispensationis, sed tantum facta narrativa, quod Oratores, qui Nobiles, vel de nobili genere procreati, vel principales Cives, vel ex potentioribus Oppidi, vel illustres, vel ex honestis Familiis (prout res se vere habet) existunt, ex certis rationabilibus causis eorum animos moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, &c. & tunc quamvis nulla alia causa adducta sit, non est opus verificari hujusmodi qualitates Oratorum, quia eo casu, cum Oratores solvere debuerint majorem taxam in impetratione Dispensationis, in pios, & publicos usus erogandam, ut diximus in præsenti Libro, & dicemus infra, & hujusmodi solutio fuerit causa finalis Dispensationis, non est opus aliam causam verificari, cum expressio supradictæ qualitatis hoc casu facta sit ad pompam, & ornatum, & ad Gratiam ipsam quodam honestatis specimine concedendam, & non ut verificetur; cum non sit tunc causa finalis, ut diximus, ac opposita in conditionem, ut expresse docent Sanch. *lib. 8. disp. 35. num.* 24. & Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. d. cap. 2. num.* 113. Immo nec opus erit coram Ordinario verificari, & specificari, quæ & quales sint illæ causæ, quæ sic in genere allegatæ fuerunt ita justæ, & 115
rationabiles, sed est perinde ac si dicta expressio facta non fuisset; & proinde Delegatus, verificatis aliis, quæ ex ipsarum Literarum tenore verificanda erunt, ad ipsarum Literarum Apostolicarum executionem procedet. Sanch. *numer.* 24. *l. cit.* & Pyrrh. Corrad *d. num.* 113. & ibi etiam refert sic fuisse ab Urbe responsum cuidam Vicario Nicoteren. qui de his dubitando arctabat Dispensandos ad specificandum præcise eas causas, quæ animos eorum ad Dispensationem impetrandam moverent.

Nec obstat Clausula apposita *De prædictis te diligenter informes*, quia hæc referenda est ad Impedimentum, super quo dispensatur, ut bene Rebuff. *in* 116
Prax. Benef. tit. de Claus. mand. Apost. num. 6. Trull. *Oper. mor. tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 9. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 35. *n.* 14. Pyrrh. Corrad. *num.* 117. *l. c.* & alii, quos *lib.* 1. *cap.* 6. citavimus.

At è contra, quando dicta expressio qualitatis fiat 117
ad effugiendam dictam Clausulam, *Et si extra &c.* prout etiam quando sit conjuncta cum alia causa, quæ verificari debet, v. gr. cum causa ob Angustiam Loci, tunc cum ea qualitas apponatur per modum conditionis, necesse est illam, una cum aliis causis expressis, probari: vide Sanch. *numer.* 25. & Pyrrh. Corrad. *num.* 115. *ll. cc.* Tunc autem ipsa Nobilitas, 118
seu alia qualitas Oratorum dicitur adduci in causam finalem, quando sola sine alia causa, nec ge-

nerali, nec ſpeciali exprimitur in modum, ut ab ipſis Oratoribus facta appareat expreſſio, ut quando in Literis dicitur, *ut aſſeris, aſſerentes*, vel *ſicut aſſerunt*, vel *ut ab ipſis aſſeritur*; his etenim caſibus, eo quia illa qualitas ab ipſis Oratoribus aſſeratur, pro-
119 inde onus probandi in ipſum aſſerentem transfertur. Rot. *in Poſth. Farinacii, dec.* 511. *n.* 3. *tom.* 2. Barb. *de Clauſ.* 116. *n.* 1. Caſſador. *dec.* 7. Marant. *part.* 4. *reſp.* 55. *num.* 19. Sperell. *dec.* 52. *num.* 21. & Nobi-
120 litas regulariter non inſit à natura, Seraphin. *dec.* 207. *numer.* 1. Ricc. *in Praxi Fori Eccl. reſol.* 286. *num.* 1. & in dubio non præſumatur, Seraph. & Ricc. *ll. cc.* eſt probanda. Barboſ. *de Axiom. Axiom.* 164. *num.* 14. Cævall. *qq. comm. contra comm. quæſt.* 207. *num.* 8. Sanch. *l.* 8. *diſp.* 35. *num.* 25. Trullenck *l.* 7. *cap.* 10. *dub.* 11. *num.* 11. *tom.* 3. Rota penes Farin. *dec.* 612. *num.* 2. *&* 3. *part.* 2. At è contra, ſi in Literis diceretur per verbum impersonale, *ut aſſeritur*, non addendo, quod ab Oratoribus aſſeratur, non
121 eſſet ea qualitas probanda, quia, cum non præſumatur à parte prolatum, Caſſador. *dec.* 4. *numer.* 9. *de probationibus*, nil concludit, nec probatione eget; Rot. *in noviſſ. dec.* 371. *num.* 11. *&* 13. *coram Durano*; Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 32. *numer.* 12. *&* 13. Seraphin. *dec.* 388. *numer.* 3. Cæſar de Graſs. *dec.* 48. *alias* 2. *numer.* 4. Barboſ. *de Clauſ. Clauſul.* 188. *numer.* 3. Rot. *coram Buratt. in Annot. ad dec.* 708. *num.* 15. *&* 16. Rot. *coram Cavalerio dec.* 533. *num.* 5. Coccin. *dec.* 89. *numer.* 3. *&* *dec.* 138. *num.* 1. Rot. *in Poſthumis Farinacii dec.* 510. *numer.* 1. *part. prim.*

Cæterum, quomodo, ac qualiter Nobilitas, &
122 qualitates Oratorum probari debeant, & coram Delegato verificari dicendum eſt, quod ſi in Literis ſimpliciter dictum ſit, Oratores eſſe nobiles, ſufficiet probari Nobilitas Patris. Gutier. *de matrim. capit.* 128. *numer.* 3. *verſ. At in commiſſione*. Cævall. *qq. comm. contr. comm. quæſt.* 688. *num.* 11. & quod
123 Oratores ipſi nobiliter vivant, eaque exerceant, quæ ad ſtatum nobilem ſpectant, & propterea ab his abſtineant; quæ Populares facere conſueverunt. Pyrrh.
124 Corrad. *l. cit. num.* 119. Quod ſi dictum ſit, Oratores eſſe de nobili genere procreatos, tunc non ſufficiet probare, eos nobiliter vivere, ſed oportebit etiam probare nobilitatem Patris, & Matris; quia, ut dicit Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 19. *num.* 6. plus eſt eſſe de nobili genere procreatus, quam eſſe Nobiles; &
125 quando Diſpenſatio fundatur ſuper hujuſmodi cauſa Nobilitatis, diſtingui debet an Nobilitas ſit ex genere, ſeu ex honoribus, vel privilegio, ut eſt *text. in l. Nobiles, C. de commerc. & mercat.* Et licet illi dicantur de Domo, & Familia, qui eadem defe-
126 runt Arma, & Inſignia; Ciarlin. *Controv. for. Judic. capit.* 107. *numer.* 51. Ricc. *in Praxi Fori Eccl. reſolut.* 468. *numer.* 9. Marius Antonin. *Var. Reſol. libr. prim. reſolut.* 82. *numer.* 9. Gratian. *Diſceptat. For. cap.* 645. *num.* 14. Marant. *part.* 2. *reſp.* 48. *numer.* 21. Maſcard. *de Probat. concl.* 1141. *numer.* 24. Peregrin. *de Fideicomm. art.* 22. *num.* 27. Anna *allegat.* 57. *num.* 20. *l.* 1. Gabriel. *conſ.* 132. *num.* 5. *&*
127 59. *vol. prim.* nihilominus quoad probationem Nobilitatis, non ſufficit ferre eadem Arma, nec eſſe de eadem Domo, & Familia, cum multoties eveniat, ut in eadem Familia adſint aliqui Nobiles, & alii ignobiles, ut bene Rot. penes Farin. *tom.* 2. *dec.* 535. *n.* 5. Rot. coram Buratt. *dec.* 42. *n.* 8.

128 Et ut accurate materiam diſcutiamus, ſciendum eſt, omnem Populum dividi in duo genera Hominum; nempe Nobilium, & Plebejorum, §. *Plebs autem, Inſt. de Jure naturali, gent. & civil.*

129 Nobiles in tres gradus dividuntur, alii enim ſunt Nobiles genere, alii honoribus, & virtute, alii tandem ex Principis privilegio, ut diximus *n.* 125.

130 Nobiles genere, alii ſunt illuſtres, alii non illuſtres; illuſtres ii tantum dicuntur, quorum genus ſplendet Juriſdictione, & Imperio, ut ſunt Comites, Duces, &c. unde hic titulus nulli Nobilium jure Nobilitatis generis convenit, niſi illis, qui ab his progeniti ſunt; vide Lother. *num.* 125. *de Re Benef. l.* 2. *q.* 5. *num.* 88.

Nobiles ex honoribus, & virtute ſunt Doctores 131
eximii, de quibus ſupra diximus, & ii etiam, qui poſſederint Officia, & Dignitates, quæ non niſi Nobilibus conferri ſolent. Seraphin. *dec.* 206. *n.* 34. *&* *dec.* 355. *numer.* 6. Coccin. *dec.* 68. *numer.* 12. Mantic. *deciſ.* 317. *numer.* 4. Rot. coram Buratt. *deciſ.* 42. *numer.* 3. Rot. in poſthum. Farinac. *part. prim. deciſ.* 71. *numer.* 4. Rot. coram Cavaler. *deciſ.* 68. *numer.* 3.

Nobiles ex privilegio ſunt, qui ex ſpeciali Princi- 132
pis gratia, quamvis alias Nobiles non fuerint, inter ipſos Nobiles cooptantur.

Plebejorum duplices ſunt gradus, nempe honeſto- 133
rum, & vilium, ſeu ſordidorum. *l. capitalium* 28. §. *Non omnes, ff. de pœn.* Lother. *d. quæſt.* 5. *num.* 43. Viles ſunt, & ſordidi, qui dum quæſtui incumbunt, illum turpem, & ſordidum reddunt; quod dupliciter contingit, nempe aut coinquinatione animi, aut coinquinatione corporis: coinquinatur animus, tum reſpectu humanæ naturæ, dum homo ea exercet, quæ in odium incurrunt, ut exemplificatur in fæneratoribus, qui à Chriſtiana Republica arcentur; & in Miniſtris, & Portitoribus, hoc eſt vectigalium redemptoribus, à quibus impoſſibile eſt, odium illud ſeparari; illi inſuper, qui ſe applicant arti, quæ nil ei proficit niſi admodum mentiatur, cum aſſimilentur furi, ut animadvertit idem Lother. *num.* 46. *l. cit.* Coinquinatur corpus, dum atteritur, ſordeſve 134
contrahit, opera ſervilia, & mercenaria exercendo; ſeu ratione officii, hoc eſt miniſterii, quod vel modica, vel cum plurima induſtria impendit; ſeu ratione artificii; regulariter autem Opifices dicuntur, qui arti mechanicæ deſerviunt, quales ſunt Fabri, Cetarii, Lanarii, Sartores, Coqui, Piſcatores, Unguentarii, Saltatores, Coriarii, Macellatores, & his ſimiles, Lother. *l. c.*

Honeſtæ artes eæ dicuntur, in quibus major requi- 135
ritur prudentia, & ingenium, quam corporis exercitium, cujuſmodi ſunt Pictores, Periti, Statuarii, Scriptores, Calculatores, Mercatores, ii nempe, qui exercent Mercaturam magnam, & copioſam, ex qua magna utilitas provenit; Milites gregarii, & his ſimiles; vide pro prædictis dictum Lother. *d. q.* 5. *à num.* 68. *uſque ad nu.* 79. ubi hanc materiam optime agit.

Ad probationem vero hujuſmodi qualitatum, dum coram Delegato pro Diſpenſatione matrimoniali juſtificandæ ſunt, infraſcripta requiruntur.

Ad probandam Nobilitatem teſtes deponere debent, 136
Oratorem eſſe nobilem, & à Populo communiter pro nobili haberi, exiſtimari, & reputari, & Nobilium actus, mores, ſtatus, & conditiones feciſſe, & exercuiſſe, quæ ad nobilem ſtatum pertinent; & ab eis abſtinuiſſe, quæ Populares facere conſueverunt; eaque Officia, & Dignitates in ſuo Oppido poſſediſſe, ad quæ non niſi Nobiles admitti ſolent; vide Pyrrh. Corrad. *dict. capit.* 2. *numer.* 119. & in his communis reputatio Nobiles conſtituit, & magis conſuetudo attenditur, quam lex, quia poteſt quis haberi Nobilis in uno loco, & Ignobilis in alio; vide Maſcard. *de Probat. concluſ.* 1090. præſertim *numer.* 12. Mantic. *dec.* 317. *num.* 2. ubi concludit ex publica voce, & fama, & communi hominum exiſtimatione, generis qualitatem, & nobili- 137 138
tatem probari. At ſi probari debeat Oratorem eſſe de nobili genere procreatum, teſtes deponere debebunt, ſe cognoviſſe Patrem, Avum, & Majores ejus omnes Nobiles, & nobiliter viventes, qui pro talibus ſe tenebant, & gerebant; actus Nobilium feciſſe; & Officia, & Dignitates poſſediſſe, quæ non niſi Nobilibus conferri ſolent; & pro Nobilibus à Populo communi exiſtimatione habitos, & tentos, & acceptos fuiſſe; vide Maſcard. *loc. citat.* Seraphin. *dec.* 207. *numer.* 3. *& ſequent.* Alba *conſ.* 93. *numer.* 3. Menoch. *de Arbitr. libr.* 2. *caſu* 67. *numer.* 4. Barboſ. *de Appellat. Appellat.* 164. *num.* 3. Facit etiam 139
ad dictam probationem Nobilitatis, quod Oratores deferant ſuper eorum Inſignia Galeam apertam, ut dictus Seraphin. *loc. citat.* Juvant valde Hiſtoriæ, & Chronichæ ad Probationem Nobilitatis. Rot.

coram

140 coram Buratt. *decis.* 358. *num.* 4. Mandel. *cons.* 81. *num.* 6. Maschard. *de Probat. conclus.* 105. *nu.* 9. Curt. Senior *cons.* 76. *col.* 5. Alba *cons.* 64. *num.* 27. *vol.* 1.

141 sufficiet tamen regulariter Nobilitatem probari ex latere patris, ut bene Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *nu.* 6. Rot. coram Cavaler. *decis.* 161. *nu.* 7. quia filius sequitur conditionem patris, & non matris, ut docent Doctores, quos propterea *lib.* 1. *cap.* 6. citavimus.

142 Ad probandum, quod Oratores sint personæ principales, vel ex principalioribus Populi, sufficiet probare, eos esse viros potentes, & valde divites, & sic in praxi servari testatur idem Sanch. *d. disp.* 19. *num.* 6.

143 Demum, si probandum sit, Oratores esse ex honestis Familiis, sufficiet, si testes deponant, eos honeste vivere, eorumque Familias nullo turpitudinis vitio laborare; & ita in praxi posse servari testatur Pyrrh. Corrad. *l. c. num.* 118. Et hæc quoad hujusmodi causam Angustiæ loci dixisse sufficiat.

CAPUT III.

De Causa ob defectum Dotis.

SUMMARIUM.

1 *Defectus dotis est causa dispensandi super matrimonii impedimentis.*

2 *Paria sunt mulierem non habere dotem, vel insufficientem habere.*

3 *Fœmina, quæ non habet tantam Dotem, quæ sufficiat, ut possit nubere, æqualis censetur pauperi.*

4 *Pontifex movetur ad dispensandum, ut fœmina pauper nubat consanguineo, ad evitanda scandala, & peccata, & ne innupta remaneat.*

5 *Causa incompetentiæ dotis quando dicatur.*

6 *Hæc causa admittitur absque ullo augmento dotis, in gradibus tamen remotioribus, ut in* 4. *vel* 3. *& 4. etiam ex multiplicatis stipitibus provenientibus*, & num. 70.

7 *In gradibus propinquioribus vero*, vide n. 74.

8 *Alius casus incompetentiæ dotis est, quando vir vult contrahere cum impedita, quæ pari nubere nequeat ob defectum dotis, & Orator offert illam competenter dotare.*

9 *Et tunc in fine aliarum clausularum additur clausula*, Et postquam Oratrici dos competenter aucta fuerit, ut præfertur.

10 *Delegatus præsentatis sibi Literis Dispensationis, quid debeat observare, quoad d. dotis augmentum*, & nu. 12. 72. & 73.

11 *Delegatus non potest exequi Literas, nisi prius competenter aucta dote.*

12 *Dictio* Postquam *est exclusiva præcedentium.*

13 *Paria sunt non facere, vel inutiliter facere.*

14 *Pontifex dispensandum cum d. augmento dotis, intendit providere Oratrici, ne iterum dicta Dispensatione indigeat, ideo vere constitui debet d. dos.*

15 *Si fuerit dictum in Literis, quod teneatur Orator dotem Oratricis augere usque ad competentem quantitatem, tunc debet dos suppleri juxta conditionem ejus, ut æquali possit nubere.*

16 *Si vero fuerit dictum tantum, quod Orator competenter dotare teneatur, constituere poterit aliquod augmentum, attenta qualitate Oratricis.*

17 *Delegatus non potest exequi Literas, nisi prius sibi constito de augmento dotis, in valida forma facto.*

18 *Est & alius casus, quando fœmina est omnino indotata, & Orator intendit ducere, illamque ex integro dotare.*

19 *Eoque casu Delegatus debet se gerere prout in casu augmenti, nec dispensare potest donec vere dos constituatur.*

20 *Sed si narrata non verificentur, veluti si dictum fuerit, fœminam esse omnino indotatam, & reperiatur habere etiam minimam dotem; & è contra, si diceretur non habere competentem dotem, sed reperiatur prorsus indotata, tunc Delegatus non potest exequi, sed debet obtineri nova gratia in forma* Perinde valere.

21 *Quod videtur limitandum cessante dolo.*

22 *Conceditur etiam Dispensatio inter conjunctos ob defectum congruæ dotis, quando tertius vult fœminam dotare.*

23 *Finis principalis, quem habet Pontifex in hujusmodi Dispensatione concedenda, est paupertas Oratricis, periculum ne remaneat innupta, vel cogatur inferiori nubere.*

24 *Non refert an dos augeatur, vel ex integro constituatur ab Oratore, vel à tertio, etiamsi in Supplicatione fuerit dictum, quod Orator vellet ipse dotem constituere, &c. & postea à tertio augeatur.*

25 *Si Oratrix haberet dotem litibus involutam, & vellet nubere conjuncto, qui habilis esset ad eas prosequendas, & lites hujusmodi suscipere intendat, est causa Dispensationis sufficiens.*

26 *Sed requiritur, quod lis sit super successione bonorum magni momenti, & sit gravis lis*, & num. 29.

27 *Quæ autem bona sint magni momenti, relinquitur arbitrio Delegati, qui debet respicere ad qualitates, & facultates Oratorum*, num. 30.

28 *Movetur namque eo casu Pontifex ad dispensandum, ne mulier bonis destituta remaneat, & homine, qui studiose litem prosequatur.*

29 *Ut dispensatio ob hujusmodi causam concedatur, Delegatus animadvertere debet, ut Orator sit valde necessarius ratione peritiæ circa illam litem, & quod absque ejus peritia mulier jacturam faceret.*

31 *Dispensatio ob hujusmodi causam defectus dotis, non potest peti in forma* Pauperum, *sed requiruntur omnes qualitates supra recensitæ.*

32 *Mulier habens dotem minus congruam ad nubendum æquali in Patria, an possit petere Dispensationem cum consanguineo, si extra Patriam in Locis vicinis non desint æquales; & concluditur, quod possit petere*, ut num. 33.

34 *Causa defectus dotis ad nubendum æquali in Patria, est intelligenda moraliter, ita ut etiam si pauci æquales sint, non deficiat hæc causa.*

35 *Fœmina an censeatur pauper, & dote carere dicatur, si nihil quidem possideat, sed habeat Parentes divites.*

Distingue, ut dicatur pauper, quando eos non possit cogere ad dotandum, secus si possit, nu. 42. & 43.

36 *Pater tenetur dotare filiam, si nubat digno.*

37 *Et dotem competentem tenetur assignare consideratis bonis paternis, liberorum numero, & dignitate mariti.*

38 *Quamvis nullam dotem ei promiserit.*

39 *Et etiamsi filia dives sit, & nubat consensu Patris.*

40 *Et quamvis eo invito nubat.*

41 *Amplia, ut pater teneatur filiam dotare, etiamsi nupserit indigno, quando pater distulit ultra* 25. *annos eam in matrimonium collocare.*

44 *Fœmina dicitur pauper, nec censetur habere dotem competentem, etiamsi habeat fratrem, qui illam dotare intendat, nullo tamen pacto dotandi præcedente.*

45 *Immo dicitur pauper, quamvis ejus frater promiserit illam dotare, dummodo nubat consanguineo.*

46 *Dicitur pauper fœmina, cujus parentes sint in statu, ut non possint, dum vivunt, se privare bonis, & eam dotare, sed tantum velint post mortem assignare.*

47 *Limita, nisi eo in loco adesset communis usus, ut post mortem parentum dotem reciperent, quæ tamen limitatio non placet.*

48 *Fœmina, quæ habet dotem sufficientem ad nubendum cum æquali, sed non sufficientem, ut nubat cum consanguineo, non dicitur pauper, nec dispensari potest*, & nu. 49. & 50.

50 *Erit tamen justa causa dispensandi, si fœmina, & consanguineus, quamvis 3. gradu conjuncti, sint instituti hæredes à Testatore divite, ea conditione, ut simul contrahant, si Papa dispensaverit.*

52 *Conditio, ut Legatarius, seu Fideicommissarius teneatur ducere consanguineam in secundo gradu, valida est.*

53 *Causa justa dispensandi est, si facultates Parentum non sufficerent ad competenter dotandum filiam, nisi illa, ultra legitimam, ei Jure naturæ debitam, cæteris filiis præferretur, & quamvis certe constaret hujusmodi Parentes velle eam præferre.*

54 *Cum non sufficiat spes de succedendo in futurum.*

55 *Fœmina dici potest pauper, si pater plures filias haberet, & juxta suas facultates unam tantum posset congruenter dotare, & cæteras non, si illam hoc modo dotaret.*

56 *Non poterit fœmina dispensari ob defectum dotis, quamvis tempore petitæ Dispensationis, & obtenti mandati ad dispensandum, fuisset pauper, si antequam à Delegato exequatur, dives fiat.*

57 *Papa concedendo mandatum ad dispensandum, non dispensat, sed committit Dispensationem Delegato, ut dispenset, si noverit preces veras esse.*

58 *Quia causa finalis debet adesse tempore executionis.*

59 *Si fœminæ deferatur aliqua hæreditas, vel legatum, & ipsa sponte repudiet, ut obtineat Dispensationem ob defectum dotis, Dispensatio erit subreptitia, nisi narraverit hanc intentionem Pontifici in Supplicatione.*

60 *Si tamen renunciatio prædicta facta sit ad alium quemcunque finem, etiam inhonestum, dummodo non fuerit facta animo d. Dispensationem obtinendi, non vitiatur.*

61 *Limita, nisi renunciatio facta fuisset cum pacto de retrodonando, & bona donata restituendo.*

62 *Nonnulli distinguunt, si renuntiet simpliciter ante aditionem, tunc non vitiari; secus si renuntiet ad favorem tertiæ personæ; quæ tamen distinctio non placet, & de ratione,* num. 63. & 65.

64 *Pro divite habetur qui habet actionem ad divitias exigendum.*

66 *Pontifex nunquam præsumitur velle fraudibus patrocinari, & ab eis plurimum abhorret.*

67 *Fraus circa causam finalem semper vitiat Dispensationem.*

68 *Non vitiatur Dispensatio obtenta ex causa defectus Dotis, licet mulieri jam delata fuisset hæreditas, cujus tamen notitiam non habuit nisi effectu consummato.*

69 *Defectus dotis undecunque procedat, est causa Dispensationis, licet procedat ex fœmina, quæ licet alias habere sufficientem dotem ad nubendum æquali, tamen quia est rixosa, diffamata, senex, & ex similibus nequit nubere æquali.*

72 *Augmentum dotis quale debeat esse, & quomodo fieri,* & num. 73.

74 *Si augeatur à tertio, non admittitur augmentum, nec Dispensatio ob d. causam valet, quando dictus tertius teneretur ad augendum, vel dotandum eandem fœminam.*

SEcunda causa, quæ est in praxi recepta ad dispensandum super matrimonii Impedimentis,
2 est defectus dotis Oratricis; cum valde interfit Reipublicæ, & bono publico conferat, ut mulieres habeant competentes dotes. *l. 1. ff. soluto matrimonio;* Genuens. *in Praxi Curiæ Archiep. Neapol. cap. 20. in addit. num. 19.* ne defectu dotis innuptæ remaneant, cum periculo incontinentiæ, vel cogantur
2 nubere indigno, & paria sunt, fœminam non habere dotem, vel habere insufficientem ad nubendum æquali, ut ponderant Lother. *de Re Benef. lib. 1. quæst. 29. num. 18.* Cæsar. de Graff. *decis. 162. alias prim. num. 18.* Natt. *cons. 37. num. 3.* Quoties enim fœmina non habet tantam dotem, quanta requiritur, & consueta est, ut nubat æquali, censetur pauper, & dote deficere. Avers. *de Matrim. quæst. 19. sect. 4. vers. Tertio inopiam &c.* Et 3
propterea movetur Pontifex ad dispensandum cum fœmina paupere ad matrimonium cum consanguineo 4
contrahendum, ad vitanda scandala, & peccata, cum propter inopiam sæpe periclitetur honestas, ut animadvertit. Rub. *in Annot. decis. 460. num. 165. tom. 2.* & uxor indotata à viro spernatur, & male tractetur. *l. fin. C. ad Vellejan.* Sperell. *decis. 138. num. 83.* Sanch. *lib. 4. disp. 26. num. 4.*

Hujusmodi autem causa quinque casus comprehendit.

Primus est incompetentia dotis.

Quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem, cui nubere possit, invenire nequeat, & Orator illam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducere intendat, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, &c. 5

Hæc causa admittitur absque ullo augmento do- 6
tis, non tamen in omnibus gradibus, sed tantum in remotioribus, ut quarto, vel tertio, & quarto à communi stipite, quamvis etiam ex diversis, & multiplicatis stipitibus Impedimenta proveniant.

In gradibus autem propinquioribus, ut in secun- 7
do & tertio tantum; & in primo publicæ honestatis, requiritur augmentum; & eo magis si ex pluribus stipitibus proveniant, *num. 71.*

Secundus casus est, incompetentia dotis cum augmento facto ab Oratore.

Quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum quo virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; & dictus Orator illam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducere, illiusque dotem usque ad quantitatem, secundum ipsius Oratricis qualitatem, competenter augere intendat, cupiunt, &c. 8

Et in fine aliarum Clausularum additur Clausula, 9
Et postquam Oratrici dos competenter aucta fuerit, ut *præfertur, &c.*

Delegatus præsentatis sibi Literis hujusmodi Di- 10
spensationis debebit se informare diligenter de qualitate, & quantitate dotis, quam habet Oratrix, & de conditione ipsius ad hoc, ut dignosci possit quale augmentum debeat per Oratorem constitui, & juxta informationes habitas pronuntiabit Oratricis dotem augendam esse. Nec poterit Delegatus ad exe- 11
cutionem Literarum procedere, donec dicta dos non fuerit per Oratorem competenter aucta, & de hujusmodi augmento facto in valida forma sibi legitime constiterit; constat expresse ex verbis rescripti Apostolici *Postquam Oratricis dos competenter aucta fuerit;* quæ dictio *Postquam,* cum sit exclusiva præ- 12
cedentium, conditionem importat. Paris. *cons. 31. num. 38. volum. 1.* Menoch. *cons. 1103. num. 4.* Marant. *part. 3. respons. 22. num. 11.* cum rejiciat omne tempus anterius, & solum posterius respiciat, & admittat. Barbos. *de Diction. Diction. 272. num. 4.* Marant. *l. c.*

Et quoniam verificatio, & effectuatio hujusmodi causæ est difficilior, & periculosior omni alia probatione, quæ circa matrimoniales Dispensationes occurrat, idque ob multas fraudes, quæ in ea committi solent, ex quibus fit, ut mens Summi Pontificis non adimpleatur, & proinde nulla sit Dispensatio à Delegato facta, ex defectu intentionis Pontificis, qui alio modo, quam præscripto per eum, dispensare non intendit; propterea Delegatus, antequam exequatur Dispensationem, debebit diligenter animadvertere, an Orator vere possit illud augmentum solvere, vel assignare Oratrici, & quomodo, & super quæ præcisa bona Oratrix reddatur tuta de consequendo hujusmodi augmento, absque ulla lite, & molestia; an bona assignata, vel hypothecata pro dicto augmento spectent ad Oratorem, quoad utrumque dominium, utile, scilicet, & directum; an

Ora-

Orator sit ære alieno gravatus, vel habeat filios ex alio matrimonio: quia ex his probabiliter timeri potest de invaliditate actus, & quod hujusmodi augmentum non subsistat; parum etenim refert, si augeatur dos, & promittatur augmentum, si is, qui dotem auget, vel promisit, non habeat unde solvere possit, sitque ære alieno gravatus, adeout Oratrix non possit esse certa de hujusmodi augmenti con-
13 secutione; paria namque sunt, non facere, vel inutiliter facere, *l. Quoties, ff. Qui satisdare cogantur, l. Nulla, de auctoritate Tutor.* Fontanell. *de Pact. Nupt. Clausul. 4. Gloss. 1. num. 64. tom. 2.* Ludovis. *decis. 496. num. 9.* Lælius Altograd. *cons. 23. num. 33. lib. 1.* Barbos. *in Votis Canonic. lib. 1. Vot. 2. nu. 23.* Pyrrh. Corrad. *in Praxi Disp. Apost. lib. 8. cap. 3. num. 26.* & dici posset eo casu dictum augmentum fuisse ficte constitutum, & proinde nullum habere prælationis privilegium, ut bene Genuens. *Practic. For. Eccles. qu. 776. n. 3.* & cum causa finalis Dispensationis fuerit isto casu augmentum ipsius do-
14 tis, & ideo moveatur Pontifex ad dispensandum, ut fœmina nubat consanguineo, ut proinde Oratrici pauperi ob id subveniatur de competenti dote, hujusmodi augmentum non est donatio gratiosa, sed contractus initus cum ipso Pontifice, qui per Dispensationem intendit providere Oratrici in modum, ut de novo non indigeat tali Dispensatione, ut bene Sanch. *lib. 8. disp. 35. n. 7.* Genuens. *in Prax. Cur. Archiepisc. Neap. cap. 20. num. 16.* Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. l. c. n. 42. & 43.* Trullenck *Oper. Moral. lib. 7. cap. 11. dub. 11. num. 3.*

15 Sunt tamen considerandæ verba præcisa in Literis expressa, quia diversimode concipi solet; aliquando enim dicitur, *quod teneatur Orator dotem Oratricis augere, usque ad quantitatem competentem*, & tunc tenetur Orator supplere in ea integra quantitate, qua dos fœminæ fiat sufficiens, ut cum ea possit juxta suam conditionem nubere æquali; aliquando non
16 adduntur ea verba, usque ad competentem quantitatem, sed tantum dicitur, quod Orator intendit Oratricis dotem competenter augere; quo casu, cum dictum verbum *competenter*, sit simpliciter prolatum, non infertur, quod Orator teneatur supplere usque ad competentem quantitatem, ut primo casu teneri diximus, sed infertur teneri constituere aliquod augmentum competens, quod tamen sit consideratione dignum, attenta qualitate Oratricis, unde satis erit, si ex aliqua parte Oratricis dos augeatur, dummodo hujusmodi augmentum sit alicujus momenti, habito respectu ad qualitatem Oratricis; vide Sanch. *lib. 8. disp. 36. n. 6.* Gutier. *de Matrim. 126. n. 1.* Pyrrh. Corrad. *l. c.*

17 Captis itaque per Delegatum diligenter informationibus super præmissis, devenier ad decretum, quod Orator teneatur augere dotem in summa, qua, secundum informationes habitas, augeri debebit; non tamen poterit Dispensationem exequi, donec sibi non constet de constitutione facta per Oratorem in valida forma de dicto augmento, nec sufficiet, si Orator promitteret, & se obligaret ad dictum augmentum constituendum, quia Jurisdictio Delegati est suspensa, quoad executionem Dispensationis, ita ut non possit dispensare, nisi postquam dos Oratricis aucta fuerit, ut diximus.

18 Tertius casus est, si Oratrix sit omnino indotata, & Orator illam absque dote ducere intendit, & illam usque ad quantitatem, secundum Oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare.

Quod cum dicta Oratrix indotata existat, & dictus Orator illam sic indotatam ducere intendat, & usque ad quantitatem, secundum dicta Oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat, cupiunt &c. Et etiam hoc casu additur clausula, *Et si, ac postquam dicta Oratrix ex integro dotata fuerit, ut præfertur, &c.*

19 Eodem modo se geret Delegatus, circa constitutionem hujusmodi dotis, & informationes habendas, quo diximus debere procedere circa constitutionem augmenti, in casu antecedenti: nec dispensabit, donec omnia ad unguem juxta formam in Literis præscriptam adimpleta sint.

Si narrata Pontifici non verificentur coram De- 20
legato, ut si Dispensatio petita sit pro Oratrice indotata (ut in præsenti casu) & postmodum in probatione, coram Ordinario facta, reperiatur habere aliquam quantumcunque minimam dotem; prout è converso si petita sit Dispensatio pro muliere non habente competentem dotem, & repertum fuerit esse omnino indotatam, docet Pyrrh. Corrad. *in d. Prax. Dispensat. Apost. lib. 8. cap. 2. num. 5.* hujusmodi Dispensationes esse subreptitias, nec posse Delegatum illas exequi, sed opus esse novam gratiam obtinere in forma *Perinde valere:* Hæc tamen doctrina, sic absolute firmata, nimis rigorosa videtur, quia Papa movetur ad dispensandum, ut succurrat Oratrici pauperi, quæ cum non habeat dotem, vel habeat, sed insufficientem, periculum est, ut, vel innupta remaneat, cum periculo animæ, vel nubere cogatur indigno, & inæquali; unde cum intentio Pontificis sit, quoad prædicta providere Oratrici, & utroque modo per hujusmodi Dispensationem satis provideatur, non videtur, cessante dolo, infici Gratiam Pontificis, qui æque movetur ad di- 21
spensandum, si Oratrix nullam habeat dotem, vel si habeat insufficientem, cum utroque casu timeri possint eadem scandala, & inconvenientia, ex quibus, tamquam ex causa finali, movetur Pontifex ad dispensandum, ut supra diximus.

Quartus casus est, quando Oratrix non habet do- 22
tem competentem, & sufficientem, & Tertius intendit illam augere, quatenus Oratori nubat.

Quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum paris conditionis, qui nubere possit, invenire nequeat, & quidam Oratorum consanguineus, ad id alias non obligatus, Oratricis dotem, ita tamen, ut Oratori nubat, & non aliter usque ad quantitatem, secundum ejusdem Oratricis qualitatem, competenter augere, dictusque Orator illam cum dicta minus competenti dote, & illius augmento, in uxorem ducere intendat; cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari, &c.

Finis principalis, quem habet Pontifex in hujus- 23
modi Dispensatione concedenda, est idem, de quo supra, nempe paupertas Oratricis, & periculum ne innupta remaneat, vel cogatur inferiori nubere; & propterea non curat de modo, dummodo sequatur effectus; & si dos augeatur, parum refert, an ab ipso Oratore, vel à Tertio augeatur. Immo quam- 24
vis in Supplicatione Pontifici porrecta dictum fuisset, quod Orator ipse vellet dotem augere, vel ex integro dotem Oratrici constituere, & deinde coram Delegato non ipse Orator, sed alius dictam dotem augeat, vel ex integro constituat, adhuc poterit Executor Dispensationem exequi, ex quo, mendacium esset circa rem, nil ad Dispensationem conferentem, & consequenter non vitiaret, dummodo cum effectu, & valide dos constituatur, seu augeatur in suo casu, quia ista dotatio, seu augmenti constitutio, est causa finalis Dispensationis; unde si ea vere non subsisteret, vitiaretur Dispensatio. Fontanell. *de Pact. Nupt. Claus. 4. Gloss. 1. n. 14.* Barb. *in Votis Canon. l. 2. Vot. 69. n. 1.* Sanch. *l. 8. disp. 19. n. 24. & Disp. 35. n. 8.* Pyrrh. Corrad. *lib. 7. d. cap. 1. n. 48.*

Quintus casus est, si Oratrix habeat quidem do- 25
tem competentem, sed valde litibus involutam.

Quod cum dicta Oratrix dotem habeat litibus involutam, & dictus Orator, qui ad eas prosequendas habilis existit, illam in uxorem ducere, liteque hujusmodi in se suscipere intendat.

Quam si super successione bonorum magni mo- 26
menti gravem litem Oratrix sustineat.

Quod cum gravem litem dicta Oratrix super successione bonorum magni momenti sustineat, & ne ob defectum viri, qui litem hujusmodi prosequatur, & defendat, ipsam liti hujusmodi succumbere contingat, dictusque Orator illam in uxorem ducere, litemque hujusmodi in se suscipere, defendere, ac propriis sumptibus prosequi intendat, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, &c.

27 Move-

27 Movetur enim Pontifex ad dispensandum, ne Oratrix bona sua amittat, eo quia sit destituta homine, qui litem studiose prosequatur, eamque tanquam proprium negotium gerat, facile enim esset, ut hoc destituta succumberet; sic Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *nu.* 20. Pont. *lib.* 8. *cap.* 21. *§.* 2. *num.* 23. Pyrrh. Corrad. *l. c. nu.* 59.

28 Advertas tamen; quod ad effectum, ut Dispensatio ob hujusmodi causam concedatur, Orator debet esse valde necessarius ratione peritiæ circa illam litem, aut ex alia causa, ita ut difficile illi subveniretur, non contracto inter eos Matrimonio. Unde Delegatus debebit caute procedere, & diligenter se informare, an narrata Pontifici vera sint; quia Papa non aliter intendit Dispensationem concedere, nisi Orator ob suam peritiam, vel aliter succurrere possit Oratrici in his litibus, & alio modo, eadem Oratrix suorum bonorum jacturam pateretur; vide Sanch. *l. c.* Pyrrh. Corrad. *l. c.* Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 317.

29 Nec admittetur hæc causa, si dicatur simpliciter, litem vertere sub successione bonorum, sed oportet ut bona, super quibus vertit lis, sint magni momenti, quia minima, & modica non sunt in consideratione; *cap. Licet, de probation. l. In rebus commodatis* 18. *§. Possunt, in fin.* Quæ autem bona dican-

30 tur magni momenti, relinquendum est arbitrio Delegati, cum debeat haberi respectus ad facultates, & qualitates Oratorum, quia inter pauperes, & rusticos, quæstio de porcello dicitur magna causa, ut diximus *lib. pr. cap.* 7. *nu.* 71. & propterea quæ certa lege definita non sunt, & sub certa regula comprehendi non possunt, relinquuntur arbitrio Judicis. Paris. *de Resignat. lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 133. Barbos. *de Axiom. Axiom.* 32. *num.* 1.

Nec desunt, quæ circa materiam adnotanda sint; sed antequam ad ulteriora dilabamur, sciendum est,

31 communem errorem irrepsisse circa intelligentiam hujus causæ defectus dotis, maxime penes personas idiotas, quæ dum Oratores sunt pauperes, dicunt posse petere Dispensationem ob paupertatem, cujus causa solvere non possunt solitam taxam; & quidem decipiuntur, quia Dispensatio *in forma Pauperum*, nunquam concedi solet, nisi dum Oratores pauperes sint, & miserabiles, & ex humana fragilitate insimul habuerint copulam carnalem, vel conversati sint; & proinde, nisi matrimonium inter eos contrahatur, Oratrix innupta, & diffamata remaneret, graviaque inde scandala possent verisimiliter exoriri; unde non sufficit ad impetrationem Dispensationis *In forma Pauperum*, Oratores esse pauperes; sed requiritur etiam, ut alia prædicta concurrant, sicut etiam diximus *lib.* 1. *d. cap.* 7. *n.* 72.

Secundo; dissident Doctores, an Oratrix habens dotem minus competentem ad nubendum æquali in

32 Patria sua, possit petere Dispensationem ad nubendum consanguineo, si extra Patriam, in Locis vicinis, non desint æquales, quibus nubere posset; in qua re Ledesm. Lopez, & alii, quos propterea citat, & merito rejicit Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 13. existimant, posse petere Dispensationem, ut nubat consanguineo in Patria sua, si non habeat tantam dotem, quanta sufficiat ad nubendum æquali extra Patriam. Quicquid tamen isti, & alii dicant, non est recedendum à dictis *cap. præcedenti num.* 69. ubi concluſimus, non teneri fœminam nubere

33 extra Patriam, ne dulcissimo Parentum consortio privetur, ut ibi diximus, & docet inter alios Sanch. *d. disp.* 19. *num.* 13. ubi testatur sic fuisse à Sacra Congregatione decisum ad instantiam Archiepiscopi Mediolanensi, his verbis.

Clausula illa, quæ in Dispensationibus, occasione dotis incompetentiæ, apponi solet, videlicet, quia virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur, & justificatur per diligentiam dumtaxat præstitam in ipso loco mulieris, & non in locis circumvicinis.

34 Docet insuper Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 93. Causam istam defectus Dotis ad nubendum æquali in Patria, esse moraliter intelligendam, ita ut non desinat hæc causa subesse quamvis omnino pauci adsint in Oppido, quibus sine ampliori dote conjungi possit, cum non deceat ubertatem matrimonii ita restringi; quod omnino est conforme his, quæ diximus *d. cap. præcedenti*, præsertim *num.* 14.

Tertio dubitatur, an fœmina censeatur pauper, & dote carere dicatur, si nihil quidem possideat, sed 35
habeat Parentes divites; in qua re dicendum est, non censeri pauperem, si pater tenetur illam dotare, & ipsa habeat jus illum compellendi ad dictam dotem dandum: tenetur autem pater dotare filiam, si nu- 36
bat digno. Capell. Tolosan. *q.* 290. *num.* 1. *cons.* 2. Tusch. *concl.* 755. *lit. D.* Sperell. *decis.* 165. *num.* 2. 3. & tenetur constituere dotem competentem, con- 37
sideratis bonis paternis, Liberorum numero, dignitate mariti *l. Quæro, ff. de jure dot.* Boer. *cons.* 50. *num.* 15. Rot. *decis.* 538. *num.* 3. *part.* 1. *divers.* Sanch. *lib.* 4. *disp.* 26. *num.* 8. *& num.* 11. Tusch. *conclus.* 733. *lit. D.* Bonac. *de Legib. disp.* 6. *q. unica, puncto* 6. §. 2. *vers.* 3. quamvis nullam dotem 38
promiserit Sanch. *d. disp.* 26. *num.* 4. Genuens. *practic. Fori Eccles. q.* 737. *num.* 1. quamvis etiam fi- 39
lia dives sit maxime si de consensu Patris nupsit digno, Bonac. *num.* 1. Sanch. *num.* 5. *l. c.* & quamvis invito patre nubat; sic docent plures Doctores 40
quos refert, & sequitur Sanch. *d. disp.* 26. *num.* 17. Amplia teneri patrem dotare filiam, etiamsi nupse- 41
rit indigno, si pater distulerit eam in matrimonio collocare ultra 25. annos. Bonac. *num.* 1. Sanch. *num.* 11. *ll. cc.* cum itaque pater dives teneatur, & cogi possit ad dotandam filiam, ut diximus, filia non potest dici pauper, quamvis nil possideat in bonis, 42
at habet jus compellendi patrem ad illam statim dotandum; unde non refert, quod in statu præsenti nil possideat, ut bene docent Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *numer.* 21. Pont. *lib.* 8. *cap.* 21. *§.* 2. *numer.* 23. Pyrrh. Corrad. *in d. Prax. d. lib.* 7. *cap.* 2. *numer.* 23. alia omnes fere mulieres petere possent Dispensationem ob dotis defectum, quia ut plurimum in vita patris nihil possident; at si non haberet jus compellendi Parentes ad dotem dandam, vel saltem ad aliqua bona assignanda, quæ efficiant dotem competentem, aliter esset dicendum; nec faceret, quod 43
esset certa spes, ut Parentes illam competenter dotarent, quia adhuc in statu præsenti censetur pauper, ut bene Sanch. *d. disp.* 19. *num.* 22. Pont. *l. c.* Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 317. Aversa. *d. q.* 19. *sect.* 4. *vers. Inopia fœminæ.*

Quarto dubitatur, an censeatur habere dotem mi- 44
nus competentem fœmina, cujus frater, aut alius illam dotare intendit, nullo tamen præcedente pacto dotandi, per quod ipsi Oratrici jus aliquod acquisitum sit; in qua re docent Doctores, istam fœminam carere dote, non obstante morali certitudine, quam habet, quod dictus frater, vel alius sit eam dotaturus; quia si non fuit facta certa promissio, nec pactum præcessit de illam dotando, nullum jus fœmina habet ad dotem, & proinde in statu præsenti non definit esse pauper Sanch. *num.* 24. Pontius *num.* 23. Pyrrh. Corrad. *num.* 24. & Aversa. *ll. cc.*

Animadvertunt Sanchez *d. numer.* 24. & dictus Pyrrh. Corrad. *num.* 24. *ll. cc.* adhuc censeri paupe- 45
rem, quamvis frater Oratricis ex pacto convenerit illam dotare, dummodo nubat consanguineo, quia hujusmodi promissio dotis, cum facta sit sub conditione, quatenus nubat consanguineo, donec ea conditio adimpleta non fuerit, nullum jus fœmina habet ad dotem, & interim vere censetur pauper non obstante certitudine, quod eo casu à fratre dotanda sit.

Quinto dubitatur, an Fœmina censeatur pauper, 46
si Parentes sint in tali statu, ut non possint, dum vivunt, se privare parte bonorum, quæ necessaria esset ad constitutionem dotis ipsius fœminæ; cum Parentes dicta portione indigeant ad honestam, statuique suo convenientem vitam ducendam; & proinde Parentes dotem prædictam assignare velint post eorum mortem: & quidem dicendum

est,

est, fœminam carere dote, & in statu præsenti, quo nubere intendit, vere esse pauperem; nec facit, quod post mortem Parentum sibi sit destinata, & assignata dos, quamvis alias competens, quia onera matrimonii incipiunt in ipsius contractu; & ad hoc ut Conjuges ea sustinere possint, necesse est statim dari dotem; ita Filiuc. ubi supra. Pontius *num.* 23. Trullenck. *num.* 7. & Sanch. *num.* 25. *ll. cc.* qui ultimus *l. c.* limitat, nisi in eo loco esset communis usus, ut omnes eo modo, nempe post mortem 47 Parentum, reciperent dotem; at prædicta limitatio mihi non placet, quia adhuc in statu præsenti vere est pauper, & causa Pontifici expressa pro impetratione Dispensationis fuit, & est vera, & absque ulla fraude allegata.

48 Sexto dubitatur, an fœmina censeatur pauper, si dos, quam habet, sit sufficiens ad nubendum æquali, at minus sufficiens respectu illius consanguinei, vel affinis, qui illam ducere intendit; & videtur posse petere Dispensationem ob defectum dotis, cum magis, & minus non differant specie; & dos, quæ respectu unius sufficit, erit incompetens, si respectu alterius non sufficiat, sicut sentiunt Navarr. *in Summ. cap.* 22. *num.* 87. Genuens. *in Praxi Cur. Archiep. Neapolit. cap.* 20. Graff. *decis. Aur. lib.* 2. *cap.* 81. *numer.* 16. Quicquid tamen isti dicant, contrariæ opinioni adhæreas, & dic, eam fœminam 49 non dici pauperem, nec posse ex hujusmodi causa Dispensationem petere; quia Pontifex ideo movetur ad dispensandum, quia fœmina non habet dotem competentem, nec sufficientem, ut cum ea virum sibi æqualem, non consanguineum, vel affinem, possit invenire; & consequenter eo casu timeri possit, ut cum periculo animæ innupta remaneat, vel cogatur inferiori nubere.

At non potest, nec debet præsumi, ut Pontifex dictam Dispensationem ob dictam causam concedere velit, dum fœmina habet tantam dotem, quanta sufficiat ad nubendum æquali, quia eo casu cessat causa Dispensationis, quæ est defectus dotis; nec 50 tunc timeri possunt scandala, & inconvenientia, quæ diximus: nec movetur Papa ad dispensandum, ut fœmina divitiis superabundet, sed ex pietate, ne ob defectum dotis incurrat in præjudicia antedicta; sic bene docent Coninck *de Sacrament. disp.* 33. *dub.* 5. *num.* 47. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 317. Trullenck *tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 7. Pont. *lib.* 8. *cap.* 21. §. 2. *num.* 23. Sanch. *l. c. n.* 17. Unde si mulieri diviti augeretur dos alias competens, vel patrimonium à consanguineo, non esset justa causa ad dispensandum, cum justa causa redundare debeat in majus spirituale bonum, nempe ne cum animæ jactura innupta remaneat; vide Sanch. *num.* 18. & Filiuc. *ll. cc.* Esset quidem justa causa dispensandi, si fœmina, & ejus consan- 51 guineus, quamvis tertio gradu sibi conjunctus, sint instituti hæredes à Testatore divite, cum conditione, ut simul nubant, si Papa dispensaverit, quia cum per mortem Testatoris jam sit acquisitum jus ad eam opulentam hæreditatem, justa, ac pia causa videtur, ut Pontifex dispenset, & sic impleatur conditio, nec amittatur jus ob id acquisitum; vide Sanch. *l. c. num.* 19. Pont. *d. num.* 23. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 93. *vers. Et apponam.* An autem valida sit conditio à Testatore appositа, ut Le- 52 gatarius, seu Fideicommissarius teneatur ducere consanguineam in secundo gradu, vide Sanch. *lib.* 5. *Disp.* 5. *num.* 20. ubi concludit affirmative; ea ratione quod etiam in secundo gradu Papa sæpe dispensat, ut nos etiam late diximus *lib.* 2.

53 Item causa justa dispensandi esset, si facultates Parentum non sufficerent ad competenter dotandam filiam, nisi illam ultra Legitimam, ei jure naturæ debitam, cæteris aliis filiis in bonis præferrent; & quamvis certa sit Parentes velle eam præferre, non tamen jus habet, quo cæteris præferri debeat, sed id à Parentum voluntate pendeat; ut bene animadvertit idem Sanch. *l. c. num.* 23. ubi *num.* 22. dixerat, posse licite, ac juste dispensari cum ea fœmina, tanquam paupere, & dote carente, cui non competit jus succedendi, ut, v. gr. si esset in Regno, in quo servaretur jus commune, & Legitima filiorum non esset certa, sed in Parentum libertate esset cuicumque sua bona dare, relicta dumtaxat certa portione filiis: quod idem confirmant Pont. *lib.* 2. & d. Dian. *d. resol.* 93. circa finem. Quod verum est, quamvis ea fœmina, & ejus consanguineus, qui illam ducere intendit, sint quasi certi, 54 ut Parentes divites relinquant universas facultates ipsi fœminæ, cum illam valde ament, & alios filios odio habeant; quia non sufficit hujusmodi spes successionis, & donationis bonorum, cum à libera voluntate alterius dependeant, nec per hanc spem fœmina in statu præsenti desinat esse pauper.

Simili ratione fœmina dici potest pauper, & sufficienti dote carere, si Pater plures filias haberet, & juxta suas facultates, posset quidem commode, 55 & sufficienter dotare unam, sed habita ratione aliarum, non posset unam dotare sufficienter; quia illud dicitur fieri non posse, quod commode, & absque difficultate fieri non potest Genuens. *in Prax. Curiæ Archiep. c.* 20. *n.* 6. Pyrrh. Corrad. *in Praxi Disp. Apost. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 34. Trullenck *d. dub.* 2. *n.* 7.

Non tamen poterit fœmina dispensari ob defectum 56 dotis, quamvis tempore petitæ Dispensationis, & obtenti Mandati ad dispensandum, vere fuisset pauper, si antequam ea Dispensatio à Delegato executa esset, dives sit; ut quia devoluta ei fuerit aliqua hæreditas, seu legatum, unde dos aucta fuerit, & competens facta; licet enim sufficiat, quod fœmina pauper sit à principio, quia ei sub prætextu paupertatis aliquid erogatur, seu dos constituitur, adeout quamvis postea ditissima fiat, nihilominus ipsam dotem habebit, ut notant Bald. & Salycet. *in l. Generaliter. C. de Episc. & Cleric.* in casu tamen Dispensationis alter est dicendum, quia, ut diximus præsenti Libro *cap.* 1. *num.* 76. causa Pontifici exposita pro Dispensatione debet vera esse tempore petitæ Dispensationis, & sic etiam subsistere tempore executionis à Delegato faciendæ; cum in Mandatis de dispensando, tempus concessionis Gratiæ retrahatur ad tempus executionis Literarum; quia Papa concedendo Mandatum, non 57 dispensat, sed committit Dispensationem, Delegato, ut, si & postquam preces veritate niti repererit, dispenset; vide Trullenck *d. lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 4. Sanch. *l. c. num.* 27. & plures alios, quos propterea *lib.* 1. *cap.* 6. citavimus; ubi etiam concludimus, quod si causa finalis medio tempore 58 cessasset, at postea reviviscceret, adhuc posset Delegatus Dispensationem exequi, quia hujusmodi causa vera fuit tempore petitæ Dispensationis, & vera etiam est tempore executionis Ordinarii. At si fœmina, cui devoluta fuit hæreditas, seu fuit factum aliquod legatum, eam hæreditatem, seu legatum sponte repudiaret, eo fine, ut ob causam defectus dotis Dispensationem impetrare posset, erit invalida Dispensatio, si in Supplicatione Pontifici 59 porrecta pro impetratione Dispensationis dictum finem, & fraudem non expresserit; quia, cum causa finalis Dispensationis sit paupertas Oratricis, & periculum proinde imminens, quod vel innupta remaneat, vel nubat indigno, debet hujusmodi causa finalis exprimi, cum omnibus qualitatibus, & circumstantiis, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 4. si etenim dicta malitia, & fraus fuisset Pontifici expressa, vel Dispensationem denegasset, vel difficilius concessisset; vide Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 26. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 317. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 7. Quod si ea renunciatio facta fuisset ob alium quemcumque finem, etiam inhonestum, dummo- 60 do non fuerit ad effectum obtinendi Dispensationem ab hujusmodi causam, docent præcitati Doctores, non vitiari Dispensationem ex taciturnitate dictæ renunciationis, quia eo casu fœmina nullam fraudem admisit, & vere pauper est. Limitant tamen dicti Doctores, nisi renunciatio facta fuisset cum 61 pacto de retrodonando, & bona donata sibi postmodum restituendo; intelligunt tamen de pacto

expres-

expresso, & non de simplici, spe, quam Oratrix habuisset in donatione, quod sibi ea bona essent restituenda; quia simplex spes hebita non facit eam magis divitem, cum restitutio pendeat ab aliena voluntate, & cum possit esse, & non esse, quod hujusmodi restitutio fiat, non habetur in consideratione, *l. Nam ad ea ff. de legib.* Salgad. *Labyrint. Credit. part. 2. cap. 22. num. 110.*

At plures Doctores, inter quos Sanch. *l. c. num.* 27. Trullenck *d. num.* 7. Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 317. Aversf. *d. q. 19. sect. 4. vers. Tertio inopia personæ, in fine*, Pont. *l. c.* Dian. *p. 8. tract. 3. Resol. 94.* docent cum distinctione, vel enim ista fœmina bona renunciat simpliciter, & absolute, vel in favorem tertiæ personæ; primo casu existimant non vitiari Dispensationem, quia hæreditas nondum fuit adita, vel acceptata; & sic sentiunt tam si renunciatio facta sit antequam Romam missum fuerit pro impetratione Dispensationis, quam post Mandatum obtentum de dispensando; quia cum nulla lege obligetur ad acquirendum, non fit ob id aliqua fraus Pontifici: at secundo casu, tam si in favorem tertii renunciaverit, quam si steterit in pendenti non acceptando, nec repudiando, subreptitiam censent dispensationem, quia per dictam renunciationem, ac cessionem, censetur hæreditatem, seu legarum acceptasse, & proinde divitem effectam fuisse, & consequenter Dispensationis incapacem ex hac causa. At quamvis horum Doctorum auctoritas apud me maxima sit, tamen fateor, me non esse hujus doctrinæ capacem, nec percipere posse, cur hæc fœmina reddatur incapax fruendi beneficio Dispensationis, si per ipsam stet, quominus dives fiat, dum hæreditas ei defertur, per quam dives effici possit, & nubere æquali non consanguineo, & ipsa non vult acceptare, immo eam fraudulenter repudiat, ut consanguineo nubat: Ille namque habetur pro divite, qui habet actionem ad acquirendas divitias, & ad exigendum, *l. Qui potuit facere, de reg. Juris*. Gratian. & Leoncill. quos propterea *lib. 1. cap. 7. num.* 105. citavimus; & dives reputatur, qui potest facere, ut dives sit. Rot. *decis. 72. n. 5. part. 4. recent.* Et cum causa finalis Dispensationis sit defectus dotis mulieris, & ejus paupertas, si hic dotis defectus procedat ex culpa propria, & cum fraude circa causam finalem, existimo nullam, & invalidam esse Dispensationem, si hæc fraus tacita sit, tum ob dictam fraudem tacitam, tum ob præsumptam voluntatem Pontificis, qui nunquam præsumitur velle fraudibus patrocinari, cum ab illis plurimum abhorreat, *l. si cui, ibi, per medias vias, ff. de servit.* & nos alibi diximus; & utendo dicta fraude aperiretur via ad sæpius contrahendum matrimonia cum consanguineis, quod Ecclesia vitare contendit. Ochogavia *de Sacrament. tract. 4. q. 6. numer.* 12. penes Dian. *l. c.* & faciunt dicta à nobis *lib. 2. cap. 1.* ubi concluſimus, esse alienum à Jure communi petere Dispensationem à Pentifice super Impedimento ab Ecclesia instituto, & ex ea Dispensatione contrahere, cum id sit minus optabile in Ecclesia, cui sane erit gratius sua Impedimenta servari, & hujusmodi Dispensationes non peti, nec talia matrimonia inter impeditos contrahi. Et proinde in casu nostro præsumendum est, Pontificis mentem non esse Dispensationem concedere ex causa paupertatis, quatenus in causa exposita adfuerit fraus, quæ quando versatur circa causam finalem (maxime si unica causa afferatur) semper vitiat Dispensationem. Sanch. *lib. 8. disp. 21. numer.* 32. Barbos. *in Vot. Canonic. lib. 2. Vot. 69. numer. 6.* Bonac. *de Legib. disp. 1. q. 2. punct. 6. n. 2.* & nos diximus *lib. 1. cap. 4. num. 21.*

E' contra vero, validam puto Dispensationem eo casu, quo mulieri pauperi fuisset factum aliquod legatum pingue, seu aliqua hæreditas delata, de quibus fœmina nullam habuisset notitiam; unde bona fide petita Dispensatione ob causam defectus dotis, eaque obtenta, & ejus effectu consummato, si superveniat notitia hujusmodi hæreditatis, & legati, non vitiabitur ipsa Dispensatio; quia paupertas Pontifici expresa, vera, & certa ex communi errore vulgi, & ab ipsis etiam Oratoribus habebatur. Sic Sanch. *n.* 28. Filiuc. & Dian. *ll. cc.* Pyrrh. Corrad. ubi supra *n.* 27.

Porro undecunque defectus dotis procedat, dicendum est, non haberi in consideratione; si etenim dos, quam Oratrix habet, esset alias sufficiens ad nubendum æquali, attenta ipsius conditione, at ex aliis causis redderetur insufficiens, ut v. gr. si esset rixosa, deformis, vetula, filiis ex alio matrimonio susceptis gravata, inhonesta, de aliquo crimine diffamata, vel punita, seu malis moribus imbuta, adhuc hæ qualitates faciliorem reddent Dispensationem, quia quo majores sunt defectus, & exceptiones, quas patitur, eo major requiritur dos ad nubendum æquali, genere, ætate, & divitiis; & tunc ea dos non dicitur sufficiens absolute, sed respective; Papa namque dispensando eo tendit ne fœmina innupta remaneat cum periculo animæ; unde si non habeat dotem, quæ hujusmodi qualitates compenset erit pauper, ac dote competenti carebit, & proinde periculum erit, ut cum periculo animæ innupta remaneat, quamvis seclusis his qualitatibus, cum minori dote viro æquali commode nubere posset; sic bene docent Coninck *dict. Disp. 33. dub. 5. n. 49.* Sanch. *n. 29.* Filiuc. Trullenck & Dian. *ll. cc.*

Quoad praxim sunt videnda, quæ diximus; nempe dotis augmentum de necessitate non requiri in gradibus remotioribus, nempe in quarto, seu tertio & quarto à communi stipite, tam si ex uno, quam si ex pluribus stipitibus proveniant Impedimenta; sed tunc sufficere ad impetrandam Dispensationem, dotem Oratricis non esse competentem, nec sufficientem, ut cum ea virum paris conditionis, non consanguineum, vel affinem, invenire possit, sed tantum in propinquioribus gradibus augmentum requiri in impetratione Dispensationis super propinquioribus gradibus, ut in secundo & tertio, secundo ac quarto, sive in tertio tantum, sive consanguinitatis, sive affinitatis, ac in primo publicæ honestatis Justitiæ; & eo magis, si ex pluribus stipitibus Impedimenta insurgant.

Diximus etiam esse à Delegato consideranda verba Mandati Apostolici; quia Literæ hujusmodi Commissionum diversimode concipiuntur; aliquando enim mandatur Oratori, ut Oratricis dotem augeat usque ad quantitatem, secundum Oratricis qualitatem competentem; & eo casu non sufficit, quod augmentum competens sit, sed requiritur, quod *plene*, & integre augeatur usque ad competentem dotem; aliquando etiam mandatur Oratori, ut dotem Oratricis competenter augeat; & tunc sufficit, si dos aliquo modo augeatur; dummodo hujusmodi augmentum sit consideratione dignum, attenta qualitate Oratricis; vide Sanch. *lib. 8. disp. 35. num. 6.* & sic practicari testatur Pyrrh. Corrad. *in d. Praxi, l. c. num. 39.* Aliquando insuper exprimitur Pontifici præcisa summa, in quam Orator intendit augere dotem Oratricis, v. gr. in Scutis centum monetæ illarum partium, ex quo augmento dos Oratricis remanebit competenter aucta.

Si dos augeatur à tertio, non admittitur hujusmodi augmentum, nec Dispensatio ob causam defectus dotis conceditur eo casu, quo dictus tertius ad dotandam Oratricem, vel ejus dotem augendam alias teneatur.

An sit subreptitia Dispensatio, si petita sit ob mulierem omnino indotatam, & postea reperiatur in verificatione precum, habere aliquam parvam summam pro dote; vel si petita sit ob defectum dotis, & repertum sit, Oratricem esse penitus indotatam, diximus supra *num.* 20.

CA-

CAPUT IV.

De Causa ob Lites.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensationis ex causa, Ob lites: Si inter Oratores, vel eorum Parentes, Consanguineos, vel Affines, ortæ fuerunt graves lites, & controversiæ magni momenti, & aliunde componi nequeant, quam ex eorum matrimonio, conceditur; & in fine ponitur Clausula*, Facta prius litium hinc inde cessione, seu compositione.

2 *Papa concedendo Dispensationem ob hanc causam, intendit finem litibus imponere.*

3 *Reipublicæ salus ex litium multitudine valde læditur.*

4 *Lites sunt penitus execrandæ.*

5 *Adeout Dei Servis eas subire non liceat.*

6 *Litium extinctio bonum publicum concernit.*

7 *In dubio ferenda est sententia, quæ litium occasionem auferat.*

8 *Appellatio est inventa, ut litigantium furentes animi paulatim deferveſcant.*

9 *Carere litibus summa est fœlicitas.*

10 *Judex, si potest, debet se intromittere pro transactione inter partes litigantes.*

11 *Quilibet simplex Prælatus, & præsertim Episcopus, tenetur litigantes concordare.*

12 *Pontifex, cui universæ Reipublicæ Christianæ salus incumbit, providere debet, ut lites componantur.*

13 *Dispensatio conceditur, sive lis sit inter ipsos Oratores, vel inter eorum Conjunctos.*

14 *Lis, ob cujus extinctionem petitur Dispensatio, debet esse super re magni momenti.*

15 *Quando vero dicatur esse super re magni momenti relinquitur arbitrio Delegati.*

16 *Non sufficit, quod lites adfuerint, & jam sint compositæ.*

17 *Lites hujusmodi non debent procedere ex causa matrimonii, inter Oratores contrahendi.*

18 *Data opera crimine admisso, & ab aliis studiose litibus introductis, ut facilius Papa dispensaret Oratores, hujusmodi fraus, & malitia debet exprimi, alias Dispensatio est nulla.*

19 *Delegatus Dispensationem exequi nequit nisi postquam constiterit, quod litium compositio facta fuerit*, & num. 21.

20 *Ablativus absolutus conditionem importat.*

QUod, *cum inter dictos Oratores, seu eorum Parentes, Consanguineos, vel Affines, graves lites, & controversiæ, super rebus magni momen-*
1 *ti, ortæ jam sint, & ad præsens vigeant, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii, inter dictos Oratores contrahendi, provenientes, & ante illius tractatum exortæ; certumque sit quod si Oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, lites, & controversiæ hujusmodi omnino componerentur; pro illis igitur componendis, & pro bono pacis, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, &c.* & apponitur in fine Clausula, *Facta prius litium hujulmodi hinc inde cessione, seu compositione.*

2 Papa concedendo Dispensationem ob hanc causam, intendit imponere finem litibus, cum ex his continuæ discordiæ, maxima damna, scandala, & peccata oriri soleant, & quies publica violetur. Afflict. *decis.* 149. *numer.* 7. Donat. Anton. de Marin. *Resol. Quotid. lib.* 2. *cap.* 211. *numer.* 14. &
3 Reipublicæ salus ex litium multitudine summopere lædatur, ut probat Cicero *de Legib. lib.* 1. & propterea jura omnia valde festinent imponere finem litibus *lib.* 2. *C. de re judic.* & odio habeant, ut lites ex litibus exoriantur. Marant. *Specul. aur. in division. tract. part.* 2. *numer.* 33. *Clemente Dispendiosam cap.* 2. *de judic. lib.* 2. *titulo* 1. *in sexto. Gloss. in cap. Pervenit.* 3. *verbo, Existere, de arbitr.* Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *qu.* 20. *num.* 11. 4
Unde lites esse penitus execrandas tradunt Cæval. *qq. comm. contra comm. q.* 48. *n.* 6. & alii plures, quos refert Hieron. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. reg. de mens.* §. 7. *Proœm. à num.* 12. adeout Dei Servis lites su- 5
bire non liceat. *cap. Sicut Sacerdotes* 6. *causa* 2. *q.* 7. Lother. *lib.* 1. *in apparatu num.* 8. Divus Paulus ad Thimotheum *cap.* 2. Et quamvis Reipublicæ interfit Judicia exerceri, ne cuiquam detur ansa sibi propria manus jus dicendi: *l. Si usufructus* 16. §. *Sed inter duos, de usufructu, cap. Ad hoc* 63. *caus.* 16. *q.* 1. Marant. *de Ord. Judic. part.* 3. *num.* 135. tamen litium extinctio bonum publicum con- 6
cernit, & ad congregationis humanæ conservationem, ac Reipublicæ commodum pertinet. *Cap. Dispendia* 3. *de rescr. in* 6. Rub. *decis.* 485. *numer.* 19. *tom.* 2. Gomes. *de annal. Possess. q.* 1. *lit.* F. Ricc. *in Prax. for. Eccles. resol.* 110. *numer.* 2. Paris. *de Resignat. Benef. lib.* 3. *q.* 5. *numer.* 12. Gratian. *discept. forens. cap.* 421. *numer.* 21. Rot. *penes Farinac. tom.* 1. *decis.* 641. *num.* 6. & ideo ea sententia in dubio est præferenda, quæ occasionem litium au- 7
fert. Redenasch. *cons.* 74. *num.* 100. & faciunt dicta per Afflict. *decis.* 190. *num.* 7. & ob id potissimum inventa fuit appellatio, ut litigantium furentes ab 8
initio animi, paulatim deferveſcant, ut colligitur ex Platonis sententia *lib.* 6. *de legib.* cum litibus carere summa sit felicitas, sicut optime canit Martialis 9
lib. 2. *epist.* 90.

Sit nox cum somno, sit sine lite dies.

& *lib.* 10. *epist.* 47. ait

Lis nunquam, toga rara, mens quieta.

Et si Judex potest, debet se intromittere pro tran- 10
sactione inter partes litigantes facienda, *ut* 90. *dist. per. tot.* Læl. de Zanch. *de Privil. Eccl. Privileg.* 52. *num.* 1. & *Privileg.* 102. *numer.* 3. Piasec. *in Prax. Episc. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. & litigantium artibus occurrere, quibus causas protelare conantur. Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 10. *de Reform.* Idem Piasec. *loc. cit.* & si quilibet simplex Prælatus, & præsertim Episcopus, tenentur discordantes ad concor- 11
diam reducere, & litigantes reconciliare, *ff. de usuris, l. Si usufructuarius, §. Aequissimum, ff. de off. Præsidis, & l. Illicitas*, §. *Ne potentiores*. Goffred. *in Summ.* ubi *de Treg. & Pac. num.* 5. Lother. *de Re Benef. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 120. quanto magis debet Summus Pontifex, cui universalis Christianæ Rei- 12
publicæ salus incumbit, providere, ut lites sedentur, & componantur? Vide Barbos. *de Jure Eccles. univers. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 82. 83. ubi concludit, peccare mortaliter Pontificem si hoc omittat.

Quoad praxim, ex lectura prædictæ formulæ plura inferuntur.

Primo namque infertur, idem esse, sive lites sint 13
inter ipsos Oratores, sive inter eorum Parentes, vel Consanguineos, seu Affines; quia finis, qui movet Pontificem ad dispensandum, est, ut imponatur finis litibus; & proinde, cum per hujusmodi matrimonium lites finiantur, parum est, sive cum Petro.

Secundo infertur, lites, ob quarum extinctionem 14
petitur Dispensatio, debere esse super rebus magni momenti, quia modica non curantur, nec habentur in consideratione, cum parum, & nihil æquiparentur. Marius Antonin. *Var. Resol. lib.* 2. *resol.* 28. *num.* 6. Gratian. *discept. forens. cap.* 120. *num.* 3. Quando autem lis dicatur esse super rebus magni 15
momenti relinquendum est arbitrio Judicis Delegati, cum non possit dari certa regula, &, sicut diximus *lib.* 1. *cap.* 7. inter rusticos, & pauperes causa de porcello dicitur magna causa: regulariter tamen lis super omnibus bonis, & super majori parte bonorum, æquiparantur; vide Mandos. *ad Reg. Cancell. Regul.* 16. *q.* 25. *num.* 6.

Tertio infertur, non sufficere ad perendum Di- 16
spensationem pro hac causa, si lites adfuerint, sed jam compositæ sint; quia, cum causa cessaverit, cessarunt consequenter pericula scandalorum, inimici-

micitiarum, & damnorum, quorum evitatio est causa finalis Dispensationis.

17 Quarto infertur, hujusmodi lites non debere procedere ex causa matrimonii inter Oratores contrahendi, quia si ex ejus contractu scandala orirentur, Pontifex potius retraheretur à Dispensatione concedenda; quia semper obviare studet, ne scandala sequatur, ut alibi diximus; immo si data opera, & crimine admisso, ut facilius Papa dispensaret,
18 Oratores, vel eorum Consanguinei, ut alii, lites ipsas studiose introduxissent, carere debebunt spe Dispensationis, & tenebuntur de hujusmodi fine, & malitia in petitione Dispensationis facere mentionem; quia cum fraus adfuerit in causa finali Dispensationis, debet ea fraus exponi, ut alibi, & præsertim *lib.* 1. *cap.* 4. diximus; cum Papa non intendat dispensare, dum fraus adfuerit; Bonac. *de Leg. Disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 2. Sanch. *lib.* 3. *Disp.* 39. *n.* 14.
19 Infertur tandem, non posse Delegatum ad Dispensationem procedere, nisi postquam ei constiterit, quod facta fuerit inter Litigantes transactio, & lites compositæ sint; quia cum in Literis Apostolicis apposita sit Clausula *Facta prius litium cessione, seu*
20 *compositione*, sitque posita ablativo absoluto, conditionem importat. *l. A, testatore, ff. de condit. & demonstrat.* Paris. *cons.* 41. *num.* 14. *lib.* 4. Barbos. *in Votis Canonic. lib.* 2. *Vot.* 44. *num.* 10. Rubeus *decis.* 21. 2. *num.* 21. *tom.* 2. & si ante litium compo-
21 sitionem dispensaret, facile dari posset locus fraudi, & mens Pontificis defraudari, cum fieri posset, ut ipsæ lites non extinguerentur; unde debent terminari, antequam Dispensatio facta sit, ut diximus.

CAPUT V.

De Causa ob Inimicitias.

SUMMARIUM.

1 *Forma petendi Dispensationem inter impeditos, ob causam componendi inimicitias, inter Consanguineos, vel Affines exortas.*
2 *Hæc causa admittitur à Pontifice, ob pacem, & unionem futuram.*
3 *Inimicitias sedare respicit publicum bonum.*
4 *Pax est origo omnium bonorum, discordia vero omnium malorum,* & num. 12.
5 *Jesus Christus, in suo testamento, nobis reliquit pacem.*
6 *Ad conservandam pacem, & concordiam in universali Republica, Canonum præcepta multoties relaxantur.*
7 *Pro pace componenda aliquando Familiares Principum possunt coram Ordinario conveniri.*
8 *Judex potest Cives cogere ad concordiam, si ob inimicitiam Reipublicæ pax turbetur.*
9 *Tepidus ad pacem componendam debet à Dignitate deponi.*
10 *Episcopus tenetur dissidentes ad concordiam magis, quam ad judicium excitare; & si id facere negligat, peccat mortaliter,* & num. 11.
13 *Bonum pacis, & evitatio inimicitiarum, est justa causa dispensandi, ut matrimonia inter prohibitos contrahantur.*
14 *Matrimonia solent efficere, ne sequantur rixæ, inimicitiæ, & plura damna.*
15 *Pax describitur.*
16 *Hæc causa non admittitur ob quascunque leves inimicitias, sed debent esse graves.*
17 *Inimicitiæ, cum non præsumatur, debet coram Delegato probari.*
18 *Delegatus non solum debet se informare de ipsarum inimicitiarum qualitate, sed de causis, ob quas ortæ sint.*
19 *Graves inimicitiæ quæ censendæ sint, remittitur arbitrio Delegati.*
20 *Ad eas censendas debet attendi personarum qualitas, nam ab ea pendet ut plurimum gravitas inimicitiæ.*
21 *Sub verbis gravissimarum inimicitiarum quæ veniant.*
22 *Gravis inimicitia censetur, quando orta est ex injuria atroci, & offensus est pronus ad vindictam.*
23 *Item dicitur gravis, quando est orta ex controversia omnium, vel magnæ partis bonorum.*
24 *Ex querela pariter criminali, nisi fuerit revocata.*
25 *Ardua, & capitalis censetur, ob causam pecuniarum, ob quam de maxima substantia controvertitur.*
26 *Vel si sit super re notabili.*
27 *Invadens bona alicujus dicitur ejus inimicus capitalis, nam bona temporalia sunt vita hominis,* & num. 28.
29 *Semel inimicus, præsumitur etiam de futuro, nisi probetur inimicitiam cessasse.*
30 *Inimicitia gravis præsumitur continuata.*
31 *Nec censetur extincta per mortem inimici offendentis, sed præsumitur contra personam heredis continuare.*
32 *Suspectus de inimicitia capitali, pro inimico haberi debet.*
33 *Inimicus consanguinei mei, est mihi inimicus.*
34 *Inimicitia debet aliunde procedere, quam ex causa hujusmodi matrimonii contrahendi, & ante illius tractatum exorta, alias Dispensatio erit subreptitia.*

QUod cum inter Oratorum Parentes, & Consanguineos, vel Affines, graves inimicitiæ ortæ jam sint, & de præsenti vigeant, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter eos contrahendi, provenientes, & ante illius tractatum exortæ; certumque sit, quod si Oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiæ hujusmodi omnino componerentur; pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis, cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari, &c.

Hæc causa admittitur à Pontifice ad dispensandum, quia pax, & unio ad felicem spiritualis, & temporalis gubernationis statum maxime decent, & tanquam necessarium fundamentum sunt. *l. Congruentius, C. de patr. potest* Barbos. *in Votis Canon. lib.* 1. & inimicitias sedari semper in publicum, 3
& commune bonum tendit, cum propter discordias quies publica violetur. Afflict. *decis.* 149. *num.* 7. Et quidem, quæ mala ex discordiis non sequuntur? quæ delicta non perpetrantur? quæ scandala non oriuntur? cum discordia sit fons, & origo omnium malorum, diabolicum venenum, pacis æmula, litium mater, jurgiorum materia, & sicut nil est preciosius Deo, dilectione, ita nil desiderabilius Diabolo, discordia, ut animadvertit S. Gregorius in Pastorali; cum pax sit origo, & fons 4
omnium bonorum, optima rerum mater, innumerisque triumphis gloriosior: Discordia vero omnium malorum origo, bonorumque deprædatrix; & Dominus Noster Jesus Christus ascensurus ad Patrem, 5
nobis in hac lacrymarum valle aliud in testamento non reliquit, nisi præciosam gemmam pacis, *Pacem relinquo vobis &c.* Joannes *cap.* 14. Unde Regius Propheta, vir secundum cor Dei, considerans quanta mala ex discordiis oriantur, justo ze- 6
lo accensus, ad Dominum conversus exclamavit, *Psalm.* 67. *Dissipa gentes, quæ bella volunt*: & proinde videmus, quod ad conservandam pacem, & concordiam in universali Republica Canonum præcepta multoties relaxantur. *cap. Nisi essent* 21. *de Præbend. & Dignit.* Boer. *cons.* 29. *num.* 3. Pyrrh. Corrad. *in Prax. Dispensat. Apost. lib.* 8. *cap.* 2. *numer.* 77. Læl. Altograd. *cons.* 102. *num.* 1. & *num.* 2. *lib.* 2. Paris. *de Resignat. lib.* 5. *q.* 3. *num.* 165. & multa ob id conceduntur, quæ alias fieri non possent. *Gloss. in cap. In Nostra* 8. *de injuriis*, Paris. *de Resignat. l. c. num.* 76. unde versus:

Pax ut servetur moderamen Juris habetur.

Unde pro pace componenda aliquando Familiares Prin- 7
cipum possunt coram Ordinario conveniri. Ror. *In novissimis*

8 *vissimis*, *dec.* 324. *n.* 4. coram Pirovan. & si Reipublicæ quies ob inimicitias turbetur, potest Judex Dives ad concordiam compellere. Marant. *à: Ord. Judice. part.* 6. *vers. Trigesimo inquirit Judex*, *n.* 164. cum ipsius Judicis officium sit partes ad pacem, vel concordiam cogere. Læl. de Zanch. *de Privileg. Eccles. Privileg.* 42. *num.* 6. *& numer.* 11. *pag. mihi* 98. & faciunt dicta per Gratian. *Discept. Forens. cap.* 658. *num.* 8. & si ad id Judices sæculares tenentur, quanto magis Summus Pontifex, ad quem incumbit reformare paces? *cap. Novit ille* 13. *de judic.*
9 Læl. de Zanch. *d. Privil.* 48. *num.* 4. & tepidus ad pacem componendam à Dignitate deponitur, idem
10 Læl. de Zanch. *l. c. num.* 20. & tenetur Episcopus dissidentes ad concordiam magis, quam ad judicium excitare. *cap. Studendum*, *cap. Præcipimus* 90. *dist.*
11 & si negligant illos ad concordiam revocare, peccant mortaliter. Barbos. *de Jure Eccles. Univ.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 83. Genuens. *Human. pastor. cap.* 43.
12 *n.* 1. relatus à dicto Barbos. *l. c.* tanta enim damna ex discordiis insurgunt, ut ubi hæc vigent, Domus evertantur, & Regna ipsa desolentur. *Omne Regnum in se divisum desolabitur*; *& omnis Civitas, vel Domus divisa contra se non stabit.* Matt. *cap.* 12. Unde Cicero de amicitia; *Quæ domus tam stabilis, quæ Civitas tam firma est, quæ odiis, & dissidiis non possit funditus everti?*
13 Est igitur bonum pacis, & evitatio inimicitiarum causa justa dispensandi, ut matrimonia inter prohibitos contrahantur, *l. Si inimicitiæ* 9. *ff. de his, quibus, ut indignis legatur*. Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepisc. Neapolit. cap.* 20. *in Addit. num.* 16. P. Leo *in Praxi S. Pœnit. part. sec. formula de remanendo in Matrim. vers. Capitalis autem, pag. mihi* 307. cum ex ipsis matrimoniis pacis fœdera conjun-
14 gantur: matrimonium namque efficere solet, ne sequantur rixæ, inimicitiæ, homicidia, rapinæ, infamiæ, aliaque plura damna, & scandala, quæ alias sequerentur, ut inter alios animadvertit Avers. *de Matr. quæst.* 19. *sect.* 4. *vers. Regulariter vero*, *&c.* quia, sicut diximus, nil est in universali Republica utilius, nil magis proficuum, nil jucundius, quam concordiæ, ac pacis conservatio, cum ipsa pax,
15 teste Divo Augustino de verbis Domini *cap.* 158. *Sit serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc quis accipit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat; quoniam qui in eadem non erit inventus à Patre, abdicatur à Filio, exhæreditur à Spiritu Sancto, alienus efficitur; nec ad hæreditatem Domini poterit venire, qui testamentum Patris noluerit observare.*
16 Quod attinet ad praxim; sciendum est hanc causam non admitti ob quascumque leves inimicitias, sed oportet ut sint graves, & cum sint contra jus
17 naturale, non præsumuntur. §. *Si quis vero*, *Authent. de test. l. in ratione*, §. *Cum quidem*, *ff. ad legem falcid.* Paris. *de Resign. lib.* 5. *q.* 3. *n.* 259. & proinde debent coram Delegato probari; & tenebitur
18 Delegatus se diligenter informare de ipsarum inimicitiarum qualitate, unde quare, & quomodo ortæ sint, nec sufficiet, si in genere reperiat esse inimicitias, si non adjiciantur qualitas, & causæ, ob quas ortæ sint: vide Mascard. *de Probat. conclus.* 900. *n.* 7. Rubeum *decis.* 500. *n.* 8. *tom.* 2.
19 Quæ autem, ac quales censendæ sint inimicitiæ graves, remittitur arbitrio Judicis delegati. Tusch. *conclus.* 149. *n.* 17. *lit. I.* Paris. *de Resignat Benef. lib.* 5. *qu.* 3. *n.* 258. Paitell. *Expedit. caus. civil. expedit.* 14. *num.* 42. Menoch. *cons.* 149. *num.* 16. *vol.* 2. *& de Arbitr. Jud. Centur.* 2. *Casu* 110. *n.* 3. *lib.* 2. Leo *in Prax. S. Pœnit. part.* 2. ubi *de Laico*, *qui Presbyterum percussit*, *vers. Cum plures pag. mihi* 389. qui Delegatus ex circumstantiis personarum, & inimicitiæ qualitate existimabit, & judicabit, an hujusmodi inimicitiæ tales sint, quales Pontifici narratæ fuerunt.
20 Dixi ex personarum qualitate, quia injuria, quæ ab uno parvi fiet, cum sibi minima videatur, ut quia, v. gr. ipse vilis sit, vel pacificus; ab altero, qui nobilis sit, vel promptus ad vindictam plurimi fiet, & ob id in necem offendentis insidiabitur, ut inter alios animadvertit idem Mascard. *conclus.* 1131. *numer.* 5.

In jure autem verba, *gravissima inimicitia*, *gravis inimicitia*, *& capitalis inimicitia* synonima sunt, 21
& quoad effectum Dispensationes, & Gratias impetrandi ob hanc causam æquiparantur; quia Jura, exclusis tantum levibus inimicitiis, alias omnes in magna consideratione habent, ut bene dictus Pater Leo *l. c.*

At regulariter censetur inimicitia gravis quando orta est ex injuria atroci, & offensus est promptus 22
ad vindictam. Mascard. *de probat. conclus.* 1129. *n.* 5. & faciunt dicta per Merlin. Pignatell. *Controv. Forens. cap.* 66. *num.* 8. Tusch. *conclus.* 149. *num.* 16. *lit. I.*

Gravis etiam censetur inimicitia, quando orta fuit 23
ex controversia omnium bonorum, vel magnæ partis bonorum. Rot *int. impressas post.* 2. *volumen Consilior. Farinacii*, *decis.* 83. *num.* 3. Tusch. *conclus.* 149. *num.* 6. *lit. I.* Mandos. *ad Reg. Canc. Reg.* 16. *q.* 25. *num.* 26.

Vel ex querela criminali, nisi revocata fuerit. Rot. 24
post d. 2. *volumen. Consil. Farinacii*, *decis.* 371. *n.* 12. Tusch. *l. c. n.* 8.

Ardua insuper censetur, & capitali æquiparatur 25
causa pecuniarum, ob quam de maxima substantia controvertitur, quia pecuniæ sunt loco sanguinis. Menoch. *de arbitr. Judic. casu* 110. *num.* 6. vel si sit
super re notabili. Seraph. *decis.* 1076. *num.* 5. vide 26
Boss. *moral. Var. titulo* 4. §. 14. *num.* 133. bona namque temporalia sunt vita hominis, *l. Advocati* 14. 27
C. de Advocat. diversi. Judic. Leo *in dicta Praxi S. Pœnit. l. c. vers. Capitalis*, *pag. Mihi* 307. unde invadens bona alicujus dicitur ejus capitalis inimicus. 28
Tusch. *d. conclus.* 149. *n.* 13. quæ, ac quales sint inimicitiæ graves, satis bene explicat dictus Bossius *l. c.*

Semel inimicus, præsumitur etiam de futuro inimicus, nisi probetur, quod inimicitia cessaverit. 29
Tusch. *conclus.* 147. *num.* 1. *lit. I.* Surd. *cons.* 94. *post num.* 80.

Inimicitia gravis præsumitur continuata, quia quan- 30
do habet odii capitalis radicem ex præterito, præsumitur in præsenti. Tusch. *d. conclus.* 147. *num.* 1. Immo nec præsumitur extincta per mortem inimici offendentis, sed præsumitur contra personam hæ- 31
redis continuare. Tusch. *l. c. num.* 4. *&* 5.

Suspectus de capitali inimicitia debet pro inimico 32
haberi, quia nedum ille, qui odium in mente habet, sed etiam qui inimicitiæ causas habere præsumitur, dicitur inimicus, & repellitur à testimonio, Tusch. *conclus.* 149. *num.* 5. *d. lit. I.*

Inimicus consanguinei mei est mihi inimicus. Ma- 33
scard. *de probat. conclus.* 898. *n.* 39.

Demum animadvertendum est, inimicitias aliunde 34
procedere debere, quam ex causa hujusmodi matrimonii, inter Oratores contrahendi, ut in casu simili diximus *cap. præcedenti num.* 18. quia si procederent ex causa ejus matrimonii, potius Papa Dispensationem denegaret; & sic satis bene ejus mentem declarat in ejus Rescripto, per ea verba, *aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter eos contrahendi provenientes*; prout etiam considerandæ sunt verba ejusdem Rescripti, *Et ante illius tractatum exortæ*; & alia etiam, *Certumque sit, quod si Oratores ipsi matrimonialiter invicem copulentur, inimicitiæ hujusmodi omnino componerentur*. Quæ omnia sunt à Delegato considerandæ, & verificandæ, ut mens Pontificis impleatur, & Dispensatio subreptitia non sit,

CA-

CAPUT VI.

De Causa ob Pacis confirmationem.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensationis ob causam confirmationis pacis de recenti initæ inter Oratores, vel eorum Consanguineos, vel Affines.*
2 *Licet secuta sit pax, nihilominus, si inimicitia fuerit gravis, censetur odium adhuc durare, & ideo ex hac causa Papa dispensat, ad hoc, ut magnum delictum, & malum evitetur,* & num. 3.

1 *QUod cum inter Oratorem ipsum, & Oratricem, necnon Parentes, Consanguineos, vel Affines eorum, graves inimicitiæ viguerint, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter eos contrahendi exortæ; & licet inter eos pax de recenti inita fuerit, nihilominus pro illius confirmatione cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari.*

Inimicitia gravis præsumitur continuare, & dum habet odii capitalis radicem ex præterito, præsumitur etiam de præsenti, ut diximus *cap. præcedenti num.* 2 20. & quidem si inimicitiæ graves fuerint, sicut requiritur ad effectum, ut Papa ob eas dispenset, non præsumitur, statim secuta pace, fuisse omnino sublatum effectum inimicitiarum, sed etiam post ipsam contractum pacem personæ remanent suspectæ, & præsumuntur adhuc retinere animum nocendi, adeo ut à testimonio ferendo repellantur. Clarus *lib.* 5. *Sentent. §. fin. q.* 24. *num.* 6. Mascard. *de Probat. conclus.* 857. *num.* 47. *vol.* 2. Pyrrh. Corrad. *in Prax. Dispensat. Apost. lib.* 7. *c.* 2. Et hanc esse justam causam Dispensationis dicit Paris. *cons.* 68. *num.* 118. *part.* 4.

3 Affinis prædictæ est alia causa, quæ allegatur à Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 11. à Coninck. *de Sacramentis disp.* 33. *dub.* 5. *nu.* 45. Pont. *de Matr. lib.* 8. *cap.* 21. §. 2. *nu.* 21. *in fine*, nempe ad evitandum aliquod magnum delictum; Et sumitur ex Doctrina Divi Thomæ 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. *in corpore*. Nomine etiam magni delicti intelligit satis probabiliter idem Coninck. *l. c.* aliquod grave periculum animæ, quod Oratores, nisi contrahant, certo incurrent; quia Papa, uti Pater universalis, tenetur studere, & invigilare, ne scandala, & peccata sequantur.

CAPUT VII.

De Causa pro Oratrice Filiis gravata.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensandi inter impeditos, ob causam Viduitatis Oratricis, cum multis filiis, & illos alere nequeat.*
2 *In hujusmodi Dispensatione additur Clausula,* Et postquam dictus Orator idonee caverit se dictis filiis alimenta præstiturum.
3 *Hæc non solet admitti, nisi in gradibus remotioribus, & est parum in usu.*
4 *Delegatus ad dispensandum ob hanc causam, debet prius animadvertere, quod Orator præstiterit cautionem de Filios alimentando, & quomodo de ea constare debet,* & num. 5.

1 *QUod cum dicta Oratrix vidua, & quinque filiis* (vel quot sint) *ex alio matrimonio procreatis gravata existat, & dictus Orator illam in uxorem ducere, dictosque ejus filios alere, & gubernare intendat, cupiant invicem matrimonialiter copulari, &c.*

Et additur clausula, *Et postquam dictus Orator idonee caverit, se dictis filiis alimenta præstiturum.* 2

Hæc causa non solet admitti in gradibus propinquis, sed solum in remotioribus; & est parum in 3 usu; quia vix inveniri potest vir, qui velit ducere uxorem, & suscipere in se tam grave pondus alendi alienos filios de suo proprio.

Quando tamen commissa sit Dispensatio ob hanc causam, non poterit Delegatus ad Dispensationem procedere, nisi postquam Orator idonee caverit, se 4 dictis filiis alimenta præstiturum; nec sufficiet simpliciter promittere, sed opus erit vere, & effective per publicum Instrumentum manu publici Notarii, in forma Juris valida, idoneam cautionem præstari. Immo nec sufficiet nudam cautionem, cum simplici hypotheca bonorum præstare, sed debebit cavere sub hypotheca bonorum, & fidejussione; quamvis enim cautionis nomine, nisi ali- 5 quid aliud additum sit, nuda cautio comprehendatur: *l. Sacimus, C. de verborum significatione*; Barbos. *l. Divortio* 8. *§. Interdum numer.* 22. *ff. solut. matrim.* Sanch. *lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 34. nihilominus quando verbo *cautioni* additur aliqua dictio, seu particula, ut *idoneæ, sufficienti, plenæ, rectæ, diligenti*, vel quando Lex mandat caveri causa cognita; vel mandat præstari eam cautionem, quam quis præstare potest, debet præstari cautio cum hypotheca bonorum, & fidejussione, ut prædicta inter alios accuratissime docet idem Sanch. *l. c. num.* 34. *& num.* 35.

CAPUT VIII.

De Causa ob ætatem.

SUMMARIUM.

1 *Quot modis considerari possit ætas, ad dispensandum ob ejus causam.*
2 *Forma Dispensationis ob excessum ætatis, quando scilicet fœmina, quæ attigerit* 24. *annum, æqualem virum non invenit.*
3 *Causa ob excessum ætatis prædictæ admittitur tantum pro innuptis, non tamen pro viduis,* & num. 6.
4 *Legatum factum pro filiabus maritandis, intelligitur de illis, quæ virum non habuerunt, & non de viduis.*
5 *Dictio* Hactenus *excludit tempus præteritum.*
7 *Movetur Pontifex ad dispensandum ob hujusmodi causam, ne Oratrix innupta remaneat cum periculo animæ,* & num. 10.
8 *Filia quæ attigerit* 25. *annum, & Parentes distulerint eam in matrimonium collocare, si ipsa alicui nubat, indigno, libero tamen, pater tenetur dotare, quamvis defuerit ejus consensus.*
9 *Etiamsi fœmina dives sit.*
11 *Pontifex non solum dispensat fœminam, quæ* 25. *annum attingat, sed si dispensandum sit in gradibus remotioribus, eandem concedit, etiamsi* 24. *annum attigerit.*
12 *Si fuerit dictum, fœminam excedere* 24. *annum, & ultra, sufficiet expressio, licet sit intra quadragesimum, vel quinquagesimum annum.*
13 *Aetas coram Delegato verificari solet Libro Baptizatorum.*
14 *Et ex fide Baptismatis, à Parocho ex d. Libro desumpta.*
15 *An probari possit ætas per patrem, & matrem.*
16 *Causa finalis hujus Dispensationis est ætas; & quamvis una dies deficiat, Gratia erit subreptitia, nec posset Delegatus exequi.*
17 *Delegatus in his, quæ à Lege, vel Legislatore determinata sunt, non potest arbitrari.*
18 *Novitius si Professionem emitteret ante annum decimumsextum, licet unus dies solus deficeret, Professio erit nulla, & irrita.*
19 *Qui Testamentum condit ante annum* 14. *completum,*

tum, invalide agit, nisi sit inchoata ultima dies decimi quarti anni.

20 *Rescriptum Papæ, & quælibet alia Constitutio, dum certi anni meminit, sub nomine anni non nisi de perfecto exauditur.*

21 *Qui se fundat in tempore, debet illud concludenter probare.*

22 *Aetas debet esse completa tempore petitæ Dispensationis; nec sufficit, ut ante ejus executionem compleverit.*

23 *Impetrans Beneficium Curatum absque Dispensatione ante legitimam ætatem, non potest illud rite, & legitime possidere etiam adveniente ætate.*

24 *Gratia facta alicui uti Clerico, si tempore signatæ Supplicationis non erat Clericus, non convalidatur, quamvis postea assumat Clericatum.*

25 *Rescriptum ab excommunicato impetratum, etiam subsecuta absolutione nullus est momenti.*

26 *Dictio*, circa, *non solet apponi in Dispensatione ob ætatem, cum debeat attendi ætas narrata, qua non verificata, Gratia est nulla.*

27 *In verificatione Precum coram Delegato, sufficit quod Oratrix* 24. *annum agens hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenerit, nec est necesse, quod in reperiendo viro aliquam fecerit diligentiam.*

28 *Datarius dicitur organum mentis, & vocis Pontificis.*

29 *Et in iis, quæ ad ejus officium spectant, repræsentat Pontificem.*

30 *Si fœmina sponte recusaret nubere, an possit postea dispensari, ut cum impedito contrahat, ob hanc causam,* & num. 32.

31 *Quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio.*

33 *Causa hujusmodi admittitur in omnibus gradibus non valde propinquis, ut in* 2. *&* 3. *a communi Stipite, in ipso tertio, & aliis remotioribus, quamvis ex diversis stipitibus proveniant impedimenta.*

34 *Forma Dispensationis ob defectum ætatis.*

35 *In hac Dispensatione apponitur Clausula*, Dummodo explorata prius voluntate Oratricis, ipsa non vi, metu, aut blanditiis, vel promissionibus, ad matrimonium cum ipso Oratore contrahendum inducatur, nullumque aliud canonicum impedimentum obstet.

36 *Matrimonia impuberum ante septennium contracta, non sunt vere matrimonia, sed resolvuntur in sponsalia per verba de futuro.*

37 *Et nisi ratificentur tempore habili, sunt invalida.*

38 *Aetas ad matrimonium per Canones præscripta, in masculo est annorum* 14. *& in fœmina* 12.

39 *Et in hoc Leges Pontificiæ cum Cæsareis concordant.*

41 *Si factus pubes matrimonium contrahat, & tamen non sit potens ad copulam explendam, matrimonium adhuc erit validum, si id ex ætatis imbecillitate, non autem ex frigiditate proveniat.*

42 *Et proinde expectandum erit donec plenam pubertatem expleverit.*

43 *At si post dictam ætatem adhuc duret impotentia, triennium assignabitur ad experiendum.*

44 *Limita, ut matrimonium ab impuberibus contractum ante præscriptam ætatem non sit nullum, quando malitia suppleat ætatem.*

45 *Quia Canones in nuptiis, non ex annorum numero, sed ex potentia coeundi ætatem decernunt.*

46 *Malitia tamen debet in utroque Conjuge existere, alias qui illa caret poterit resilire.*

47 *Difficile est judicare, quando malitia suppleat ætatem, & tunc dicetur supplere, quando aderit potentia generandi conjuncta cum sufficienti prudentia.*

48 *Et sola prudentia non sufficit, sed requiritur naturalis vigor, & coeundi potentia.*

49 *At si fœmina ante annos* 12. *fuisset ab alio cognita, poterit, defectu ætatis non obstante, contrahere.*

50 *Signa, ob quæ dignosci possit, adesse potentiam puberis ad copulam, referuntur.*

51 *Potentia hujusmodi, regulariter solet citius adesse in nobilibus, & divitibus delicate viventibus.*

52 *Dispensatio Apostolica essentialiter non requiritur ad contrahendum ante annos pubertatis.*

53 *Quia difficile est cognoscere, an adsint hujusmodi qualitates in impuberibus, Episcopi non audent super hoc declarare, & ideo aliquando recurrunt ad Pontificem, & num.* 55.

In dubio præsumendum est, malitiam non supplere, num. 54.

56 *Nulla Dispensatio, seu declaratio in rigore requiritur, quando malitia suppleat; sed quia in dubio non præsumuntur qualitates adesse pro foro externo, matrimonium censetur invalidum; ideo pro utroque foro requiritur cognitio facienda ab Ecclesia super hujusmodi causa,* & num. 57.

58 *Exempla de pueris, qui ante ætatem præscriptam à Canonibus genuerunt, referuntur.*

59 *Proximi pubertati qui dicantur.*

60 *Si malitia suppleat ætatem, & impuberes velint contrahere, quid debeat observare Episcopus, vel Delegatus ante declarationem, quoad cognitionem hujusmodi.*

61 *Forma Decreti faciendi super declaratione, quod potentia existat, & possit contrahi matrimonium, non obstante defectu ætatis.*

62 *Matrimonium si contrahatur ab impuberibus, in quibus malitia non suppleat ætatem, est nullum, nec convalescit superveniente ætate, sed debet iterum contrahi valide.*

63 *Dubitantes de validitate matrimonii contracti per eos ante pubertatem, quo remedio eis succurri possit, quando vellent secrete rem peragere.*

64 *Sed si impedimentum sit publicum ob defectum ætatis, denuo coram Parocho, & Testibus erit contrahendum.*

65 *At si defectus ætatis occultus fuerit, Conjuges superveniente ætate secreto ad invicem præstito, ac renovato consensu, absque præsentia Parochi, & Testium, illud convalidare possunt.*

CAusa, quæ vulgo propter ætatem appellatur, triplici modo potest considerari; Primo, si Oratrix excedat ætatem annorum viginti quatuor, & hactenus virum paris conditionis, cui nubere posset, non invenit; Secundo, dum Oratores sunt minores ætate, quæ ad matrimonium valide contrahendum requiritur, nempe, ann. 14. in masculo, & duodecim in fœmina; Tertio, de senibus, qui in tali ætate, & imbecillitate sunt, ut omnino sint inhabiles ad copulam perficiendam. De his tamen senibus non intendimus modo agere, quia (ultra quam quod probabilius est valide, & licite contrahere, cum adhuc retineant potentiam, saltem in habitu, ut diximus *lib.* 2.) hujusmodi Impedimentum, quatenus matrimonium dirimeret, non esset dispensabile, sicut de impotentia perpetua diximus *lib.* 2. 1

Quod attinet ad excessum ætatis in Oratrice innupta.

Quod cum dicta Oratrix vigesimumquartum, & ultra suæ ætatis annum agens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit, cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari, &c. 2

Præmittendum est, hanc causam non admitti ad dispensandum quoad viduas, sed tantum pro innuptis, quia Lex non curat de viduis. *Authent. Cui relicto, C. de indicta viduitate*; vide Pont. *de matr. lib.* 8. *cap.* 17. §. *ult. num.* 4. adeo ut Legatum, factum pro filiabus maritandis, intelligatur de his, quæ non habuerunt maritum, non tamen de viduis, quæ ad secundas nuptias transire vellent, ut *in Rubr. C. de secundis nuptiis, per tot.* Pyrr. Corrad. 3 4

in Praxi Dispensat. Apost. lib. 7. cap. 2. num. 88. & propterea in Literis Apostolicis Delegato directis apponitur dictio, *hactenus non invenit*; quæ dictio excludit tempus præteritum usque ad illam diem, ut bene Rot. *inter impress. post secund. volum. Consilior.* 6 *Farinacii decis. 258. num. 9.* unde infertur, Oratricem nullum habuisse maritum,

7 Movetur Pontifex ad dispensandum ob hujusmodi causam, ad succurrendum Oratrici, ne cum periculo animæ innupta remaneat; quod idem omnes Leges Civiles intendunt, dum disponunt, fœminam ante annos 25. esse nuptui tradendam, ut *in §. Causas, vers. Si vero, in auth. Ut cum de appell.* 8 *cogn.* & si ad vigesimum quintum suæ ætatis annum pervenerit filia, & Parentes eam in matrimonio collocare distulerint, & contigerit eam ex hoc in suum corpus peccare, aut absque Parentum consensu alicui viro (libero tamen) nubere, pater nihilominus tenetur illam dotare, quamvis indigno nupserit. Sanch. *lib. 4. disp. 26. num. 11.* Bonac. *de Leg. disp. 6. qu. unica, puncto 5. §. 2. propos. 1.* 9 *num. 1.* Stephan. à S. Gregor. *univ. Tract. de vinc. divin. Piet. lib. 3. cap. 95. num. 28.* quamvis etiam ipsa fœmina dives sit. Sanch. *d. disp. 26. num. 4.* Bonac. *l. c. vers. Amplia primo*; quia tunc non sua, sed Parentum culpa id commisisse agnoscitur; & propterea cum fœminam manere innuptam sit causa scandalorum, & peccatorum, Papa ad il-10 la vitanda dispensat, ut si ad dictam ætatem pervenerit, & adhuc virum æqualem non consanguineum, vel affinem, cui nubere posset, non invenit, possit nubere consanguineo; valde enim interest universali Reipublicæ, fœminas nubere, ut animadvertit Fontanell. *de pact. Nupt. tom. 1. claus. 7. Gloss. 3.* 11 *part. 1. nu. 25.* Et non solum dispensat Papa cum fœmina, si annum 25. attingat, ut nubere possit consanguineo, ut dictum fuit; sed si dispensandum sit in gradibus remotioribus, nempe in tertio, & quarto à communi stipite, vel in simplici quarto, sive ex uno communi, sive ex pluribus, & diversis stipitibus impedimenta proveniant, adhuc Dispensationem concedit, si solum attingat annos viginti quatuor, ut notum est, & sciunt omnes pra-12 ctici Curiales. Et quamvis fœmina in quadragesimo, vel quinquagesimo suæ ætatis anno esset, sufficit exprimere, quod vigesimum quartum annum, & ultra agat, quia major ætas includit minorem. Gratian. *discept. forens. cap. 591. num. 19.*

Quomodo autem verificari debeat hujusmodi ætas Oratricis coram Delegato, dic, verificari posse, vel 13 ex Libro, in quo describi solent nomina Baptizatorum in Ecclesia: Paris. *de Resignationib. Benef. lib. 10. q. 3. num. 38.* Lother. *de re Benef. lib. 2. q. 49. num. 32. & 33.* Rubeus *decis. 6. num. 10. tom. 2.* Rot. *cor. Cavaler. dec. 444. num. 4.* vel per fidem 14 Baptismatis, à Parocho ex hujusmodi Libro desumptam. Rot. *decis. 116. n. 1.* coram Buratt. & coram Duran. *decis. 79. num. 5. part. 1.* Mascard. *de Probat. conclus. 671. n. 1.* Gratian. *discept. forens. cap. 767. num. 4.* Coccin. *decis. 334. num. 1. & 2.* Et quamvis Alex. de Nevo *cons. 1. num. 11.* inferat, posse 15 probari hujusmodi ætatem per patrem, matrem, & fratres Oratricis, id tamen non admitterem, cum hominum memoria fallax sit, & facillime quis possit quoad hoc decipi: & cum causa finalis Dispen-16 sationis sit ætas Oratricis, si non verificaretur coram Ordinario, quamvis etiam una dies sola deficeret, Gratia esset subreptitia, nec posset Delegatus Dispensationem exequi. Paul. Squillant. *de Privileg. Clericor. cap. 4. num. 81.* Ricc. *in Prax. dec. 261. num. 2.* Pont. *de Matr. lib. 8. cap. 20. n. 2.* Garz. *de Benef. part. 6. cap. 2. num. 85.* Paris. *de Resignat. Benef. lib. 4. q. 2. num. 17.* quia in his, 17 quæ à Lege, vel à Legislatore sunt determinata, & limitata, non licet Delegato arbitrari. Sanch. *lib. 1. disp. 16. num. 4.* & nos plures alibi diximus; 18 & à simili, si Novitius profiteretur Religionem ante annum decimum textum completum, quamvis unus solus dies deficiat, Professio erit irrita, & nulla. Concil. Trid. *sess. 25. cap. 15.* Bonac. *de Matr. q. 1. punct. 4. propos. 1. num. 3. vers. Objicies secundo*; sic qui Testamentum condit ante annum 14 completum, invalide agit, nisi inchoata 19 sit ultima dies decimi quarti anni, *l. Qua ætate, ff. qui testamentum facere possunt*. Et dum Rescriptum Papæ, sicut quælibet alia Lex, vel Constitutio, certi anni, vel certorum annorum meminit, sub nomine anni non nisi de perfecto exauditur, nempe per 365. dies. Coninck *de Sacrament. Disp. 21. Dub. 5. num. 51.* Marant. *Resp. 46. num. 18. & sequent. part. 4.* Lother. *de Re Benef. lib. 2. q. 47. num. 18.* & qui se fundat in tempore, debet illud concluden- 21 ter probare. Lother. *d. lib. 2. quæst. 7. num. 44. & quæst. 54. num. 95. eodem lib. & lib. 3. q. 10. num. 63.* Garzia *de Benef. part. 6. cap. 2. §. 2. num. 176.* Mantic. *decis. 169. num. 6.* Hieronym. Palm. *cons. 9. num 25.* Marescott. *Var. Resol. cap. 1. num. 7. lib. 2.* Caputaquens. *decis. 278. num. 5. part. 3.* Seraphin. *decis. 1169. num. 2.* Mascard. *conclus. 666. num. 47.* Rot. *decis. 1162. num. 3. lib. 3. part. 3. diversi.* Rot. coram Merlin. *dec. 496. num. 1.* Rot. *in posthum. Farinacii decis. 36. num. 6. part. 2.* Immo 22 nec sufficit, si tempore executæ Dispensationis Oratrix expressam ætatem compleverit; sed oportet, ut etiam tempore petitæ Dispensationis illam expleverit. Garz. *de Benef. d. cap. 2. num. 285.* Ricc. *in Praxi decis. 261. num. 2.* Pont. *de Matrim. lib. 8. cap. 20. num. 2.* Cæs. de Graff. *decis. 66. alias 20. n. 4.* Puteus *dec. 187. lib. 1.* Paris. *de Resignat. Benef. lib. 4. q. 2. n. 17.* vide quæ diximus *lib. 1.* Sicut enim is, qui impetraret Beneficium Curatum absque Dispensatione, ante ætatem legitimam non 23 posset illud rite, & legitime possidere adveniente ætate, ut est Textus *in l. Quod ab initio, ff. de reg. jur.* Sperell. *dec. 16. n. 22.* & sicut Gratia alicui, uti Clerico, à Papa facta, nulla est, si tempore signa- 24 tæ Supplicationis non erat Clericus, nec convalidatur, quamvis postea assumat Clericatum, idem Sperell. *decis. 167. num. 31. & num. 32.* Lother. *de Re Benef. lib. 1. qu. 40. num. 126. & 127.* & sicut Rescriptum ab excummunicato impetratum, etiam 25 subsecuta absolutione, nullius est momenti, Silv. *de Benef. part. 3. q. 6.* Sperell. *decis. 166. num. 13.* Paris. *de Resignat. Benef. lib. 4. q. 13. num. 49.* sic expressa ætate Pontifici, quam Oratrix non habet, Rescriptum inde emanatum est nullum, cum sit su- 26 breptio in casu finali, at alibi diximus; & cum hujusmodi ætas expressa fuerit absolute, & simpliciter, absque dictione, *vel circa* (quæ tamen de stylo non solet in casu, de quo agimus, apponi, ut sciunt omnes practici Curiales) narrativa videtur individua ratione formæ. Garz. *d. part. 6. cap. 2. §. 2. num. 174.* Pont. *lib. 8. cap. 20. num. 2.* Rot. *decis. 221. part. 2. diversi.*

Cæterum, quamvis in Dispensationibus, quæ conceduntur ob angustiam Loci, Papa mandet Delegato, ut se diligenter informet de veritate precum, & si eas veritate niti repererit, dispenset; tamen dum Dispensatio ob hanc causam excessus ætatis Oratricis petitur, diversimode rescribit; cum in primo casu dicat, Oratricem in ejus Oppido, ob illius angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; at in casu, de quo agimus, non utitur 27 verbis, invenire nequeat, sed dicit; quod dicta Oratrix vigesimum quartum annum agens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere posset, non invenit: unde in verificatione Precum, coram Delegato facienda, sat erit verificari Oratricem hactenus virum paris conditionis non inveniisse, hoc est alicui non nupsisse; nec opus erit probare, quod in repe- 37 riendo viro aliquam diligentiam adhibuerit, quia præsumptio stat pro ipsa, quod si invenisset virum æqualis conditionis, nupsisset; ut animadvertit Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispens. Apost. lib. 7. cap. 2. num. 93.* ubi refert, sic fuisse ab Urbe responsum Episcopo Hostunen. & de anno 1639. sic fuisse declaratum à Domino Datario Urbani VIII. Summi Pontificis, quod sufficere videtur, cum Datarius dicatur organum mentis, & vocis Papæ. Gonzal. *ad Reg. 8.*

Cæ-

Cancell. Gloss. 63. *num.* 60. Lother. *de Re Benef. l.* 2. *quæst.* 23. *num.* 26. Puteus *dec.* 340. *l.* 3. Marant. *Resp.*
29 21. *numer.* 18. *part.* 1. & in his, quæ ad ejus officium spectant, repræsentet ipsum Pontificem. Gonz. *l. c. à num.* 66. Lother. *l. c.* & id quod facit, videatur facere de mandato ipsius Papæ. Puteus, & Responsa Marantæ *ll. cc.*

Limitat tamen idem Pyrrh. Corrad. *l. c.* itaut prædicta non procedant eo casu, quo ipsa fœmina ex
30 sua spontanea voluntate nubere recusasset, quia tunc vere per ipsam stat, ne nubat, unde cessat præsumptio mentis Papæ, qui ideo intendit Dispensationem concedere ob dictam causam, quatenus vere non inveneritvirum: quod si ex sua voluntate nubere recusavit, sibi imputet, cum ex sua culpa sibi præjudicaverit; & damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi, & non aliis debet imputare. *Regul. Damnum* 87. *de regul. juris in* 6. Quamvis autem hujus Doctoris, tanquam doctissimi viri, auctoritas magna sit, tamen contrarium puto verius; licet enim fœmina à principio in animo suo proposuerit innupta remanere, tamen cum ambulatoria sit hominum voluntas, & humanæ res non semper in eodem statu permaneant, & quæ de novo emergunt, novo indi-
31 gent remedio, Tusch. *concl.* 145. *num.* 1. *lit. F.* nullam culpam videtur admittere, si casus eveniat, ut animo mutato nubere velit; unde si major ea ætate sit, & petat Dispensationem ob dictam causam, eam Dispensationem validam esse existimo: tum quia vere major est, ut supponimus; tum etiam quia intentio Papæ in hujusmodi Dispensatione concedenda est
32 succurrere fœminæ, ne cum periculo animæ innupta remaneat; unde cum hujusmodi periculum æque timeri possit in ista, ac in alia fœmina, non videtur, cur hæc fœmina ob hujusmodi causam excessus ætatis dispensari non possit.

33 Tandem concludo, hanc causam admitti in omnibus gradibus non valde propinquis, nempe in secundo & tertio à communi stipite, in ipso tertio & in aliis remotioribus, quamvis etiam ex diversis, & multiplicatis stipitibus impedimenta proveniant, ut notum est, & dicit Pyrrh. Corrad. *d. cap.* 2. Est quod modo de Dispensatione ob ætatis defectum nonnulla dicamus.

34 *Quod dicti Oratores ex certis, & rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupiant invicem matrimonialiter copulari; & licet Oratrix undecimum tantum suæ ætatis annum agat, in ea tamen malitia suppleat ætatem, ut de jure matrimonium contrahere possit, nihilominus ne de contractu matrimonii hujusmodi hæsitari contingat, supplicant humiliter S. V. Oratores prædicti, quatenus eis in præmissis opportune providendo, sibique specialem gratiam faciendo, Ordinario Loci, seu illius Vicario in Spiritualibus Generali committere, & mandare dignetur, quod de prædictis se informet, & si per informationem eandem sibi vere, & legitime constiterit, in prædicta Oratrice malitiam supplere ætatis defectum, cum eisdem Oratoribus, quod, defectu hujusmodi non obstante, matrimonium inter se, publice, servata forma Concilii, contrahere, &c. valeant, prout Juris fuerit, declaret, non obstantibus &c.* Et apponitur clausula,
35 *Dummodo explorata prius voluntate Oratricis, ipsa non vi, metu, aut blanditiis, aut promissionibus ad matrimonium cum ipso Oratore contrahendum inducatur, nullumque aliud Canonicum obstet Impedimentum, &c.*

In primis adnotandum est, matrimonia impuberum, si ante septennium contrahantur, non esse ve-
36 re matrimonia, sed resolvi in sponsalia per verba de futuro. *cap. final. & cap. Attestatione, de sponsi. im-*
37 *puber.* & nisi ratificentur tempore habili, invalida esse, ut notatur in *cap. De illis il* 2. *eod. tit.* Hostiens. *in Summ. de Desp. Impuber. §. Et quæ sponsalia col. penult. &c.*

38 Ætas ad matrimonium per Canones præscripta est in masculo annorum quatuordecim, *cap. Ex Literis* 11. *de Desponsat. impuber.* & in fœmina duodecim. *cap. Continebatur* 6. *eodem tit.* Hæc autem differentia à Sacris Canonibus constituitur, quia potentia generandi tardius in viris, quam in fœminis acquiritur; vide Sanch. *l.* 7. *disp.* 105. *in princ.* Bonac. *de matr. q.* 1. *punct.* 4. *prop.* 2. *n.* 12. & in hoc omnes Leges, tam Pontificiæ, quam Cæsareæ concordant, 39
quia circa ætatem ann. 14. homo incipit ferre semen, teste Aristotele *l.* 5. *de nat. animal. cap.* 14.

An autem dicti anni esse debeant omnino comple- 40
ti, dissident Doctores. Aliqui existimant, requiri de necessitate, ut dicti anni sint completi, vel saltem ultimam diem inceptam esse; ita Sanch. *l.* 7. *disp.* 105. *num.* 2. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 3. *numer.* 84. Coninck *de Sacramentis, disp.* 21. *dub.* 5. *numer.* 51. Aversa. *de matr. quæst.* 13. *sect.* 2. *vers. Et intelliguntur*. Alii putant, sufficere, ut dicta ætas sit moraliter completa, unde licet duo, vel tres dies deficiant, debeat haberi pro completa, Gutier. *de matr. cap.* 4. *n.* 18. Bonac. *de matr. q.* 1. *punct.* 4. *n.* 11. & alii plures relati à dictis Sanch. & Bonac. *ll. cc.*

Quod si pubes factus contrahat matrimonium, & tamen non sit potens ad copulam explendam, matri- 41
monium adhuc validum erit; si id ex ætatis imbecillitate, non autem ex frigiditate proveniat, ut bene Filiuc. *l. c. num.* 86. quia cum naturalis potentia tunc per Canones præsumatur, & raro accidat post dictam ætatem non adesse hujusmodi potentiam, Lex de raro contingentibus non curat, & solum attendit ad id, quod communiter accidit. *l. de ætate, §. ex causa, ff. de interrog. ait.* Tusch. *Pract. conclus. concl.* 145. *num.* 1. *lit. F.* & proinde expectandum erit, donec plenam pubertatem expleverit; nempe decimum octavum annum, quoad masculos, & decimum quar- 42
tum in fœmina. At si post dictam ætatem, adhuc duret impotentia, triennium assignabitur ad expe- 43
riendum; vide Sanchez *libr.* 7. *disp.* 104. *num.* 18. Filiuc. *dict. cap.* 3. *num.* 87. Layman. *lib.* 5. *tractat.* 10. *part.* 4. *cap.* 12. *num.* 2. Coninck *disp.* 31. *dub.* 7. *num.* 34.

Prædicta tamen sunt intelligenda, ut matrimo- 44
nium, ante præscriptam ætatem ab impuberibus contractum, sit nullum, nisi malitia suppleat ætatem; quia si hæc vere adsit, quamvis etiam multi dies, ac menses deficiant, valebit hujusmodi matrimonium, ut bene docent Aversa. *loc. c. vers. eodem itaque jure*. Sanch. *l.* 7. *disp.* 104. *num.* 5. Layman. *d. cap.* 12. *num.* 1. Bonac. *de matr. quæst.* 1. *punct.* 4. *prop.* 1. *num.* 2. *& prop.* 2. *num.* 10. Mantic. *de conject. l.* 5. *titul.* 12. *num.* 3. Reginald. *l.* 31. *cap.* 22. Soac. *super Inst. part.* 2. *tit.* 10. *de Sponsi. Requisit.* 3. *n.* 8. Tusch. *concl.* 125. *num.* 10. *lit. M.* Menoch. *de Arbitr. cap.* 57. *num.* 31. late Gutier. *de matr. cap.* 63. *num.* 43. latissime Boss. *Mor. Var. tit.* 2. §. 14. *num.* 110. quia Canones in nuptiis pubertatem, non ex annorum numero, sed ex coeundi potentia decernunt; & eam 45
ætatem 14. in masculo, & duodecim annorum in fœmina, ideo præscribunt, quia tunc, & non ante, regulariter præsumitur habilitas, non solum ad consensum conjugalem, sed etiam ad copulam; quare si de utroque ante dictam ætatem clara indicia appareant, non est cur matrimonium ante illam contractum debeat esse nullum, sed tunc cedit veritati præsumptio; sic colligitur *ex cap. De illis el sec. cap. Puberes* 3. *& cap. fin. de desp. impub.* sic etiam Covarruv. Minsing. Mascard. Sanazz. Gutier. Barbos. & alii penes dictum Boss. *loc. c.* Debebit tamen hujusmodi ma- 46
litia in utroque Conjuge existere, unde qui illam non habet, potest resilire. Lancellott. *Inst. Can. titul. de Sponsi.* 10. *l.* 2. *pag. mihi* 196.

Nomine malitiæ intelligitur hoc casu prudentia, & potentia, ut communiter explicant Doctores: inter quos Sanch. *d. disp.* 104. *n.* 21. Aversa. *de matr. q.* 13. *sect.* 2. *vers. Eodem itaque jure*. Filiuc. *d. cap.* 3. *n.* 84. *in fine*, Bonac. *d. punct.* 4. *prop.* 1. *n.* 2.

Porro difficile est judicare, quando malitia sup- 47
pleat ætatem; tunc tamen supplebit, quando aderit potentia generandi, conjuncta cum sufficienti prudentia; itaut contrahentes naturam conjugalis contractus cognoscant. Bonac. *de matr. quæst.* 1. *punct.* 4. *propos.* 2. *num.* 10. Nec sola prudentia sufficit, sed requiritur etiam naturalis vigor, & coeundi po- 48
tentia. Rot. coram Buratto *in Annot. ad decis.* 530.

Alex. de Nevo *conſ.* 1. *n.* 13. Sanch. *l.* 7. *d. diſp.* 104. *n.* 5. Molpheſ. *tom.* 2. *part.* 4. *q.* 19. *n.* 3.

49 At ſi fœmina ante annos 12. fuiſſet ab alio cognita, poterit, defectu ætatis non obſtante, contrahere. Alex. de Nevo *l. c. n.* 9. Sylveſt. *verb. matr.* 5. *q.* 3. Filiuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 88.

50 Signa, ob quæ dignoſci poſſit, adeſſe potentiam puberis ad copulam, explicat Filiuc. *l. c,* nempe, ſi fœmina impubes ſit ab alio cognita; ſecundo nixus ad copulam; menſtruum in fœmina; ſi puer aptus ſit ad ſeminis effuſionem: probatur inſuper ex aliis ſignis arbitrio Judicis, inſpecta perſonæ qualitate, membrorum diſpoſitione, & bona valetudine; regulariter autem in nobilibus, & divitibus delicate viventibus, ſolet citius adeſſe potentia, ut animadvertit Rot. coram Merlin. *dec.* 400. *n.* 10.

52 Nec Diſpenſatio Apoſtolica eſſentialiter requiritur ad matrimonium contrahendum ante annos pubertatis, quia, ut diximus, validum eſt hujuſmodi matrimonium, quatenus malitia vere adſit; ſed quia Canones ante dictam ætatem non præſumunt malitiam, ideo, ut Eccleſiæ conſtet in eo caſu eam adeſſe, ad hoc ut hujuſmodi matrimonium licitè contrahatur, requiritur, ut Epiſcopus auctoritate ſua ordinaria captis informationibus oportunis, diſpenſet, ſeu potius declaret, ut dicta potentia, & prudentia concurrant; Bonac. *de matrim. quæſt.* 1. *punct.* 4. *prop.* 1. *numer.* 13. Reginald. *in Prax. For. Pœnit. l.* 31. *cap.* 22. *num.* 171. Filiuc. *d. cap.* 3. *num.* 85. Barboſ. *de Offic. & Poteſt. Epiſc. alleg.* 35. *num.* 20. *& de Offic. Paroch. cap.* 21. *nu.* 5. Averſ. *de matr. quæſt.* 19. *ſect.* 2. *verſ. Secundo in impedimentis*, & probabile cenſet Sanch. *l.* 7. *diſp.* 105. *num.* 12. & colligitur *ex cap. Ubi non eſt* 2. *de diſpenſat. impub.* in quo Nicolaus Papa prohibet, ne aliqui, ante ætatem à Canonibus præſcriptam, conjungantur, niſi forte aliqua urgenti neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur: Unde cum Papa Diſpenſationem ſibi non reſervet, cenſetur Epiſcopo conceſſa, per ea, quæ late diximus *lib.* 2. At quia difficile

53 eſt cognoſcere, an vere qualitates requiſitæ in impuberibus concurrant, ut matrimonium inter ſe contrahere valide, & licite poſſint, & in hac materia Doctores ſatis obſcure ſcripſerint, multoties Epiſcopi non audent ſuper hoc declarare, ne in re tam difficili ſe exponant periculo nulliter, & invalide declarandi;

54 cum in dubio præſumendum ſit, malitiam non ſupplere ætatem, ut diximus, & docent Sanch. *l.* 7. *diſp.* 105. *n.* 4. Bonac. *d. punct.* 4. *num.* 10. unde fit, quod

55 aliquando ad Papam recurratur, qui tamen non ſolet diſpenſare, niſi malitia ſuppleat ætatem; ſic diſpenſavit Gregorius XV. die 11. Aprilis 1622. cum Duce Fiani annorum 11. & Principiſſa Venuſii annorum 11. ut teſtatur Pyrrh. Corrad. *in Prax. Diſp. Apoſt. l.* 4. *cap.* 3. ſic Clemens VIII. de Anno 1602. diſpenſavit cum Principiſſa Sarni, minore annis 12. teſte Thom. Pelliccion. *QQ. Illuſtr. I. V. q.* 29. *cap.* 29. *pag. mihi* 232. *col.* 2. *verſ. Declaratur.*

56 Immo in rigore, nulla Diſpenſatio, ſeu declaratio requiritur ad validitatem hujuſmodi matrimonii, ante dictam ætatem contracti, ſi dicta potentia, & prudentia concurrant; ſed tamen, cum non præſumatur has qualitates adeſſe, unde in dubio præſumi

57 debet contra validitatem matrimonii pro foro externo, in quo de prohibitione conſtat, at de malitia ætatem ſupplente non conſtaret, ideo ad hoc ut hujuſmodi matrimonium pro utroque foro validum ſit, oportet, ut Eccleſiæ conſtet de cognitione cauſæ ab Epiſcopo facta, & proinde quod malitia ſuppleat ætatem Oratorum, ut bene Reginald. *l.* 31. *cap.* 22. *nu.* 171. Surd. *conſ.* 364. *per totum*, *vol.* 4. cum cognitio impedimentorum matrimonialium ad Epiſcopum ſpectet, ut diximus *lib.* 1.

58 Et quidem plura exempla recenſentur de pueris, qui ante dictam ætatem à Canonibus præſcriptam prolem generarunt, de quibus nonnulla habentur penes Socc. *ſuper Inſtitut. part.* 2. *titulo de Sponſal. requiſito* 3. *numer.* 8. Refert Divus Gregorius in Decalogo, quendam puerum novem annorum ſuam Nutricem prægnantem reddidiſſe, S. Hieronymus ad Vitalem teſtatur, Salomonem in ætate decem, ſeu undecim annorum Roboam; & in eadem ætate Achaz Ezechiam generaſſe. Tiraquell. *de Leg. Connub. l.* 6. *numer.* 37. refert, quandam puellam in nono ſuæ ætatis anno peperiſſe, & ut plurimum, qui in delitiis nutriuntur, citius aliis naturali robore, & vigore, ac corporis mole, & diſpoſitione pollent, & Plinius *l.* 7. *narratur hiſt. cap.* 2. teſtatur fœminas, in quibuſdam regionibus, etiam ſeptimo ſuæ ætatis anno parere poſſe.

Proximi pubertati dicuntur, maſculus, quando 59 habet annos decem cum dimidio, & fœmina annorum 9. cum dimidio, ut docet Sperell. *dec.* 1. *n.* 27. *part.* 1. quamvis non poſſit conſtitui certa regula pro omnibus, quia citius in uno, & tardius in alio naturalis vigor adeſt; unde arbitrio Judicis eſt relinquendum.

Si itaque in impuberibus, qui contrahere volunt, 60 malitia ſuppleat ætatem, debebit Epiſcopus, ſeu Delegatus, antequam ad hujuſmodi declarationem deveniat, puellam impuberem ſeorſum à conſanguineis interrogare, ejuſque voluntatem diligenter explorare, an videlicet ipſa velit nubere, & cui. An ſciat, quid ſit onera matrimonii ſuſtinere. An matrimonium contrahat ex ſua ſpontanea, & libera voluntate, aut per vim, & metum coacta, aut ſi ob id datum aliquid, vel promiſſum ſit, vel inde ſperet. An ipſa noſcat ſe aptam ad hujuſmodi matrimonium contrahendum, illiuſque onera ſuſtinenda. Non tamen prædicta ſufficient, ſed opus erit examinare teſtes, & diligentes informationes ſumere pro verificatione prædictorum. Quibus habitis, & comperto, 61 puellam illam talem exiſtere, ut in ea vere malitia ſuppleat ætatem, ſi aliud non obſtet, fiet Decretum, quo declarabitur, *Quod tum ex depoſitionibus ipſius Puellæ, tum ex Informationibus diligenter habitis à Perſonis viridicis, & fide dignis, conſtitit, & conſtat prædictam fœminam, quamvis in undecimo tantum anno conſtitutam, talem exiſtere, ut malitia in ea ſuppleat ætatis defectum; & cum ex actu explorationis voluntatis ipſis per dictum Delegatum facto compertum fuerit, ipſam Oratricem ſponte, & non vi, metu, blanditiis, aut promiſſionibus ad matrimonium cum d. Oratore contrahendum induci, nullumque aliud eis obſtare Canonicum Impedimentum, cum ſupradictis M. & N. ut, defectu ætatis hujuſmodi non obſtante, matrimonium inter ſeſe, publice, ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere libere, & licite valeant Auctoritate Apoſtolica* (ſi à Delegato fiat declaratio) *ſibi commiſſa, & qua in hac parte fungitur, licentiam, & facultatem concedat. Non obſtantibus, &c.*

Porro id eſt ſingulariter adnotandum, quod ſi matrimonium contrahatur ab impuberibus, in quibus malitia non ſuppleat ætatem, hujuſmodi matrimo- 62 nium eſt nullum, adeout, nec ſuperveniente ætate, & malitia, convaleſcat, ſed neceſſe eſt, ut de novo Conjuges in matrimonium conſentiant coram Parocho, & Teſtibus; Averſ. *de matr. q.* 11. *ſect.* 4. *verſ. Quantum ad primum*, & nos alibi diximus.

Non tamen deſeram adnotare ſingulare conſilium Navarr. *libr.* 4. *Conſilior. titul. de Sponſ. conſ.* 11. *in prim. edit.* ad ſuccurrendum illis, qui dubitarent de 63 validitate matrimonii, ab eis ante pubertatem contractis: nempe, ut dicant Ordinario, quod ipſi ob quandam cauſam, quam non oportet ei notam facere, habent ſcrupulum, qui jam ceſſavit, de valore matrimonii coram Parocho, & Teſtibus ante tot annos contracti, & quod ad illum deponendum, vellent denuo contrahere; & propterea ſupplicant, ut eis det licentiam, id coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ejus licentia, non præmiſſis Denunciationibus, per Concilium Tridentinum requiſitis, celebrandi, attento quod jam antea cum illis contraxerunt. Et deinde, conceſſa ab Ordinario hujuſmodi licentia, adeant proprium Parochum, vel alium Sacerdotem, cui ipſe, vel Ordinarius ad aſſiſtendum matrimonio contrahendo licentiam conceſſit, & vocatis duobus, vel tribus teſtibus

ami-

amicis communibus, qui rem ſecretam teneant matrimonium de novo ſecreto contrahant; quod idem confirmant Sayr. *in Florib. lib.* 4. *titul.* 1. *deciſ.* 15. & Pyrrh. Corrad. *in Prax. Diſpenſat. Apoſt. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 20. ubi refert, quod ſuo tempore cum hic caſus eveniſſet in quodam loco Alerien. Diœceſis, & Oratores omnia juxta conſilium dicti Navarri adamuſſim peregiſſent, & tamen Conjuges de validitate matrimonii adhuc hæſitarent, res delata fuit ad Sacram Congregationem Cardinalium, quæ ſuis Literis, Epiſcopo Alerien. directis, ſub data diei 17. Julii 1616. omnia approbavit.

64 Quicquid tamen per ſupradictos Conjuges factum fuerit, non recederem à noſtra ſententia, nempe, ſi matrimonium fuit cum hujuſmodi defectu celebratum, & hoc impedimentum publicum ſit, eo caſu coram Parocho, & Teſtibus eſſe denuo celebrandum, ſervata forma Concilii Tridentini: At ſi 65 defectus ætatis occultus fuerit, poſſe Conjuges, ſuperveniente ætate legitima, ſecreto ad invicem præſtito, ac renovato conſenſu, illud convalidare, abſque præſentia Parochi, & Teſtium, ut docet Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 37. *n.* 6. & plures alii, quos propterea *lib.* 1. citavimus.

CAPUT IX.

De Cauſa, quia Locus eſt ad Litus Maris.

SUMMARIUM.

1 *Formula Diſpenſationis inter impeditos ob cauſam, quia Locus eſt ad Litus Maris, & propterea quotidie Piratis, & Infidelibus obnoxius eſt.*
2 *Hæc cauſa eſt ſimilis cauſæ ob angustiam Loci, & omnia in ea dicta adaptari poſſunt.*
3 *Papa movetur ad diſpenſandum in cauſa præſenti, ne fœmina cum periculo animæ remaneat innupta, cum locus non patiatur, ut externi homines ad eum accedant.*

1 *QUod, cum dictus Locus Oratorum ad litus Maris ſitus exiſtat, & propterea continuis Piratarum, & Infidelium invaſionibus obnoxius, unde externi homines cum difficultate, ſeu non ita libenter ad contrahendum cum ejuſdem habitatoribus ad illum accedere velint &c. cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari &c.*

2 Hæc cauſa eſt ſimilis alteri, quam ſupra diximus, ob anguſtiam Loci? & cum omnia ibi dicta, etiam in præſenti cauſa adaptari poſſint, non eſt quod ulterius dilabamur ad explicandum. Papa movetur in caſu præſenti ad diſpenſandum, ne fœmina cum periculo animæ innupta remaneat; cum 3 etenim ſitus, & loci qualitas non patiantur, ut externi homines ad illum accedant pro contrahendo matrimonio cum fœmina ejuſdem Loci, redditur difficile, ut nubat æquali, non conſanguineo, vel affini, & ſicut diximus præſenti Libro, undecunque proveniat difficultas nubendi, ſufficit ad verificandum Loci anguſtiam.

CAPUT X.

De Cauſa, quæ vulgo dicitur, *pro Belgis*.

SUMMARIUM.

1 *Formula Diſpenſationis cum impeditis ob cauſam, quia Oratores ſunt Catholici, & nolunt cum Hæreticis contrahere, quæ dicitur pro Belgis.*
2 *Finis, qui movet Pontificem ad diſpenſandum, eſt, periculum perverſionis Catholici Conjugis.*
3 *Et non ſolum in ipſo Conjuge, ſed etiam in filiis.*
4 *Filii Presbyterorum prohibentur ad Sacros Ordines promoveri.*

QUod cum dicti Oratores Orthodoxæ Fidei cultores exiſtant, ac Deo dante ſub obedientia S. Matris Eccleſiæ vivere, & mori intendant, & in illis partibus, in quibus multi extant Hæretici, non poſſint animos ſingulorum explorare, & eos, qui Catholicam Religionem profitentur, internoſcere; & propterea ne contingat eos cum Hæreticis matrimonium contrahere, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, &c. 1

Finis, qui movet Pontificem ad diſpenſandum ob 2 ſupradictam cauſam, eſt periculum perverſionis Catholici Conjugis, juxta illud; Cum bono bonus eris, & cum malo perverteris; & regulariter ſimiles illis præſumimur, quibuſcum eſt amicitia, familiaritas, & conſuetudo. Tiraquell. *de Legib. Connub. l.* 5. *num.* 28. & non ſolum eſt periculum perverſionis in ipſo Conjuge, ſed in prole ex hujuſmodi matrimonio ſuſcepta, quia filii ſimiles parentibus 3 eſſe ſolent. Tiraquell. *l. Connub.* 7. *num.* 2. ubi multas rationes cumulat, & quidem aquila non generat columbam, & beſtia ex Beſtia generatur, ut bene notat Tiraquell. *d. l.* 5. *num.* 20. unde multoties verificatur, quod *Morbida facta pecus totum corrumpat ovile*.

Et ideo Filii Presbyterorum prohibentur ad Sa- 4 cros Ordines promoveri ob timorem, ne parentum incontinentiæ imitatores ſint. Tiraquell. *d. l.* 7. *num.* 3. & ob id ſi in hæreſim lapſus ſit Conjux, eſſe juſtam cauſam diſpenſandi in matrimonio rato diximus *lib.* 2.

CAPUT XI.

De Cauſa, vulgo dicta, *pro Germania*.

SUMMARIUM.

1 *Formula Diſpenſationis ex cauſa dicta* pro Germania, *quæ eſt quando Oratores colunt Fidem Orthodoxam, & in illis partibus non ſatis tutum ſit contrahere cum quibuſvis perſonis, ipſique Oratores pares ſunt Religione.*
2 *Hæc cauſa ſimilis eſt proxime adductæ, & in una idem finis eſt.*
3 *Papa movetur ad diſpenſandum, ne Conjux Catholicus pervertatur; prout nec proles.*

QUod cum Oratores prædicti noverint ſe Fidei Orthodoxæ Cultores, ac Deo dante ſub obedientia S. Romanæ Eccleſiæ vivere, & mori intendant, & in illis partibus non ſatis tutum ſit cum quibuſvis perſonis matrimonium contrahere, ipſique Oratores pares Religione exiſtant, &c. Cupiunt, &c. 1

Hæc cauſa eſt germana, & affinis alteri ſupra pro- 2 xime adductæ, & utraque ad unum finem tendit, nempe, ne Conjux Fidelis cum Infideli contrahendo pervertatur; prout etiam proles: & Papa movetur ad diſpenſandum, ut matrimonium inter Catho- 3 licos, & Religione pares contrahatur, tum ob periculum ſeductionis, & perverſionis Catholici, tum quia matrimonium Fidelis cum Infideli prohibitum eſt de Jure Divino naturali, & propterea illicitum, niſi adeo urgens cauſa in aliquo ſpeciali caſu occurreret, ut matrimonium tunc ineundum eſſe judicaretur, ut bene Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 71. *num.* 5. & nos late diximus *lib.* 2.

CAPUT XII.

De Causa ob excellentiam meritorum.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensationis ob causam excellentia meritorum, quæ dicitur, quando quis diutius pro Fide Catholica militavit, & vulnera passus sit, & his similibus de causis.*

2 *Movetur Papa ad dispensandum ob hanc causam, quia justum est, ut Ecclesiæ benignitatem experiantur, qui apud ipsam benemeriti sunt, & qui pro Fide bene se gesserunt, remunerentur.*

Pontifex movetur non solum ex meritis Oratoris, sed aliquando etiam in gratiam, & ad instantiam aliorum benemerentium, num. 14.

3 *Immo Pontifex tenetur eos remunerare, qui suis Antecessoribus servitia laudabiliter præstiterunt, & quorum industria Ecclesia sæpe adjuta fuit.*

4 *Gratia, quæ fit ob remunerationem, non est mere Gratia, sed actus oneros us, transiens in vim contractus.*

5 *Confert bono publico, ut qui pro Ecclesia, & in ejus servitium se bene gesserunt, remunerentur; & pro hujusmodi remuneratione bona Ecclesiæ possunt donari.*

6 *Nec propterea sunt necessariæ solemnitates requisitæ in simplici donatione.*

7 *Ex causa remunerationis potest constitui Pensio super Beneficiis.*

8 *Merita hujusmodi, cum sint causa finalis Dispensationis, debent coram Delegato probari, cum non præsumantur, &* num. 12.

9 *Nec debet stari assertioni partis.*

10 *Quia non sunt ex illis qualitatibus, quæ ad pompam, & ornatum Literarum ponuntur, de stylo Cancellariæ.*

11 *Quæ etiamsi falso allegentur, nec probentur, Gratia non vitiatur.*

13 *Delegatus non poterit dictas Literas exequi, nisi eadem merita coram eo verificentur.*

1 QUod ipse Orator olim Præfectus Arcis Portus Herculis existens (seu ob aliam causam, prout res vere se habebit) spatio triginta fere annorum, Philippo Hispaniarum Regi Catholico in pluribus Bellis contra Fidei Catholicæ Hostes dimicando inservivit, in quibus plura vulnera recepit, ac Turcarum, & Hæreticorum in partibus illis servus effectus, ut se ab hujusmodi Turcarum, & Hæreticorum respective captivitate liberaret, magnam pecuniarum summam exposuit; Cupiunt propterea &c.

2 Papa movetur ad dispensandum ob hanc causam, quia dignum est, & justum, ut Ecclesiæ benignitatem experiantur, qui apud ipsam benemeriti sunt, & bono publico valde expedit, ut qui pro Fide Catholica, seu Romana Ecclesia, & in ejus servitiis bene se gesserunt, remunerentur, unde ipsi, & alii etiam, ad similia, & alia majora peragenda alliciantur, & animosiores reddantur, ut bene Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 19. *nu.* 32. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 2. *n.* 10. *tom.* 3. Capyc. Latr. *decis. Sacri Concilii Neapolit. decis.* 199. *nu.* 32. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 93. Coninck *disp.* 33. *dub.* 5. *nu.* 49.

3 Immo teneri Pontificem eos remunerare, qui suis Antecessoribus servitia laudabiliter præstiterunt, eosque, quorum industria, & opera Ecclesia sæpe adjuta est, probat Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 4.

4 *num.* 194. Gratia etenim, quæ fit ob remunerationem, non est mere Gratia, sed actus oneros us transiens in vim contractus, ut Ricc. *in Praxi Rerum*

5 *Fori Eccles. resol.* 357. *num.* 1. & adeo confert bono publico eos, qui pro Ecclesia, & in ejus servitium se bene gesserunt, remunerari, ut pro hujusmodi remuneratione bona Ecclesiæ donari possint. *Gloss. in cap. Consensus* 3. *de reb. Eccles. non alienand. cap. Per tuas* 5. *de donationib.* Rot. *inter impress. post* 2. *vol. Cons. Farinacii decis.* 269. *num.* 2. Thom. Pellicc. *QQ. Illustr. q.* 41. *cap.* 22. *pag. Mihi* 350. *per tot.* Ludovis. & Ricc. penes ipsum Pellicion. *l. c.* Nec 6 propterea sunt necessariæ solemnitates, quæ requiruntur in simplici donatione, idem Pelliccion. *l. c.* Clarus *Sentent. verb. Donatio, qu.* 16. *vers. Sed quid dicendum.* Marius Antonin. *Var. Resol. lib.* 3. *resol.* 40. *num.* 52. *vers. Primo fuit responsum, & nu.* 59. & possit etiam ex hac causa remunerationis constitui 7 Pensio super Beneficio. Rot. *post dictum* 2. *volum. Consil. Farinacii decis.* 78. *num.* 3.

Hæc tamen merita, cum sint causa finalis Dispen- 8 sationis, sunt coram Delegato probanda, cum non præsumantur. Mascard. *de Probat. conclus.* 1049. *nu.* 1. Pelliccion. *q.* 41. *cap.* 22. *pag. Mihi* 351. *col.* 2. *in fine*, nec stari debet assertioni Partis. Blas. Mi- 9 chalor. *tractat. de Fratribus, part.* 3. *cap.* 13. *num.* 10 24. non etenim sunt ex illis qualitatibus, quæ ad pompam, & ornatum Literarum apponantur, ut quando dicitur, *Vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, &c.* quia hæc non exprimuntur, quæ, & qualia sint, sed de stylo Cancellariæ Apostolicæ apponi solent pro honestate, & ornamento scripturæ, non tamen conditionaliter, nec ut probentur; unde quam- 11 vis ea falso allegentur, vel non subsistant, Gratia non vitiatur, ut bene Rebuff. *in Prax. Benefic. part.* 1. ubi *de Clausulis Mandator. num.* 5. At in casu nostro, cum ob ipsa præcisa merita moveatur Pontifex ad Dispensationem concedendam, & su- 12 per illis Gratia fundata sit, sunt verificanda. Garc. *de Benef. part.* 6. *cap.* 2. §. 2. *num.* 225. Lælius Altogr. *cons.* 64. *num.* 24. *lib.* 2. Tusch. *conclus.* 462. *num.* 2. *lit. D.* & nos late diximus *lib.* 1. *cap.* 6. unde nisi verificentur, non poterit Delegatus 13 ad Literarum executionem devenire, ut bene concludit Pyrrh. Corrad. *in Prax. Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 110.

Tandem adnotandum est, non solum moveri Pontificem ad dispensandum ob meritorum excellentiam cum ipsis Oratoribus, si ipsi contrahere intendant, sed moveri aliquando ad dispensandum cum aliis, in gratiam, & ad instantiam ipsorum benemerentium, ut notum est, & notat Pirrh. Corrad. *in d. Praxi.*

CAPUT XIII.

De Causa in genere allegata, nempe ex certis rationabilibus causis.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensationis ob causas in genere allegatas, ex certis, & rationabilibus causis.*

2 *Licet aliquibus Curiæ ignaris videatur, hujusmodi Dispensationem concedi absque causa, quia tamen hoc casu major Compositio imponitur, quæ debet in pios usus converti, ut in expeditione contra Turcas, & Infideles, non est sine causa.*

3 *Quando prædicto modo Dispensatio petitur, necesse est exprimere qualitates Oratorum, veluti si sint nobiles, & generis illustris, &c.*

5 *Hæ qualitates licet exprimi debeant, tamen coram Ordinario non sunt verificandæ, prout nec causæ in genere expressæ; & de ratione, Nec est necesse, ut Oratores coram Delegato specificent causas hujusmodi*, num. 6.

5 *Nisi fuisset dictum in Dispensatione à Papa*, Ut asserunt &c.

1 QUod ipsi, qui ex honestis Familiis existunt, ex certis rationabilibus causis animum eorum moven-

moventibus cupiunt invicem matrimonialiter copulari, &c.

2 Quamvis aliquibus Curiæ ignaris videatur hujusmodi Dispensationem concedi absque causa, cum nulla sit specialiter apposita, attamen vere non conceditur sine causa, quia hoc casu major Compositio imponitur, solvenda ab Oratoribus; quæ cum in pios, & publicos usus erogetur, ut pro expeditione contra Turcas, & Infideles, redemptione Captivorum, restauratione Ecclesiarum, & his similia pia opera, est justa causa dispensandi, ut bene docent Sanch. *libr.* 8. *disp.* 19. *numer.* 35. Coninck *disp.* 33. *dub.* 5. *num.* 49. *circa finem* Pontius *de matrim. l.* 8. *cap.* 14. *num.* 13. Avers. *de matrim. quæst.* 9. *sect.* 4. *vers. Octavo sufficit*. Filiuc. *tomo prim. tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *numer.* 310. quia Infideles, Dei, & Catholicæ Ecclesiæ inimicos opprimere, Captivos ab eorum manibus eximere Ecclesias restaurari, maxime confert bono publico, & in Catholicæ Ecclesiæ utilitatem, & exaltationem tendit. 3 Id tamen advertas, quod dum prædicta Dispensatio conceditur, necesse est exprimere qualitates Oratorum, ut si sint simpliciter nobiles, vel de nobili, seu de vere nobili genere procreati; vel sint Illustres, vel Principales, seu ex principalioribus Oppidi, vel ex honestis Familiis. Hæ tamen qualitates licet necessario exprimendæ sint, dum ob hanc causam petitur Dispensatio, non tamen erunt coram Ordinario verificandæ. 4 Quando tamen, & quomodo probandæ sint, diximus præsenti Libro. Et eo minus specificari, & probari debebit, quæ, & quales sint causæ rationabiles, quæ sic in genere fuerunt Pontifici expressæ, & ex quibus Oratores inducti sunt ad invicem contrahendum; quia, sicut diximus, hæc omnia sunt expressa potius ad concedendum Gratiam quodam honestatis specimine, & ad ornatum, & pompam, quam ut verificentur; sic docent Sanch. *libr.* 8. *disp.* 35. *num.* 24. Gutier. *de matrim. cap.* 128. *num.* 15. Rebuff. *in Praxi Benef. part. prim.* ubi *de Clausulis Mandatorum num.* 5. *&* 6. Pyrrh. Corrad. *in dict. Praxi d. cap.* 2. *numer.* 112. Trullenck *Oper. Moral. tom.* 3. *l.* 7. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 12. quia, ut diximus, non sunt apposita 5 in modum, ut videantur ab ipsis Oratoribus asseri, ut si Pontifex dixisset, *Ut asserunt, &c.* tunc enim, quia censerentur ab Oratoribus appositæ, essent probandæ, ut ibi diximus; quod est ad- 6 notandum, cum multos scrupulos, & dubia tollat; accidit enim multories, ut Delegati, quibus Dispensario committitur, arctent Oratores ad declarandum, & verificandum coram eis causas ipsas sic generaliter appositas, prout refert idem Corrad. *l. c. num.* 113. de quodam Delegato, qui recusavit ad executionem Literarum Apostolicarum devenire, eo quod ab Oratoribus non specificarentur, & probarentur causæ, quibus moti erant ad contrahendum, & Dispensationem impetrandum; unde re delata ad Urbem; responsum fuit per Dominum Pro-Datarium Pauli V. Summi Pontificis, non teneri Oratores hujusmodi causas specificare. Nec facit, quod in Literis mandetur Delegato, ut de narratis se diligenter informet, quia, ut Sanch. & Pyrrh. Corrad. dicunt *ll. cc.* ea verba referuntur ad impedimentum allegatum, & ad alia, quæ ipsum impedimentum, & causam finalem Dispensationis afficiunt; quod idem nos late diximus: cum ergo Papa non potuerit juste moveri ad concedendum Dispensationem ob causas sibi non expressas, sed in mente, & animo Oratorum retentas, certum est non potuisse ex illis moveri ad dispensandum, nec ipsas causas esse causam finalem Dispensationis, ut diximus.

CAPUT XIV.

De Causa, ut Bona conserventur in Familia.

SUMMARIUM.

1 *Forma Dispensationis ex causa, ut bona conserventur in Familia.*
2 *Movetur Pontifex ad dispensandum ob hanc causam, quia bono publico valde expedit, Familias divites, & locupletes conservari, num.* 9.
3 *Familiæ divites facilius conservantur, n.* 7.
4 *Pecunia dicitur secundus sanguis.*
5 *Amittens bona, dicitur amittere personam, & pro mortuo reputatur.*
6 *Immo major est pœna privationis bonorum, quam vitæ.*
8 *Hæc causa justa dicitur ad dispensandum cum consanguineis, & affinibus, ut matrimonium inter se contrahant.*
10 *Ob hanc causam licet Dispensatio concedatur etiam in propinquioribus gradibus, ut in primo, & secundo, vel in secundo; nihilominus non solet concedi nisi inter Magnates, & Personas Illustres, divites, & potentes, attenta qualitate loci.*

QUod cum dicta Oratrix unica A. Primogeniti, & indubitati Successoris, & Domini in temporalibus Status de N. Neapolitanæ Diœcesis nata existat; & tam ipsa, quam Orator, qui supradicti A. Frater Germanus existit, Statum hujusmodi, post ejusdem A. obitum, ad se de jure spectare prætendant, & propterea si Oratrix alii, quam Oratori nuberet, graves lites inter eosdem Oratores, cum maximo utriusque partis dispendio, orirentur; ad obviandum litibus hujusmodi, & pro bono pacis, ac ne Status hujusmodi, ac eorum bona ad alienam transeant Familiam, cupiunt Oratores prædicti, qui de vere nobili genere procreati existunt, invicem matrimonialiter copulari, &c. 1

Movetur Pontifex ad Dispensationem concedendam ob hanc causam, quia bono publico, & communi valde expedit, Familias divites, & locupletes conservari, ut opportune animadvertunt Sperell. *dec.* 131. *numer.* 26. Leoncill. *de Opibus Paupertatis part.* 2. *privileg.* 9. *numer.* 13. Mantic. *de conject. l.* 7. *titulo prim. num.* 45. Molfes. *Comment. ad Consuetud. Neap. part.* 4. *quæst.* 26. *num.* 7. *&* 24. *tomo prim.* ob divitias enim conservatur honestas, & nobilitas Familiarum. Tusch. *concl.* 544. *numer.* 2. *lit. D.* Grat. *Discept. For. cap.* 540. *numer.* 47. *&* 69. Trenracinq. *Var. resol. l.* 1. *resolut.* 1. *de stat.* §. *Minor probatur.* Michalor. *tractat. de Fratr. part.* 3. *cap.* 11. *numer.* 154. Læl. Altograd. *cons.* 87. *numer.* 78. *l.* 2. Molfes. *tom.* 1. *part.* 1. *quæst.* 5. *num.* 13. Paris. *de Resig. l.* 13. *quæst.* 1. *num.* 151. Rot. *dec.* 504. *num.* 8. *part. prim. rec. & dec.* 682. *numer.* 5. *part.* 2. *rec.* & si ingentes sint, reddunt hominem honorabilem. Lother. *de Re Benef. l.* 2. *quæst.* 5. *numer.* 83. unde Juvenalis Satyra 5. 2

Qui nummos habet, præstat honorem,

& tanto facilius Familiæ conservantur, quanto majores sunt facultates. Tiraquell. *de Nobilitate cap.* 25. Rot. *dec.* 161. *num.* 2. *part.* 1. *divers.* nec facile possunt Familiæ divites sentire infortunia, cum pecunia dicatur futuræ necessitatis fidejussor, Leoncill. *de Paupertatis Opibus part.* 2. *privil.* 45. *num.* 35. Cævall. *qq. commu. contra comm. q.* 781. *num.* 266. Paris. *ubi supra num.* 152. & dicatur secundus sanguis Leoncill. *part.* 2. *privil.* 236. *num.* 31. Paris. *l. c. num.* 153. immo dicatur vita hominis, *l. Advocati* 14. *C. de Advocat. divers. Judic.* Leoncill. *d. part.* 2. *privil.* 45. *n.* 33. Paris. *de Resignat. Benef. lib.* 13. *q.* 1. *num.* 148. & bona amittens dicatur amittere personam, 3 4 5

nam, & pro mortuo reputetur. Gratian. à nobis citatus, & alii penes eum. Immo major est pœna
6 privationis bonorum, quam vitæ, Leoncill. *loc. cit.* unde egestate sordescentibus vita sit supplicium, mors solatium, Tusch. *conclus.* 544. *num.* 2. *lit. D.* cum diminutis divitiis, diminuatur honor. Molfes. *tom.* 1. *part.* 4. *q.* 26. *num.* 7. *& num.* 24. Michalor. *de Fratrib. part.* 3. *cap.* 11. *n.* 135. & sine divitiis Familiæ non possunt diu conservari, Mol-
7 fes. *part.* 3. *q.* 11. *num.* 11. Mantic. *de Conject. lib.* 7. *titul.* 1. *num.* 4. quia sine divitiis labuntur, & sordescunt. Rubeus *decis.* 41. *num.* 7. *tom.* 2. Paris. *cons.* 11. *num.* 19. *vol.* 3. Gratian. *cap.* 924. *num.* 4. Paril. *de Resignat. lib.* 13. *q.* 1. *num.* 15. Rot. in novissimis *decis.* 167. *num.* 7. *coram Merlin.* Et propterea hanc justam causam esse dispensandi cum Con-
8 sanguineis, & Affinibus, ut matrimonium inter se contrahant, docent Tusch. *conclus.* 546. *lit. D.* Coninck *disp.* 33. *dub.* 5. *num.* 49. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 30. quia ex conservatione bonorum in Familiis Respublica abundat Viris nobilibus, &
9 potentibus, qui commodius ipsi inservire valeant; unde justæ redduntur Majoratuum institutiones, & eo facilius bona in ipsa Familia conservantur, quanto majores sunt facultates. Tiraquell. *de Nobilit. c.* 25.

Quamvis autem ob hanc causam Papa dispenset
10 etiam in gradibus propinquis, ut in primo, & secundo à communi stipite, vel in secundo, nihilominus dispensare non solet, nisi inter Magnates, & Personas illustres, vel valde divites, & potentes habita ratione Loci, & Personarum, ut animadvertunt, Filiuc. *d. cap.* 10. *num.* 318. Trullenck *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 2. *n.* 8. *tom.* 3.

CAPUT XV.

De Causa ob illustris Familiæ conservationem.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensationis ex causa ob illustris Familiæ conservationem.*

2 *Pontifex ex hac causa movetur ad dispensandum, quia conservatio illustris Familiæ in eodem sanguine tendit ad bonum publicum.*

3 *Ob hanc causam dispensari solet, nedum in gradibus remotioribus, sed etiam in propinquioribus, sed cum causa urgentissima, & in quibus gradibus*, num. 5.

4 *Dispensari solet regulariter inter divites, & potentes, & de ratione.*

QUod cum dicti Oratores de illustri Familia N. 1
existant, valdeque expediat pro illius conservatione, ut Oratrix Oratori, & non alteri, nubat, cupiunt propterea invicem matrimonialiter copulari; sed quia secundo Consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti.

Hæc causa est affinis alteri supra proxime descriptæ, & Pontifex movetur ad dispensandum, quia conservatio illustris Familiæ in eodem sanguine ten- 2
dit in bonum publicum, & ad pietatem, ut affirmant Sanch. *lib.* 8. *Disp.* 19. *num.* 31. Trullenck *Oper. Moral. tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 9. Filiuc. *qq. moral. tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 318. & Reipublicæ valde interest Familiarum dignitatem salvam fore, ut testantur Ulpian. *lib.* 24. *Ad Edictum, in l.* 1. §. *Quamvis sit manifestum, ff. de ventre inspiciendo*, Mantic. *de Conject. ultim. volunt. lib.* 7. *titulo* 1. *num.* 45. Marant. *Resp.* 8. *num.* 10. *part.* 4. Gutier. *Canon. QQ. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 3. Menoch. *cons.* 426. *num.* 13. *tom.* 1. Capyc. Latr. *Decis. Sacr. Concilii Neap. decis.* 166. *num.* 159. *lib.* 2.

Et quamvis Pontifex ob hanc causam dispenset, 3
non solum gradibus remotis, verum etiam in propinquis, ut in primo, & secundo, etiamsi ex pluribus stipitibus impedimenta proveniant, ut diximus; nihilominus non ita passim, nisi ex urgentissimis causis, & sine maximis favoribus dispensare solet, ut notum est, & sciunt omnes practici Curiales; & regulariter dispensare solet cum majori facilitate inter divites, & potentes quia id magis bono 4
communi expedit; & tamen nulla ob id fit acceptio personarum, ut animadvertunt Filiuc. *d. cap.* 10. *n.* 319. Trullenck *l. c. num.* 16. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 93. *vers. Sufficiens etiam causa.*

Huic accedit alia causa, nempe, si fœmina insti- 5
tueretur hæres sub conditione, ut consanguineo nubat; adhuc eo casu dispensari solet etiam in gradibus propinquis, ut testantur Sanch. *d. disp.* 19. Avers. *de Matrim. d. qu.* 19. *sect.* 4. *vers. Quarto conservato &c.* & nos diximus *lib.* 2.

APPENDIX.

DUm hujus Operis folia sub prælo premerentur, propitio fortunæ casu pervenit ad Filios Auctoris Votum celeberrimum, in hac materia elucubratum ab Illustriss. & Reverendiss. D. D. PROSPERO BOTTINIO Patricio Lucense, & Myrense Archiepiscopo, qui præstantissima insignitus virtute, quotidie in gravissimi ponderis negotiis à Summis Pontificibus consultus, mirifice respondere fuit consuetus; quasi ad sui gloriam æternandam ex temporis alis calamum suum desumpserit, quod ideo hic non solum ad paterni Operis decus, & fulgorem, verum etiam in prosperitatis omen asciverunt.

VOTUM

VOTUM

Illustrissimi, & Reverendissimi D. D.

PROSPERI BOTTINI

ARCHIEPISCOPI MYRENSIS.

ARGUMENTUM.

Examinatur quæstio, an, & ex quibus causis possit Summus Pontifex dispensare ad matrimonium contrahendum, tam Religiosos obstrictos Voto Castitatis, quam promotos ad Ordines Sacros, & præcipue Subdiaconatum.

SUMMARIUM.

1 *Exponitur casus.*
2 *Religiosus super Voto Castitatis, etiam ex causa publica, dispensari non valet, juxta sententiam D. Thomæ, & aliorum, qui eum sequuntur.*
3 *De plenitudine tantum potestatis, juxta aliam opinionem, dispensari potest.*
4 *Ex magna causa bonum commune concernente, potest etiam Religiosus dispensari.*
5 *Quomodo id intelligatur, ex quo implicat, quod quis sit Monachus, & non habeat essentiam Monachatus.*
6 *Sacer Ordo non habet essentialiter annexum Votum Continentiæ.*
7 *Implicite tantum emittitur hoc Votum in susceptione Ordinis Sacri.*
8 *Declaratur Sacrum Concilium Trident.* sess. 24. de Sacram. Matrim. Can. 9.
9 *Papa dispensare valet ad matrimonium contrahendum Clericum in Sacris constitutum, etiam in sententia D. Thomæ, & sequacium.*
10 *Ordo Subdiaconatus in primitiva Ecclesia annexam non habebat continentiam.*
11 *A' quo tempore, & quando Subdiaconi obligari cœperunt ad servandam continentiam.*
12 *In Ordine Subdiaconatus facilius, quam in aliis Dispensatio conceditur.*
13 *Praxis nostri temporis circa hujusmodi Dispensationes.*
14 *Sine justa causa Dispensatio denegatur.*
15 *Ad effectum obtinendi hujusmodi Dispensationem, juxta aliam opinionem sufficit causa, etiam privata.*
16 *Juxta aliam opinionem, causa debet esse publica.*
17 *Declaratur hæc opinio, ut procedat in Dispensatione Religiosi obstricti solemni Voto Castitatis.*
18 *Et in Dispensatione Sacerdotis, & Diaconi.*
19 *Declaratur alia opinio, de qua* num. 15., *quod procedat in Dispensatione Subdiaconi.*
20 *Ad justitiam Dispensationis non est necessarium, quod causa tendat proxime, & immediate in bonum commune.*
21 *Justa causa Dispensationis est, ne extinguatur nobilissima Familia.*
22 *Reipublicæ interest nobiles Familias conservari.*
23 *Recensentur causæ motivæ Dispensationis petitæ à D. Comite Slabata,* & num. 24. & 25.
26 *Imperatoris intercessio pro justa causa Dispensationis deservire valet.*
27 *Adducitur exemplum Dispensationis concessæ Antonio Scipioni de Giojosa Equiti-Hierosolymitano per Sixtum V.* & num. 28.
29 *Liberalitas Familiæ Slabatorum in Ecclesiam consideratur.*
30 *Per Ecclesiarum ædificationem Divinus Cultus augetur.*
31 *Fundatoribus Ecclesiarum Jura multum favent.*

CUm per mortem Comitis Joachimi de Slabatis extingueretur inclyta ejusdem Familia, ex quo 1
nullus post ipsum sobolis procreandæ capax remaneret, præter Dom. Comitem Franciscum Leopoldum Guilielmum defuncti Fratrem, in Sacro Subdiaconatus Ordine constitutum, & Passaviensis Ecclesiæ Canonicum; hic propterea, ut celeberrimæ suæ stirpis propagationi consuleret, Sacræ Cæsareæ Majestatis commendatitiis Literis suffultus, à Sanctiss. D. N. Alexandro VIII. ad matrimonium contrahendum, non obstante Sacri Ordinis susceptione, dispensari petiit. Verum cum Sanctitas Sua, antequam super hac gravissima re deliberaret, ad Sacram Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis Preces hujusmodi examinandas remittere dignata sit, ac jusserit, ut nonnulli in Sacra Theologia Magistri, ac Decretorum Doctores, Votum darent in scriptis, Ego inter ipsos minimus Sanctissimis monitis obediens, re mature, diligenterque perpensa, petitam Dispensationem tuto concedi posse crederem.

Circa potestatem dubitatio solum caderet, si ageretur de Dispensatione Religiosi obstricti solemni Voto Castitatis; tres enim in hoc articulo sunt DD. opiniones.

Prima negans absolute, fundata *in cap. Cum ad Monasterium, de stat. Monachor.* in quo Innocentius III. sic ait:

Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, 2
adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Cui authoritati innixus D. Thom. non obstante quod *in 4. Sentent. dist.* 38. *qu.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. *ad tert.* relata, & impugnata opinione negantium, dispensari posse in Voto Castitatis, admisisset probabiliorem esse opinionem aliorum, qui ob causam communis utilitatis affirmant dispensari posse in Voto solemni Religionis, mutata opinione *in sec. secundæ qu.* 88. *art.* 11. aliter tenendum existimavit. Et hanc opinionem late, & docte defendit Eminentiss. Cardin. Capizucchus *Controv.* 11. *de Vot. Solemn. quæst. unic. per tot.* & signanter *pag.* 270. *vers. Rejecta igitur*, dicens, quod cum ea transeunt communiter Thomistæ, qui in hac re Thomistarum nomine digni sunt, sic ait: *Et proculdubio non solum sanior est, & certior opinio, verum, ni fallor, omnino tenenda*; quod etiam confirmat *in Appendic.* 2. & 3. Et Card. Albitius *de Inconstant. in Fid. cap.* 36. *nu.* 14. referens dictam opinionem D. Thomæ, asserit, quod magistraliter, juxta morem, eam defendit Eminentiss. Capizucc.

Secunda opinio est aliorum, quos tacito nomine recenset *Gloss. in d. cap. Cum ad Monasterium, lit.* 3
D. in fin. ibi, *Alii dicunt, quod potest dispensare propter plenitudinem potestatis, &c.* & exponunt ea verba, *non potest licentiam indulgere*, idest *non congruit*; & ita tenet Hostiens. *ibid. nu.* 30. & 31. quod etiam tradit Bald. *in l. Si tibi filius, in fin. ff. de adoption.*

Tertia

Tertia opinio est, quod ex magna causa, concernente commune bonum, Papa possit dispensare super hujusmodi Voto continentiæ, quantumcunque solemnizato; quam late defendit Innocentius in
4 eodem *cap. Cum ad Monasterium*; ea præcipue ratione, quod Castitas est annexa Regulæ Monachali de Jure positivo: & cum Innocent. transeunt fere omnes Canonistæ, quos late recenset Fagnan. ibid. *n.* 56. 66. *& seqq.* referens *num.* 64. eandem fuisse opinionem. D. Thomæ in 4. *Sentent.* & dicens, quod ita sentiunt etiam alii plures Theologi, quos recenset; concluditque *n.* 66. in hæc verba, *ex quibus patet hodie hanc sententiam esse communem Theologorum,*
5 *ac, fere omnium Canonistarum*. Advertit tamen *num.* 67. quod hæc Dispensatio, non est intelligenda, ut Monachus, quamdiu remanet talis, solutus sit ex Dispensatione Papæ à Voto continentiæ, quia implicaret contradictionem, quod quis remaneat Monachus, & non habeat essentiam Monachatus, consistentem in tribus Votis substantialibus; sed ex magna, & justa causa facere de Monacho non Monachum, sicuti concludit *n.* 70. istamque opinionem late defendit Dian. *coordinat. tom.* 3. *tract.* 1. *de potest. Pontific. in ordine ad Sacramentum*, ubi *n.* 3. post relatos ex Schola D. Thomæ, Cajetanum, D. Antoninum, Paludanum, & Durandum, concludit, posse Pontificem etiam in Voto solemni Castitatis Religiosæ dispensare, saltem ex causa, publicum, & commune bonum Ecclesiæ concernente; istamque opinionem sequitur Card. Albitius *de Inconst. Fid.* ut *cap.* 36. *n.* 133. ubi quod ita tenent Canonistæ *in d. cap. Cum ad Monasterium*, *de stat. Monac.* & repetit *n.* 142. *cum duob. seqq.*

Dubitatio autem, quæ, juxta sententiam D. Thomæ, versatur circa potestatem dispensandi in Voto solemni Religionis, prorsus cessat in præsenti casu,
6 dum agitur de Clerico constituto in Sacris Ordinibus, in quorum susceptione, vel nullum Votum emittitur, vel ex solo Statuto Ecclesiæ injungitur Castitas, ut asserit idem D. Thom. supracit. *sec. secund. qu.* 88. *art.* 11. *in corpore*, *vers. Est ergo*, ibi, *Non est autem essentialiter annexum debitum continentiæ Ordini Sacro, sed ex Statuto Ecclesiæ*, idem tenent Cajetan. *in Opusc. tom.* 1. *tract.* 27. *de Dispens. Matrimon. in occident. Eccl. quæst. unic. circa fin. vers. Quoad tertium*, Sot. *de Just. & Jur. l.* 7. *qu.* 6. *art.* 2. Agost. *in Summ. part.* 1. *l.* 13. *quæst.* 5. Sanch. *de Matrim. l.* 7. *disp.* 27. *n.* 9. *&* 10. quod ii, qui Sacrum Ordinem assumunt, non expresse, sed facto ipso, & tacite Castitatem profitentur, & repetit *l.* 8. *disp.* 8. *n.* 1. idemque firmant Grass. *de Effect. Cleric. effect.* 5. *n.* 40. Bellett. *Disquis. Clerical. de discipl. Clericor. part.* 1. *§.* 9. *num.* 6. Barbos. *de Potest. Episcop. alleg.* 25. *num.* 23. & Ror. *decis.* 77. *n.* 26. *&* 33. *part.* 2. Spad. *cons.* 169. *n.* 2. *lib.* 1. De Rubeis *in Respons. impress. in eod. cons. nu.* 15. Castropal. *tom.* 4. *tract.* 27. *punct.* 17. *num.* 3. *& tom.* 5. *de Spons. disput.* 4. *punct.* 2. *n.* 5. Card. Albit. *de Inconst. in Fid. cap.* 27. *nu.* 132. *& seqq.* & quamvis in *cap. unic. de vot. & voti redempt. in* 6. *& in Extravag. Antiqua*, *eodem tit. inter communes* habeatur, illud esse solemne votum, in ordine ad dirimendum matrimonium, quod solemnizatum fuit per susceptionem Ordinis Sacri, attamen *Gloss. in d. cap. unic. vers. Sacri Ordinis*,
7 expresse declarat, quod hoc non est votum explicitum, ibi, *Non enim recipiendo Ordinem Sacrum vovit se castitatem servaturum*, & infra subdit, *alia est causa Clerici, alia Monachi*; & hanc distinctionem supponit etiam Sacr. Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Matrim. can.* 9. ibi, *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto &c.* Ex hoc etenim loquendi modo sentire videtur satis clare, obligationem voti ad Re-
8 gulates, obligationem vero Præcepti ad Clericos in Sacris Ordinibus constitutos referri, stante illa dictione, *vel*, quæ disjungit obligationem servandi continentiam ex parte voti, ab altera ex parte præcepti; cum enim hæc ultima obligatio convenire nequeat Religiosis, qui solemniter castitatem vovent, referenda necessario est ad Clericos, in Sacris Ordinibus constitutos.

Hinc autem sequitur, quod absque ulla difficultate Papa possit dispensare constitutum in Sacris Ordi- 9
nibus ad contrahendum matrimonium, ut distinguit *Gloss. in can. de illo*, *dist.* 32. ibi, *Si votum ipsum obliget Ordinatum, Papa non potest dispensare, sed si Constitutio obliget, & non votum, tunc Papa potest dispensare*; quia contra Constitutionem Ecclesiæ bene dispensat; & ipsemet D. Th. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. maximum discrimen constituit inter unum, & alterum casum; dicens, quod in tantum, respectu Religiosi obstricti solemni Voto Castitatis, Papa non potest dispensare, in quantum continentia est essentialiter annexa: quod non contingit in susceptione Ordinis Sacri, ibi, *unde videtur, quod per Ecclesiam possit dispensare in voto continentiæ solemnizato per susceptionem Ordinis Sacri*, ut tradunt Abb. *in cap. Cum olim*, *num.* 5. *de Cleric. conjugat.* Menoch. *de Præsumpt. præs.* 78. *num.* 45. *lib.* 4. Navarr. *cons.* 12. *&* 13. *de Sponsal.* Sot. *de Just. & Jur. lib.* 7. *qu.* 4. *art.* 1. optime Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *de Voto Castit. cap.* 20. *per tot.* & cum hac distinctione transeunt omnes Thomistæ, ac præ aliis Eminentissim. Capizucc. *cit. contr.* 11. *de Vot. solemn. qu unic. §.* 1. *pag.* 267. *&* 268.

Multoque facilius concedi potest Dispensatio, dum agitur de Subdiacono, cujus Ordo in primitiva Ecclesia non erat Sacer, ut habetur in *cap. A' multis,* 10
de ætat. & qualit., ubi Innocentius III. refert, quod ante Urbanum I. solus Diaconatus, & Presbyteratus erant Ordines Sacri: in quo tamen Textus erravit, dum dicere debeat Urbanum II., quemadmodum advertit *Gloss. in cap. Miramur*, *de serv. non ordinand. lit. H.* in quo Textu etiam idem statuitur, ibi, *de Subdiaconali Ordine (quia de hoc fit mentio in Patrum Statutis &c.)* & infra ibi, *Nam licet Sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen à Constitutione Gregorii, atque Urbani, secundum moderna tempora Sacer Ordo esse minime dubitatur.*

Pro cujus rei claritate, & firmiori sententiæ fundamento, præintelligendum est, qui nam fuerit, in Ecclesia præsertim Occidentali, ab initio status, pro- 11
gressus, mutationes, ac variationes hujus Ordinis Subdiaconatus, quoad continentiæ præceptum. Per quinque etenim sæcula in eadem Occidentali Ecclesia non invenitur hæc obligatio servandi continentiam, Subdiaconatus Ordini annexa; Divus quippe Hieronymus *in epist.* 50. *ad Pammachium*, scribit, Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos tantum continentiæ lege teneri; simulque Syricius Papa, consultus ab Hieronymo Episcopo Tarraconensi super cælibatus Clericorum, respondit, *Castitatem servandam esse à Sacerdotibus, atque Diaconis, nulla facta Subdiaconorum mentione*. Hoc ipsum idem Syricius declaravit *in sua Epist.* 4. scripta Synodo Africanæ; idemque habetur in Concilio Carthaginensi 2. 3. *&* 5. & in Concilio Toletano, & aliis. Primus autem Romanorum Pontificum, qui Subdiaconis continentiam servare præcepit, fuit Leo Magnus, ut patet ex ejus *Epist.* 88. ad Anastasium Episcopum Tessalonicen. ubi loquens de Subdiaconatu, ait, *Quod si in Ordine, qui quartus est à capite (scilicet Subdiaconatu) dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo, aut tertio servandum*. Estque notandum, quod cum Sanctus Pontifex à quatuor Ecclesiæ Ordinibus, scilicet, Episcopatu, Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu, Castitatem esse servandam præcipiat, eamque plus convenire cæteris Ordinibus, quam ultimo, qui est Subdiaconatus, asserat, utique per hanc comparationem, & graduum distinctionem, non obscure declarare videtur, quod est magis dispensabile hoc præceptum continentiæ in Subdiacono, quam in aliis majoribus Ordinibus. Sed neque hoc D. Leonis præceptum omnino executioni mandatum fuit, aut diu duravit in Ecclesia, unde fuit opus, quod illud innovaret D. Gregorius Magnus, insuper declarans, Subdiaconatum

esse

esse Ordinem Sacrum, & majoribus aggregatum Ordinibus, ut refertur in supracitato *cap. Miramur, de serv. non ordinand.* in qua Decretali Innoc. III. hoc expresse, ac determinate stabilivit, prout late, ac erudite Historiam hanc refert, & exornat Thomasin. in suo tractat. *de veter. & nov. Eccles. disciplin. tom. 1. part. 1. lib. 2. cap. 33. per tot. pag. mihi* 32.

Hinc igitur, cum hoc præceptum servandi continentiam, quod Subdiaconos afficit, non sit antiquum in Ecclesia Occidentali, sequitur, ut facilius Sum-
12 mus Pontifex possit dispensare, ut probant Spad. *cit. cons. 169. num. 3. & 4. tom. 1.* & ibi de Rubeis *num. 16.*

Idemque optime comprobatur ex observantia, & ostendit Card. Albitius *supracit. cap. 36. num. 134.*
13 ubi, post firmatas supradictas conclusiones, deveniendo ad praxim, sic ait, *Ego tempore mei Assessoratus vidi plures Summos Pontifices dispensasse, ut qui erat in Ordine Subdiaconatus, posset contrahere matrimonium: in Diaconatu constitutus fere nunquam; in Sacerdotio nunquam dispensatos, multo minus in Episcopatu,* & reperit n. 145. ibi, *Hodiernis sæculis non vidi dispensatum super Voto solemni ad matrimonium contrahendum, nisi, ut supra dixi, in constituto in Ordine Subdiaconatus, & pro causa publica.*

Tota igitur inspectio reducitur ad causam; conveniunt enim omnes tam Canonistæ, quam Theologi, quod Dispensatio concedi non debeat sine ali-
14 qua justa, & legitima causa; discrepant vero solum in eo, an debeat esse publica, vel privata. Nonnulli enim tenent, non semper requiri publicam, sed sufficere privatam; dummodo sit gravis, & quæ moraliter compenset bonum Castitatis, & aliquale incommodum, quod ex Dispensatione redundaret in Ordinem Sacrum, ut præ aliis tenet Cajetan. *in Opusc. tom. 1. cit. tract. 27. de Dispens. Matrimon. in Occident. Eccles. qu. unica, vers. Quoad tertium*, ibi, *Et hinc patet, quod cum rationabilis causa dispensandi in Voto Castitatis possit esse, non sola utilitas publica, civilis, aut Ecclesiastica, sed aliquod aliud majus bonum, nunc, & hic, & ab hoc, quam servata Castitas; consequens est, quod Summus Pontifex, non solum potest, sed etiam salva conscientia potest dispensare cum Sacerdote Occidentali, quod contrahat, etiam cessante causa publicæ utilitatis; & propterea præsumptuosa fuit quorumdam determinatio, quod absque tali causa Papa non potest. Et tom. 3. tract. ult.* continente responsiones ad quosdam articulos, nomine Theologorum Parisiensium editos, contra ejus doctrinam, quæ responsio directa fuit ad Regentem Studii Moguntini, qui rogaverat Cajetanum, ut ad vitanda scandala, declararet veritatem; postquam advertit aliquos non esse suos, aliquos egere declaratione, quam ingenue dedit, deveniendo ad decimum, in quo statuitur, *quod Summus Pontifex tuta conscientia potest dispensare cum Sacerdote Occidentali, quod contrahat matrimonium, etiam cessante causa publicæ utilitatis*, iterum assertive sic ait, *Iste articulus est meus, & alienus monstratur ab omni errore in illa quæstione; nulla enim Jura arctant causam dispensandi ad utilitatem publicam solam; occurrente enim alia causa rationali, Papa uti sua potestate potest, ut clare patet:* idemque, sequendo Cajetanum, tenent Suarez *de Relig. tom. 3. cit. lib. 9. de Voto Castit. cap. 20. num. final. vers. Solum adverto cum Cajetano.* Spad. *citat. cons. 169. nu. 8.* & de Rubeis *nu. 21.* & Dian. *coordinatus tom. 3. tract. 1. de potest. Pontificis in ordine ad Sacramenta, resol. 79. nu. 12.*

Alii vero existimant, ad hunc effectum requiri
15 causam publicam, ut exigere videtur D. Thom. *in Sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 4. ad 3.* ibi, *Si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ exposceret, posset convenienter, & in Voto Continentiæ, & in Voto Religionis dispensari*; & idem tradunt Abb. *in cap. Cum olim n. 5. de Cleric. conjugat. & in cap. Si quando, num. 5. de præscript.* Dec. *cons. 112. num. 4. & 5.* Bellett. *Disquis. Clerical. part. 1. tit. de Discipl. Cleric. §. 9. num. 13. & 14.* ubi refert exempla Sanch. *in Præcept. Decalog. lib. 5. cap. 2. numer. 5.* Fagnan. *in cap. Cum ad Monasterium, num. 64. de stat. Monac.* Card. Albit. *d. cap. 36. num. 144.*

Videtur enim bene conciliari posse istas opiniones, 16
distinguendo tres gradus, scilicet, Religiosi, solemni Voto Castitatis in Professione emisso ligati; Diaconi, seu Sacerdotis; & simplicis Subdiaconi.

Quando enim agitur de Religioso, solemni, ac substantiali Voto Castitatis obstricto, verissima est opinio, quod requiratur urgentissima causa, con- 17
cernens immediate bonum publicum Ecclesiæ, seu Religionis; & in terminis loquuntur fere omnes Doctores, pro hac opinione supra relati.

Si vero Dispensatio petatur pro Diacono, seu Sacerdote, admitti quoque potest, non sufficere causam privatam, sed requiri publicam; & in his terminis intelligendus est Sanch. *cit. lib. 8. disp. 8. n. 2.* 18
& satis clare hoc firmare videtur Card. Albitius *cit. cap. 36. n. 145.* qui restringit necessitatem causæ publicæ ad Dispensationem petitam à Diacono; postquam enim *n. 134.* dixerat, vidisse pluries Summos Pontifices dispensasse, ut qui erat in Ordine Subdiaconatus posset contrahere matrimonium; in Diaconatu autem constitutos fere nunquam, *d. num. 145.* sic ait: *Non vidi dispensatum super Voto solemni ad matrimonium contrahendum, nisi, ut supra dixi, in Ordine Subdiaconatus*, subditque, *& parcissime in ordine Diaconatus, & pro causa publica*: Unde satis clare videtur sentire, quod causa publica requiratur respectu Diaconatus; idque comprobatur exemplo Callixti III. qui ob solam causam mere privatam, quod quidam Diaconus non posset servare continentiam, Dispensationem negavit, sicuti habetur Epistolæ Æneæ Silvii, qui postea fuit Pius II. loc. 307. de qua mentionem facit Fælin. *in cap. Si quando, n. 5. in fin. de rescript.*

At ubi agitur de simplici Subdiacono, & in casu nostro, tuto affirmari posse videtur, non esse rigorose exquirendum concursum causæ publicæ, sed 19
sufficere causam privatam: Et in his terminis crederem bene procedere opinionem Doctorum supra relatam in §. *Tota igitur inspectio, in princ.* Et profecto assistit potissima ratio, dum, ut superius firmatum fuit §. *Multoque facilius*, Subdiaconatus in primitiva Ecclesia non erat Ordo Sacer, nec habebat continentiam annexam, sed solum ex Statuto Ecclesiæ ordinatum fuit post plura sæcula. Unde non immerito Summi Pontifices, cum longe majori facilitate procedunt in concedenda Dispensatione Subdiacono, ut firmant Spad. de Rubeis, & Cardin. Albitius *loc. citat.*

Cæterum nec desunt in præsenti causæ, quæ ali- 20
quo modo dici possunt publicæ, præmittendo, quod non semper est necessarium ad justitiam Dispensationis, ut proxime, & immediate tendat in bonum commune, sed satis est, si remote, & indirecte, ut probat Dian. *supra cit. tract. 1. de potest. Pontific. in ordine ad Sacram. resol. 79. num. 14.* ponderans ad hoc Sacr. Conc. Trid. *sess. 15. cap. 18. de reform.*

Inter alias vero causas in supplici Libello expositas, ea potissimum attendi debet, quæ ex nobilissima Slabatorum Familia deducitur: est enim de Sancta Sede, Sacroque Imperio adeo benemerita, ut Sacram Cæsaream Majestatem pro Dispensatione intercedere meruerit. Ne igitur hæc nobilissima Familia extinguatur, juste Dispensationem per Summum Pontifi- 21
cem concedi posse, probant Bald. *in l. Si tibi filius, in fin. ff. De adopt.* Add. *ad Abbat. in cap. Clericus, de vit. & honest. Cleric. & in cap. Cum olim, de Cleric. conjug.* Jas. *in l. final. nu. 3. C. de transact.* Gulielm. de Benedict. *in cap. Raynutius, verb. duas habens filias, n. 138.* Castropal. *Oper. Moral. tom. 5. de Sponsal. disput. 4. punct. ult. §. 2. num. 2. vers. Quinta causa,* Dian. *coordinat. tom. 3. d. tract. 1. resol. 80. num. 13.* & in terminis Subdiaconi, Spad. sæpe citat. *cons. 169. nu. 6. lib. 1.* ea ratione, quia multum interest Reipublicæ nobilissimas Familias conservari, & propagari, cum solum per eas Regna, & Im- 22
peria decorentur, & subleventur, ad tradita per Spad. *d. cons 169. num. 7.* & pluribus relatis, firmat Dian. *d. tract. 1. resol. 79. num. 13.*

Hanc

Hanc autem causam magis justam, magisque potentem reddunt ingentia beneficia, per egregios Viros de hac nobilissima Stirpe in Sacrum Imperium non semel collata, sive antiqua, sive moderna tem-
23 pora inspiciamus: hujus etenim Familiæ fuit celeberrimus ille Bohemici Regni Cancellarius, Supplicantis Avus, qui in rebellione Bohemica fidem Sanctæ Sedi, & Cæsari adeo servare studuit, adeoque constans extitit, ut ab Hæreticis in odium Catholicæ Fidei per Palatii fenestras projici, & per tormentorum procellas transire non timuerit, illæsusque non sine particulari Dei providentia, remanserit; sicuti, tam de hoc facto, quam etiam de aliis meritis hujus nobilissimæ Familiæ testatur Sacra ipsa Cæsarea Majestas in suis commendatitiis Literis, Summo Pontifici directis, his verbis; *Unum vehemen-*
24 *tius adhuc dolemus, quod cum, & occumbere, & extingui conspiciamus Familiam, non mirus vetustate Stegmatis illustram, opibusque præ aliis in dicto Regno nostro Bohemiæ dotatam, quam insignibus, cumulatisque de Domo nostra Austriaca, ipsaque Sancta Sede, & Ecclesia Dei meritis longe celeberrimam, uti annalium Bohemicorum Libri, & tam antiqua, quam recentia perhibent Monumenta, quæ inter, unum solum memoramus,*
25 *quod Avus ejus, in rebellione Bohemica, odio Religionis, & Fidei, per fenestras Palatii nostri Pragensis cum quibusdam aliis dejectus, mira Dei assistentia illæsus evaserit, & porro reliquum vitæ tempus in servitio Domus nostræ, qua Supremus in memorato Regno Bohemiæ Cancellarius, omni desiderabili felicitate, cura, & studio transegerit, eoque majori semper apud Nos, majoresque Nostros fuit precio, quod stirpem hanc nobis addictissimam, devotissimamque experti in gravissimis etiam rerum nostrarum discriminibus, nunquam in fide, zelo, & devotione, tum erga Nos, tum erga Sanctam Sedem vacillasse meminerimus, eoque conservationi ejusdem ordinariæ solicitudine merito studemus, irrita quidem, nisi munifica Beatitudinis Vestræ Dispensatione adjuvemur, Fratri defuncti, Francisco, scilicet, Leopoldo Gulielmo Canonico Passavienſi Subdiacono impertienda, concessaque ipsi conjugii ineundi facultate, quod etsi opus sat magni momenti esse non inficiemur, ducimus tamen d. Dispensationem meritis supra libatæ Familiæ præstantibus non minus consentaneam, quam Nobis, ipsique Sanctæ Sedi proficuam, dum uberrimos Nobis, Ecclesiæque fructus in Stegmatis hujus propagatione promittimus*; ex quibus sane verbis dubitari non valet de hujus celeberrimæ Familiæ meritis, cum pro eis in testem, & laudatricem, supremam post Pontificem in toto Orbe Majestatem habere meruerit.

Nec levis momenti esse videtur Augustissimi Imperatoris intercessio, propter ejus ingentia totique Orbi notissima merita erga Sanctam Sedem, & Chri-
26 stianam Religionem, ut ad propositum pluribus relatis ponderat Dian. sæpe cit. *tract. 1. resol 79. sub. n. 12. vers. Adest etiam.*

Hujusmodi autem causas, in dicta Epistola Imperatoris recensitas, vere dici posse publicas, & commune bonum etiam ipsius Religionis, & Fidei Catholicæ conservationem, ac propagationem respicientes, optime comprobatur ex declaratione facta per fel. rec. Sixtum V. in Literis expeditis in forma
27 Brevis 15. Junii 1558. in quibus, cum ad matrimonium contrahendum se dispensari petiisset Antonius de Giojosa Eques Professus in Religione Hierosolymitana, & Prior Tolosæ, Pontifex, ne remaneret extincta eadem Familia nobilissima, & vere pietate fulgens, matura deliberatione præhabita, & adhibitis in consilium pluribus celebrioribus Sacræ Theologiæ Magistris, & Decretorum Doctoribus negotio diligenter, & accurate examinato &c. peti-
28 tam Dispensationem concessit in hæc verba, *Nos tamen de eorum consilio, & assensu, attendentes urgentem præsentis temporis, ejusque Regni, & Provinciæ necessitatem, ac propterea æquum censentes ad defensionem Fidei Catholicæ, & ad facilius reprimendos in illis partibus Hæreticorum conatus, tum intuitu Christianissimi Regis, tum ex ipso Pastoralis Officii munere, tum exemplo nostrorum Prædecessorum, ob multa ejusdem Familiæ merita, relaxare in hoc casu, boni publici causa, &c.* & infra magis clare causam hanc commune bonum respicere asseruit, ibi, *Cum tamen de re tanti momenti, tamque ardua, & admodum raro contingenti, &c. ut plane innotescat, cunctique plane intelligant, quam vehementes, quam insolitæ rationes Nos impulerint ad concedendam, publicæ potissimum utilitatis causa, in hoc casu singulari, hujusmodi gratiam &c.* Igitur si conservatio nobilissimæ Familiæ reputata fuit causa concernens bonum publicum, & Religionis, junctis præsertim precibus Regis Christianissimi, qui pro Dispensatione supplicaverat; & fuit sufficiens ad eam obtinendam, quantumvis ibi ageretur de relaxando Voto solemni Castitatis, emisso à Religioso Professo, multo magis dici debent tales esse, quæ in præsenti casu concurrunt, & longe facilius movere possunt ad concessionem, dum non agitur de Religioso, sed simplici Subdiacono, ut superius est firmatum.

Addi quoque potest pia hujus nobilissimæ Stirpis in Ecclesiam liberalitas ostensa, non solum in subministrandis pecuniis pro expeditione contra immanem Christianæ Religionis Hostem, sed etiam in 29
ædificatione, & constructione tot Ecclesiarum, tot Collegiorum, & Monasteriorum, proprio ære, in diversis Regni Bohemiæ partibus, ut late exponitur in supplici Libello; quæ Ecclesiarum, & Monasteriorum constructio, cum apprime tendat ad propagationem Catholicæ Fidei, & ad Divinum cultum augendum, ut per text. *in Can. final. dist. 96. &* 30
Can. Piæ mentis 16. q. 7. tenet Gonzal. *in cap. Ad audientiam num. 2. & seqq. Eccles. ædificand.* meritò S. Sedes de hujusmodi Familiis, liberalitatem erga Ecclesiam exercentibus, bene mereri debet, eis facilius indulgendo, quæ juste petunt, per ea, quæ tradunt Felin. *in cap. Eccles. S. Mariæ num. 77. de* 31
constitut. Ancaran. *cons. 217. nu. 2.* Socin. *cons. 48. num. 4. lib. 1.* Vivian. *de Jure Patronat. lib. 4. cap. 9. num. 56. S. Ex ordine, vers. Et non solum.*

Ex his igitur patet, quam utilitatem sibi promittere possit S. Sedes ex conservatione, & propagatione hujus Familiæ, mediante hujusmodi Dispensatione; constat enim apud omnes, quam raræ sint in illo Bohemico Regno Familiæ, quæ tantam beneficentiam in Ecclesiam, & in Fide constantiam profiteantur. Quod si Summus Pontifex denegando Dispensationem permittat extingui eas, quæ, (prout in casu nostro) Catholicam Fidem propriis substantiis augent, & usque ad Aras amplectuntur, non modicum detrimentum pati posset Fides Catholica, quæ in Regionibus illis, propter vicinam Hæresim maxime periclitatur, quare magis justam, magisque urgentem, ac publicum bonum respicientem causam, quam hujus Familiæ propagationem, quæ in nostræ Religionis augmentum, & Sacri Imperii levamen tendit, inveniri non posse, existimarem.

Et ita, &c. salvo tamen, &c.

His, aliisque per primarios in Sacra Theologia Magistros allatis rationibus, mota Sacra Congregatio Sanctissimæ Inquisitionis, rescripsit, posse, si Sanctissimo videretur, petitam Dispensationem concedi; Et Sanctiss. D. N. Papa Alexander VIII. benigne annuit; ut ex ejus Literis in forma Brevis expeditis, quarum exemplar annectitur.

Quarum Literarum tenor est, videlicet.

A Tergo

Venerabili Fratri Archiepiscopo Pragensi

Intus vero

ALEXANDER PAPA VIII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecit Dilectus Filius

lius Franciscus Leopoldus Guilielmus Comes Slabata Canonicus Ecclesiæ Passavienſis, quod cum nuper quondam Comes Jo: Joachimus d. Franciſci Leopoldi Guilielmi Frater, nulla relicta prole maſculina, diem ſuum clauſit extremum, ipſe Franciſcus Leopoldus Guilielmus, qui in Sacro Subdiaconatus Ordine conſtitutus exiſtit, ſolus in ſæculo, ex ſua illuſtri, & antiqua Familia ſuperſtes remanſit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, idem Franciſcus Leopoldus Guilielmus, eandem Familiam ſuam, Domino benedicente, propagandi, ac chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, enixis hac in re deſideriis obſecundandi ſtudio, ad Laicalia Vota tranſire, ac Matrimonium contrahere poſſe, adeoque ſibi de opportunæ ſuper Sacri Subdiaconatus Ordinis hujuſmodi Impedimento Diſpenſationis Gratia à Nobis in præmiſſis provideri plurimum cupiat; Nos ipſum Franciſcum Leopoldum Guilielmum, etiam meritorum ipſius Majorum inſignium Catholicæ Fidei Defenſorum intuitu, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præmiſſorum dumtaxat conſequendorum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus ipſius Leopoldi Regis, Familiæ præfatæ, ſingulari in Nos, & hanc S. Sedem devotione fulgentis, conſervationem, ob bonum publicum, ſummopere exoptantis, nomine Nobis ſuper hoc, humiliter porrectis benigne inclinati, de Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum à Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatorum, qui plurium in Sacra Theologia Magiſtrorum, ac Decretorum Doctorum, ſuper hujuſmodi re ſententias audierunt, matureque diſcuſſerunt, conſilio, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi de narratis, cum eodem Franciſco Leopoldo Guilielmo ſuper Impedimento Sacri Subdiaconatus Ordinis ſupradicti, itaut illo non obſtante, dummodo nullum aliud Canonicum ei obſtet Impedimentum, Matrimonium cum quacumque Muliere Catholica, nullo ſibi cæteroquin Jure prohibita, ſemel, vel pluries ſucceſſive tamen, contrahere, illudque in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eo poſtmodum remanere licite, libereque & valide poſſit, & valeat auctoritate Noſtra Apoſtolica de ſpecialis dono Gratiæ diſpenſes, Prolem ex inde ſuſcipiendam legitimam nuntiando, non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 14. Jannuarii 1690. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Joannes Franciſcus Albanus.

CAPUT XVI.

De Cauſa ob Matrimonium ignoranter contractum.

SUMMARIUM.

1 *Formula Diſpenſationis ex cauſa ob Matrimonium ignoranter contractum.*
2 *Pontifex ex quibus moveatur ad Diſpenſationem hujuſmodi concedendam.*
3 *Diſpenſatio hujuſmodi facilius conceditur attenta ignorantia probabili impedimenti, cum quo contraxerunt.*
4 *Decretum Concilii, quo diſponitur, quod Diſpenſatio hujuſmodi concedatur gratis, intelligitur, quoad Compoſitiones, non quo ad mercedes Officialium.*
5 *In petitione d. Diſpenſationis debet exprimi, quod Denunciationes fuerunt omiſſæ, & matrimonium fuerit contractum cum Impedimento, licet tunc ignorato.*
6 *Exprimi debet, an Denunciationes fuerint omiſſæ de licentia Ordinarii, & bona fide Oratorum.*
Vel ſi fuerunt omiſſæ de licentia fraudulenter extorta, num. 14.
7 *Ignorantia impedimenti, & bona fides in dubio præſumuntur.*
8 *Unuſquiſque præſumitur bonus.*
9 *Non omnes tenentur ſcire impedimenta matrimonii.*
10 *Et eo magis præſumitur ignorantia, ſi matrimonium publice fuit contractum.*
11 *Secus vero, ſi clandeſtine fuerit celebratum.*
12 *In illicitis, & prohibitis, animus ſemper præſumitur pravus.*
13 *Ignorantia non dicitur probabilis, quando fuerunt omiſſa requiſita à Jure, vel ab Eccleſia.*
15 *Narratio, quæ fit pro hujuſmodi Diſpenſatione, quod inter Contrahentes adeſſet bona fides, requiritur, quod fuerit in utroque.*
16 *Et ſi alter eſſet in bona fide, & alter ſciret impedimenta, debet totum exponi.*
17 *Et ſi aliter fieret, Diſpenſatio eſſet ſubreptitia, & non prodeſſet innocenti.*
18 *Non tamen innocens plecteretur pœnis, ſed tantum alter, qui malitioſe contraxit.*
19 *Bona fides, quomodo accipiatur.*
20 *Quæ in animo conſiſtunt, non poſſunt probari, niſi juramento.*
21 *Diſpenſandi ex hac cauſa debent jurare in manibus Delegati, quod probabilem habuerint ignorantiam.*
22 *Ignorantia probabilis excuſat à pœna.*
23 *Quia ignorans non delinquit.*
24 *Scientia*
25 *Fides*
26 *Opinio*
27 *Suſpicio* — *quid ſit*
28 *Dubium*
29 *Scrupulus*
30 *Scientia, Fides, Opinio, & Dubium, poſſunt eſſe ſpeculative, & practice, & quomodo.*
31 *Scientia*
32 *Opinio* — *Practice quando dicatur.*
33 *Dubium*
34 *Scientia*
35 *Opinio* — *Speculativum quando dicatur.*
36 *Dubium*
37 *Dubitans practice, agendo an peccet.*
38 *Quando dubium eſt practicum, tutior via eſt eligenda.*
39 *In dubio ſpeculativo, non tenemur tutiorem viam eligere.*
40 *Ignorantia quotuplex ſit.*
41 *Ignorantia craſſa, & ſupina, quæ dicatur.*
42 *Et hæc ignorantia æquiparatur dolo.*
43 *Ignorantia craſſa non excuſat, ſed pro ſcientia habetur.*
44 *Ignorantia affectata quando dicatur.*
45 *Ignorantia probabilis, quæ invincibilis quoque dicitur, quæ ſit.*
46 *Et hujuſmodi Ignorantia excuſat à Cenſuris, & pœnis.*
47 *Quia ignorans non conſentit, nec delinquit. Secus, ſi poſt ſcientiam in delicto perſeveret,* num. 61.
48 *Ignorantia craſſa, & invincibilis, an, & quando excuſet ab excommunicatione.*
49 *Verbum* Præſumpſerit, *relatum ad Perſonam, importat temeritatem, & dolum.*
50 *Quando Lex requirit malitiam, quælibet ignorantia, etiam craſſa, excuſat à pœna.*
51 *Et quando Canon imponit pœnam ei, qui auſus fuit, audacia importat temeritatem.*
52 *Quæ ignorantia excuſet à pœna Concilii ſeſſ. 24. cap. 5. de reform. & quando Oratores poſſint*

possint exponere Pontifici se ignoranter contraxisse.

53 *At si ageretur de petenda Dispensatione super matrimonio contracto cum impedimento, requiritur ignorantia justa, & probabilis.*

54 *Si Oratores peterent dispensari super matrimonio cum impedimento ignoranter contracto, & crasse ignorato, & dixerint ignoranter contraxisse, dispensatio erit nulla.*

55 *Dispensatio super matrimonio cum impedimento scienter contracto, difficiliter conceditur.*

56 *Ignorantia Juris, quæ sit.*

57 *Ignorantia facti, quæ.*

58 *Ignorantia pœnæ est, quando quis scivit prohibitionem, sed nescivit ex actu contrahi impedimentum.*

59 *Præsupposita ignorantia probabili, & quod Denunciationes fuerint præmissæ, si postea aliquod Impedimentum detegatur, Conjuges nullam pœnam incurrunt, & facilius dispensantur, si post notitiam à copula abstinuerint.*

60 *Si vero post scientiam impedimenti adhuc perseveraverint copula, pœnas contra incestuosos incurrunt.*

61 *Ignorantia non excusat illum, qui post scientiam perseveravit in delicto.*

62 *Et in Impetratione Dispensationis majorem Compositionem solvent, & absolutione egebunt.*

63 *Non tamen incurrunt pœnas Clement. I. & Concilii sess. 24. c. 1. de reformat. Matrimonii, si solemnitates fuerint servatæ, & bona fide fuerit contractum.*

64 *Si contingat Dispensationem petere super Matrimonio nullo ob impedimentum detectum inter degentes in locis, ubi non est receptum Concilium, & ideo Denunciationes non fuerint omisse, quæ ignorantia sufficiat, & quomodo, & quid exprimendum.*

65 *Si contrahentes se contulissent ad locum, ubi non est publicatum Concilium, ut ibi contraherent absque dictis solemnitatibus, ut evitarent impedimenta, & scandala Parentum, valide erit contractum.*

66 *Secus si se ad illum locum contulissent ad hunc præcisum effectum contrahendi absque Parocho, & Testibus.*

67 *Impedimentum si post Matrimonium detegatur, & sit occultum, potest recurri ad S. Pœnitentiariam.*

68 *Sic pariter, si ex falsa causa fuisset impetrata Dispensatio, & occultum remaneret.*

69 *Sacra tamen Pœnitentiaria non solet dispensare, nisi Oratores per aliquot annos in matrimonio bona fide permanserint, & tempus hujusmodi exprimi debet in Supplicatione porrigenda ad d. effectum.*

70 *Quamvis matrimonium contractum fuisset cum ignorantia impedimenti, nihilominus si Denunciationes fuerint spretæ, & postea Impedimentum detegatur, filii nati sunt illegitimi.*

71 *Si vero fuerint servatæ Solemnitates, quamvis postea detegatur impedimentum, filii interim nati erunt legitimi, absque ulla Dispensatione.*

72 *Quod procedit, etiamsi alter Conjugum ignorasset, & alter scivisset impedimentum.*

73 *Quis non potest esse partim legitimus, & partim non.*

74 *Parens tamen, qui fuit in mala fide, non gaudebit jure Parentis.*

75 *Si Conjuges, qui in gradu prohibito, præmissis Denunciationibus, steterint in figura matrimonii saltem per decem annos, & mortui sint, præsumuntur super impedimento dispensati, maxime favore legitimitatis filiorum.*

76 *Aliquando post mortem unius ex Conjugibus, qui matrimonium bona fide contraxerunt, detegitur aliquod impedimentum; tunc quia vulgus de legitimitate prolis dubitat, solet recurri ad Pontificem pro declaratione, quod sit legitima.*

77 *Formula pro dicta Declaratione, quæ Ordinario, seu ejus Vicario, transmitti solet.*

78 *Impetrata Dispensatione super uno impedimento, si aliud detegatur, aliæ Literæ expediendæ erunt in forma* Perinde Valere, *narrando totum factum.*

79 *Formula petitionis d. Dispensationis, super d. impedimento secundo detecto.*

80 *Quid tunc Delegatus servare debeat.*

81 *Quid si ob aliquem defectum Literæ primæ non valerent.*

82 *Formulæ Dispensationis in forma* Perinde Valere *remissive referuntur.*

83 *Quæ sit vis Dispensationis in forma* Perinde Valere.

84 *Facit valere primam Gratiam à die datæ prioris Gratiæ.*

85 *Non tamen supplet defectus non expressos.*

86 *Et si postea detegantur alia Impedimenta, opus erit nova Gratia, quæ vocatur* Perinde Valere, *super* Perinde Valere.

87 *Et quid, si in secunda, seu ulteriori Gratia, non fuisset integre narratum, vel postea detegeretur.*

88 *Gratia in forma* Perinde Valere, *à Decreto* Reformatorio *differt, quia prima conceditur, quando Literæ jam sunt expeditæ, secundum vero, quando non sunt expeditæ, licet signatæ, & datatæ.*

89 *Quid servetur, si aliquid est mutandum in Supplicatione, antequam Gratia expediatur.*

90 *Decretum* Reformatorium *est duplex, aliud quod extendit Gratiam, & aliud quod supplet defectum, & habet vim novæ Gratiæ.*

QUod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se, per verba de præsenti, publice, factis Proclamationibus in eorum Parochiali Ecclesia, nulloque detecto, seu denunciato impedimento, contraxerunt; illudque in Ecclesia solemnizarunt, & carnali copula consummarunt: Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; quapropter à carnali copula hujusmodi abstinuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, Oratores prædicti in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicæ Dispensatione; & si divortium inter eos fieret, graviora possent ex inde verisimiliter exoriri scandala.

Quare iidem Oratores nobis supplicari fecerunt, ut eis in præmissis de absolutionis beneficio, & opportunæ Dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur &c. à quibusvis excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & Pœnis, à Jure, vel ab Homine, quavis occasione, vel causis, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos censentes; ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi Supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omnino abstinere debere monemus, de prædictis te diligenter informes; & si per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quibus conscientiam tuam oneramus, cum ipsis Oratoribus, dummodo propter hoc dicta mulier rapta non fuerit, & ignorantia hujusmodi probabilis fuerit; quod impedimento tertii Consanguinitatis gradus hujusmodi, ac constitutionibus &c. dispenses, &c. prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam nunciando.

Movetur Pontifex ad dispensandum, ut scandala 2
evitentur, quæ timeri possent, si divortium inter Oratores fieret; quæ scandala semper timeri possunt ob dictum divortium; & ad hoc sufficit matrimo-

nium

nium fuisse contractum, quia regulariter ex Conjugum separatione gravia incommoda oriuntur, presertim si fuit consummatum, & eo maxime si proles genita fuit, ut bene animadvertit Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 93. *in fine*. Et attenta ignorantia pro-
3 babili de impedimento, cum qua Oratores contraxerunt, facilius dispensatur, ita maxime disponente Sacrosancto Concilio Tridentino *sess.* 24. *de Reformat. Matrimon. cap.* 5. ibi; *Si vero Solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuerit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit*.

Et quoniam in hac materia de pluribus occurrit dubitari, ideo plura hic subnectere opportunum erit.

4 Primo adnotandum est, Decretum dicti Concilii, quo disponitur, gratis dispensari posse cum his, qui cum ignorantia probabili impedimenti matrimonium inter se contraxerunt, intelligi debere quoad solas Compositiones, non tamen quoad jura, & mercedes Officialium pro expeditione Literarum; & sic declarasse Sacram Congregationem Concilii, ut refert Pyrrh. Corrad. *in Prax. Dispens. Apostol. lib.* 8. *cap.* 5. *nu.* 34.

5 Secundo adnotandum est, quod in petitione dictæ Dispensationis debet exprimi, an Denunciationes fuerint omissæ, matrimonium fuerit contractum cum impedimento dirimenti inter contrahentes, licet ab eis tunc ignorato, quia subjicerentur pœnis à dicto Concilio comminatis, ibi *quod si ignoranter id fecerint, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerint, eisdem subjiciantur pœnis*. Et adeo est necessaria hujusmodi expressio defectus Denunciationum, ut, ea omissa, Dispensatio sit nulla, Sanch. *lib.* 8. *disp.* 25. *n.* 21. Coninck *disp.* 33. *nu.* 83. Reginald. *lib.* 31. *cap.* 16. *nu.* 198. Trullenck *Oper. Mor. tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 5. *n.* 11. Ledesma *in Summa, cap.* 27. *concl. pr. vers. Dico secundo*; quia cum Concilium prohibeat, ne omissis Denunciationibus matrimonia celebrentur, oportet, ut Papa Dispensationem concedendo sciat se dispensare in casu, quo est prohibitio Concilii, ut dixi-
6 mus alibi: prout exprimi debebit, an Denuntiationes prædictæ omissæ sint, sed de licentia Ordinarii, & bona fide Oratorum, quia cum eo casu nulla adsit fraus, vel dolus, est perinde ac si factæ fuissent. Paris. *cons.* 72. *in fine, part.* 3. Ludovis. *decis.* 461. *n.* 3. quia ignorantia impedimenti, & bona fides
7 in dubio præsumuntur. Rot. *inter impress. post.* 2. *volum. Farinacii decis.* 234. *n.* 4. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 21. *nu.* 68. Meroll. *tom.* 1. *disp. pr. cap.* 2. *nu.* 462. Rot. inter impressas per Cenc. *tract. de Censib. decis.* 391.
8 *nu.* 10. *ult. impress.* & unusquisque in dubio præsumitur bonus, Sperell. *decis.* 137. *nu.* 1. & in dubio omnis interpetratio est facienda, ut delictum excludatur. Rot. inter impress. post 2. volum. Consil. Farinac. *decis.* 121. *num.* 2. & *decis.* 234. *nu.* 9. cum in dubio non præsumatur dolus; unde cum non habuerint animum delinquendi, facilius cum eis dispensabitur, ut disponit dictum Concilium, cum im-
9 pedimenta matrimonii non omnes scire teneantur, quæ etiam multi Sacerdotes ignorant, ut animadvertit Sanch. *lib.* 2. *disp.* 38. *nu.* 3. & qui errat in Jure valde dubio, non præsumitur in dolo; Rot. inter impress. post 2. volum. Consil. Farinacii *dec.* 26. *nu.* 1. Rubeus *decis.* 493. *num.* 100. *tom.* 2. & excusatur ab incursu pœnæ. Rot. *d. decis.* 26. Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *qu.* 13. *nu.* 12. cum in eo præsumatur bona fides. Rot. *l. c.* Lother. *lib.* 2. *qu.* 45.
10 *nu.* 33. Puteus *decis.* 115. *numer.* 9. *lib.* 2. & maxime præsumitur ignorantia in Conjugibus, si matrimonium fuit publice contractum. Rot. inter impress. post. 2. volum. Consil. Farinac. *decis.* 354. *nu.* 4. & *decis.* 101. *nu.* 5. *post primum volumen dictor. Consil.* Ludovis. *decis.* 461. *nu.* 4. Tusch. *conclus.* 118.
11 *nu.* 9. *lit. M.* sicut è converso præsumitur mala fides in matrimonio clandestine celebrato. Barbos. *in Votis Canonic. lib.* 1. *vot.* 2. *n.* 19. Tusch. *conclus.* 118. *n.* 15. *Qui enim male agit, odit lucem*. Joann. 3. Spe-
12 rell. *d. dec.* 137. *n.* 2. Tusch. *concl.* 447. *lit. L.* & in his, quæ prohibita, & illicita sunt, animus semper præsumitur pravus. Farinac. *Consil. Crim. lib.* 1. *cons.* 30. *num.* 30. & quando omittuntur requisita à Jure, vel ab 13
Ecclesia, non dicitur ignorantia probabilis, Boss. *de Matrim. contractu, cap.* 8. *num.* 46. Achill. de Grass. *decis.* 1. *alias* 328. *n.* 4. *de clandest. desponsat.* Sanch. *lib.* 3. *disp.* 42. *n.* 1. Et non solum exprimi debet defectus Denunciationum, ut diximus, sed crediderim etiam exprimi debere fraudem Oratorum, si licentia Ordinarii fraudulenter, & dolose extorta sit, 14
ne impedimentum detegeretur; quia attenta ea malitia, & fraude, dicta licentia non suffragaretur, sed haberetur perinde ac si concessa non fuisset; nec propterea sic contrahentes evadent pœnas in Concilio, & in Clementina *Eos &c.* inflictas *cap. Super literis* 20. *de rescript.* Pyrrh. Corrad. *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 28.

Nota tertio, quod dum in Supplicatione Ponti- 15
fici porrecta pro Dispensatione dicatur, Oratores bona fide matrimonium contraxisse, requiritur de necessitate, quod uterque bona fide contraxerit, quia est favor utrique concessus. Navarr. *cons. ult. de Consang. lib.* 4. *secun. edit.* Trullenck *Oper. Moral. lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 24. quicquid contradicat Sanch. *lib.* 8. *disp.* 25. *n.* 30. Unde si unus bona fide, & alter cum scien- 16
tia impedimenti contraxisset, debebit narrari Pontifici totum factum, prout se vere habet; & proinde subreptitia erit Dispensatio, si dicatur Oratores bona fide contraxisse, si unus impedimentum sciviset; & cum Dispensatio subreptitia sit (ut diximus) non 17
proderit innocenti, propter ejusdem indivisibilitatem. Genuens. *in Prax. Curiæ Archiep. Neapolit. cap.* 20. *num.* 7. & Navarrus penes ipsum. Non tamen ob id innocens plecteretur pœnis, sed illis solus subjici- 18
tur alter, qui scienter, & malitiose contraxit; quia cum alter careat culpa, non debet esse in damno. *l. Generalis* 3. *C. de Tabulariis, lib.* 10. *cap. Cum in tua* 6. Qui *matrimonium accusare possunt, & cap. Si vero* 4. *de sentent. excommun.* Marant. *Resp.* 35. *num.* 42. *tom.* 4. cum culpa unius non debeat esse alterius pœna. Regula *Non debet quis, de Reg. Juris in* 6. Leo *in Praxi Sac. Pœnitent. part.* 2. Formula, *Pro eo qui vivente uxore, &c. pag. mihi* 314.

Nota quarto, bonam fidem hoc casu accipi pro credulitate probabilis, vel ignorantia juris, vel facti, excludente dolum; cum in rebus, quæ male geruntur, 19
scientia arguat dolum, ignorantia vero bonam fidem inducat. *Cap. Si compromissarius* 37. §. *Si vero de electione in* 6. Leo *in d. Praxi, part.* 2. ubi de impedimentis dirimentibus, *vers. In nostro casu, pag. mihi* 22.

Nota quinto, in hujusmodi Literis Dispensationum apponi Clausulam *Dummodo ignorantia probabilis fuerit*; unde cum ea, quæ consistunt in ani- 20
mo, aliter quam per juramentum probari non possint, Sanch. *lib.* 3. *disp.* 15. *n.* 8. Mandos. *ad Reg. Cancell. Regul.* 5. *q.* 4. *n.* 2. Barbos. *de Offic. & Potest. Episc. alleg.* 32. *n.* 23. Farinac. *Cons. Crimin.* 60. *n.* 100. Pyrrh. Corrad. *in Prax. Disp. Apost. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 58. ideo Oratores in manibus Delegati jurare de- 21
bebunt, quod in matrimonii contractu prebabilem ignorantiam habuerint de impedimento; hæc enim ignorantia excusat à pœnis, & Censuris, cum ignorantibus non possit imputari dolus. *l. Genero, ff. de* 22
infam. l. Qui in Jus 138. *§. Nemo videtur, eod. tit.* Sanch. *lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 43. quia ignorans non de- 23
linquit, nec sine scientia potest imputari dolus. Seraphin. *dec.* 20. *n.* 4. Unde videmus, quod in Literis Dispensationum ob matrimonium ignoranter contractum non apponitur Clausula, *ut absolvantur à quibusvis Sententiis, Censuris, & pœnis*, quia attenta hujusmodi ignorantia, excusantur à pœnis.

Quæ tamen, ac qualis dicatur ignorantia probabilis, dicam infra: interim sunt aliqua opportune adnotanda.

Scientia, Fides, seu Credulitas, Opinio, Suspicio, Dubium, Scrupulus, & Ignorantia inter se differunt.

Scientia est cognitio certa, saltem moraliter, ita- 24
ut prudentis non sit eo casu formidare; vide Sanch. *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 2.

25 Fides,

25 Fides, seu Credulitas, est assensus certus (obscurus tamen) habitus ex auctoritate alicujus illam rem affirmantis; Sanch. *l. c.*

26 Opinio est assensus unus partis, non firmos, nec certus, sed cum alterius formidine; idem Sanch. *l. c.*

27 Suspicio est quando intellectus in alteram partem magis inclinat, non tamen illi assentit; Sanch. *l. c.*

28 Dubium est, quando intellectus pendet in æquilibrio, in neutram partem potius inclinans, idem Sanch. *l. c.*

29 Scrupulus est apparentia aliqua contra id, quod aliquis credit, vel opinatur, vel dubitat; Sanch. *d. num.* 2.

30 Scientia, Fides, Opinio, & Dubium possunt esse, vel practice, hoc est, circa Jus, nempe, an sibi aliquid liceat; vel speculative, nempe, circa aliquod factum, scilicet, an aliqua res facta, vel quomodo facta sit.

31 Scientia practica est, quæ in singulari, ac perpensis omnibus rei circumstantiis, hic & nunc dictat aliquid esse licitum, rel illicitum; & sic Opinio est,
32 dum quis opinatur; & Dubium, quando quis du-
33 bitat, an hic & nunc aliquid sit licitum, idem Sanch. *l. c. num.* 4.

34 Scientia speculativa est, quæ in communi dictat certo, & evidenter, aliquid esse faciendum, vel esse peccatum.

35 Opinio speculativa est, quæ in communi aliquid dictat non certo, sed sub formidine.

36 Dubium speculativum est, quando in communi dubitatur, vide Sanch. *l. c.*

Ad hoc ut voluntas honeste operetur, oportet intellectum non esse practice dubium, sed debet de-
37 terminate judicare, hic & nunc licere operationem; unde dubitans practice, si cum ea dubitatione operetur, peccabit; Sanch. *l. c. num.* 6.

38 Quando Dubium est practicum, tutior via est eligenda. Sylvest. *in Summa, verbo Dubium, qu.* 2. §... Sanch. *l. c. n.* 9. Sperell. *decis.* 175. *n.* 100. Coninck *de Sacramentis, disp.* 34. *dub.* 10. *n.* 88.

39 In Dubio speculativo non tenemur eligere tutiorem viam extra casus in Jure expressos, nisi de consilio. Sperell. *l. c. num.* 99. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 41. *d. n.* 9. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §.. *num.* 8. Fagund. *lib.* 2. *in Decalogo, cap.* 10. *n.* 6. Villalob. 1. *part. tract.* 1. *diff.* 22. *num.* 5.

40 Ignorantia triplex est, alia crassa, & supina; alia affectata; & alia probabilis.

Alia insuper est Ignorantia juris, alia facti, & alia pœnæ. Ignorantia crassa, & supina est illa,
41 qua quis ignorat id, quod communiter omnes sui ordinis sciunt, & quod quis scire potest, & debet. Navarr. *in Man. cap.* 23. *n.* 45. sive est, quæ ex lata culpa in adhibenda diligentia procedit; Sanch. *lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 32. & hæc Ignorantia dolo æqui-
42 paratur, nec excusat. Rot. inter impress. post sec. volum. Consil. Farinac. *decis.* 345. *n.* 4. Rot. inter impress. per Cenc. *tract. de Censib. decis.* 216. *num.* 1. Fragos. *de Regim. Christ. Reip. part.* 1. *n.* 7. *lib.* 4. *disp.* 9. *n.* 76. & 77. Gomes. *ad Reg. Cancel. Regula de impetr. Benefic. Viventis, qu.* 3. *lit. E.* Cæval. *QQ. Comm. contra comm. qu.* 724. *n.* 19. quia scire, & de facili scire posse, paria sunt. Ludovis. *decis.* 527. *n.* 7. Caputaquens. *dec.* 107. *n.* 4. *part.* 3. Hieronym. Palm. *cons.* 41. *n.* 34. prout paria sunt scire & scire debere; Rot. inter decis. impress. per Ludovic. Cenc. *tractat. de Censib. decis.* 162. *n.* 2. Caputaquens. *decis.* 107. *n.* 4. *part.* 3. Rot. coram Merlin. *decis.* 18. *n.* 7. Rot. int. impress. post. pr. volum. Consil. Crimin. Farinac. *dec.* 66. *n.* 4. Rot. *decis.* 9. *n.* 22. *part.* 3. *divers.* Simon de Pret. *de Interpret. ultim. voluntat. lib.* 5. *dub.* 2. *n.* 308. unde hæc Ignorantia
43 non excusat, sed pro scientia habetur. Rota penes dictum *decis.* 216. *num.* 1. Redenasch. *cons.* 83. *n.* 12.

44 Ignorantia affectata est illa, qua quis ignorat, quia scire non vult quod scire debet, & potest; Sanch. *l. c. num.* 40. & hæc scientiæ æquiparatur. Barbos. *in Prax. exigendi Pensionem, part.* 2. *qu.* 16. *num.* 10.

Ignorantia probabilis, quæ etiam invincibilis dicitur, est illa, quæ manet postquam quis debitam 45
diligentiam adhibuit; & qua homines sui status communiter post debitam adhibitam diligentiam laborant, qualis est illa, qua quis homines doctos, & timoratos consulens, non recte instruitur; vel quia factis legitimis Denunciationibus, nullum fuit detectum impedimentum ad contrahendum. Navarr. *d. cap.* 23. *n.* 45. & 46. & hæc Ignorantia excusat à pœnis, & Censuris. *capit. Apostolic.* 9. & *cap. Si vero* 4. 46
de sent. excom. Rot. inter impress. post 2. volum. Consil. Farinacii 36. *n.* 3. Sylvest. *verbo Excomm.* 9. *casu* 41. *n.* 76. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 35. Fragos. *part.* 1. *lib.* 2. *disp.* 4. *num.* 223. quia ignorans non consentit; Farinac. *Consil. Crimin. lib.* 1. *cons.* 46. *n.* 47
21. Tusch. *conclus.* 17. *n.* 3. *lit. I.* Hieronym. Palm. *cons.* 82. *n.* 55. nec relinquit Redenasch. *cons.* 92. *n.* 12. Alb. *cons.* 97. *num.* 35. *lib.* 1.

Crediderim tamen Ignorantiam crassam, & vin- 48
cibilem excusare ab excommunicatione inflicta in Clem. *Eos &c.* dummodo non sit ingens temeritas, vel ignorantia affectata; quia quando excommunicatio imponitur contra scienter, & dolose facientes, vel præsumentes, vel contra eos, qui ausi sint, non sufficit Ignorantia crassa, sed requiritur dolus, vel ut non sit ita crassa, ut sit ingens temeritas. Sanc. *d. disp.* 32. *n.* 36. & 37. & *lib.* 3. *disp.* 1. *num.* 1. Boss. *de Matrim. contract. cap.* 8. *n.* 66. Fragos. mox citandus; quia ubi non est dolus, non intelligitur delictum. Seraph. *decis.* 668. *num.* 3. Leotard. *de Usur. qu.* 100. *n.* 67. Merlin. *decis. Rot. Luc. decis.* 99. *num.* 3. & *num.* 17. Sanch. & Boss. *ll. cc.* & verbum *præsumpserit*. relatum ad personam, importat temeri- 49
tatem, & dolum. Sperell. *decis.* 129. *n.* 29. Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *qu.* 14. *num.* 55. & *lib.* 3. *disp.* 48. *num.* 7. Marant. *Resp.* 48. *num.* 41. *part.* 4. Fragos. *part.* 1. *lib.* 1. *disput.* 2. *n.* 203. Rot. coram Cavaler *decis.* 1. *n.* 2. Meroll. *tom.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *n.* 232. & quando Lex requirit malitiam, quælibet 50
Ignorantia, etiam crassa, excusat à pœnis; dictus Meroll. *l. c. num.* 228. & in dubio dolus non præsumitur, sed ignorantia. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 21. *n.* 68. Rot. int. impress. per Ludovic. Cenc. *dict. tract. de Cens. decis.* 391. *num.* 10. *impress. ult.* Meroll. *l. c. num.* 462. & sic pariter dum Canon imponit pœ- 51
nam ei, qui ausus fuit, quia audacia temeritatem importat; idem Sanch. *num.* 37. *l. c.* idem est, si Canon pœnam imponat aliquid ausu temerario facienti. Sanchez *num.* 38. *l. c.*

At dictus Sanch. *lib.* 8. *disp.* 25. *n.* 26. & 27. 52
optime discurit, quæ, ac qualis Ignorantia excuset à pœna Concilii *sess.* 24. *cap.* 5. *de Reform.* & quando, ac quomodo possint Oratores licite exponere Pontifici in Supplicatione pro Dispensatione impetranda, se matrimonium ignoranter contraxisse; & re bene discussa, distinguit; vel Oratores intendunt solum evitare pœnas Concilii, vel intendunt hujusmodi ignorantiam allegare pro causa matrimonii: primo casu, si Denunciationes præcesserint, cum agatur de evitanda pœna, sufficit ad illam evitandam quæcunque Ignorantia, quantumcunque crassa, dummodo dici non possit ingens temeritas; quia tunc ad incursum dictarum pœnarum requiritur scientia, audacia, & temeraria præsumptio. Immo nec satis est ad hanc scientiam, & malam fidem constituendam, scientia speculativa, qua Conjuges norint alterum ante matrimonium accessisse ad consanguineam, nisi adsit simul scientia practica, qua norint inde oriri impedimentum. At secundo casu 53
oportet Ignorantiam justam, & probabilem esse, quia tunc non agitur de pœna vitanda, sed de Gratia consequenda; unde ad hoc, ut quis reddatur dignus Gratia, ac Dispensatione, necesse est, ut non solum Denunciationes præcesserint, sed ut Ignorantia vera, justa, ac probabilis fuerit. Addit idem Sanch. *lib.* 1. *n.* 29. ut Oratores sint cauti in petenda Dispen- 54
satione, si matrimonium fuerit inter eos antea contractum cum impedimento dirimenti crasse ignorato; quia si allegarent se ignoranter contraxisse, & dictam ignorantiam allegarent in causam Dispensationis,

Gratia

Gratia subreptitia, & nulla esset; at è converso, si
55 exponerent se scienter cum impedimento dirimenti contraxisse, difficillima erit Dispensatio, ob Decretum Concilii; & Oratores subjicientur pœnis ejusdem, quamvis alias potuissent in primo casu illas evitare, ut dixit; & ideo prudentissime concludit, ut debeant in Supplicatione generaliter exprimere, quod matrimonium inter se non scienter, nec malitiose contraxerunt.

56 Ignorantia Juris est, quando quis ignorat, aliquid esse à Jure prohibitum, ut si quis nesciret esse vetitum tenere in Baptismo proprium filium.

57 Ignorantia Facti est, quando quis sciret, esse prohibitum tenere proprium filium in Baptismo, at ignoraret cum, quem tenuit, esse filium proprium.

58 Ignorantia Pœnæ est, si quis sciverit supradictam prohibitionem, & etiam sciverit esse suum filium, quem tenuit, at ignoravit ob id contrahi cognationem, & privationem à petitione debiti.

59 Præsupposito ergo, quod Ignorantia fuerit probabilis, & Denunciationes matrimonii fuerint legitime præmissæ, vel de licentia Ordinarii, absque dolo, sed bona fide prætermissæ; si postea aliquod impedimentum detegatur, Oratores nullam pœnam incurrent, cum nil contra jus egerint, sed potius facilius cum eis dispensabitur, cum non habuerint animum delinquendi; & cum post notitiam impedimenti se abstinuerint à copula, cessat præsumptio doli, argument. *l. Si quis, C. de adulteriis;* si vero post
60 scientiam impedimenti adhuc perseveraverint in copula, pœnas contra incestuosos inflictas incurrent. *l. Qui contra legem, C. de incest. nupt.* Authent. *de Incest. Nupt. in princ.* quia Ignorantia non excusat à
61 delicto illum, qui post supervenientem scientiam in delicto perseverat. Rot. inter impress. post secund. volum. Consilior. Crimin. Farinacii *dec.* 345. *nu.* 6.
62 Unde hi in impetratione Dispensationis majorem Compositionem solvent, egebunt absolutione, nec excusabuntur à delicto.

63 Dixi incurrere pœnas contra incestuosos inflictas, si post notitiam impedimenti perseverent in copula, non tamen crediderim incurrere pœnas inflictas *in Clem. prim. & in Concilio Trid. sess.* 24. *de Reformat. Matrimonii cap.* 1. contra clandestine, cum scientia impedimenti, matrimonium in gradibus prohibitis contrahentes, si tempore contractus matrimonii Solemnitates Ecclesiæ servatæ sint, & ignorantia impedimenti fuerit probabilis; quia vere matrimonium bona fide contraxerunt, & servatis servandis; & ea Clementina, ac dictum Concilium puniant contractum matrimonii, & non incestum: unde si postea committant incestum, perseverando in copula post detectum impedimentum, tamen matrimonium fuit bona fide contractum, & pœnæ prædictæ constitutæ sunt contra eos, qui cum scientia impedimenti scienter contrahere præsumpserint; unde cum simus in pœnalibus, non debent ad casum omnino diversum extendi, ut alibi diximus; & quod hoc casu non subjiciantur his pœnis, constat *ex Gloss. in Clem. unica, verbo Scient. de consang.* & docent Pont. *de matrim. libr.* 8. *capit.* 17. §. 6. *numer.* 39. Tusch. *concl.* 141. *num.* 5. *lit. M.* Covarruv. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 19. Pyrrh. Corrad. *in Praxi Disp. Apost. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 12. Si tamen Conjuges non abstineant à copula, erunt excommunicandi; Tusch. *loc. c. num.* 7. Geminian. *cons.* 71. *numer.* 1. penes ipsum Tuschum.

64 At quia in nonnullis Christianorum Provinciis Concilium Tridentinum non est promulgatum, nec usu receptum, & proinde in illis locis valida sunt matrimonia absque Parocho, & Testibus contracta, ut docent Sanch. *lib.* 3. *disp.* 18. *num.* & alii Doctores, quos propterea *lib.* 2. citavimus: stylus Curiæ ita se habet, ut si ob aliquod Impedimentum, quo matrimonium sit nullum, necessaria sit Dispensatio, exprimatur aliquo modo non fuisse factas Denunciationes, sic narrando, *Quod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se, per verba de præsenti, publice, adhibitis omnibus Solemnitatibus de more Patriæ adhiberi solitis, nulloque detecto, neque denunciato impedimento, contraxerunt, illudque in faciem Ecclesiæ solemnizarunt*, idque sufficere ad hoc, ut Pontifex aliquo modo intelligat Oratores contraxisse matrimonium in locis, ubi Concilium non est receptum; idque eo casu sufficere, testatur Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 16. ex præsumpta scientia, & tolerantia Papæ; ubi etiam refert Sacram Congregationem sub die septima Februarii 1602. censuisse validum matrimonium celebratum absque Solemnitatibus à Concilio præscriptis extra 65
locum habitationis Conjugum, ex quo non fuerat ibi publicatum Concilium, cum contrahentes, illuc se contulissent ad evitanda impedimenta nempe inimicitias & obstacula Parentum; unde nec poterit Episcopus per suas Constitutiones invalidare matrimonium ob id, quod contractum sit absque Parocho, & Testibus in loco ubi non fuerit publicatum Concilium; & sic fuisse à S. Congregatione decisum, testatur celeberrimus Doctor Barbos. *in Summa Bullarii, verbo Matrimonium, pag. Mihi* 446. Si tamen se transtulissent ad illum locum ad hunc præ- 66
cisum finem, contrahendi absque Parocho, & Testibus aliter dicendum esset; vide dictum Pyrrh. Corrad. *l. c. num.* 26. ubi refert duas Decisiones S. Congregationis.

Non tamen deseram denuo adnotare, quod si impedimentum, quod post matrimonium bona fide con- 67
tractum detegatur, sit occultum, recurritur ad S. Pœnitentiariam, à qua petitur Dispensatio cum licentia permanendi in eo matrimonio: & tunc opus non erit Denunciationes repetere, nec publice contrahere, ut diximus *lib.* 1. *cap.* 6. Sic pariter recurri poterit ad S. Pœnitentiariam, si ex falsa causa impetrata 68
fuisset, Dispensatio, & id occultum remaneret, ut diximus *lib.* 1.

Et tamen advertas, quod Sacra Pœnitentiaria non 69
solet Dispensationem concedere, nisi Oratores per aliquot annos, ut puta tres, aut quatuor, in dicto matrimonio sic contracto permanserint; & propterea necesse est, ut in Supplicatione, quæ pro impetratione Dispensationis Pontifici porrigitur, exprimatur tempus, quo bona fide in eo matrimonio perstiterint.

Nota sexto, quod quamvis matrimonium con- 70
tractum fuisset cum ignorantia impedimenti, nihilominus si Denunciationes spretæ sint, & postea impedimenta detegantur, filii ex hujusmodi matrimonio nati, sunt illegitimi. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 42. *num.* 1. Gutier. *de matr. cap.* 71. *numer.* 8. & nos diximus *libr.* 1. At si servatis Ecclesiæ Solemnitatibus matri- 71
monium ignoranter, & bona fide contractum sit, quamvis postea impedimentum detegatur, filii interim ex hujusmodi matrimonio nati, sunt legitimi, etiam absque ulla Pontificis Dispensatione. Rot. *inter impressas post sec. volum. Consil. Farinac. dec.* 354. *num.* 3. Boss. *de matrim. contractu cap.* 8. *numer.* 45. Sperell. *dec.* 175. *numer.* 29. Idque etiam procedit eo 72
casu, quo unus Conjugum vere impedimentum ignorasset, licet alter sciviset. *Gloss. in cap. Cum inhibitio* 2. *S. Si ambo parentes, de Clandest. desp.* Rot. *inter dec. impress. post sec. volum. cons. Farinac. d. dec.* 354. *num.* 3. Sperell. *l. cit. numer.* 30. Seraphin. *dec.* 1099. *num.* 1. Ludovis. *in annot. ad decis.* 461. *num.* 11. Merlin. *de Legitim. lib.* 1. *tit.* 2. *quæst.* 1. *num.* 2. Puteus *dec.* 485. *lib.* 2. *& decis.* 483. *libr.* 3. Balthax. de Tomasis *in decade tractat.* 1. *titul.* 9. *num.* 136. Caputaquens. *decis.* 203. *num.* 3. *& 4. part.* 2. Rota coram Cavaler. *dec.* 10. *num.* 3. sicut enim non potest 73
quis esse partim legitimus, & partim liber, *Text. in l. Si duobus, ff. de statu liber.* sic monstrum esset, si quis esset partim legitimus, & partim illegitimus; Parens tamen, qui fuit in mala fide, non 74
gaudebit jure parentis. Sanch. *libr.* 8. *disp.* 35. *num.* 23. *in fine*, Trullenck *Oper. Moral. libr.* 7. *cap.* 10. *dub.* 11. *num.* 9. nec ipsi filio succedet. Cævall. *qq. comm. contr. comm. quæst.* 697. *num.* 13. Immo si Con- 75
juges, qui in gradu prohibito præmissis Denunciationibus contraxerunt, steterint in figura matrimonii

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

saltem per annos decem continuos, & mortui sint, præsumitur fuisse super impedimento detecto dispensatos (maxime in favorem legitimitatis prolis) Ludovis. *decis.* 57. *n.* 8. Rot. coram Cavaler. *decis.* 123. *num.* 5. Caputaquens. *decis.* 25. *num.* 1. *part.* 2. Zerol. *in Praxi Episc. verbo Dispensat. circa finem part.* 1. Rot. *inter impress. post* 2. *volum. Consilior. Criminal. Farinac. decis.* 354. *num.* 8. Tusch. *conclus.* 481. *num.* 5. *lit. D.* & faciunt dicta per Gutier. *de Matr. cap.* 71. *num.* 11. *&* 12. *&* per Rot. *penes Farinac. decis.* 71. *num.* 5. *tom.* 1. quia diuturnitas temporis, quo Conjuges in figura matrimonii steterunt, facit, quod ipsa proles, quamvis alias illegitima, pro legitima habeatur, concurrente publica ignorantia, & Ordinarii tolerantia, ut concludunt Ludovis. Caputaquens. Zerol. & Rota coram Cavaler. *ll. cc.*

76 Nota septimo, contingere aliquando, ut post mortem unius ex Conjugibus, qui matrimonium bona fide, & cum ignorantia impedimenti contraxerunt, detegatur aliquod impedimentum dirimens inter Conjuges adfuisse, unde vulgus jurium ignarum judicet, filios ex dicto matrimonio genitos esse illegitimos; & propterea ad talem suspicionem removendam supplicari solet ad Pontificem ad effectum, ut dignetur Ordinario committere Declarationem, quod proles legitima sit.

77 *Quod alias dictus Orator, & tunc in humanis agens, quando N. ejus uxor, ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se, per verba de presenti, publice, servata forma Concilii Tridentini, in facie Ecclesiæ, nullo detecto, nec denunciato impedimento, contraxerunt, illudque carnali copula consummarunt, & per plures annos in eo permanserunt, prolemque susceperunt. Postmodum vero prædicta N. defuncta ad ipsius Oratoris notitiam pervenit, se dictæ N. quarto Consanguinitatis gradu fuisse conjunctum, propter quod ipse Orator dubitat prolem sic, ut præfertur, susceptam, illegitimam dici, aut haberi posse tempore præcedenti; Supplicat propterea, quatenus sibi in præmissis opportune providendo, eumque specialis Gratiæ favore prosequendo, prolem ex hujusmodi matrimonio sic, ut præfertur, bona fide, contracto, susceptam, legitimam fuisse, & esse declarare dignemini de Gratia speciali; Non obstantibus &c.* Et tunc de stylo Curiæ Literæ committi solent Ordinario Oratorum, seu ejus Vicario in Spiritualibus Generali, qui vocatis vocandis, constitoque sibi legitime de narratis, declaret, ut supra.

78 Si post impetratam super uno impedimento dirimenti Dispensationem, ante matrimonii contractum, vel postea, aliud impedimentum dirimens detegatur, necesse est alias Literas, in forma *Perinde Valere*, obtinere; & propterea in Supplicatione narratur totum factum, prout vere se habet, infrascripto, vel simili modo.

79 *Beatissime Pater; Alias Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum Laurentii Ruberti, & Magdalenæ Mulieris Lucanæ Diœcesis, loco de Corelia ortorum exposito, ipsos Oratores, qui ex honestis Familiis existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupere invicem matrimonialiter copulari, sed quia quarto Consanguinitatis gradu erant conjuncti, desiderium eorum in ea parte adimplere non posse, absque Sedis Apostolicæ Dispensatione: Quare eadem Sanctitate Vestra pro eorundem Oratorum parte humiliter supplicata, quatenus eis in præmissis de Benignitate Apostolica opportune providere dignaretur, Sanctitas Vestra precibus dictorum Oratorum tunc inclinata, Vicario Episcopi Lucani in Spiritualibus Generali per suas Literas Apostolicas dedit in mandatis, quatenus, si preces veritate niti repererit, & dummodo ipsa Oratrix propter hoc rapta non fuisset, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se, publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valerent, eadem Apostolica auctoritate dispensaret, prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando, prout in dictis Literis plenius continetur; quibus Literis Sicario præfato præsentatis, idem Vicarius contenta in eis verificari mandavit, verificatisque in eis contentis, cum dictis Oratoribus super impedimento prædicto Dispensavit; illisque matrimonium contrahendi licentiam concessit; cujus licentiæ vigore Oratores ipsi matrimonium inter se, per verba de præsenti, publice, factis Proclamationibus in eorum Parochiali Ecclesia, servata forma Concilii prædicti, nulloque alio detecto impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, & carnali copula consummarunt, in eoque per plures annos permanserunt, prolemque susceperunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos duplici quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, propter quod à carnali copula hujusmodi abstinuerunt; cum autem, Pater Sancte, Oratores præfati in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicæ Dispensatione, & si divortium inter eos fierent, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri; Supplicant igitur humiliter eandem Sanctitatem Vestram Oratores præfati, quatenus eos, ne dictarum Literarum frustrarentur effectu, amplioris Gratiæ favore prosequendo, eidem Vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, Literasque præfatas valere decernens, cum eisdem Oratoribus super impedimento dublicis quarti consanguinitatis gradus hujusmodi dispenset, prolemque susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernat, & ad earundem Literarum executionem, servata alias earum forma, procedat in omnibus, & per omnia perinde ac si Oratores non quarto, sed duplici quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos expressum, ac cum eis desuper dispensari mandatum fuisset, committere, & mandare dignemini de Gratia speciali, non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ eadem Sanctitas Vestra in dictis Literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.*

Et tunc Delegatus, cui hujusmodi Literæ directæ 80
sunt, negotium reassumens, primasque Literas valere decernens, servata alias primarum Literarum forma, procedet in omnibus, & per omnia proinde ac si per Oratores, non quarto, sed duplici quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos expressissent, ac proinde super eis dispensari in primis Literis mandatum fuisset.

Pari modo procedendum erit eo casu, quo, ob 81
aliquem publicum defectum, Literæ primæ non subsisterent, & Oratores nova egerent Gratia, quia tunc narrari debet totum factum, prout vere se habuit, una cum Impedimento denuo detecto, seu alio defectu, super quo sit dispensandum; & petitur, ut Dispensationem committat eidem Ordinario, cui primæ Literæ directæ fuerunt, ut negotium reassumens Literasque primas valere decernens, dispenset, & alia exequatur, prout qualitas rei, de qua agitur, requiret; si quis autem velit ha- 82
bere singulares formulas in peculiaribus casibus in hoc forma *Perinde Valere*, illas reperiet penes Pyrrh. Corrad. *in Praxi Dispensat. Apostolicar. lib.* 8. *cap.* 5. quas hic sigillatim describere superfluum existimavi. Hanc Formulam pro generali Regula apposuisse sufficiet.

Hujus autem *Perinde valere* vis est, revalidare 83
Gratiam ab ipso Papa jam concessam, & ex aliqua parte invalidam, & suscitare spiritum & animam ipsius primæ Gratiæ invalidæ, & proinde facere, ut ipsa prior Gratia perinde valeat, ac si tempore impetrationis valida fuisset; vide Rebuff. *in Praxi Beneficior. in princip. secundæ partis, titulo de Rescript. etiam, & perinde valere num.* 2. Pyrr. Corrad. *in Praxi Dispensat. Apost. lib.* 8. *cap.* 5. *à numer.* 39. Lother. *de Re Benef. lib.* 2. *q.* 54. *numer.* 53. *& num.* 54. cum retrotrahatur per fictionem ad diem Datæ prioris Gratiæ convalidatæ, itaut

sub

sub eadem Data intelligatur concessa, docet Tusch. *conclus.* 57. *num.* 2. *lit. G.* Non tamen supplet de-
85 fectus non expressos; unde si in nova Gratia *Perinde valere*, non fuissent expressi omnes defectus, vel ultra impedimenta expressa, deinde alia dete-
86 gantur, nova Gratia opus erit, quæ de stylo vocatur, *Perinde valere super perinde valere*; alioquin, & prima & secunda Gratia nullæ, & invalidæ erunt, quia necesse est, ut ea omnia, quæ in prima exprimenda erant, fuerint expressa saltem in
87 secunda. Quod si etiam secunda Gratia aliquo defectu vitiaretur, ut quia non fuissent integre, & fideliter narrata ea omnia, quæ narrari debuissent, opus erit nova Literarum expeditione, quæ de stylo Curiæ vocatur *Perinde valere super Perinde valere*; & sic toties servari debebit, quoties hujusmodi defectus non fuerint integre sanati; vide Tusch. *conclus.* 57. *num.* 14. *lit. G.* & sic se habere stylum Curiæ, testatur Pyrrh. Corrad. *in d. Praxi lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 44.

88 Differt autem Gratia in hujusmodi forma, *Perinde valere*, à Decreto, quod de stylo Curiæ vocatur *Reformatorium*, qui *Perinde valere* tunc datur, quando Literæ primæ gratiæ fuerunt jam expeditæ; istud vero Decretum petitur, dum prima Gratia fuisset nulliter concessa, & subreptitie obtenta, & jam signata, datata, & in totum expedita, etiam cum signo illius Regiſtraturæ à tergo, sed Literæ nondum expeditæ sint; quia tunc si necesse sit aliquid variare ab his, quæ in Supplicatione narrata fuerunt, supplicatur Pontifici, ut dignetur committere, & mandare, quod Literæ super præinserta Supplicatione conficiendæ, fiant cum tali expressione,
89 subjungendo præterea quæ necessaria erunt, prout rei qualitas requiret; & ita quotidie reformantur Decreta, vel super origine, vel Diœcesi, vel super causa, pro qua petita fuisset Gratia, vel super mutatione Judicis, cui fuerat commissa executio, vel aliis similibus; & sic de stylo servari, testantur Lother. *de Re Beneficiaria lib.* 2. *q.* 54. *numer.* 47. & Pyrrh. Corrad. *in dict. Praxi libr.* 8. *capit.* 5.

90 Istud tamen Reformatorium Decretum duplex est; aliud enim extendit Gratiam in articulo Dispensationis, & huic datur Data prioris Rescripti, quod vulgo nuncupatur *Cui prius*, aliud vero non extendit Gratiam, sed simpliciter aliquem illius defectum supplet, & istud datur sub Data currenti, & fortitur vim novæ provisionis; vide dictum Lother. *l. c. num.* 49. 50.

CAPUT XVII.

De Causa, *Ob scandala vitanda*.

SUMMARIUM.

1 *Formula Dispensationis inter impeditos ex causa* Ob scandala evitanda, *ut quando scientes esse insimul conjunctos, se cognoverunt, & ut scandala evitentur, cupiunt dispensari.*

2 *Causa, qua movetur Pontifex ad dispensandum, non est copula carnalis secuta inter Oratores, sed ne mulier innupta remaneat, & scandala evitentur,* & num. 4. & 5.

3 *Scandala evitare est de Jure Divino, Lex vero quæ prohibet matrimonia inter Consanguineos, est de Jure Divino naturali.*

6 *In Literis super hujusmodi Dispensatione concessis, & directis Delegato, solet apponi clausula,* Demum si tibi expediens videbitur, quod Dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, nec scandalum ex ea sit oriturum, &c.

7 *Quoad scandalum, debet intelligi de gravi.*

8 *Scandalum grave, ex diversis circumstantiis dignoscitur.*

9 *Regulariter tamen tale dicitur, quando datur occasio detrahendi, seu temere judicandi, vel proximum infamandi.*

10 *Et quando ex dicto, vel facto alterius, alii trahuntur in consensum peccati mortalis.*

11 *Si Impedimentum sit occultum, & pro foro conscientiæ petita sit Dispensatio, gravia scandala erunt, si Oratores, inter quos adest impedimentum dirimens, non possint absque scandalo separari.*

12 *Periculum probabile pariter, ut impediti in concubinatu remaneant, non obtenta Dispensatione, dicitur grave scandalum.*

13 *Vel si timeant, ut impedimentum detegatur, cum eorum magno dedecore.*

14 *Gravia scandala erunt ad petendum Dispensationem super impedimentis publicis, si matrimonium non contrahatur inter Oratores, qui copulam carnalem habuerunt; vel adsit suspicio ex conversatione inter eos habita; vel si matrimonium sit contractum nulliter ex aliqua causa, & nisi dispensetur super impedimento, divortium fiet.*

15 *Item gravia erunt scandala, timor probabilis inimicitiarum, & fornicationis, ob juventutem contrahentium,* & num. 16.

17 *Hæc scandala non requiritur de necessitate ut certa sint, vel certo immineant, sed sufficit si probabiliter timeantur, nisi Dispensatio sequatur.*

18 *Evitatio scandalorum est necessaria in Christiana Republica, ut multa permittantur, quæ alias non permitterentur.*

19 *Scandalum græce idem significat, ac latine offensio, sive ruina.*

20 *Scandalum est duplex, generale, & speciale.*

21 *Speciale quale sit.*

22 *Quale generale.*

23 *Scandalum generale est duplex, activum, & passivum.*

24 *Activum quando dicatur.*

25 *Passivum quale sit.*

26 *Scandalum passivum est triplex, & ejus species explicantur.*

27 *Ob scandalum vitandum prætermitti debet omne id, quod non est contra veritatem vitæ, doctrinæ, & justitiæ; & quando dicatur causa prædicta aliquid fieri,* n. 28. 29. & 30.

31 *Prælati cum scandalo nihil facere debent.*

32 *Scandalum ad evitandum Ecclesia non debet repetere Decimas in locis, in quibus dari non est consuetum.*

33 *Scandalum Populi semper est evitandum.*

34 *Triginta tres casus enumerati à* Fœlino, *in quibus receditur à regulis Juris, referuntur.*

35 *Insuper alii casus enumerantur in quibus recedi-*
tur à regulis Juris ultra supra expressos.

36 *Alii insuper casus remissive referuntur.*

QUod *ipsis alias scientibus se tertio Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, dictus Orator, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso, hæc causa foret Nos, & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, dictam Oratricem cognovit, seu insimul conversati sunt,* prout casus erit, *Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt propterea, &c.* 1

Causa, qua movetur Pontifex ad dispensandum, 2
non est copula carnalis inter Oratores præhabita, nec conversatio suspecta ab eis habita, quia, ut diximus *lib.* 1. non potest Pontifex recta justitia moveri ad dispensandum ex causa peccaminosa; sed causa finalis Dispensationis est, ne mulier innupta, & diffamata remaneat, & ut scandala evi- 3
tentur, quorum evitatio justam præbet dispensandi causam, *cap. Quia circa 6. de consang. & affin.* Anchar. *cons.* 399. Paris. *de Resignat. lib.* 5. *quæst.* 3. *num.* 167. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 19. *n.* 9. Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepisc. Neapolit. cap.* 20. *in Addit. num.* 15. & est causa, ut à rigore Juris recedatur, *cap. Et injuncto sec. de novi operis nunciatione.*

Vivian. *de Jure Patronatus*, *libr.* 11. *cap.* 4. *num.* 25. Marant. *Resp.* 4. *numer.* 26. *part.* 2. Et Juris præcepta relaxentur, Franciſc. Leo *in Theſ. Fori Eccl. part.* 2. *cap.*... *num.* 11. Pariſ. *de Reſignat. lib.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 165. cum ſcandala evitare ſit de Jure Divino;
4 Lex etenim, quæ illa prohibet, eſt de Jure Divino, & naturali. Matth. *cap.* 5. *num.* 30. *& cap.* 18. *numer.* 6. Navarr. *in Man. cap.* 7. *numer.* 4. Marant. *Resp.* 4. *num.* 28. *part.* 2. Zerol. *in Praxi Epiſc. part.* 1. *verbo Irregularitas*; Et dum Pontifex diſpenſat
5 ſuper aliquo impedimento dirimenti, ſi copula expreſſa ſit, vel ſuſpecta converſatio, ſemper declarat, ſe intendere ſcandalis obviare; immo quamvis omnia ſibi narrata per Delegatum verificata ſint,
6 tamen ſi ſcandala ex Diſpenſatione timeantur, prohibet diſpenſari, & propterea ſemper apponet in Literis hanc clauſulam, *Demum ſi tibi expediens videbitur, quod Diſpenſatio hujuſmodi ſit eis concedenda, nec ſcandalum ſit ex ea oriturum, &c.*

7 Intellige tamen, ut evitandum ſit ſcandalum grave. *Gloſſ. in cap. Niſi cum pridem x. de renunc. §. Pro gravi*. Hoſtienſ. *in Summa*, *de novi operis nunc. capit.* 2. Angel. *in Summa*, *verbo Scandalum*, *in princ.*

8 Quod autem ſit grave ſcandalum, ex ipſo facto, ſeu dicto omiſſo, circumſtantiis comitantibus, & conſequentiis imminentibus, dignoſci poteſt; regu-
9 lariter autem tunc dicitur ſcandalum ſequi, quando datur occaſio detrahendi, ſeu temere judicandi, vel proximum infamandi. Bonacin. *de Sacram. Diſp.* 4. *quæſt.* 6. *punct. prim. numer.* 18. *verſ. Tunc dicitur ſequi ſcandalum*. At Hoſtienſ. *in Summa*, *lib. prim. titulo de Renunciat.* dicit, grave ſcandalum eſſe, quotieſcunque ex dicto, vel facto alterius, alii
10 trahuntur in conſenſum peccati mortalis. Quoad materiam Diſpenſationum matrimonialium, de quibus agimus, ſi impedimenta ſint occulta, & pro-
11 inde pro foro conſcientiæ petita ſit Diſpenſatio, gravia ſcandala erunt, ſi Oratores, inter quos adſit impedimentum dirimens, non poſſint abſque ſcandalo ſeparari, eo quod, vel prolem habeant, quæ parentibus deſtituta non poſſit commode educari, vel ſi alter ex Conjugibus ſolus impedimentum novit, & cum occultum ſit, probare non poteſt, vel illud abſque famæ jactura detegere; vel ſi uterque Conjux impedimenti conſcius ſit, cum tamen probari non poſſit, nequeunt abſque ſcandalo ſeparari, nec eis permittitur aliud matrimonium inire, unde maximo incontinentiæ periculo expoſiti erunt, ut animadvertit Sanchez *libr.* 2. *diſp.* 40. *numer.* 3.
12 *in fine*. His addi poteſt probabile periculum, ut impediti in concubinatu remaneant, dum deſtituti remedio Diſpenſationis obtinendæ, ſe cogno-
13 ſcant; vel timeant, ut ſi impedimentum detegatur, fama cum honoris dedecore jactetur, vel fœmina à Conſanguineis ſuis, vel à viro verberibus affligatur; quæ omnia, ſi impedimenta occulta ſint, ponderat, & ſcandala gravia judicat idem Sanch. *l. c. num.* 5.

14 At ſi ſuper publicis impedimentis petatur Diſpenſatio ad contrahendum, ſcandala gravia ſunt, ſi matrimonium non contrahatur inter Oratores, qui copulam carnalem inter ſe habuerunt, vel cum ſuſpicione ejuſdem converſati ſunt; vel ſi matrimonium ex aliqua cauſa nulliter contractum ſit, & niſi diſpenſetur ſuper impedimento divortium fiet, ut ponderant Sanch. *libr.* 8. *diſp.* 19. *numer.* 9. *&* 10. Covarruv. 4. *Decret. tom.* 1. *part.* 2. *capit.* 6. §. 10.
15 *num.* 13. Item gravia ſcandala erunt, quando adeſt probabilis timor inimicitiarum, & jurgiorum; vel quoties timetur fornicationis periculum ratione juventutis contrahentium, ut bene docet idem Sanchez *lib.* 8. *d. diſp.* 19. *num.* 9. Scandala gravia in-
16 ſuper intelliguntur pericula peccatorum incontinentiæ, fornicationis, & ſimilia, ut docet Averſ. *de matr. quæſt.* 19. *ſect.* 4. *verſ. Regulariter vero*, *in fine*; Quas cauſas, & alias, quæ ſecundum caſuum contingentiam coram Delegato probabuntur, conſiderabit Delegatus, cui Diſpenſatio fuerit à Pontifice commiſſa.

Hæc autem ſcandala non requiritur de neceſſitate ut certa ſint, vel certo immineant, ſed ſufficit ſi pro- 17
babiliter timeantur, niſi Diſpenſatio ſequeretur; vide quæ diximus *l.* 1.

Porro eſt adeo neceſſaria in Chriſtiana Republi- 18
ca evitatio ſcandalorum, ut, ne ipſa eveniant, multa permittantur, quæ alias non permitterentur, ut infra *num.* 34. dicemus. Et propterea aliqua de ſcandalis hic ſubnectere opportunum erit, ut dignoſcatur, quam utile ſit hujuſmodi ſcandala evitari, & tolli.

Scandalum græce idem ſignificat, ac latine, of- 19
fenſio, ſive ruina: unde qui dicto, vel facto aliquem ſcandalizat, eum offendit, ac ruinæ occaſionem ei præbet.

Duplex eſt ſcandalum, ſpeciale, & generale; ſpe- 20
ciale illud dicitur, quod ex ſe eſt cauſa ruinæ, & in 21
illo per ſe directe intenditur proximi ruina; generale vero eſt, quod per accidens eſt cauſa ruinæ; & ideo dicitur generale, quia licet ex ſe ſit occaſio rui- 22
næ, attamen eſt præter intentionem operantis, qui alias non intendit ſcandalum offerre; Divus Thom. 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 3.

Scandalum generale eſt duplex, activum & paſſi- 23
vum; activum dicitur, factum, ſeu dictum minus 24
rectum alteri ex ſe occaſionem ruinæ præbens, ſive alter peccet, ſive non. Paſſivum eſt peccatum 25
ejus, qui ſcandalizatur, quod vel oriri poteſt ex ſcandalo activo, ſcilicet ex facto, vel dicto alterius minus recto; vel ex bono opere alterius non habente ſpeciem mali; & tunc eſt ſcandalum ſolum paſſivum, quia occaſio ſumitur, licet non præbeatur, de quo dixit Apoſtolus ad Romanos 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, juſtum, & bonum, ſed peccatum occaſione accepta ſeduxit me*; & hoc ſcandalum paſſivum triplex eſt, quia vel na- 26
ſcitur ex malitia, eo quod ex ſua culpa de alterius opere bono, vel non habente ſpeciem mali ſumitur occaſio ruinæ, tale dictum, vel factum in malam partem interpretando; vel ex infirmitate, & fragilitate; aut ex ignorantia, quando licet opus bonum ſit, ignoratur bonum eſſe, & ex ea ignorantia inducitur ad ſcandalizandum, quia fragilis eſt, & infirmus; & ſic ex opere alias licito, pro ſua fragilitate inducitur ad lapſum, ut poteſt dari exemplum in ornatu fœminæ licito, ex quo pravus ex malitia, fragilis ex fragilitate, & ignorans illum licere, poteſt ex ignorantia ſcandalizari. Scandalum, quod ex malitia procedit, vocatur Phariſeorum, qui ſcandalizabantur, quia Diſcipuli Chriſti Domini non lavabant manus; & tamen cum D. N. Jeſus Chriſtus ſatisfeciſſet ſcandalum accipientibus, dixit, *Sinite illos*; Matth. 15. & propter iſtud non ſunt omittenda bona ſpiritualia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, nec bona temporalia, nobis pro aliis ad conſervandum commiſſa, ſunt prætermittenda; & ita legimus S. Thomam Cantuarienſem res ſuæ Eccleſiæ repetiiſſe, licet de hoc Rex Angliæ valde ſcandalizaretur; & Divus Gregorius ſuper Ezechielem ait, *Si de veritate ſcandalum ſumitur, utilius eſt, ut ſcandalum ſumatur, quam ut veritas relinquatur*; & ob ſcandalum vitandum prætermitti debet omne id, quod non eſt 27
contra veritatem Vitæ, Doctrinæ, & Juſtitiæ; Corrad. *Reſponſ. Caſ. Conſcient. part.* 1. *quæſt.* 248. unde Verſus

Scandala pro Vita, Doctrina, Juſtitiaque
Tu non effugies; ſunt in reliquis fugienda.

Pro Vita, hoc eſt pro Deo; quia nunquam eſt mor- 28
taliter peccandum.

Pro Doctrina; quia Doctor, vel Concionator nun- 29
quam, debet falſum dicere, vel prædicare, quantumcunque ſcandalum immineat.

Pro Juſtitia vero; quia pro nullo ſcandalo debet 30
Judex falſam ſententiam, ne Teſtis falſum teſtimonium ferre, ut docet Hoſtienſ. *in Summa*, *libr.* 1. *titulo De Renunciat. verſ. Cui fiat renunciatio*. Quamvis aliquando ratione ſcandali vitandi dimittatur vera Doctrina, non tamen dicendo falſitatem, ſed tacendo veritatem; & quandoque etiam

dimit-

dimittatur veritas Justitiæ, non tamen faciendo alieni injustitiam, sed non puniendo delinquentem, ut ex Divo Thoma docet idem Corrad. *l. c.* vide pro prædictis Viguer. *Instit. Moral.* ubi *de Scandalo, num.* 124. Pontium *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 18. Sylvest. *in Summ. part.* 2. *verbo Scandalum, per totum*, Azor. 2. *par. lib.* 12. *cap.* 16.

31 Porro scandala sunt ita vitanda, ut Prælatis præcipue nil sit cum scandalo faciendum *cap. Ad aures* 5. *de tempor. Ordinat.* Marant. *Resp.* 4. *n.* 30. *part.* 2. Et proinde Ecclesia non repetat Decimas in
32 locis, in quibus dari non consueverunt, propter scandalum vitandum; Fœlin. *de Rescriptis*, §. *Nihil*, & in omnibus scandalum Populi sit semper evitandum. *cap. Duo pueri* 12. *de desponsat. impub.* &
33 ut diximus, ad scandalum vitandum, receditur à Regulis Juris.

34 Triginta tres casus enumerat Fœlin. *d.* §. *Nihil, de præscript.* inductos contra Juris Regulas, causa scandali vitandi, quos hic succinctim recensebo.

1 Primus est, si scandala timeantur, Clericus Orientalis non eligit in Ecclesia Occidentali.

2 Ordinarius, ob timorem scandali, non providet Expectanti Apostolico.

3 Solum scandalum, etiam sine culpa, facit aliquem haberi pro irregulari.

4 Quando adest scandalum, Clericus non administrat in Beneficio, quamvis alias sit idoneus, ut si sit leprosus, &c.

5 Ut scandalum vitetur, toleratur Clericus alias privandus.

6 Spoliatus non restituitur ante omnia.

7 Pœna Legis *Si quis in tantum*, *C. Unde vi* omittitur.

8 Aliquando punitur non puniendus, vel saltem acceleratur pœna, pro cujus impositione deberet antea scribi ad Superiorem.

9 Si totus Populus est hæreticus, Inquisitor non procedit, sed scribit ad Pontificem.

10 Episcopus sua Ecclesia privatur, dato æquali cambio.

11 Prohibetur Episcopo dispensare cum Clerico deficiente in purgatione.

12 Ratione scandali vitandi prohibentur matrimonium contrahere illi, inter quos nullum adest Impedimentum.

13 Prohibetur eligi is, qui in nullo deliquit.

14 Papa movetur ad dispensandum super matrimonio illegitime contracto.

15 Inferior etiam poterit apponere manus in causa ad Papam devoluta.

16 Ob scandalum vitandum tolerantur inutiles.

17 Si adsit scandalum, petenda est Dispensatio à voto, quamvis revera non obliget.

18 Si immineat scandalum inter aliquas Familias, debet Episcopus præcipere, ne matrimonium contrahatur; sicut enim ad scandalum vitandum aliquando permittitur matrimonium inter impeditos, & super eo dispensatur, ita è converso, si scandala timeantur, non debet contrahi inter non impeditos.

19 Quamvis tacens in actu oneroso consentire præsumatur, quando est præsens, ut dicat animum suum, tamen fallit, ubi tacuit timore scandali.

20 Ad vitandum scandalum, Papa aliquando concedit simplicibus Sacerdotibus id, quod eis alias non competit, v. gr. Chrismandi potestatem, & similia.

21 Quando adest scandalum, non est licitum ad strictiorem Religionem transire.

22 Quamvis alicui liceat rem suam à tertio occupatam auferre, dum à Judice non speret illam consequi, tamen fallit, quando immineret scandalum.

23 Si Papa notorie scandalizaret Mundum, posset deponi.

24 Si duo contendant de Papatu, & ex hoc oriatur scandalum, potest uterque deponi; & si factæ fuissent diversæ electiones, posset Concilium, ratione scandali vitandi, utramque cassare.

25 Si Populus non possit prevenire percussorem Cardinalis, juxta formam Capit. *Fœlic. de pœn. in* 6. nisi cum scandalo, non incurrit pœnam, de qua ibi in fine, si eum non punit.

26 Non debet Episcopus mutare vetustam consuetudinem, quamvis invalidam, ex qua Princeps dit contulit Beneficia à se fundata, quando ex hoc dubitatur de scandalo; sed debet rescribere Papæ qui talem consuetudinem, vel eradicet, vel confirmet.

27 Quando Episcopus vocatur ab Archiepiscopo, tamen si dubitetur de scandalo, debet prius parere Regi.

28 Propter scandalum remittitur pœna; non tamen æterna, v. gr. si peccavit Multitudo; & Princeps non punitur, ubi timetur de scandalo; & Multitudo non excommunicatur, nec Princeps, nisi peccatum ejus non sit, quam forte scandalum.

29 Licet parte non citata factum revocari possit, tamen fallit, ubi in primo actu fuit omissa citatio propter scandalum.

30 Propter scandalum imminens potest supersederi super executione Præcepti Apostolici, quamvis pœnalis.

31 Ratione solius scandali potest formari Inquisitio, absque alia fama.

32 Propter scandalum recedi potest à Forma data à Superiore.

33 Licet Lex injusta non obliget in foro conscientiæ, quia non videtur esse Lex, si justa non fuerit, tamen obligat aliquando, forte propter scandalum evitandum, propter quod homo debet juri suo cedere; hucusque Fœlin. *l. c.*

Possunt etiam prædictis addi alii casus, quibus 35
ratione scandali vitandi, permittitur recedi à Regulis Juris.

1 Primo dissimulari potest cum his, qui in matrimonio putativo bona fide vivunt, ignorantes impedimentum dirimens, quod inter ipsos vere adest. *Cap. Quia circa* 6. *de consangu. & affin.* Navarr. *lib.* 4. *Consil. titul. de Regul. cons.* 84. *num.* 6. 1. *edit.* & nos late diximus *lib.* 1.

2 Quamvis matrimonium non prohibeatur conjunctis ultra quartum gradum, tamen, si scandalum adsit, potest induci consuetudo, ut matrimonia etiam in quinto gradu contracta, nulla sint. Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepiscop. Neapolit. cap.* 20. *n.* 14. Pyrrh. Corrad. *in d. Praxi Dispensat. Apost. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 68.

3 Ratione scandali vitandi Papa dispensare solet super dissolutione matrimonii solum rati; Sanch. *lib.* 2. *disp.* 16. *num.* 3. & nos diximus *lib.* 2.

4 Ut scandala vitentur multa fiunt, quæ alias non fierent, & multa denegantur etiam contra Juris regulas. Paris. *de Resignat. Benef. lib.* 3. *qu.* 17. *n.* 25. Alex. de Nævo *cons.* 103. *num.* 9. Farinac. *Cons. Crim.* 30. *lib.* 1. Ricc. *in Praxi Fori Eccles. resol.* 410. *num.* 1.

5 Ratione vitandi scandali aliquando Jus quæsitum perditur. Paris. *de Resignat. d. quæst.* 17. *numer.* 22. Innocent. *in cap. Nisi cum pridem*, *de renunciat.*

6 Prohibitio ad evitanda scandala potest fieri non servatis servandis. Marius Antonin. *Var. Resol. lib.* 1. *resol.* 102. *num.* 17.

7 Dum adest timor scandali, valent acta facta non servatis servandis. Marius Antoninus *dd. Var. Resol. lib.* 3. *resol.* 9. *num.* 23.

8 Crimina sunt toleranda, si ex correctione possit oriri scandalum, & schisma. Ricc. *in Praxi Fori Eccles. resol.* 23. *in princip.*

9 Ut scandalum evitetur, delinquens potest aliquando impune dimitti, Farinac. *Cons. Crim. lib.* 1. *cons.* 30. *in addit. lit. A. vers. Et particulariter.*

10 Ut malum majus evitetur, semper est sustinendum minus. *Cap. Non solum*, 7. *causa* 22. *qu.* 4. Riccius *l. c.*

11 Præceptum positivum non obligat cum scandalo, vel cum periculo animæ, seu corporis, Ricc. *in d. Praxi, resol.* 346. *num.* 3.

12 Monachus effectus Episcopus, seu Canonicus Regula-

gularis, si scandalum generetur, potest in habitu superiori se conformare cum aliis. *Gloss. in cap. In nova actione* 22. *verbo Nec habitu, in fine, causa* 16. *qu.* 7. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 8. *n.* 107.

13 Ad vitandum scandalum permittitur divortium inter Conjuges. Aversa. *de Matr. qu.* 23. *sect.* 10. *vers. Secundo videri.*

36 Plura insuper de scandalo vitando recenset Cæsar Lambert. *de Jure Patronat. part.* 2. *lib.* 2. 1. *qu. princip. art.* 31. *num.* 3. *& part.* 3. *lib.* 2. *qu.* 4. *princip. art.* 8. *per totum, & quæst.* 5. *princip. num.* 3. *eodem lib.* Paulus de Cittadin. *de Jure Patronatus, part.* 6. *art.* 3. *à num.* 29. idem Fœlin. *in cap. Ex Literis de homicid.* Paulus Fusc. *de Visit. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 6. Paris. *de Consid. quæst.* 8. *num.* 18. *& de Resignat. Benef. lib.* 3. *quæst.* 18. *num.* 23. *& lib.* 5. *quæst.* 3. *à num.* 155. Sylvest. *verbo Scandalum, per totum*; Corrad. *Resp. Cas. Conscient. part.* 1. *qu.* 248. *per totum*; Alexan. de Nevo *cons.* 103. Dian. *part.* 3. *tract.* 5. *Resol.* 18. *& Resol.* 37. *part.* 4. *tractat.* 4. *Resol.* 21. *& part.* 5. *tract.* 5. *Resol.* 18. *& tract.* 7. *Resol.* 17. *& Resolut.* 4. 8. 15. 16. 21. 22. 23. 24. 25. 31. *&* 39. *& tract.* 14. *Resol.* 3. Bonacin. *de Leg. & Peccatis, disp. secund. quæst.* 4. *puncto* 2. §. *Unico*, Joannes Viguer. *Instit. Moral. num.* 124. Layman. *lib.* 2. *tractat.* 3. *cap.* 13. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *Disput.* 19. *à num.* 9. satis diffuse Pont. *de Matrimon. lib.* 5. *toto Capitulo* 18. diffusissime omnium Vasquez in quodam peculiari Opusculo, *de Scandalis*.

LAUS DEO,
DEIPARÆQUE VIRGINI.

ANNO-

ANNOTATIONES, ET ADDITIONES AD LIBRUM II.

Cap. 5. sub num. 33.

1 EAdem Conclusio, quod Cognatio Spiritualis in Baptismo, vel Confirmatione contrahatur per Principalem, non autem per Procuratorem, firmatur ab Eminentiss. Petra *in Comment. ad Const. Apostol. tom. 2. ad Constit. 5. Honor. III. sect. 2. num. 12. pag. 442.* Clericat. *de Matrim. dec. 23. n. 28.* & novissime resolutum fuit *à S. Congregat. Conc. in Theatina Matrimonii 13. Septembris 1721.*

Ibid. num. 44.

2 Et quod non Confirmatus suscipiens alium in Confirmatione non contrahat cognationem Spiritualem declaravit eadem S. Congregatio Conc. *in Licien. 23. Junii 1654. ut ex lib. 19. Decr. fol. 358.*

Et num. 50.

3 Juxta ibi firmata circa tactum Baptizati, vel Confirmati fuit pariter declaratum ab eadem S. Congregatione Conc. in *Bobien. 20. Decembris 1653. ut ex dicto lib. 19. Decr. fol. 296.*

Cap. 8. num. 8. & seqq.

4 Ad hoc, ut publicæ honestatis impedimentum oriatur ex Sponsalibus, requiritur, ut non solum ea valida sint, juxta Tridentinum, sed etiam, ut de illis clare, & indubitanter appareat, & quidem cum muta utriusque Partis repromissione ex Rot. *in Lunen. Sarzanen. Sponsalium 28. Junii 1694. cor. Pio inter decis. ad* Deluc. *tom. 2. lib. 14. dec. 6. & post Monacell. tom. 2. decis. 31.*

Ibid. num. 50. & seqq.

5 Ex sponsalibus de futuro mutuo consensu dissolutis nullum oriri impedimentum, ultra hic adductos per Auctorem nostrum, declaravit *S. Cong. Conc. 10. Januarii 1637. & 13. Junii 1654. ut ex d. lib. 19. Decr. fol.* 358. sed contrarium hodie tenendum esset: formiter enim disputato articulo in eadem S. Congregatione sub *die 6. Julii 1658.* An, Sponsalibus valide ab initio contractis, & deinde mutuo consensu dissolutis, sublatum sit impedimentum Justitiæ publicæ honestatis, censuit non esse sublatum. Factaque Sanctissimo relatione, Sanctitas sua prædictam S. Congregationis sententiam approbavit, eamque jussit in dubium amplius non revocari, ut apud Fagnan. *in cap. ad audientiam de Sponsal n. 29.* Clericat. *de Matrimon. dec. 30. num. 8. 9. & 10. ubi citat Just. hoc cap. 8.*

Eodem cap. 8. num. 20. & seqq.

6 In comprobationem eorum, quæ dixit hic Auctor noster circa validitatem Sponsalium, & Matrimonii impuberum, ubi malitia suppleat ætatem, & quando hæc à malitia suppleri dicatur, vide Ursayam *tom. 1. par. 2. discept. 29. & tom. 5. par. 2. discept. 17.*

Et num. 37. & seqq.

7 Quod Pater pro Filio impubere possit Sponsalia contrahere, istaque subsistant, quoties filius pubertatem egressus non reclamaverit, dixit Rot. *in Vicen. Sponsalium 17. Junii 1715. S. Minus etiam cor. R. P. D. Crispo.* Ubi etiam quod Pubes cum impubere Sponsalia contrahens, illius pubertatem expectare teneatur, ejusque consensui, vel dissensui postmodum stare compelli possit,

Dicto cap. 8. num. 60.

8 Ad evitanda scandala, vitæque periculum an concedi soleat dispensatio, ut quis ducat in Uxorem eam, quam carnaliter cognovit, & postea ser. ser. matrimonium contraxit, & consummavit cum ejus filia, pro affirmativa scripsit Ursaya *tom. 4. part. 1. disc. 12. ubi num. 17. citat* Just. *lib. 3. cap. 6. n. 2.* Sed negative in illo casu respondit *S. Congreg. Conc. 28. Martii 1716. apud eumdem* Ursayam *ibid. n. 32.*

Cap. 9. num. 19. & seqq.

9 Ultra attestationem super statu libero, requiritur de necessitate, ut fiant denunciationes etiam in loco originis, sicut declaravit S. Congreg. Conc. *in Senogallien. 29. Januarii 1684. lib. 34. Decr. fol. 28.* „ ibi Bartholomæus Joannis Titta origine Senogal-
„ liensis matrimonium contrahere desiderans extra
„ locum originis, supplicat declarari, an ultra fi-
„ dem status liberi, necessario faciendæ sint denun-
„ ciationes matrimoniales etiam in loco originis,
„ prout prætendit Parochus, coram quo matrimo-
„ nium contrahi debet. Die 29. Januarii 1684. Sa-
„ cra &c. respondit „ *Denunciationes etiam in loco*
„ *originis esse necessarias.*

10 Hoc tamen non habet locum in casu, quo aliquis per longum tempus, puta per septem, vel decem annos habitaverit in loco, ubi matrimonium contrahere intendit; tunc enim sufficere attestationem Super statu libero, absque denunciationibus, declaravit eadem *S. Congreg. Conc. in Vescellen. 6. Maii 1719.*

Cap. 10. num. 15. & seqq.

11 Quod concurrente legitima probatione, non consummationis matrimonii, possit summus Pontifex dispensare in matrimonio rato, non consummato, etiamsi prius judicialiter actum fuisset de nullitate matrimonii ex capite impotentiæ, & alter conjugum dissolutioni obsisteret, dummodo ejus resistentia sit irrationabilis; materia funditus examinata in acerrimo partium contradictorio, resolvit eadem S. Congreg. Conc. *in Januen. dispensationis 9. Septembris 1719. & 27. Januarii 1720. & in Tirasonen. matrimonii 18. Septembris 1723.* videatur etiam Ursaya *tom. 2. part. 1. discept. 3. & num. 3. par. 2. discept. 21.*

Cap. 12. num. 72. & seqq.

12 Quod deflorans virginem sub promissione matrimonii compelli possit præcise ad illud contrahendum etiam per censuras Ecclesiasticas, absque metu nullitatis ipsius, etiamsi ficte promisisset; & quod non liberetur

retur per oblationem dotis, cum hæc suffragetur tantum ubi virgo defloratione passa sit absque fide matrimonii, pluries respondit Rota & præsertim *in Albanen. sponsalium* 15. *Septembris* 1710. *cor. Ansaldo*, *& in Camerinen. sponsalium* 12. *Junii* 1711. *§. Motivum cor. Eminentiss. Priolo*, *& in Majoricen. sponsalium* 29. *Junii* 1712. *cor. Eminentiss. Scotto confirmata*, *die* 26. *Februarii* 1713. *cor. Eminentiss. Falconerio*; *& in Pampilonen. sponsalium* 1. *Februarii* 1715. *cor. eodem Eminentiss. Falconerio*, *confirmata die* 26. *Junii* 1715. *cor. R. P. D. Crispo*, & resolutum fuit à S. Congreg. Conc. *in Hydruntina matrimonii* 13. *Septembris* 1721.

13 Istaque coactio per Censuras contra deflorantem virginem sub expressa fide matrimonii intrat etiamsi sponsalia juramento vallata non sint, ut ponderavit Rot. *in d. Albanen. sponsalium super Censuris* 15. *Septembris* 1710. *cor. Ansaldo*, *& in d. Pampilonen. sponsalium* 26. *Junii* 1715. *cor. R. P. D. Crispo*.

14 Quod autem eadem coactio per Censuras non intret contra mulierem sponsalia adimplere detrectantem, cum hæc sit tantum monenda, non autem cogenda ex *cap. requisivit. de sponsal. & Text. in cap. ex literis eod. tit.* permittens coactionem, loquatur solum de masculo renuente sponsalia adimplere, distinguit *Rot. in d. Albanen. sponsalium super Censuris* 15. *Septembris* 1710. *cor. Ansaldo*, *& in d. Vicen. sponsalium* 17. *Junii* 1715. *§. Verum &c. cor. Reverendissimo Crispo Archiepiscopo Ravennaten.*

15 Si vero talis stuprator sub promissione matrimonii carceribus sit mancipatus, & in eis matrimonium contrahere velit, vel contrahere cogatur, eidem assistere non potest Parochus, in cujus Parochia carceres reperiuntur, sed adhibendus erit Parochus habitationis, vel domicilii alterius ex sponsis; alias matrimonium esset nullum, ut declaravit S. Congreg. Conc. in *Farfen. Matrimonii* 26. *Maji* 1707. *apud* Ursayam *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 30. *in fin. & per tot. & tom.* 2. *part.* 1. *disceptat.* 1. *numer.* 36.

Eod. cap. 12. *num.* 88.

16 Juxta ibi firmata circa revalidationem matrimonii metu contracti ob copulam maritali affectu postmodum inter conjuges habitam, unde opus non sit nova Parochi, & Testium præsentia si metus sit occultus, habetur etiam in Folio S. Congreg. Conc. *in Cæneten.* 20. *Martii* 1723. Quando autem metus est publicus eadem S. Congregatio sæpius respondit matrimonium metu contractum, eoque purgato per cohabitationem cum carnali copula, ac per alios familiaritatis actus, non convalidari, nisi iterum contrahatur adhibita rursus ejusdem S. Concilii forma, ut *in Hispalen.* 20. *Junii* 1609. *& in Constantinopolitana* 16. *Septembris* 1634. *relatis in Folio ipsius S. Congregationis in Panormitana* 30. *Septembris* 1719.

Cap. 14. *num.* 31.

17 Et quod votum continentiæ non sit de substantia ordinis, sed illi accidentaliter annexum ex statuto Ecclesiæ, itaut ad sui essentiam requirat liberam voluntatem, qua cessante, non obliget, decisum fuit à Rota, recedendo à binis præcedentibus decisionibus coram Emerix *jun. decis.* 870. *numer* 1. *& 2.*

Ibidem num. 35.

18 S. Congregatio Concil. in *Parisien.* 6. *Maii* 1645. Censuit concedi posse, si Sanctissimo placuerit, dispensationem in forma Commissaria uxorato suscipiendi sacros Ordines, verificata ipsius ætate 62. annorum, & ætate Uxoris 58. annorum, quodque ista emiserit votum castitatis in manibus Archiepiscopi Parisien. & quod ex attestatione ejusdem cesset in illa omnis incontinentiæ suspicio, & ipse sit benemeritus S. Sedis Apostolicæ ob servitium præstitum S. Congregationi de Propaganda Fide, *ut ex lib.* 17. *Decr. fol.* 471.

Cit. cap. 14. *num.* 58. *& seqq.*

Quando jura matrimonii sunt læsa, & diminu- 19
ta propter sententiam divortii, quod possit conjux innocens in sæculo remanere, & alter ad religionem transire, si conjux innocens ei licentiam præstet, adsunt quatuor in urbe judicata. alterum tempore Innocentii Papæ X. qui, accitis Theologis, ita judicavit, teste Lezan. *cons.* 30. *n.* 27. & cætera tria S. Congreg. Concilii, nempe *in Lucana* 14. *Novembris* 1682. *in Ferrar.* 2. *Maii* 1693. *& in Januen.* 2. *Maii* 1722. *relata in folio ejusdem S. Congreg. in Salamantina* 6. *Martii* 1723. Solumque supererat difficultas, an conjux innocens in sæculo remanens emittere teneretur votum simplex castitatis, quod in dictis casibus fuerat demandatum. Sed in postrema *Januen.* recurrente viro innocente, qui in sæculo remanebat, & reclamante adversus talem obligationem sibi super impositam, eadem Sacr. Congregatio *die* 23. *Maii* 1722. illam abolevit, uti habetur in præcitato folio *diei* 6. *Maii* 1723. ea quidem summa ratione, quia Jura prohibentia professionem, seu mutationem status alterius conjugum absque voto continentiæ emittendo ab eo, qui remanet in sæculo, procedunt in casibus, in quibus matrimonium integrum, & illæsum perseverat; secus autem quando ipsius jura læsa, & diminuta sunt, quemadmodum explicant Dian. Coord. *tom.* 2. *tract.* 6. *ref.* 226. §. 2. Donat. *in prax. rer. regul. tom.* 2. *parr.* 2. *tractat.* 3. *quæst.* 17. *num.* 7. Reginald. *in prax. for. Pœnit. tom.* 2. *libr.* 31. *tractat.* 5. *capit.* 42. *num.* 327.

Prædictaque procedere videntur in terminis tan- 20
tum matrimonii læsi propter adulterium; non autem si matrimonium læsum esset ex sententia divortii lata propter sævitiem, vel aliam causam præferentem impedimentum temporale, uti habetur apud Clericat. *de matrim. dec.* 39. *num.* 3. *& in Erotem. cap.* 146. *num.* 4. *& in d. folio Salamantina* 6. *Martii* 1723. §. *Primum*, *&c.*

Eod. cap. 14. *num.* 62.

Auctoritatibus ibi citatis addi potest *Fagnan. in* 21
cap. conjugatus de convers. Conjugat. n. 10. *& seqq.* & resolutio *S. Congreg. Conc. in Conversanen. dispensationis* 16. *Martii* 1675.

ibidem num. 64.

Et intantum in *cap. veniens de convers. conjugat.* 22
uxor, quæ captiose & dolose inducta fuerat ad suum assensum præstandum, ut vir ejus religionem ingrederetur, repellitur à viro vindicando, in quantum post ingressum viri in Monasterium, cum alio commiserat adulterium, ut ponderant Abb. *in dict. capit. Veniens*, *&* Pirringh. *ibidem* §. 4. *numer.* 22. *& seqq. & explanatur in folio S. Congreg. Conc. in Turon.* 7. *Septembris* 1720.

Cap. 15. *num.* 8. *& seqq.*

Eandem Conclusionem, quod matrimonia inter 23
Hæreticum, & Catholicam, ubi, secundum consuetudinem regionis, Hæretici cum Catholicis tolerantur, sint valida, eo quia ad contrahendum matrimonium, uti elevatum in Sacramentum, requiratur solum paritas Baptismi, non Fidei, Firmavit Rot. coram Card. Caprara, *decis.* 319. *numer.* 14. *& 15.*

Cap. 16. *num.* 23. *& seqq.*

Quamvis ex adulterio cum fide inter Conjugatos 24
data, & vicissim acceptata, contrahendi matrimonii, impedimentum criminis oriatur; ad effectum tamen dissolvendi matrimonium ser. ser. contractum,

pro-

probari debent concludenter, & per rigoroſas probationes, quæ in criminalibus requiruntur, duo illa requiſita, nempe adulterium, & fides viciſſim data, & hinc inde acceptata, ut dixit Rot. *in Carpentoracten. Matrimonii*, 28. *April.* 1701. *coram Priolo in Mantiſſ. ad Deluc. tom.* 4. *libr.* 14. *deciſ.* 4. *per tot.*

Cap. 17. *num.* 30.

25 Idem etiam, quod ſcilicet aliud brevius tempus ad cohabitandum pro faciendo experimento, aſſignari poſſit à Judice, reſolutum fuit à S. Cong. Conc. *in Ariminen. Matrimonii*, 16. *Martii* 1720. & 8. *Martii* 1721. *apud* Urſayam, *tom.* 4. *part.* 1. *diſcept.* 13. *num.* 75. 76. & 77.

Ibid. num. 70.

26 Quod Text. *in cap.* 1. *de frigid. & malef.* denegans audientiam mulieri, quæ non reclamavit initio matrimonii, allegando viri impotentiam, non procedat quando mulier negat copulam, & eſt parata ad ſui corporis oſtenſionem, firmat Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſp.* 109. *num.* 6. &. 7. Panimoll. *deciſ.* 51. *n.* 14. & *ſeqq.* Quæ quidem inſpectio eo caſu per Judicem decernenda eſt juxta Text. *in cap. Propoſuiſti, de probat.* & fieri poſſe non ſolum quoad mulierem, ſed etiam quoad virum, ita & taliter, ut Judex mandare valeat utrumque eſſe recognoſcendum, exemplis relatis probat Sperell. *dec.* 141. *num.* 24. & 46. & declaravit S. Cong. Conc. *in Gienen.* 15. *Maii* 1723. Quando autem ob viri impotentiam ſit locus diſſolutioni matrimonii, vel potius cohabitationi triennali, & quomodo probetur impotentia, quot ſint ejus ſpecies, & differentiæ, & alia ad rem, vide in Magiſtralibus *dec.* 10. & 11. *inter Deciſ. ad Deluc. de Matr. tom.* 2. *lib.* 14. Urſaya *tom.* 1. *part.* 1. *diſcept.* 12. & *tom.* 2. *part. prim. diſcept.* 3.

Eod. Cap. 17. *num.* 85.

27 Si Monialis evaderet Ermaphrodita, & in ea prævaleret ſexus virilis, quod ſit ejicienda è Monaſterio, & profeſſio ſit nulla, ac dos eidem reſtituenda ſit per Monaſterium, reſolutum fuit à Sac. Congreg. Conc. *in Spoletana*, 14. *Martii* 1722. in cujus Folio ſub die 31. Januarii ejuſdem anni quamplura de Ermaphroditis perdocte adducuntur.

Cap. 19. *num.* 52. & *ſeqq.*

28 Quod matrimonium nulliter contractum, ſi poſtmodum transferatur domicilium, ratificari debeat coram Parocho moderni domicilii, declaravit S. Congregatio Concilii in *Bovinen. Matrimon.* 28. *Septembris* 1697. relata in calce Folii Cauſarum ejuſdem Sacr. Cong. pro die 20. Februarii 1723. ubi pleniſſime habetur quis ſit proprius Parochus ad effectum validitatis matrimonii, & alias reſolutiones adducit Fagnan. *in cap. Significavit, Paroch. num.* 28. & *ſeqq.*

Ibid. poſt num. 96.

29 Pro complemento materiæ de præſentia Parochi in matrimoniis neceſſaria in iſto capite per D. Juſtum explanatæ, quæri poteſt coram quo Parocho celebranda ſint matrimonia Vagorum, & Militum. Quoad primos: vagi dicuntur non ſolum illi, qui relicto antiquo domicilio, navigant, aut iter faciunt, quærentes ubi ſe ſiſtant, juxta Text. *in l. ejus*, §. *Celſus, ff. ad municip.* Sed etiam illi, qui nullibi certam, & conſtantem ſedem, aut domicilium, vel quaſi domicilium habent, Reginald. *in Prax. For. Pœnit. lib.* 1. *n.* 64. Leſſ. *de Juſtit. & Jur lib.* 2. *cap.* 40. *de Vot. diſp.* 18. *num.* 121. Pignatell. *conſ.* 79. *n.* 34. *tom.* 5. Et ſicuti vagi utriuſque ſpeciei nullum proprium habent Parochum, ſed quilibet Parochus eſt eorum Parochus, ita contrahere poſſunt matrimonium coram quolibet Parocho illius loci, in quo actu morantur, ut late probant Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 25. *n.* 11. Barboſ. *de Paroch. part.* 2. *cap.* 21. *n.* 89. Piringh. *ad lib.* 4. *Decret. tit. de clandeſt. deſponſat. num.* 19. Cabaſſut. *in Theor. Jur. Can. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 4. Quod procedit tam ſi uterque Conjux ſit vagus, quam ſi alter ex eis tantum vagus ſit; Cum enim ad matrimonii validitatem ſufficiat, quod illud contrahatur coram Parocho Sponſi, vel Sponſæ, quando Sponſus eſt vagus, ideo quilibet Parochus eſt ejus Parochus, ut proſequitur Sanch. *d. diſp.* 25. *n.* 14. & 15. Barboſ. ad Concil. *ſeſſ.* 24. *de Refor. Matr. cap.* 7. & plenius in Folio Cauſarum S. Cong. Conc. *in Jadren.* 24. *Auguſti* 1720.

Quo vero ad Milites; ejuſdem S. Congregatio- 30
nis recepta ſententia eſt, quod Capellanus Caſtrenſis, abſque ſpeciali facultate S. Sedis, vel expreſſa Ordinarii licentia, non poſſit aſſiſtere matrimoniis, quæ fiunt à Militibus, ſive hi degant in Præſidiis, ſive in Caſtris, & Stationibus hybernis, aut æſtivis, ſive etiam ſint poſiti in actuali expeditione, juxta reſolutiones apud Anaclet. *in Jus Canon. tom.* 4. *tit.* 3. *clandeſt. deſponſat.* §. 2. *n.* 97. & apud P. Schiaram *in addit. ad ſuam Theol. Bellic. fol.* 139. & 140. Urſayam *tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 14. *num.* 59. & *ſeqq.* & apud Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *form.* 5. *n.* 5. Verum quia Milites non præſidiarii regulariter ſunt forenſes, neque domicilium verum, nec quaſi domicilium habitationis habent, ſed parati ſemper eſſe debeant ad proficiſcendum quo ſibi demandetur, ac per accidens ſit, quod in Stationibus hybernis, vel æſtivis ſibi aſſignatis conſiſtant; nihil aliud requiri videtur ad plene ſuadendum eos eſſe vagos, & ſic poſſe matrimonium valide contrahere coram Parocho loci, ubi pro tempore exiſtunt, ut docent Anaclet. Reiffenſt. *ad d. lib.* 4. *d. tit.* 3. §. 2. *n.* 94. Paſqualig. *in Prax. Jejun. dec.* 190. *num.* 2. & *in quæſt. ſelect. quæſt.* 11. *n.* 5. & 6. Bertacchin. *Vot. deciſ.* 145. *n.* 8. Pignatell. *conſ.* 79. *nu.* 34. *tom.* 5. P. Schiara *in d. Theol. Bellic. tom.* 2. *diff.* 13. *lib.* 6. *num.* 7. & *ſeqq. pag.* 130. Nequaquam reſiſtente Text. *in l. Municeps, ff. ad municip.* cum quo pertranſeunt Van-Eſpen *in Jus Eccleſ. Univerſ. tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 14. & 15. Zipeus *Conſ. Can.* 2. *n.* 7. *de Offic. Ord. & lib.* 4. *de Sponſ. conſ.* 7. *num.* 2. & *reſp.* 3. *num.* 1. & *ſeqq.* Textus enim dicitur Militem habere domicilium ubi moratur, ſed id intelligitur de Milite præſidiario, non de Milite in Caſtris hybernis, vel æſtivis, ſeu in Stationibus degente, ut explicant Mansfeld. *de Juriſdict. & Jur. Milit. Belgic. tract.* 1. *cap.* 6. *pag.* 68. Villoſ. *de ſerv. fugitiv. cap.* 20. §. 2. *nu.* 46. & in iiſdem terminis Militum in præſidiis degentium loqui videntur. Van-Eſpen, & Zip. *l. c.* ſicuti uberius advertitur in dicto Folio Sac. Congreg. Concil. *in Jadren.* 24. *Aug.* 1720.

Quæri etiam poteſt quænam Parochi præſentia re- 31
quiratur, an ſcilicet ſufficiat præſentia phyſica, ſeu materialis ſejuncta ab omni cognitione, & intelligentia; aut illa, quæ ſit cum poſitivo diſſenſu; ſeu potius neceſſaria ſit præſentia moralis humano modo, & cum advertentia, itaut Parochus teſtari poſſit de matrimonio actualiter contracto. Quod non ſufficiat præſentia pure phyſica, & materialis, deciſum habetur à S. Congregatione Concilii, in qua propoſitis infraſcriptis dubiis, videlicet,

„ I. An Parochus teneatur prohibere, & quantum „ in ſe eſt, poſitive reſiſtere clandeſtinis matrimo- „ niis; & quatenus affirmative.

„ II. An ob inopinatum caſum, deficientibus aliis „ mediis prohibendi, & reſiſtendi, peccet, vel ma- „ le faciat tentando fugam, claudendo oculos, & „ aures obturando.

„ III. An Parochi præſentia, de qua loquitur Sac. „ Conc. Trid. *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de Reform. Matr.* „ cum illis verbis -- *qui aliter, quam præſente Pa-* „ *rocho &c.* -- debeat eſſe moralis humano modo, „ & cum advertentia, itaut poſſit eſſe teſtis matri-

„ mo-

„ monii actualiter, & de facto contracti, non ve-
„ ro voluntatis contrahendi ; vel ſufficiat potius ſo-
„ la præſentia phyſica, ſeu materialis,

„ IV. An affectante Parocho non audire verba,
„ vel non videre nutus attentantium clandeſtine
„ contrahere matrimonium, & revera illa non au-
„ diente, vel iſtos non videntes, validum ſit matri-
„ monium coram ipſo attentatum.

Die 7. Martii 1700. eadem S. Congregatio Conc. cenſuit, *reprobata opinione, quod ſufficiat præſentia Parochi pure phyſica, ſeu materialis, providendum eſſe in caſibus particularibus*. Ut apud Monacell. *in Formul. Eccleſ. tom.* 1. *tit.* 10. *form.* 8. *num.* 1. *& ſeqq. & tom.* 3. *tit.* 2. *form.* 5. *num.* 13. Bertacchin. *Vot. dec.* 100. Urſaya *tom.* 1. *part.* 2. *diſcept.* 2. *num.* 214. *& tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 21. *num.* 79. *& tom.* 4. *part.* 2. *diſcept.* 2. *num.* 122.

32 Eo autem caſu, quo Parochus affectet, aut procuret non audire contrahentium conſenſum, arripiendo fugam, vel aures obturando, quod matrimonium ſit validum, cum non ſit repoſitum in arbitrio, & poteſtate Parochorum matrimonii libertatem reſtringere dixit Rot. *in Romana Matrimonii*, 4. *Februarii* 1697. *cor. Urſino*, quæ eſt inter Deciſ. ad Deluc. *tom.* 2. *lib.* 14. *dec.* 5. *& in Placentina Matrimonii*, 15. *Martii*, *& 18. Novembris* 1715. *cor. Eminen. Scotto*. Sed videatur Urſaya *d. tom.* 1. *part.* 2. *diſcept.* 1. *& 2. per tot.* ubi contrarium firmat, & materiam pro veritate juſſu ipſius S. Congregationis Concilii luculenter examinat, innumeros referendo Auctores ſuper præmiſſis quatuor dubiis in eadem Sac. Congregatione propoſitis ; *& tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 21. *ac plenius tom.* 3. *part.* 1. *diſcept.* 1. *per tot.* Monacell. *tom.* 3. *dicto tit.* 2. *form.* 5. *n.* 7. *& ſeqq.*

33 Si tamen Parochus vi, vel fraude ad aſſiſtendum vocatus, vel detentus, revera audita, & intelligat, ac ſenſu percipiat contrahentium conſenſum, itaut de illo teſtificari poſſit, etiamſi fingat, aut affectet non audire, matrimonium erit quidem illicitum ; ſed validum, ut relatis pluribus ejuſdem S. Congregationis Reſolutionibus firmat de communi ipſe Urſaya *d. tom.* 1. *part.* 2. *diſcept.* 2. *num.* 88. *& ſeqq. & tom.* 2. *part. prim. diſcept.* 10. *à num.* 135. *& diſcept.* 21. *num.* 89. Et ita intelligendas eſſe Deciſiones, & Decreta contraria advertit Monacell. *d. tom.* 3. *tit.* 2. *form.* 5. *num.* 12.

Tam contrahentes matrimonium de facto, omiſ- 34
ſis denunciationibus, quam teſtes eidem ſcienter, & per dolum aſſiſtentes, puniri poſſunt ab Epiſcopo pœna arbitraria, ut ultra adductos per Juſt. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 37. firmat, eo citato, Clericat. *de Matrimon. dec.* 34. *num.* 3. & eſt certum apud omnes. An autem hujuſmodi arbitrium ad pœnam ex- 35
communicationis extendi poſſit, videatur Card. Deluc. *de Matr. diſc.* 2. *ſub num.* 7. Monacell. *dicto tit.* 2. *form.* 5. *n.* 4. ubi annuere videntur præſertim in ſubſidium, ſi pœnæ pecuniariæ eſſent inexigibiles. Pignatellus *tom.* 4. *conſultat.* 147. *num.* 17. ubi, quod ſic contrahentes interdici debent ab ingreſſu Eccleſiæ, & quod non ſunt abſolvendi, niſi pœnitentia publica peracta. Urſaya *tom.* 1. *part.* 2. *diſcept.* 17. *num.* 5. *& tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 14. *num.* 25. *& tom.* 3. *part.* 1. *diſcept. prim. §.* 7. *num.* 8. *& ſeqq.* ubi relatis pluribus Reſolutionibus dictæ S. Congregationis reſolvit negative. Et eadem S. Congregatio *in Firmana*, 24. *Aprilis* 1723. Mulctavit contra- 36
hentes in ſcut. 10. Eccleſiæ Parochiali applicandis, eos excuſando à gravioribus pœnis, quia illorum intentio fuit præmittere denunciationes, ſed non potuerunt, ob ſupervenutum impedimentum. Quatenus enim Sponſi contrahere volentes ſer. ſer. inveniant in Parocho irrationabilem difficultatem aſſiſtendi matrimonio, poſſunt licite illum adducere doloſa æquivocatione ad aſſiſtendum, dummodo vim non inferant ejus perſonæ, ut notat Urſaya *tom.* 1. *part.* 1. *diſceptat.* 3. *num.* 86. *& tom.* 2. *part.* 1. *diſcept.* 19. *à num.* 135. *&* 151.

Finis Annotationum, & Additionum.

APPEN-

APPENDIX CASUUM IN SACRA CONGREGATIONE CONCILII RESOLUTORUM,

Et ad ornatum hujus Operis collectorum.

APPENDIX
CASUUM
IN SUPRA CONGREGATIONE
CONCILII
RESOLUTORUM,
Et ad eorum Tuba Opus explicatum.

INDEX

ARGUMENTORUM CASUUM,

Qui in hac cauſa Appendice continentur.

CASUS I.

Sequuta declaratione nullitatis Matrimonii ob impotentiam perpetuam ſponſi, an obſtet impedimentum publicæ honeſtatis, propter quod Sponſa tranſire non poſſit ad ſecunda vota cum conſanguineo primi viri, cum quo habuit copulam, & an ſoleat indulgeri diſpenſatio.

CASUS II.

Impedimentum affinitatis ex copula fornicaria, oppoſitum à conjunctis ſponſi matrimonium ægre ferentibus, ut attendatur, examinandi ſunt teſtes formiter ſuper ægreferentia.

CASUS III.

Agitur de eadem materia, & ſuppletur examini dd. Teſtium per juramentum mulieris ſe non habuiſſe copulam cum conjunctis ſponſi.

CASUS IV.

Status liberi probatio requiritur etiam in matrimoniis contrahendis inter Cives, & pro mercede Cancellarii ſervari debet taxa Innotentiana.

CASUS V.

Diſpenſatio Apoſtolica ſuper impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, non expreſſa cohabitatione inter ſponſos ſequuta, eſt exequenda, ſtante illorum paupertate.

CASUS VI.

Exequenda item eſt Apoſtolica diſpenſatio, ſtante ſponſorum egeſtate, licet interceſſerit cohabitatio cum fama commercii carnalis, minime tamen ſequuti.

CASUS VII.

Calviniſta ducta uxore, quæ, eo abſente, ſeparationem à Judice Acatholico obtinuit, an hæreſi abjurata, poſſit ad alia vota tranſire, prima uxore adhuc ſuperſtite.

CASUS VIII.

Matrimonium contractum coram alio Sacerdote, quam proprio Parocho, cum ſola aſſertione licentiæ ab eo reportatæ, an ſit validum.

CASUS IX.

Matrimonium contractum abſque denunciationibus, eoque conſummato cum conſanguinea, mediante Apoſtolica diſpenſatione, impugnata ante executionem à ſponſo, qui ob id Carceribus mancipatus fuit, an ſit validum.

CASUS X.

An Vicarii Capitulares diſpenſare queant in gradibus prohibitis, & quid dicendum de matrimoniis contractis cum hujuſmodi diſpenſationibus.

CASUS XI.

Ex ſponſalibus de futuro contractis poſt alia jam contracta cum conſanguinea, mediante Apoſtolica diſpenſatione, an oriatur impedimentum publicæ honeſtatis.

CASUS XII.

Sponſalia inita inter Perſonas aliquo impedimento dirimenti ligatas non ſunt valida.

CASUS XIII.

Promiſſio non ducendi aliam, quam Bertam, cum mutua repromiſſione, an importet ſponſalia abſoluta.

CASUS XIV.

Parochi Eccleſiarum Religionis Hieroſolymitanæ non poſſunt matrimoniis aſſiſtere, abſque probatione ſtatus liberi coram Ordinario facienda.

CASUS XV.

Matrimonium contractum attentate coram Parocho negante audiviſſe conſenſum, qui tamen ab aliis præſentibus teſtatur, an ſit validum, vel potius renovari debeat.

CASUS XVI.

Diſſoluto matrimonio ob impotentiam, quæ ſupponebatur perpetua in fœmina, cum vir ad alia vota tranſierit, & mulier copulam habuerit cum alio viro, an cum iſto ea ſit deſponſanda, vel potius reſtituendæ ſit primo viro.

CASUS XVII.

Ex Baptiſmo in Eccleſia reiterato per Parochum ignorantem prius fuiſſe domi collatum, an oriatur Spiritualis cognationis impedimentum.

CASUS XVIII.

Negante ſponſo ſe protuliſſe verba mutuum conſenſum præſeferentia, & aſſerente Parocho ſe audiviſſe tantum verba ſponſæ, ſi tamen mutuus conſenſus à pluribus teſtibus connubialibus probetur an matrimonium ſit validum.

CASUS XIX.

Copula inter conſanguineos habita poſt obtentam diſpenſationem, ſed nondum exequutam, an reddat eam invalidam, & impediat legitimationem prolis.

CASUS XX.

Matrimonium contractum coram Parocho loci, in quo per breve tempus alter conjugum habitabat, an ſit validum.

CASUS XXI.

Matrimonium attentatum per ſponſum coram Parocho ſacrum faciente, qui non intellexit feminam ullum verbum reſpondiſſe, an ſit validum.

CA-

CASUS XXII.

Agitur de eadem materia matrimonii attentati coram Parocho, & Testibus.

CASUS XXIII.

Dispensatio super dissolutione matrimonii non consummati an concedatur, stante natura efferata viri, & periculo perversionis sponsæ.

CASUS XXIV.

Matrimonium contractum à Pseudo-religioso an sit validum.

CASUS XXV.

Matrimonium contractum ex falsa causa, & præsertim ob incompetentiam dotis, quando sit nullum.

CASUS XXVI.

Agitur de eadem materia, de qua in præcedenti casu.

CASUS XXVII.

Matrimonium contractum inter conjunctos tertio, & quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, prævia Apostolica dispensatione super quarto, an, & quando sit validum.

CASUS XXVIII.

An, & quando summus Pontifex dispensare possit in radice matrimonii quoad omnes effectus, etiam civiles.

CASUS XXIX.

An Vitricus ducere possit in uxorem eam, quæ fuit Uxor Privigni sui.

CASUS XXX.

Impedimentum publicæ honestatis oriens ex Matrimonio rato, & non consummato, sed nullo, non tamen ex defectu consensus, usque ad quem gradum protrahatur.

CASUS XXXI.

Matrimonium contractum coram Sacerdote deputato per Vicarium Generalem postquam Episcopus Parocho inhibuerat, ne matrimonio assisteret, an sit validum.

CASUS XXXII.

Dispensatio super impedimento primi gradus affinitatis, vel publicæ honestatis proveniente ex matrimonio nullo ex defectu consensus, an concedi soleat.

CASUS XXXIII.

Subdiaconi, vel Diaconi quando dispensari soleant super voto continentiæ ad effectum contrahendi matrimonium.

CASUS XXXIV.

Mulier Hebræa ad Fidem conversa an possit matrimonium contrahere cum Fideli, omissa interpellatione primi viri Infidelis.

CASUS XXXV.

Matrimonia secreta, seu conscientiæ an sint valida, & licita, & an, & quando sit tradenda authentica eorum attestatio.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Sequuta declaratione nullitatis Matrimonii ob impotentiam perpetuam ſponſi ; cum ſponſa contraxiſſet ſponſalia cum alio conjuncto in tertio conſanguinitatis gradu cum primo viro , & cum eo copulam habuiſſet , negata fuit diſpenſatio ſuper impedimento publicæ honeſtatis , & inhibitum , ne tranſiret ad ſecunda vota .

CASUS I.

BRIXINEN. DISPENSATIONIS.

OB impotentiam naturalem , & perpetuam Jacobi Philippi de Gonera loci Puechenſtam Chirurghorum, ac Medicorum Judicio pro inſanabili recognitam , per Officium Eccleſiaſticum Curiæ Brixinen. lata fuit Sententia declarans nullum fuiſſe Matrimonium ab eodem Jacobo Philippo contractum cum Maria de Vallaxa ejuſdem loci , liberumque eſſe dictæ Mariæ cum alio quocumque viro ulteriores Nuptias contrahere , quam quidem Sententiam ab utraque parte acceptatam fuiſſe Plebanus dicti loci teſtatur .

Eadem igitur Maria cum Sylveſtro Pezziei in tertio gradu Conſanguineo prædicti Jacobi Philippi prioris viri ſui , ſponſalia contraxit , & copulam ſucceſſive habuit . Cumque poſtea iidem Sponſi per Datariam diſpenſari inſtitiſſent ab impedimento publicæ honeſtatis in tertio gradu proveniente ex matrimonio rato cum dicto Jacobo Philippo , remiſſæ fuerunt eorum preces pro habendo voto ad hanc Sacram Congregationem , quæ primo reſcripſit Epiſcopo pro informatione , & voto deinde vero Proceſſum tranſmitti mandavit . Tranſmiſſa itaque informatione , in qua prædicta omnia confirmantur , & voto Oratorum precibus conformi , totoque demum Proceſſu ſuperius expoſita comprobante EE. VV. conſulere dignabuntur .

An ſit locus petitæ diſpenſationi in caſu &c.

Sac. Concilii Congregatio die 10. Jan. 1705. reſpondit . *Negative , & inhibeatur , ne tranſeat ad ſecunda vota .*

ARGUMENTUM.

In caſu oppoſitionis alicujus impedimenti , conſiderandum eſt , an opponentes egre ferant Matrimonium .

CASUS II.

TROPIEN. MATRIMONII.

A Sententia , qua Ordinarius pronunciavit non adeſſe , neque obſtare impedimentum Affinitatis , provenientis ex duplici aſſerta fornicaria copula per Patrem , & Patruum Caroli de Romano ſponſi , ut opponebatur ; habita cum Fauſtina de Laurentio ſponſa , quin idem Carolus filius , & reſpective prætenſorum Fornicantium Nepos cum dicta Fauſtina matrimonium celebrare poſſet , Theodora ſponſi mater appellationem ad A. C. interpoſuit , ſed cauſa partibus etiam utrinque conſentientibus poſtea delata ad hanc Sacram Congregationem , iſta ſub die 29. Novembris proxime præteriti probationes coadjuvandas eſſe reſpondit .

Cum vero dilapſo jam à menſe , & ultra termino ad probandum aſſignato , eadem Theodora ſuper hujuſmodi impedimento à ſe oppoſito meliora documenta cumulare , ac deducere hactenus neglexerit ; ideo Sponſi ad effectuationem ejuſdem matrimonii properantes ad dubium tunc propoſitum , reaſſumpto benigne Folio prædicto die diſtributo , ab EE. VV. reſponderi iterum humiliter exorant .

Sac. Congregatio Concilii die 7. Februari reſpondit . *Examinentur Teſtes formiter , & recipiantur informationes ſuper ægre ferentia matrimonii .*

ARGUMENTUM.

Stante ægreferentia conjunctorum , matrimonio ſeſe opponentium , & non conſtito per legitimas probationes de impedimento Affinitatis ex aſſerta copula fornicaria provenientis , reſponſum fuit non conſtare de matrimonio .

CASUS III.

EADEM TROPIEN. MATRIMONII.

SUper duplici aſſ. Affinitatis impedimento per Theodoram Guadagneriam matrem Caroli de Romano matrimonium cum Fauſtina de Laurentio contrahere cupientis in Curia Epiſcopali oppoſito , & per Decretum Vicarii Generalis rejecto , Sacra Congregatio ſub die 29. Novemb. 1704. probationes coadjuvari mandavit ; Negligente autem eadem Theodora probationes confovere ſub die 7. Februarii labentis anni , eadem Sacra Congregatio denuo conſulta , an conſtaret de legitimo impedimento Affinitatis , Teſtes formiter examinari , ac informatione ſuper ægreferentia matrimonii recipi juſſit .

Inſtiterunt itaque ſponſi præfati coram eodem Vicario Generali , ut dictæ Theodoræ ad repetendos formiter Teſtes alias inductos terminus præfigeretur , utque ſuper ægreferentia conjunctorum dicti Caroli Informationes reciperentur , & quia illa nedum in termino ſibi aſſignato , ſed nunquam hactenus dd. Teſtes repeti curavit , iidem ſponſi , inductis quatuor Teſtibus , qui de ægreferentia dictæ Theodoræ matris , Hieronymi de Romano Patrui , & Antonii Amantis Cognati dicti Caroli ſponſi , deponere conantur , ab EE. VV. iterum , & tertio declarari ſupplicant .

An conſtet de legitimo impedimento Affinitatis in caſu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 28. Novembris 1705. reſpondit . *Negative , præſtito tamen juramento per mulierem non habuiſſe copulam nec cum patre , nec cum patruo ſponſi .*

A R-

ARGUMENTUM.

Etiam in matrimoniis contrahendis inter Cives in Civitate Ortonen. requiritur probatio ſtatus liberi, & quoad mercedem Cancellarii Epiſcopalis ſervetur taxa Innocentiana.

CASUS IV.

ORTONEN.

PEr notiſſimam Taxam Innocentianam indiſtincte cavetur, quod in omnibus materiis matrimonia, ac ſponſalia concernentibus, tam ſcilicet pro executione diſpenſationum Apoſtolicarum, probatione ſtatus liberi, & defectus in futuris contrahentibus canonici impedimenti, quam pro diſpenſatione à denunciationibus, ac licentia contrahendi domi, vel alibi, vel tempore inſueto, & prohibito, vel in præſentia alterius Sacerdotis, quam Parochi, & in quolibet actu, quem fieri oporteret, vel contingeret ab Epiſcopo, ejus Vicario, & quolibet alio Officiale miniſtro, vel familiari nullum penitus emolumentum in pecunia, vel aliis rebus ſub quocumque prætextu, aut quæſito colore etiam ſtrenæ, vel ſpontanei muneris exigatur, ſed Cancellarius dumtaxat mercedem labori ſcripturæ proportionatam exigere valeat, hac ſtatuta menſura, quod nimirum pro diſpenſationum executione julios tres, pro depoſitione autem cujuslibet Teſtis ſuper ſtatu libero, aut ſuper defectu canonici impedimenti julium unum ille recipere poſſit, dummodo integra impenſæ ſumma ſcutum unum monetæ Romanæ, aut valorem illi æquivalentem in moneta pro Regionum diverſitate currente in totum non excedat.

Prævia reſolutione publici Conſilii, & ſpecialis Procuratoris conſtitutione pro habendo ad hanc Sacram Congregationem recurſu Civitas per ſupplicem libellum alias ſuperiori anno expoſuit, quod licet in matrimoniis inter Cives contrahendis obuli tantum quindecim pro denunciationibus, & alii quinque julii pro Miſſæ celebratione, ac nuptiali benedictione Parocho ſolvi conſueverint. Attamen Epiſcopus ultra prædictam ſummam alios julios novem cum dimidio Curiæ Eccleſiaſticæ ſolvendos eſſe decreverat.

Sacra igitur Congregatio pro informatione de more literas ad Epiſcopum dedit, qui cum in ſua reſtatione aſſerat, ſub mentito Civitatis nomine recurſum ab aliis per calumniam potius interponi, dum ad coercendam libertatem, quæ invaluerat, contrahendi abſque Curiæ Eccleſiaſticæ licentia, & ſine aliqua ſtatus liberi probatione in executionem plurium Decretorum Sac. Congregationis Sancti Officii per Edictum quidem omnibus Curatis interdictum fuit, ne quemquam abſque prædicta licentia, & fide liberi ſtatus matrimonio conjungere audeant, nihil tamen unquam ab ipſo Epiſcopo, vel ejus Vicario à contrahentibus prætenſum fuit, ſed Cancellarius dumtaxat carolenos circiter octo monetæ Regni ad julios ſex monetæ Romanæ, non aſcendentes pro ſuo mero labore in Teſtium examine ad probationem liberi ſtatus recipiendo exegit.

Propterea ſub die 27. Junii 1705. eadem Sacra Congregatio preces ſubſcribi, & ſubſequenter ſub die 8. Auguſti ejuſdem anni jura pro parte Civitatis producta Epiſcopo communicari mandavit; Hodie vero contendente præfata Civitate pro matrimoniis inter Cives contrahendis probationem liberi ſtatus non eſſe neceſſariam, vel minorem mercedem Cancellario deberi; Idcirco ipſius Epiſcopi defenſore in Curia jam monito EE. VV. reſpondere rogantur.

Primo. An in matrimoniis inter Cives contrahendis probatio liberi ſtatus requiratur; Et quatenus affirmative.

Secundo. An, & quæ ſumma pro ſuo labore per Cancellarium Curiæ Epiſcopalis exigi poſſit in caſu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 27. Martii 1706. reſpondit. *Quoad primum affirmative, & quoad ſecundum ſervetur Taxa Innocentiana, & amplius in omnibus.*

ARGUMENTUM.

Obtenta Diſpenſatio Apoſtolica ſuper Impedimento conſanguinitatis, ſeu affinitatis, non expreſſa cohabitatione, ſtante paupertate, exequenda eſt.

CASUS V.

NULLIUS PONTIANI.

OBtinuerunt de menſe Octobris ſuperioris anni Philippus Magalottus loci Nazzani, & Angela Pretioſa Rotellini de loco Pontiani à SS. D. Noſtro Diſpenſationem ſuper tertio conſanguinitatis inter ipſos intercedentis gradu Eminentiſſimo Abbati pro executione directam, ut matrimonium, quod invicem inire cupiebant, in facie Eccleſiæ rite celebrare poſſent. Cumque Eminentiſſimus Abbas Vicario ſuo literarum Apoſtolicarum hujuſmodi executionem commiſerit, ipſe animadvertens Pontifici expoſitam non fuiſſe cohabitationem, quæ inter prænominatos ſponſos interceſſerat, & à ſponſo licet monito, ut ab illa ſe abſtineret, poſt contractata ſponſalia, per annum, & ultra continuata fuerat, petitam d. diſpenſationis executionem concedere noluit.

Sponſi igitur prædicti aſſerentes ſe pauperrimos eſſe, nec alterius novæ diſpenſationis expenſas ferre poſſe, exhibita primo ſimplici fide ſex Teſtium, adductiſque deinde aliorum quinque formiter examinatorum depoſitionibus ad probandum, quod honeſte, & ſine ullo prorſus ſcandalo ſimul cohabitaverint, apud hanc Sacram Congregationem pro ejuſdem diſpenſationis executione inſtiterunt, quæ informationem, votumque Eminentiſſimi Abbatis expetiit; Ille autem in ſua relatione confirmans, quod ſponſi cohabitaverint, & monitioni de ſeparatim vivendo non paruerint, eorum precibus indulgendum non eſſe, ſed novam ab ipſis diſpenſationem cum expreſſione dictæ cohabitationis obtinendam eſſe exiſtimat, nec ſuffragari, quod pauperes illi ſeſe aſſerant, cum ex cauſa paupertatis, quatenus ea ſubſiſtat, minori ſumptu d. diſpenſationem obtinere valeant. Nunc igitur ab EE. VV. quæritur.

An Diſpenſatio Apoſtolica ſit exequenda in caſu?

Sac. Congreg. Concilii die -- 1706. reſpondit. *Affirmative.*

ARGUMENTUM.

Ex eodem capite paupertatis, & converſationis habitæ cum fama commercii carnalis in caſu diſpenſationis obtentæ cum expreſſione, quod mulier, ob anguſtiam loci, virum paris conditionis invenire nequeat, licet alias conſtet ex teſtium depoſitionibus Oratores eſſe infimæ conditionis, & mulierem facile in ejus patria virum conditione ſibi parem invenire poſſe, diſpenſatio, ut ſupra, obtenta exequenda eſt.

CASUS VI.

BISACIARUM DISPENSATIONIS MATRIMONII.

CUm ſola cauſæ expreſſione, quod Agnes Zingarella nequiret invenire virum paris conditionis, ob anguſtiam loci Oppidi Vallatæ, propterea que cuperet in matrimonio copulari cum Dominico Zamarra in tertio, & quarto conſanguinitatis gradu ſibi conjuncto, utrique ſupplicanti conceſſæ fuere a Sede Apoſtolica literæ diſpenſationis directæ pro executione Vicario Generali, cum clauſulis conſuetis ſuper verificatione expoſitorum, ejus conſcientiæ remiſſa.

Sed eo obtentu, quod Vicarius executionem petitam differret, Oratores adierunt hanc Sacram Congregationem, ſupplicantes, ut prævia declaratione, quod ſit locus Literarum executioni, injungatur eidem Vicario, ut eas exequatur, eo vel magis urgente fa-

te fama eorum commercii carnalis, etsi revera non secuti, necnon paupertate, utpote propriis laboribus, & industria victum quærentium.

Precibus ad Episcopum remissis, idem refert ex informatione legitime capta per ejus Vicarium, minime verificari causam expositorum eo quod Testes inducti deponant, Oratores esse infimæ conditionis, & Agnetem facile in d. ejus Patria virum sibi conditione parem invenire posse; fatetur tamen, eos esse pauperes propriis laboribus, & industriis viventes, ac inter ipsos post præfatas dispensationis literas obtentas conversationem fuisse cum fama commercii carnalis non tamen habiti (nullimode expressis hisce novis causis in eisdem literis) quibus stantibus Episcopus censet, Oratoribus indulgendum. Itaque EE. VV. consultissimo oraculo declarandum proponitur.

An sit locus executioni literarum dispensationis in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 19. Jun. 1706. respondit. *Affirmative*.

ARGUMENTUM.

Calvinista quidam ritu suæ regionis uxorem duxerat, quæ, eo absente separationem à Judice Acatholico obtinuit. Postmodum idem Calvinista gremio S. Rom. Ecclesiæ restitutus ad alias nuptias convolavit; cumque prætenderetur secundum connubium ob superviventiam primæ uxoris nullum esse, responsum fuit non constare de nullitate primi matrimonii.

CASUS VII.

PASSAVIEN. MATRIMONII.

DUodecimus agitur annus, quo Joannes Henricus VVis Tiguri Helvetiorum ejus Patria, quodammodo adactus connubium iniit Calvinisto ritu cum Elisabeth Burchardin; atqui non diu cum ea versatus, judicialiter illius dissolutionem petiit, qua delegata, solo cessit, ac militaria Batavorum signa secutus in Indias Orientales cum classe maritima iter intendit, inibique totum septennium moram traxit.

Verum cum is absens esset, interea Elisabeth, quam petiit conjugii separationem, judiciali sententia ab Acatholico Judice Tigurino obtinuit; qua sane significata Henrico ex Indiis Amstelodanum reverso, sub die 17. Maii 1705. depositis Calvinistarum erroribus, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremio restitutus, nuptiarum fœdere se junxit juxta formam Sac. Conc. Trident. cum Maria Barbara Exnezin in Ecclesia Parochiali Faidburgensi Bavariæ inferioris Passavien. Diœcesis.

Quibus ita peractis, præter spem, ex Aulico Consilio Monachi Decretum prodiit ipsis jugalibus notificatum, declarans secundum hoc connubium nullum, irritumque esse ob superviventiam primæ uxoris Tigurinæ, itemque jubens Conjuges ab invicem divertere.

Cum autem ipse Henricus desuper habuerit recursum ad Vicarium Generalem, aliosque Officiales Ecclesiasticos Concistorii Episcopalis Passavien. nullum eisdem visum fuit pronunciare judicium, priusquam venerandum S. Sedis Apostolicæ oraculum excipiant, præcipue in hoc casu, qui statum firmaret in illis regionibus; delatisque precibus ad supremum S. Inquisitionis Tribunal, & ad hanc Sac. Congregationem remissis, humillime Orator efflagitat ab EE. PP. declarari.

An constet de validitate primi matrimonii ita, ut secundum sit irritum in casu &c.

Sac. Cong. Conc. die 20. Novembris 1706. respondit -- *Non constare de nullitate primi matrimonii*.

ARGUMENTUM.

Matrimonium contractum coram alio Sacerdote, quam proprio Parocho, licet cum assertione licentiæ ab eo reportatæ, de qua tamen aliter non constet, est nullum.

CASUS VIII.

DUBIUM MATRIMONII.

JAmdudum remissa hac causa à Tribunali S. Inquisitionis ad hanc S. A. C. Congr. super crimine polygamiæ, quo supponebatur coinquinatus Antonius Augustinus Borghinus, militari nomine nuncupatus, Moncalieris, quod nempe vivente adhuc Margharita Emanuella illius prima uxore, reiteraverit nuptias cum Julia, ac semel, iterum & tertio descripta in foliis Congregationum, dierum nempe 7. & 21. Maii, atque 30. Julii Anni 1701. Discussoque articulo in quo difficultatis cardo unice vertebatur, nimirum super facultatibus Sacerdotis Cappellani militum Ordinis Minorum Observantium in Stationibus degentis, qui adstitit præfatis primis nuptiis in oppido de Montis, quique asserebat, se licentiam obtinuisse à Parocho ejusdem Oppidi prævie defuncto, atque demandato examine Vicarii ejusdemmet loci, qui inibi Jurisdictionem Archidiaconalem exercet, idem certe fassus fuit numquam hujusmodi licentias Cappellanis Militum præbuisse, & matrimonia celebrata coram eisdem signanter coram d. Cappellano non fuisse adnotata in libris, quinimmo nomina, & patriam contrahentium latere. Hinc Sac. Congr. sub præmissa die 30. Julii ad dubium tunc propositum: an matrimonium contractum inter Augustinum Antonium, & Margharitam sit validum? Censuit: *non constare de validitate matrimonii*. Cujus decreti vigore Augustinus ex tunc relicta Margharita repetiit thorum Juliæ cum qua usque modo cohabitavit.

Verum cum nuper idem Augustinus resciverit, causam ejusmodi resolutionis fuisse defectum præsentiæ dicti Cappellani sine legitima facultate, quam quidem causam antea ignorasse profitetur, hinc denuò pro serenitate conscientiæ recurrit ad ante dictum Tribunal S. Inquisitionis, exponens præfatum Cappellanum adhuc defunctum nomine P. Joannem Baptistam, ante nuptias celebratas cum Margharita, obtinuisse licentiam, ipsomet Oratore præsente, à Parocho Edemontii pariter demortuo; de qua quidem licentia informatos esse subjunxit Albertum de Balbis Ducem suæ Legionis, & Josephum Anime, unde exoravit sibi desuper provideri. Quapropter de Ordine ejusdem Tribunalis, recepto examine dd. duorum testium à Vicario Generali S. Officii Taurini, & ad Urbem transmisso, fuit subinde causa denuo remissa una cum processu ad hanc Sac. Congr. Quo sane perlustrato, hæc opportune à dd. Testibus dicta comperiuntur.

Primo dictus de Balbis deponit: *Devo a questo dire, che alcuni giorni avanti, che fosse contratto il detto matrimonio del suddetto Borghino con la suddetta Emanuella, venne a trovarmi il suddetto Borghino come suo Capitano, e mi diede parte siccome voleva sposarsi con la suddetta Emanuella, al che io difficultai alquanto, dispiacendomi d' aver Soldati maritati; di lì a qualche giorno, venne da me il suddetto P. Gio: Battista Cappellano, a dirmi, siccome il suddetto Borghino voleva sposare la suddetta Emanuella, allora io li dissi, se la vuole sposare, che la sposi; ma se V. P. li deve sposare, faccia le cose con le debite maniere, cioè con la licenza del legittimo Parrocho d' Edemonte, allora mi soggiunse il suddetto P. Cappellano, già io ho la licenza del Parrocho d' Edemonte, di fare li matrimonj de' nostri Soldati, senza altro, e non lo faria, se non avessi la dovuta licenza del Parroccho, e così seguì il suddetto matrimonio, qual P. Gio: Battista Cappellano al presente è morto.*

Altera depositio est prænominati Josephi Anime hæc præseferens: *Dopo passato qualche tempo, vidi il suddetto Moncalieri, come ho detto sopra, andare alla Chiesa per contrarre il suddetto matrimonio, ed io*

essendo in compagnia d' altri Soldati, non ricordandomi, chi siano, gli dissi, e come Moncalieri puo andare a sposare la suddetta Emanuella, se non ha avuto la licenza! Et i Soldati mi risposero, che aveva ottenuta la licenza senza spiegarmi però da chi l' avesse avuta, e così io vidi contrarre il suddetto matrimonio nel suddetto, e medesimo tempo.

Hæc itaque nova jura hodie reverenter proponuntur EE. VV. expendenda, num ex iis probata remaneat prætensa licentia Parochi Edemontii pro supradicto Cappellano Regulari in stationibus degente, sub consueto dubio.

An sit standum, vel recedendum à decisis sub die 30. Julii 1701. in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 3. Septembris 1707. stetit *in decisis*.

ARGUMENTUM.

Contracto per quemdam Alexandrum matrimonio cum Hieronyma, omissis denuntiationibus, in secundo & tertio consanguinitatis gradu illi conjuncta, quod matrimonium fuit etiam consummatum, obtentaque Apostolica dispensatione, ante ejus executionem idem Alexander impugnavit d. dispensationem, ac matrimonii prosecutionem. Verum cum ad instantiam consanguineorum sponsæ in carcerem conjectus fuisset, protestatione prius emissa Coram publico Notario, quod quicunque actus de contrahendo matrimonio esset nullus, mandatum Procuræ fecit ad illud contrahendum, & dictum fuit matrimonium esse nullum, & non constare de sponsalibus.

CASUS IX.

SALERNITANA MATRIMONII.

NUllis præviis denunciationibus, nullaque expetita licentia Curiæ Archiepiscopalis, Alexander Muscatus, & Hieronyma Maurella loci Canalis hujus Diœcesis in secundo, & tertio consanguinitatis gradus sibi conjuncti, volentes invicem matrimonio copulari, die 26. Septembris anni 1697. summo mane coram Parocho ejusdem loci, & testibus, inopinato verbis mutuum consensum præseferentibus matrimonium contraxerunt.

Delata hujus rei notitia ad Curiam Archiepiscopalem, expedita fuit citatio contra eosdem sponsos ad dicendam causam quare non deberent declarati excommunicati; hinc ambo, medio juramento, examinati sub die 19. Octobris præfati anni affirmaverunt matrimonium jam contractum, fatentes illud sine denunciationibus iniisse, propter metum consanguineorum Alexandri ægreferentium hujusmodi conjugii effectuationem. Exindeque exibuerunt in actis Curiæ Apostolicum Breve dispensationis in forma pauperum ad utriusque sponsi instantiam elargitum à S. M. Innocentio XII. sub datum Idus Januarii 1697. Vicario Generali Salernitano directum, in quo sub assertiva, quod ipsi alias scientes se in secundo, & tertio à communi stipite provenientibus consanguinitatis, vel affinitatis gradibus invicem conjunctos, matrimonium inter se per verba de præsenti clandestine, ac de facto contraxerint, carnalique copula consummaverint; Pontifex facultatem fecit eidem Vicario absolvendi Oratores ab hujusmodi incestu, ac cum eisdem, verificatis paupertate, remotione scandali, & aliis in precibus assertis, dispensandi, ut matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in faciem Ecclesiæ solemnizare possent.

Mox vero præfatus Alexander sub die 21. Februarii 1698. prævia assertiva obtentæ dispensationis super prælibato impedimento institit in Curia Archiepiscopali pro matrimonii confirmatione, ejusque descriptione in libris Parochialibus; hinc eadem die ad instantiam utriusque sponsi, binis testibus examinatis super verificatione expositorum in brevi, Vicarius Generalis decrevit, sponsos ab invicem separandos, eisdemque imposita pœnitentia juxta tenorem literarum dispensationis, demandavit eorumdem Principalium examen super interrogatorio, an copula inter eos præhabita fuerit sub spe facilitandi dictam dispensationem, quos quidem actus à se gestos controvertit Alexander.

In hoc statu Alexander ipse ex improviso Patria cessit, & Neapolim se contulit, indeque per procuratorem impugnare cœpit matrimonii prosequutionem, & Apostolici Brevis dispensationem; subindeque pluribus actis hinc inde factis die 1. Julii prædicti anni 1698. Vicarius Generalis diffinitivam sententiam protulit pro invaliditate matrimonii, salva tamen provisione facienda super validitate, vel invaliditate sponsalium, à qua tamen uterque sponsus appellationem interposuit. Post hæc procurantibus, uti supponitur, Hieronymæ Consanguineis, die 21. Augusti ejusdemmet anni Alexander conjectus fuit in Carceres magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis, in quibus detentus, sub die 28. Januarii 1700. rogitu publici Notarii protestationem emisit, ut quicunque actus ab ipso faciendus in ordine ad contrahendum matrimonium cum Hieronyma Maurella, haberetur pro nullo, & eademmet die mandatum procuræ fecit ad matrimonium suo nomine ineundum cum sæpedicta Hieronyma, aliudque simile mandatum repetiit sub die 11. Martii subsequentis, & ulterius sub die 19. Aprilis ejusdem anni coram Josepho Mayno Cappellano Carcerum explorante ejus voluntatem, declaravit se velle in uxorem præfatam Hieronymam; ac pariter die 25. Martii d. anni coram eodem, juramento asseruit copulam habitam cum Hieronyma non fuisse ad finem facilitandi dispensationem, aliosque actus confecit præindicantes voluntatem effectuandi dictum matrimonium, qui in Summario dantur, etsi nonnullos ex eisdem actibus contendat ipse Alexander evertere cum quibusdam attestationibus, extrajudicialibus tamen, sed juratis insertis in Processu, & in Summario exhibendis. Sed ex iisdem carceribus fortuito elapsus, recurrit idem Alexander ad hanc S. Congregationem, de cujus mandato Archiepiscopus transmittendo copiam authenticam Processus, unde supradicta facti series eruta fuit, ac eandem recensendo in ejus relatione, quæ similiter in Summario exhibebitur, existimat: quod si matrimonium non sequatur irreparabiliter prævideantur scandala, & mortes inter utrisque partis Conjunctos; nam cum Hieronyma sit nobilium Natalium, difficiliter sustinebunt tanto cum dedecore, & infamia vivere: quocirca partibus utrinque informantibus reliquum est, ut EE. VV. pro sua justitia, & prudentia resolvant infrascripta dubia concordata.

I. An constet de nullitate matrimonii. Et quatenus affirmative.

II. An constet de sponsalibus casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 3. Martii 1708. respondit.

Ad primum affirmative.

Ad secundum negative.

Reproposita Causa die 22. Septembris 1708. datoque dubio.

Primo. An esset standum, vel recedendum à decisis, & quatenus &c.

Secundo. An Alexander factus fuerit inhabilis ad contrahendum matrimonium cum aliis in casu &c. respondit.

Ad primum in decisis.

Ad secundum, affirmative in casu de quo agitur.

Die vero 11. Januarii 1710. quum per eumdem Alexandrum petita esset dispensatio ex cap. incontinentiæ, vorumque S. C. C. exquisitum, an eidem dispensationi locus esset, responsum fuit *negative in casu de quo agitur*.

ARGUMENTUM.

Propositis dubiis; Primo, an Vicarii Generales deputati à Capitulo Sede Vacante valeant dispensare in gradibus prohibitis ad Matrimonia contrahenda; Secundo, quomodo consulendum in matrimoniis jam contractis cum hujusmodi dispensationibus, responsum fuit ad primum negative, ad secundum rescriptum fuit: renovato consensu ad formam precum.

CASUS X.

MEXICANA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM.

IN relatione status Ecclesiæ anno 1704. Archiepiscopus exposuit, quod Provisores, & Vicarii Generales deputati à Capitulis, Sede Vacante, prætextu quarumdam opinionum, dispensationes impartiri non dubitant in gradibus prohibitis ad matrimonia contrahenda, necnon super defectu natalium ad sacros Ordines suscipiendos, ac beneficia Curata assequenda. Ac affirmare non verentur, quod Provincialis Ordinis Prædicatorum, vigore prætensi Privilegii à S. M. S. Pii V. concessi, dispensare valeat super Bigamia vera, & reali cum iis, qui habitum suæ Religionis, in eaque sacros Ordines suscipere intendunt, quod etiam ad praxim deduci consueverit, non obstante, quod prætensum Privilegium fuisset revocatum à fel. record. Gregorii XIII. in Constitutione, quæ omnium Regularium Privilegia redegit ad terminos Juris Communis, & S. C. T. Recitatis hujusmodi precibus in Congregatione habita die 30. Augusti præfati anni 1704. rescriptum extitit. Archiepiscopus procedat prout de Jure, & scribatur Nuncio Apostolico, ut moneat Capitulum, ejusque Vicarios, ne tempore Sedis Vacantis sese immiscеant in ordinibus, ac dispensationibus hujusmodi. Datis autem literis, pro parte Archiepiscopi instauratæ fuerunt eædem preces sub motivo, quod utræque præmemoratæ literæ evaserint frustranæ, primæ quidem ad Apostolicum Nuncium directæ, quod ejus facultates ad Indiarum oras non protendantur; Secundæ vero ad Archiepiscopum datæ, quod cum Capitula ad fundandas suas facultates, abducantur variis, & singularibus opinionibus supra insinuatis, nequeat Archiepiscopus suo jure uti, nisi EE. PP. super præmissis positivum responsum edere dignentur, specifice declarando defectum dd. facultatum, signanter vero, quod eadem Capitula neutiquam succedunt in iis facultatibus, quibus fruuntur Episcopi Indiarum dispensandi super gradibus prohibitis, ex speciali Indulto Apostolico, quod renovari solet pro singulis novis Episcopis cum in comperto sit, quod in iis, quæ Episcopis competunt Jure delegato, Capitula, Sede Vacante, non succedunt, ut in terminis matrimonii firmavit Rot. *dec. 16. num. 1.* coram Pamphil. necnon, ut irrita declarentur matrimonia hactenus inita, hisce defectuosis dispensationibus: sed ad submovendas perturbationes, exorantur EE. VV. pro facultate ea revalidandi ipsi Archiepiscopo directa uti Delegato Apostolico. Cum autem fuerit injunctum, ut causa hæc poneretur in folio, eo modo proponitur sub infrascriptis dubiis à sapientissimo judicio EE. VV. resolvendis.

I. An Provisores, & Vicarii Generales à Capitulis, Sede Vacante, deputati, valeant dispensare in gradibus prohibitis ad matrimonia contrahenda. Et quatenus *negative*?

II. Quomodo consulendum in matrimoniis jam contractis cum hujusmodi dispensationibus.

III. An dd. Provisores, & Vicarii Generales à Capitulis Sede Vacante deputati valeant concedere dispensationem super defectu natalium, ad ordines suscipiendos?

IV. An iidem valeant dispensare irretitos eodem defectu natalium ad obtinenda Beneficia Curata.

V. An Provinciales Ordinis Prædicatorum S. Domi-

nici habeant facultatem dispensandi in vim suorum prætensorum Privilegiorum super impedimento Bigamiæ veræ, & realis, favore illorum, qui ingrediuntur in dictam Religionem, inibique sacros Ordines suscipiunt in casu &c.

Sac. Concil. Congregatio die 28. Jan. 1708. respondit. *Ad primum, negative. Ad secundum, dilata. Ad tertium, affirmative quoad ordines minores tantum. Ad quartum, negative. Ad quintum, audiatur Prior Generalis Ordinis Prædicatorum.*

ARGUMENTUM.

Ex sponsalibus per verba de futuro contractis à Sempronio cum Berta post alia sponsalia inita ab eodem Sempronio cum consanguinea, quam deinde mutato animo sibi desponsavit obtenta Apostolica dispensatione, oritur impedimentum publicæ honestatis, ita ut frater Sempronii non possit absque dispensatione in uxorem ducere Bertam.

CASUS XI.

TRIVICANA SPONSALIUM.

PRoponitur in facto, quod Antonius de Christophoro postquam iniisset sponsalia de futuro cum Catharina Carusio sibi conjuncta in tertio, & quarto consanguinitatis gradu, eamque carnaliter cognovisset, & suscepisset prolem, alia deinde iniit sponsalia de futuro cum Catharina Pascharelli; sed tandem mutato animo contraxit matrimonium per verba de præsenti cum Catharina Carusio, obtenta Apostolica dispensatione super impedimento consanguinitatis. Cum vero frater d. Antonii intendat matrimonium contrahere cum altera Catharina, dubitatum fuit, an illi obstet impedimentum publicæ honestatis, proveniens ex sponsalibus cum altero fratre prius initis, quatenus ea sint valida. Quare proponitur dubium.

An constet de impedimento Publicæ Honestatis inter Alexandrum de Cristophoro, & Catharinam de Pascharello, ita ut indigeant dispensatione in casu.

Sac. Congregatio Concilii die 31. Martii 1708. respondit. *Affirmative.*

ARGUMENTUM.

Sponsalia inita inter personas aliquo impedimento dirimenti obnoxias non sunt valida.

CASUS XII.

BRUGNATEN. SPONSALIUM.

PEr Literas speciales huic Sac Congr. transmissas refert Episcopus Brugnaten. quod Vincentius Scivoli filius Matthæi, & Magdalena filia qu. Jo: Baptistæ Scivoli ambo de Parochia Baraxii ad invicem conjuncti duplici quarto consanguinitatis gradu, contraxerunt sponsalia de futuro coram testibus, & eorum propinquis, parentibus, & amicis, ea sub conditione, quod Vincentius sponsus Apostolicam Dispensationem super tali impedimento obtinere debuisset; quodque post aliquod temporis pœnituerit Vincentium dd. sponsalium, à Theologis, & Doctoribus instructum, se se nullo pacto teneri ad eorum observantiam utpote initorum inter personas impedimento dirimenti obnoxias; Viceversa Magdalena, sponsa perstans in eorumdem sponsalium firmitate, & observantia, recursum habuit ad eundem Episcopum, qui tamen anceps in hujusce dubii resolutione, humillime exoravit EE. PP. pro ejus declaratione quod sane propositum in anteacta Congregatione, jussum fuit, ut illud poneretur in folio; Hinc parendo mandatis, hodie reproponitur. An sponsalia substineantur in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 26. Januarii 1709. respondit. *Negative.*

ARGUMENTUM.

Promissio aliam non ducendi, quam Bertam: & viceversa, non constituit sponsalia absoluta, ac propterea promittens cogendus non est cum illa contrahere.

CASUS XIII.

VINTIMILIEN. SPONSALIUM.

BInas sponsaliorum syngraphas exaravit de anno 1697. Antonius Levame loci Mentonis erga Benedictam Genam ab utroque subscriptas: alteram sub die 9. Novembris in hunc tenorem: *Io infrascritto dico, e prometto di non sposare altra figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lei di non sposar altro Giovane, che me. Antonio Levame. Benedetta Gena* Alteram vero sub die 12. ejusdem mensis, ejusmodi: *Io infrascritto dico, e prometto di non sposare altra figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lei, e giura. Antonio Levame. Benedetta Gena.* Sed exorto litigio inter eosdem sponsos in Curia Episcopali Vintimilien. super validitate dd. sponsalium, adnitente sponso ad eorum nullitatem, viceque versa propugnante sponsa eorundem subsistentiam, pluribusque actis hinc inde fabricatis, idem Antonius sub motivo, quod Vicarius Generalis studeret protrahere causæ expeditionem, tanquam à denegata justitia appellationem interposuit ad SS. Dominum Nostrum, subindeque prævia citatione, in partibus in personam præfatæ Genæ, R. P. D. Auditor Sanctitatis Suæ causam avocavit à prædicta Curia, remisitque ad hanc Sac. Congregat. Concilii.

Requisitus desuper informare Episcopus Vintimilien. exemplaria supradictarum syngrapharum supra exarati tenoris coram seipso collationata cum suis originalibus exibitis per Procuratorem Genæ in partibus, eidemque restitutis, quæque in summario exibentur, transmisit, retulitque informans ex culpa Antonii contigisse causæ dilationem, ideoque petiit ad eandem Curiam Judicem primæ Instantiæ definitionem remitti. Hinc concordatis cum Procuratore ejusdemmet Genæ in Curia infrascriptis dubiis, ac partibus monitis, EE. VV. erit ex deducendis decernere.

I. An constet de validitate sponsalium inter Antonium Levame, & Benedictam Genam. Et quatenus *affirmative*.

II. An d. Antonius Levame sit cogendus, vel potius possit ab eis recedere contrahendo cum altera in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 1. Junii 1709. respondit. *Ad primum, ex hactenus deductis non constare de sponsalibus absolutis.*

Ad secundum, quoad coactionem contrahendi cum Gena negative; an vero valeat contrahere cum alia dilata.

EADEM VENTIMILIEN. Visum fuit EE. VV. sub die 6. Julii proxime effluxi differre resolutionem hujus Causæ vertentis inter Antonium Levame, & Benedictam Genam. Quapropter instante d. Antonio, & parte ex adverso iterum monita, prævia reassumptione folii jam distributi, ea hodie reproponitur sub iisdem dubiis benigniter resolvenda.

I. An, & in quibus sit standum, vel recedendum à decisis sub die 1. Junii proxime præteriti. Et quatenus *in decisis*.

II. An possit Antonius contrahere cum alia muliere in casu, &c.

Sac. Congregatio Concilii die 28. Septembris 1709. respondit. *Ad secundum affirmative.*

ARGUMENTUM.

Non possunt Parochi Ecclesiarum Religionis S. Joannis Hierosolymitani sub obtentu exemptionis ab Ordinario matrimoniis assistere, absque probatione status liberi facienda ab Ordinario loci.

CASUS XIV.

GUARDIEN.

PRrætendente Oeconomo Ecclesiæ Parochialis S. Matiæ Esther nuncupatæ Commendæ S. Joannis Hierosolymitani Oppidi Aquævivæ Collis de Cruce in Diœcesi Guardien. sub exemptionis obtentu licere sibi conjungere Parochianos d. Ecclesiæ absque probatione status liberi facienda coram Episcopo Guardien. & sine illius licentia, recursum habuit Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis ad supremum Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis, à quo remissa Causa decidenda ad hanc S. Congregationem, concordatum fuit infrascriptum Dubium, quod ex utrinque deducendis proponitur EE. VV. resolvendum.

An Oeconomo pro tempore Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Esther Commendæ S. Joannis Hierosolymitani Oppidi Aquævivæ Collis de Cruce in Diœcesi Guardien. liceat conjungere in matrimonium Parochianos dictæ Ecclesiæ, absque probatione status liberi facienda coram Episcopo Guardien. & sine illius licentia in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 12. Aprilis 1710. respondit. *Negative, & amplius &c.*

ARGUMENTUM.

Attentato matrimonio absque præviis denunciationibus coram Parocho, qui negabat audivisse verba mutuum consensum importantia, quæ alias audivisse testabantur aliæ personæ præsentes, renovandus est consensus ad cautelam coram Parocho.

CASUS XV.

BALNEOREGIEN. MATRIMONII.

INitis sponsalibus inter Ursulam, & Regium, sed deinde Curiæ decreto Episcopalis, ob affinitatis impedimentum per Ursulam objectum dissolutis, appellavit Regius ad A. C.; Ursula vero tanquam libera alia inivit sponsalia cum Joanne Capocaccia, ac una præmissa denunciatione, insurrexit Paulus Viola prætendens cum Ursula anteriora contraxisse sponsalia; & dum is sua jura parabat, præfatus Regius præsentare fecit Inhibitionem A. C. Ursulæ, Joanni, Parochis, & Promotori Fiscali Curiæ. His ita pendentibus, Ursula, & Joannes sub die 8. Febr. proxime præteriti, una simul ad Ecclesiam S. Bonaventuræ accesserunt, dum Canonicus Parochus sacrum peragebat, ac inibi hæc deveniisse deposuit cum juramento idem Parochus examinatus: *E mentre recitavo la* Gloria in excelsis, *perchè la Chiesa non è molto grande, ho inteso avvicinarsi all' Altare alcune persone, e prima di finire la detta* Gloria, *da un Uomo, quale io ho riconosciuto alla voce, che era un tal Giovanni figlio d' un certo chiamato NN. Capocaccia da Lubriano chiamatomi per nome con dirmi, Signor Curato state per testimonio, ed io benchè chiamato, senza rivoltarmi, ho seguitato, e finito di recitare la* Gloria, *e dopo essendomi rivoltato al Popolo per dire* Dominus vobiscum, *come segue la Messa, perchè stavo fuor di me, perchè attendevo a dire la Messa, e per aver sentito simil chiamata, mi ha parso vedere avanti all' Altare un Uomo, ed una Donna, la quale Donna dopo che io avevo principiato l' Orazione della Messa, ho inteso, che essa ancora ha detto, Signor Curato state per testimonio con altre parole, quali non ho inteso, perchè volevo attendere alla Messa, e rivoltatomi verso l' Altare ho sbravato i medesimi con dirli, quando la finiamo, perchè io consideravo,*

che

che essi fussero venuti in Chiesa, siccome tal volta ci saranno venuti, per sposarsi, e fare il matrimonio, quale io publicai, e quale io lasciai di publicare la seconda volta per ordine di VS. ec. e perchè senza altro nuovo ordine di VS. Io non l' averei publicato, ne averei congiunti i medesimi in matrimonio, io credo, che per simil causa questi siano venuti questa mattina per effettuarlo nel modo, che ho detto di sopra ec. Idem tamen Parochus in antecedenti actu relationis datæ Curiæ similia retulit addendo: *perchè non mi sono curato di sentire, anzi ho sbravato, che si quietassero, ne mi sono curato vederli, non ho inteso altro, perchè dicevo la Messa*, quæ verba etiam addidit sub interrogatorio, in examine, an audivisset alia verba. Huic depositioni accesserunt tres aliæ testium etiam cum juramento examinatorum, quorum unus inquit; *detto Gio: vedendomi mi disse, venite un poco quì in Chiesa per testimonio, che io voglio sposare quì Orsella in questa Chiesa ec. inginocchiatosi tutti due assieme, e tenendosi per la mano appiedi della bradella ec. e disse Sig. Curato io voglio qui sposare Orsella, la voglio per mia moglie, ci volete voi sposare, e parole simili, e detto Signor Canonico voltatosi alquanto con la faccia verso medesimi gli rispose, o via la vogliamo scortare? ed avendoci detto Gio: ed Orsola replicato, che fossimo testimonj, che essi si sposavano, allora senza replicare altro si alzarono in piedi, ed uscirono di Chiesa ec.* Alius Testis deponit virum dixisse: *siatemi testimonj, che essi Gio: ed Orsella si sposavano tra di loro, e per segno di ciò si sono presi per la mano ambedue, e se la sono stretta.* Tertius autem deponit virum dixisse eadem verba, & testes audivisse ab aliis præsentibus fuisse deinde ea replicata à muliere, nec potuisse recordari de aliis cum non distingueret, quæ dicta fuere. Unicus tantum testis interrogatus, an verba prolata, fuerint audita à Curato, deposuit se credere fuisse audita ob vicinitatem, & verba exprobrantia iis sponsis à Parocho prolata uti fusius ex dictis depositionibus dandis in Summario. Post hæc timentes novi sponsi Curiæ Episcopalis pœnas, ad proximum Castrum Lubriani recto tramite aufugerunt, ibique diu in occulta domo cohabitarunt, usque dum detecti injuncto illis præcepto de invicem non cohabitando separati fuerunt. Episcopus vero dubitans de nullitate d. matrimonii, ex quo contrahentium consensum Parochus non audiverit, non obstante illius physica præsentia, juxta decretum hujus Sac. Congregationis sub die 6. Martii 1700. reverenter hæc exponens, in re tam gravi expostulavit per literas Oraculum ejusdem Sac. Congregationis, exoptans instrui de pœnis, quas iidem Joannes & Ursula libenter suscipere parati sunt. Hinc fuit rescriptum eidem Episcopo, qui confecto Processu judiciali, ac eo completo, transmitteret, acta præfixo termino jam præfixu iisdem sponsis, eoque elapso, transmissa jam fuerunt acta supra petita in eodem Summario danda; Itaque concordato infrascripto dubio inter Procuratores omnium quatuor supra memoratorum interesse habentium, iisque monitis, quæritur modo ab EE. VV. sapiens resolutio.

An constet de validitate matrimonii in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii 24. Januarii 1711. respondit. *Renovari consensum ad cautelam coram Parocho.*

ARGUMENTUM.

Dissoluto per sententiam judicialem matrimonio ob arctitudinem fœminæ, eo quod judicata fuerat perpetua, insanabilis, & absoluta, vir ad alias nuptias convolavit. Mulier vero grandior effecta cum alio carnaliter commixta fuit, cum quo instabat matrimonio copulari. Verum quia Promotor Fiscalis eam restituendam prætendebat primo Viro, qui tamen ad illam redire renuebat, eo quia copulam cum alio habuerat, utrique dispensationem petierunt, & responsum fuit esse locum dispensationi cum utrisque, prout infra.

CASUS XVI.

ORIOLEN. DISPENSATIONIS.

DE anno 1702. inito matrimonio in facie Ecclesiæ inter Paschasium Quesadam Pharmacopolam, suæ ætatis annorum 25. & Rosam Fort Puellam annos quindecim natam, post eorum cohabitationem fere duorum mensium, cum simul carnaliter commisceri non possent, ob nimiam Rosæ arctitudinem, hæc doloris impatiens, virum exosa, ab eo divertit, & ad maternos lares confugit. Quesada itaque usu Conjugis spoliatus, cupiens eam sibi restitui, Officium Vicarii, seu Officialis Generalis Oriolen. imploravit. Cœpto igitur judicio, Vicarius omisso triennalis cohabitationis canonico experimento, assignavit Rosæ terminum sex dierum, ad suæ arctitudinis impedimentum probandum; quapropter fuerunt adhibiti quatuor Chirurgi, & una obstetrix, qui per eorum inspectionem, Rosam prædictam perpetuo arctitudinis impedimento gravari, suo juramento firmarunt. Verum, ut cautius in re magni momenti procederetur, vocato Promotore Fiscali, jussit Vicarius, ut deveniretur ad alterum examen per duas matronas in nuptiali opere expertas, ac bonæ opinionis, & alios quatuor Chirurgos, qui jurejurando adstricti, accedente septima propinquorum manu similiter per inspectionem, Rosæ arctitudinis impedimentum perpetuum, insanabile, ac absolutum, consona voce testati sunt. In omnibus hisce actibus audito, sed reclamante Quesada, eoque tamen in suis probationibus deficiente, devenit Vicarius ad sententiam de anno 1704. prolatam, in qua declaravit nullum, & irritum matrimonium inter præfatos sponsos contractum, ob perpetuum, & absolutum impedimentum arctitudinis prædictæ Rosæ, separationemque per eam factam à Quesada vigere, eisdemque propterea facultas indulta fuit transeundi ad alium statum sibi beneviſum juxta eorum habilitatem. Adstantibus partibus huic decisioni, lapsisque fatalibus, dictus Quesada de anno 1706. ad secundas nuptias juxta S. C. T. Decreta convolavit cum Maria Antonia Perez Puella ætatis annorum viginti, ex eaque post triennalem cohabitationem prolem suscepit subinde defunctam. His ita præhabitis, antedicta Rosa Fort grandior effecta, cum Antonio Ximenes sub spe Apostolicæ dispensationis sponsalia contraxit, ac vesano amore percita, cum eodem carnaliter commixta fuit, exindeque instituit coram Episcopo, quatenus sibi liceret cum Ximenes matrimonio jungi. Sed ex adverso contradicente Promotore Fiscali, atque instante, ut quatenus Rosæ arctitudo cumperiretur, eam restituendam fore Paschasio Quesadæ primo viro, fuit proinde eadem tradita inspicienda duabus Obstetricibus, ac quatuor Chirurgis, qui sane juramento asseverarunt d. Rosam esse cognoscibilem, & ad virilem amplexus aptam inveniri; qua de re secundo nuptis facta inhibitione quoad thorum, & mensam, Maria Antonia reposita est in domo honesta. Nihilominus renuit Quesada redire ad Rosam, tum quia ab ea fuit separatus judiciali sententia, tum pariter ob honoris leges, quæ non sinunt ipsum conjugalem vitam ducere cum ea, quæ carnalem commixtionem admisit cum Ximenes, quemadmodum pars viciniæ, & ipsimet sponsi testati sunt, sed potius esse eidem restituendam Mariam Antoniam Perez sibi canonice copulatam, ne innupta maneat, & Rosam Fort copulandam cum Antonio Ximenes, ne rixæ, & jurgia inter eorum consanguineos suboriantur. Quapropter recursum habuerunt ad SS. D. N. precibus ad hanc S. C. remissis, tam scilicet Paschasius Quesada, & Maria Antonia Perez, rogantes pro dispensatione perseverandi in matrimonio contracto, quam Antonius Ximenes, & Rosa Fort pro simili dispensatione exorantes, ut habilitentur ad matrimonium invicem contrahendum. Datis itaque literis Episcopo Oriolen. pro informatione, respondit ejus Vicarius Generalis, qui uberius confirmando

expositorum veritatem, ad evitanda scandala, & dissidia, Oratorum precibus indulgendum censuit, prout fusius ex ejus relatione, ac aliis documentis transmissis in Summario exhibendis. Hinc Oratores ipsi eorum enixas repetunt preces, pro reportanda gratia ex deducendis, sub dubio,

An, & quomodo Oratorum præcibus sit annuendum, in casu &c.

Sac. Congregatio Conc. die 16. Maii 1711. respondit. *Esse locum dispensationi cum utrisque, renovato consensu inter primos conjuges ad formam Concilii.*

ARGUMENTUM.

Baptizatus domi in casu necessitatis, si deinde ad Ecclesiam ductus, à Sacerdote talem Baptismum ignorante denuo baptizetur; non contrahitur d. susceptoribus impedimentum cognationis spiritualis.

CASUS XVII.

TOLENTINATEN. COGNATIONIS SPIRITUALIS.

CUpientibus Constantia Musetti Vidua relicta quond. Catervi Tacci, & Aloysio Paci Nobilibus Tolentinatibus matrimonio invicem copulari, dubium emersit num inter eos intercedat impedimentum Cognationis spiritualis, eo quod in libris Baptismorum compertum sit præfatum Aloysium suscepisse de sacro Fonte Baptismi Philippum Nicolaum filium ejusdem Constantiæ, & memorati Catervi ejus defuncti viri prout pater ex partita extracta ab eisdem libris hujus tenoris. Die 10. Martii 1602. Philippus Nicolaus Barnabeus filius Perillustris D. Catervi Tacci, & D. Costantiæ Conjugum natus die Veneris decima currentis ut supra, hora decima licentia Reverendissimi D. Vicarii Generalis Baptizatus à R. D. Andrea Patiani, & à D. Aloysio Paci, & D. Costantia Bonelli de sacro Fonte susceptus est. Viceque versa prætendentibus novis sponsis nullam propterea inter eos contractam fuisse cognationem spiritualem, cum dictus Nicolaus fuisset perantea in puerperio Matris Baptizatus Domi, urgente necessitate, ob ejus vitæ periculum; idque ex inadvertentia Parochi omissum fuisse adnotari in prædicto libro Baptismi. Idcirco recursum habuerunt ad hanc S. C. pro declaratione nullum scilicet ipsis, ea de re, obstare impedimentum juxta declarationem ejusdem S. C. in Murana cognationis spiritualis 13. Aprilis 1669. Datis itaque literis Episcopo pro informatione, hic suo Vicario Generali commisit præmissorum informationem, qui jurato examini subjecit nonnullos testes, quos inter, tres mulieres uniformiter deponunt, sese de mense Martii 1702. adstitisse Constantiæ in ejus Domo parturienti, ac ob partus difficultatem, ne infans medius de utero editus cælesti lavacro inexpiatus decederet, accitum fuisse Sacerdotem Carolum Musettum, quem quidem fatentur, respersa aqua supra caput Pueri, qui nunc est d. Nicolaus Philippus, pronuntiasse hæc verba: *Io ti battezzo in nome del Padre, e del Figliuolo, e dello Spirito Santo*: Hujusmodi depositionibus consonat etiam Fides extrajudicialis præfati Caroli Sacerdotis recognita à Testibus habentibus notam manum, non autem ab eodem, utpote, ut dicitur, absente, profugo, & contumaci. Verum Andreas Patianus, qui descriptus est in recensita partita libri Baptismorum, etiam juratus deponit, eum baptizasse d. Philippum in Ecclesia absque ulla conditione, præsentibus Vicario Generali, & Parocho tunc temporis, aliisque pluribus, nec unquam notum sibi fuisse asseverat, eundem Philippum Domi extitisse Baptizatum, nisi aliquot ab hinc diebus. Episcopus vero transmittens Processiculum desuper confectum, refert Baptismum collatum in Ecclesia non habuisse aliam rationem, quam supplendi cæremonias, juxta Ritum Ecclesiæ, nullumque induxisse impedimentum cognationis spiritualis, attenta validitate primi Baptismi domi rite collati, uti fusius ex eadem relatione, ac aliis in processu contentis dandis in Summar. Hinc hodie Oratores humiliter petunt ab EE. VV. declarari. An inter Constantiam Musetti, & Aloysium Paci ortum sit impedimentum cognationis spiritualis, quominus possint inter se matrimonium contrahere, in casu &c.

Sac. Congregatio Conc. die 16. Maii 1711. respondit. *Negative.*

ARGUMENTUM.

In casu matrimonii Clandestini, quod à sponso subinde impugnabatur, eo quod verba mutuum consensum præseferentia coram Parocho, & Testibus ipse non protulisset, cum quo concordabat Parochus, affirmans audivisse tantum sponsam verba conjugii loquentem, affirmantibus tamen una cum sponsa matre ejus, pluribusque connubialibus Testibus, qui subdebant mutuum sponsorum consensum à Parocho percipi potuisse; responsum fuit constare de validitate matrimonii.

CASUS XVIII.

ROMANA MATRIMONII.

UBi primum rumor invaluit, quod sub primam noctis vigiliam diei 21. Februarii ultimo effluxi Maria Angela Dolla, & Felix Pavesius nullis præviis denunciationibus, coram proprio mulieris Parocho, & Testibus inopinato assertum matrimonium iniissent, protinus Curia Ecclesiastica ex officio ejusdem inquisitionem instituit, traductaque ad Conservatorium, quod Clementiæ dicitur, jam dicta sponsa, atque carceribus mancipatis prælibato sponso cum matre Puellæ, tandem post variam actorum seriem iisdem ad libertatem restitutis, compilatus, & respective publicatus fuit processus desuper constructus. Quoniam vero pro ejusdem sponsi parte impugnari subinde cœpit asserti matrimonii subsistentia, autumantis verba mutuum consensum præseferentia coram Parocho, & Testibus, se nequaquam protulisse, transmisso ad id speciali mandato in Civitate Venetiarum exarato, ubi moratur, ut sane super gravi negotio, quale verritur in Sacramenti Matrimonialis substantia, ea, qua par est, maturitate procedatur; SS. D. N. jussit, quod ejusmodi causa in hac Sac. Congr. definiatur. Profecto in Processu quater constitutus Pavesius sponsus, quamvis plerumque in cæteris sibi constans non fuit, tamen jurejurando toties asseveravit, coram Parocho nec verbum quidem fecisse. Cæterum Maria Angela sponsa pariter jurata non dubie asseruit mox d. sponsum iteratis verbis mutuum consensum prolocutum fuisse. Parochus quidem facti eventum in suo costituto enarrando, Sacerdotali fide deposuit, sponsam tantummodo conjugii verba loquentem audivisse. Mater tamen Puellæ dissertis verbis juramento affirmavit, tunc mutuum consensum ab utrisque sponsis fuisse explicitum. Hujusmodi quoque Testimonium perhibent plures connubiales Testes; videlicet tam sponsum quam sponsam matrimonium explicatis verbis celebrasse, eorumque prætensorum Jugalium voces percipi à Parocho potuisse, deponunt; super qua sane Parochi, & Testium varia assertione partes ipsæ acriter conflictantur, & quidem sponsus ejusdem Parochi testimonio innixus de pluribus Testes redarguit tam in dictis, quam in personis; è converso autem sponsa adversus Parochum proclamat; Quo circa benigne perpensis tam antecedentibus, quam concomitantibus, & subsequentibus, aliisque hujusce prætensi matrimonii circumstantiis, quæ luculenter in juribus circumferendis adducentur, dignabuntur EE. PP. pro sua justitia, & prudentia decernere,

An constet de validitate matrimonii inter Felicem Pavesium, & Mariam Angelam Dollam in casu &c.

Sacra Congregatio Concilii die 6. Augusti respondit. *Affirmative, & amplius: & ad Eminentissimum Præfectum cum Sanctissimo.*

AR-

ARGUMENTUM.

Franciscus Luis Cortinho, & Antonia Theresia Murris inter se consanguinei, vel affines exposuerunt Summo Pontifici copulam iniisse nihil cogitando, quod patrato crimine Sedes Apostolica forsan facilior ad Gratiam redderetur; quæ tamen copula, antequam Gratia signaretur revera secuta non fuit, sed intercessit ante expeditionem literarum Apostolicarum, quam obtinuerunt subticita copula præhabita, & ex hujusmodi concubitu prolem susceperunt. Cum subinde vir è vivis sublatus fuisset, rato tantum, nondum vero consummato matrimonio, exaratisque supremis tabulis, ubi enixum ejus animum expressit, ut Summi Pontificis benignitas impleretur pro gratia declaratoria legitimitatis prolis, uxor tum pro filii, ejusque integritate, tum ad evitanda jurgia, & lites super successione, supplicationem eidem S. Pontifici porrexit, ad Sacr. Congregat. Concil. remissam sub infrascripto dubio -- An supplicatio revalidationis, dispensationis, & matrimonii, & declarationis legitimitatis prolis sit signanda in casu.

CASUS XIX.

ULYXBONEN. REVALIDATIONIS, SIVE DISPENSAT. AC LEGITIMATIONIS.

LEgitimo Connubii fœdere sese jungere percupientes Franciscus Luis Cortinho, ac Antonia Theresia Murris Ulyxbonen. Diœcesis, qui duplici quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu invicem erant sanguine propinqui, supplices jam pridem adierunt SS. D. N. pro reportanda opportuna dispensatione, exponentes, quod Orator ipse vesana libidine victus jam dictam mulierem cognovisset, nihil cogitans, quod crimine patrato, Sedes Apostolica forsan facilior ad gratiam redderetur; quæ supplicatio sub die 7. Maii anni 1710. signata benigniter fuit, Officialique Archiepiscopi Ulyxbonensis directa. Stupri delictum in supplicatione enarratum, ut prohibetur, nullatenus Oratores patraverant; at vere hisce expeditis Apostolicis literis, ante vero eorum exequutionem, carnaliter sese immiscuerunt, prolemque ex hujusmodi concubitu genuerunt. Interea Sedis Archiepiscopalis vacatio successit, ac prælibatus Franciscus Lætali morbo procumbere cœpit, proindeque Apostolica dispensatio tunc superventa cum licentia Nuncii Apostolici exequutioni demendata fuit à Vicario Capitulari, subticita tamen copula præhabita, ac sub his servata forma S. Concil. Trident. partes ipsæ matrimonium inierunt. Rato tantum, nondum consummato eodem conjugio, vitæ limen attigit jam dictus Franciscus, qui in supremis tabulis enixum ejus animi desiderium expressit, ut summi Pontificis benignitas imploraretur pro gratia declaratoria legitimitatis prolis prædictæ jam susceptæ. Hinc Antonia Theresia asserta Conjux, tum pro filii, ejusque famæ integritate, cum etiam evitandi causa jurgia, ac lites, quæ forsan super bonorum successione exardescere possent, iterum supplicationem porrexit SS. D. N. ad hunc Sacr. Consessum remissam, in qua enarrata dispensationis gratia alias impetrata ex causa, quod insimul partes conversatæ erant cum mulieris infamia, licet nequaquam se cognovissent, expressa quoque copula, ac subsequuta hujusce dispensationis exequutione à Vicario peracta, mulier ipsa dubitans, quin matrimonium invalidum, prolemque susceptam illegitimam dici posset, enixe exposcit revalidationem dispensationis, & matrimonii in ejus radice, ac prolis legitimatione, ut latius ex supplicatione in Summario exhibenda. Super hisce informare jussus Ordinarius Ulyxbonensis, enarratam facti seriem ipse recenset, additque, quod plures lites super successione bonorum prælibati Franciscí exoriri possent, si precibus non indulgeatur; Quare Oratrix EE. VV. æquanimitatem implorat sub dubio.

An supplicatio revalidationis dispensationis, & matrimonii, & declarationis legitimitatis prolis sit signanda in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 28. Aprilis 1714. respondit. *Negative.*

ARGUMENTUM.

Quædam mulier per viginti annos in quadam Parochia morata, ad aliam accessit ejusdem Diœcesis, ibique post duorum mensium circulum cum licentia Vicarii Generalis matrimonium iniit, fabricato prius processu super statu libero, & præmissis denunciationibus tam in secundo loco dicta Parochia pro parte mulieris, quam in Parochia sponsi, & matrimonium judicatum fuit validum.

CASUS XX.

NEAPOLITANA MATRIMONII.

COontroversia in præsenti exponitur super asserti matrimonii validitate, quod jam inde ab anno 1696. inierunt Nobilis Vir Franciscus de Robertis, ac Lucia Capiella infimæ conditionis mulier. Difficultatis momentum in eo consistit, numquid partes sese conjugis fœdere junxerint coram proprio Parocho juxta Sac. Conc. Trident. sanctionem *cap. 1. sess. 24. de matrim.* Et quidem non controvertitur, quod jam dicta Lucia Capiella ortum habuerit intra fines Parochiæ ¦Casalis S.¦ Petri ad Paternum Neapolitanæ Diœcesis, ibique perseveraverit spatio circiter viginti suæ ætatis annorum; ex inde vero accessisse comperitur ad Hospitium Patrum Societatis Jesu, quod in districtu Parochiæ S. Mariæ ad Rotundam in Civitate ipsa Neapolis jacet. Vixitaque duorum mensium curriculum in dicto Hospitio transegerat præfata mulier, quod plures Testes in Curia Archiepiscopali formiter interrogati fuerunt super statu libero utriusque ex contrahentibus, quorum depositiones in Summario dabuntur; peractisque consuetis denunciationibus, tam in Parochia memorata S. Mariæ ad Rotundam, quæ asseritur propria mulieris, quam in Ecclesia Parochiali S. Mariæ à Cancello, pro parte prælibati Francisci de Robertis, postremo in dicta Curia Archiepiscopali hæc expedita fuit generalis licentia. Per Illustriss. & Reverendissimum D. Vicarium Neapolitanum fuit provisum, & Decretum, quod liceat, & licitum sit D. Francisco Roberti, & Luciæ Capiellæ insimul matrimonium contrahere, servata forma Sac. Concilii Tridentini, & ordinum hujus Curiæ, nam ex informatione capta constabat ambos esse liberos, & solutos, eisque nullum Canonicum impedimentum obstare. His præhabitis, sub die 26. Septembris anni 1696. initum fuit matrimonium inter Robertum, & Luciam, explicato consensu coram Parocho S. Mariæ ad Rotundam, sub cujus districtu, ut prædictum fuit, situm est Hospitium Patrum Societatis Jesu. Perseverarunt subinde partes, tanquam conjugati, spatio circiter duorum annorum in Casali Secontigliani Neapolitanæ Diœcesis, quousque scilicet è vivis excessit sæpedictus Franciscus de Robertis, muliere relicta prægnante, quæ edidit posthumum Franciscum Antonium, de cujus interesse in hac controversia agitur. Ex late igitur utrinque adducendis, non graventur EE. PP. hanc controversiam, quam ad eorum Sac. Congreg. remisit R. P. D. Auditor Sanctissimi sapienter, decernere sub dubio.

An matrimonium inter Franciscum de Robertis, & Luciam Capiello fuerit nullum in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 17. Novembris 1714. respondit. *Negative.*

ARGUMENTUM.

Sacrum faciente Parocho quidam vir dixit, mulierem præsentem esse suam uxorem, quam tamen nec Parochus, nec duo, qui inter cæteros aderant, audiverunt ullum verbum respondisse, ut formiter deposuerunt cum negativa coarctata, respectu dd. duorum Tertium. Quia vero quædam mulier ad perpetuam examinata, & alter testis in simplici fide crucis signo munita, & recognita, expresse asseruerunt, nedum virum, sed etiam mulierem verba expressisse, mutuum consensum significantia, consulitur super validitate matrimonii S. Congr. Conc. ut infra.

CASUS XXI.

AMERINA MATRIMONII.

ISthæc Controversia primum invaluit inter Angelicam Trasæam de Luniano ex una, & Cæciliam Leone ex altera partibus, super sponsalium validitate, ab ipsis mulieribus respective, ut contendebant, initis cum Thoma Trenta, ac sub die 27. Junii 1711. rescriptum prodiit. *Dilata, & coadjuventur probationes, examinatis formiter Testibus.* At quia idem ipse Thomas, & Angelica Trasæa assertum Conjugium clandestine interim attentare fuerunt ausi, expositum fuit dubium super prætensi matrimonii validitate in ultimo acta Congregatione, ad enixas, iterataſque assertorum Conjugum preces, nonnullis tantum exhibitis attestationibus. Quoniam vero id dubium ob temporis angustiam proponi nequivit, placeat modo EE. VV. facti seriem latius perscrutari, ex actorum processu jam sub die 12. Septembris 1712. ab Episcopo transmisso, qui tamen in pervigilio ipsius Congregationis exhibitus fuit. Siquidem inquisitione instituta in Curia Episcopali super matrimonio clandestino repente celebrato coram Archipresbytero Oppidi Luniani, sacrum faciente inter Thomam Trentam, & Mariam Angelicam Trasæam, medio juramento primum interrogatus formiter fuit idem ipse Archipresbyter, qui hanc facti seriem exposuit, materno idiomate recensendam, ut clarius eluceſcat; *mentre io celebravo Messa, sentj un mormorio, che io stimai fosse qualche pazzo, e perciò non mi voltai, ma continuando l' Evangelio, il medesimo Tommaso Trenta replicò, e non intesi altro, che queste precise parole, questa è la mia sposa, & io allora mi rivoltai un poco e mi protestai, che non volevo assistere al detto preteso matrimonio, &c. e così io per la terza volta cominciai à leggere l' Evangelio, nè intesi altro da detto Tommaso Trenta, e molto meno dalla detta Maria Angelica, quale non parlò mai, nè fece atto alcuno, dal quale si potesse dedurre il suo consenso, e quando io ritornai in Sagrestia, essendo stati presenti alle sopradette cose il Signor Canonico Pellegrino Pallotta, ed il Signore Girolamo Valentini, gl' interrogai, se avevano sentito cosa alcuna tanto dell' uno, quanto dell' altra, e mi ratificarono, che la Donna non aveva mai parlato, ne fatto atto alcuno, quando il Trenta diceva, questa è la mia sposa, è mia moglie, che se l' avesse fatto, o detto, l' avressimo veduto, e sentito.* Formiter itaque interrogati iidem Testes expresse nuncupati in celebratione asserti matrimonii, idipsum ratificarunt, latius tantum exponentes, quod idem Thomas Trenta, cum Missa jam compleretur, brachio arripuit Mariam Angelicam Trasæam genuflexam, quæ sursum se erexit, ac Thomas manum ejus tenens verba supra expressa protulit. Cæterum nullum verbum, vel actum mulieris vidisse, ac respective audivisse, Testes ipsi deposuerunt, quibus consensus explicari posset; quædam vero mulier ad perpetuam rei memoriam examinata, ac alter Testis in simplici fide signo Crucis firmata, & coram Notario recognita expresse asserunt, nedum Thomam Trentam, sed etiam Angelicam Trasæam, verba mutuum consensum expresse designantia protulisse, ut latius, ex documentis in Summario anteactæ Congregationis exhibitis. Hinc partibus monitis non graventur EE. VV. consueta sapientia, & prudentia dubium alias propositum resolvere, benigniter reassumpto folio in præterita Congregatione distributo.

An constet de validitate matrimonii, ita ut Conjuges sint in eo libere relaxandi in casu, &c.

Sac. Congregatio Concilii die 12. Jan. 1715. respondit. *Affirmative.*

ARGUMENTUM.

Matrimonium contractum, nullis præviis denunciationibus, sed adhibitis Testibus necessariis, & coram Parocho, (qui tamen intellecto simili matrimonio, in proprias mansiones se recepit, ne illi assisteret, qui nullum aliud verbum audiverat, quam -- Sig. Curato, Sig. Curato, -- quæ protulerat sponsus: testes vero deponebant de expresso consensu sponsi ad matrimonium, & de tacito sponsæ, iteratis nutibus, capitis inclinatione annuentis, licet prætenderetur, sponsam præcedenter contraxisse sponsalia cum alio) declaratum fuit validum, ut infra.

CASUS XXII.

CÆSENATEN. MATRIMONII.

NIcola de Campagnolis è Civitate Æsii Cæsenam traducta mense Februarii proxime elapsi à Francisco Patruo matrimonium die 13. Maji sequentis contrahere præsumpsit cum Carolo de Receptis coram Parocho habitationis dictæ Nicolæ, adhibitis quidem necessariis Testibus, sed clandestine, nullis præviis denunciationibus neque exhibitis testimonialibus status liberi Ordinarii Æsii; quinimo Parochus cum præsensisset matrimonium contrahendum, curavit se subducere, & clausa sacrarii Janua cum Presbyterium percurreret, Carolum Receptum vidit, manu ducentem d. Nicolam, ad Cancellos Presbyterii accurrere clamantem *Sig. Curato Sig. Curato*; Ex quibus verbis perculsus velocius, ne simili matrimonio interesset, deposuit se intra mansiones recepisse, & earum occluso ostio aliorum verborum sensum nullatenus percepisse. Testes autem duo rogati, & alii tres concorditer Testimonium perhibent de expresso consensu Receptuti ad matrimonium, & tacito Nicolæ, iteratis nuptibus capitis inclinatione annuentis, quæ ita deposuit: *Entrò dentro la porta della sua stanza di modo tale, che non ebbi tempo di dire sì Signore, se non che d' inchinare due volte la Testa, che con tal' atto m' intesi di dire che lo volevo per mio marito.* Franciscus Antonius Pasquini, qui sponsalia cum eadem Nicola præcedenter iniisse prætendit, nullitatem hujusmodi matrimonii promovet, eo quia non sit contractum neque coram proprio Parocho Receptuti, neque coram Parocho Nicolæ, nullum Cæsenæ habentis Domicilium, & eo quia neque moralis, neque materialis Parochi præsentia perfectioni actus intervenerit. Sponsalia autem ex depositionibus plurium Testium probare contendit, & præcipue ex confessione ipsiusmet Nicolæ, ingenue fatentis impedimentum Testimonialium status liberi fuisse appositum a dicto Francisco Antonio: *perchè pretendeva sposarmi lui, per averli io promesso in voce per due volte*; & rursus ibi, *è vero, che quando dissi à detto Pasquini le dette parole: non si dubiti, che non pigliero altri, che lei: intesi mantenergliele, ed esser sua ma oggi non intendo mantenergliele*; Nihilominus etiam si matrimonium nullum esset, & valida sponsalia ex pluribus causis, dissensus nempe Patrui, & augmenti Dotis ab eodem facti in scut. 500. pro secundo sponso tantum, ac ignoratæ conditionis, & qualitatis primi sponsi, Nicola de Campagnolis ab illorum exequutione jure se excusandam esse deducit, maxime quia juramento asserta sponsalia non sunt munita, & firmata; ex quibus, aliisque à Partibus deducendis EE. PP. decernent,

An

An matrimonium contractum inter Carolum de Receputis, & Nicolam de Campagnolis sit validum in casu, &c. quatenus negative.

An d. Nicola possit matrimonium valide, & licite contrahere cum dicto de Receputis, seu potius obstent sponsalia per eam, ut prætenditur contracta cum Francisco de Pasquinis in casu, &c.

Sac. Congregatio Concilii die 3. Octobris 1716. ad primum respondit. *Affirmative*, ad secundum *Provisum*.

ARGUMENTUM.

Non bene constito de non consummatione matrimonii, non obstante natura efferata Mariti, & perversionis periculo in sponsa, quæ ad sectam Lutheri, à qua desciverat, timebatur redire necnon juramento utriusque conjugis super dicta non consummatione emisso, denegata fuit dispensatio super dissolutione.

CASUS XXIII.

EYSTEN. DISPENSATIONIS.

FActi species hujusmodi Causæ in Foliis distributis die 5. Septembris, & 16. Januarii recensetur. Die autem 27. Februarii EE. VV. in re tam gravi petitæ dissolutionis matrimonii rati, rescribendum esse censuerunt. *Coadjuventur probationes juxta Instructionem*. Quare Ordinario datæ fuerunt literæ, ut juramentum alias à Conjugibus oblatum super non consummatione matrimonii, quatenus præstare vellent solemniter reciperet, & sacram Congregationem distincte instrueret quanto tempore, quibus sociis, & an sola, & remotis arbitris uxor cum viro permanserit. Pro exequutione omnium præmissorum Milgabrin juramentum præstitit, nec in die nuptiali, nec, dum secunda vice ex mandato Consistorii Episcopalis, per consanguineos ad ædes sponsi deducta fuit, & per duas horas de nocte cum eo vestibus induto in lecto cubuit, matrimonium consummasse, immo quod nec ab ipso marito tacta aut tentata fuerit. Gaspar Kayser pariter juravit, ad consummationem matrimonii non deveniisse, sed confessus est, quod secunda vice thorum uxoris ascenderit, illa autem nullo modo induci potuerit ad amorem, multo minus ad copulam, sed per tres horas dormierit, & inde surgens ædes, ac maritum reliquerit, & hac vice socios, & arbitros non adfuisse, Præterea Ordinarius testatur, duas Puellas deposuisse, quod nuptiis interfuerint, & prima die constanter manserint cum dicta sponsa, de nocte autem in eodem lecto cubuerint, quæ à suo marito de nocte adveniente nec tacta, neque violata fuit, sed cum altera ex Testibus surrexit, & tam lectum, quam maritum reliquit propter causas in libello supplici expositas. Ex quibus, aliisque jam deductis EE. VV. decernent,

An sit locus Dispensationi in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii die 15. Maji 1717. respondit. *Negative*.

ARGUMENTUM.

In Indiis Orientalibus reperiebatur quædam Congregatio dicta Bethleemitica, quæ vulgo habebatur pro vera Religione. Quia tamen in sui institutione non fuerat talis considerata, obtinuit à S. M. Clemente XI. cum voto Congregationis specialis ab eo deputatæ erigi in veram Religionem cum votis solemnibus emittendis ex integro, ita tamen, ut emittentes nova vota certiorarentur de inefficacia præcedentium Votorum ad constituendos eos vere Religiosos. Quidam ex dicta Congregatione habita tali notitia inde exivit, & matrimonium ab eo contractum fuit validum, sed illicitum.

CASUS XXIV.

CANARIEN.

ANno 1653. Servus Dei Petrus de Betancur, de cujus beatificationis Causa introducenda agitur in sacrorum Rituum Congregatione, in Civitate Guatimalæ auctoritate ordinaria intercedente, quamdam Religiosam Congregationem instituit, quæ Bethleemitarum dicta est pro exercendis erga proximos in Hospitalibus præcipue degentes, ferventiores Christianæ Charitatis actus. Factæ etiam fuerunt hujus Congregationis Constitutiones, quæ die 26. Martii 1687. fuerunt approbatæ à Venerabili Dei Servo Innocentio XI. per suas literas Apostolicas in forma Brevis. Congregatio hæc Religiosa, quæ tractu temporis excrevit, & plures Domos in variis Civitatibus acquisivit, vulgo habita fuit pro vera Religione, & consequenter pro veris Religiosis habiti sunt illi, qui ei nomen dederunt; sed cum in Brevi supra memorato, Congregatio Bethleemitica nomen habeat Confraternitatis hominum piorum, nec unquam in eodem Brevi fermo fiat vel de Congregatione in Religionem erigenda, vel de votis expressis, & perpetuis à Confratribus emittendis, quæstio excitata fuit, an prædicta Congregatio esset necne vera Religio.

Ad tollendam de medio hanc controversiam, annis præteritis accessit ad Urbem Frater Michael à Jesu Maria, sufficienti instructus mandato Procuræ, ut à Sede Apostolica obtineret declarationem, quod Congregatio in veram Religionem erigeretur.

Pro hoc negotio discutiendo, fuit deputata Congregatio particularis clar. mem. Cardinalium S. Clementis, Gabrielli, & Eminentissimi Paracciani, à qua perpensis perpendendis, sequens prodiit Decretum. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & RR. DD. Cardinalium S. Clementis, Gabrielli, & Paracciani, per Sanctissimum Dominum nostrum specialiter deputata, visis, & mature perpensis suprascriptis precibus, censuit, si Sanctitati Suæ placuerit, posse per literas Apostolicas in forma Brevis prædictam Congregationem Bethleemiticam in Indiis Occidentalibus erigi in veram Religionem cum votis solemnibus emittendis ex integro, etiam ab iis, qui hactenus vota emiserunt in eadem Congregatione; ita tamen, ut emittentes nova vota prius certiorentur de inefficacia præcedentium votorum ad constituendos eos vere Religiosos. Romæ 8. Octobris 1709. Et cohærenter ad hæc fuit anno 1710. expeditum Breve à Sanctissimo Domino Nostro. Habita hujusce rei notitia à Matthia Gonzalez de Olivera de Terra de la Ortova Insulæ Tanerifæ Canarien. qui in Congregatione Bethleemitica Professionem emiserat, habitum ipse dimisit, & indutus veste sæculari, ubique incedere cœpit, videntibus, & non reclamantibus Fratribus Bethleemiticis; cumque coram Episcopo Insularum S. Jacobi Cuben Jamaicæ, & Floridæ die 4. Octobris 1714. comparuisset, & declarari petiisset, se esse Personam liberam, nullo matrimonii, vel Religionis vinculo innodatam, & petitam declarationem obtinuisset, ab Indiis ad Insulas Canarienses rediit, & exhibita prædicta declaratione coram Ordinario, licentiam ab eodem die 18. Junii 1715. reportavit contrahendi matrimonium, quod & subsequenter contraxit cum Maria Emmanuela Peniche.

Post contractum matrimonium, Matthias Sanctissimo supplicavit pro declaratione validitatis ejusdem, ejusque instantia inniti posse videtur sequenti fundamento, quod vota ab eo præcedenter emissa, sunt vota simplicia, non solemnia, solumque votum solemne in Religione approbata impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, juxta *Textum in cap. Meminimus, & in cap. Insinuante, qui Clerici, vel voventes*, exceptis votis simplicibus, quæ post biennium novitiatus in Societate Jesu emittuntur, quorum vigore impeditur matrimonium con-

tra-

trahendum, & dirimitur contractum ex Constitutione Gregorii XIII. edita anno 1582. quæ incipit *Quanto fructuosius*, & ex alia ejusdem Pontificis edita anno 1584. quæ incipit *Ascendente Domino*. Itaut dubitari tantum valeat in foro conscientiæ, an Orator citra dispensationem possit exigere debitum ab uxore, licet reddere teneatur, juxta doctrinam D. Thomæ in 4. *sent. dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. ad 3. ad 4. Cum autem Matthiæ Gonzalez de Olivera preces fuerint à Sanctitate Sua ad hanc Sac. Congregationem remissæ, dignabuntur EE. VV. decernere,

An matrimonium, de quo agitur, sit validum in casu &c.

Sac. Congregatio Concilii 9. Aprilis 1718. respondit *Esse validum, sed illicitum*.

ARGUMENTUM.

Matrimonium Contractum in vim dispensationis ex falsa Causa obtentæ à S. Sede, & præsertim ob incompetentiam dotis, an, & quando sit nullum? Adduntur duo restrictus Causarum, cum resolutionibus S. Cong. Conc. in quibus citatus fuit. D. Just. lib. 1. cap. 4. num. 28. & lib. 3. cap. 3. sub n. 20. *prout in eis*.

CASUS XXV.

PRATEN. MATRIMONII.

Joseph del Guasta, & Rosa Benini recursum habuerunt ad san. mem. Clementem XI. eique exposuerunt, quod cupiebant invicem matrimonialiter copulari, sed quod Rosa dotem non habebat competentem, cum qua, juxta sui status conditionem, invenire posset virum sibi non consanguineum, vel affinem, supplicando pro dispensatione; erant enim tertio, & quarto à communi stipite gradibus invicem conjuncti; cumque Sanctitas Sua literas Apostolicas Dispensationis in tertio, & quarto gradu direxerit Vicario Generali Episcopi Praten. cum solita clausula, quod de expositis deberet se diligenter informare, & quod in hypothesi, in qua preces inveniset inniti veritati, auctoritate Apostolica dispensaret, dispensatio fuit executioni mandata, & subinde contractum matrimonium inter Oratores coram Parocho, & Testibus, nec defuit consummatio, cum Rosa prægnans effecta sit.

Contracto, & consummato, uti dictum est, matrimonio, inter virum, & uxorem jurgia exorta sunt; cumque uxor à domo viri aufugisset, supplicemque libellum huic Sac. Congregationi exhibuisset, instando pro declaratione nullitatis matrimonii, non solum tamquam initi per vim, & metum, sibi à Genitoribus illatum, sed etiam tamquam contracti in vim Dispensationis ex falsa causa obtentæ, & executioni mandatæ, ex quo tantum abest, quod ipsa congruam dotem non haberet, quod dotem potius habebat excessivam, juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto.

Supervenit Episcopi informatio, in qua refertur, primo non adfuisse ullum metum, vel coactionem pro contrahendo matrimonio. Secundo Vicarium Pratensem executioni mandasse dispensationem postquam secretas sumpserat informationes, binasque receperat attestationes, tum de Patris impotentia ad congrue dotandum filiam, tum de deficientia occasionis nubendi, excepto Josepho, qui eam duxit in uxorem. Tertio ex apocha matrimoniali desumi dotem Rosæ fuisse in scutis 325. sed re vera non fuisse nisi in scutis 200. Quarto ex Testibus haberi Puellas statu, & conditione æquales Rosæ matrimonio copulari cum dote scutorum 130. concludendo sibi videri validam fuisse, & juri consonam executione literarum Apostolicarum.

Post hanc Episcopi informationem nullum amplius, vel à Rosa, vel ab ejus viro verbum motum est pro instantiæ prosecutione; cum autem Rosæ Pater, qui filiam domi retinet, marito commorante in Civitate Florentiæ, ad se pertinere existimaverit obtinere declarationem super validitate matrimonii, & pro hac declaratione exoraverit, præfixus fuit conjugibus terminus ad sua jura deducenda in Sacr. Congregatione, eoque elapso, in præsenti disputatur, an constet de validitate matrimonii.

Pro validitate matrimonii ponderatur *Textus in cap. quia circa de consang. & affinit.* in quo, cum pro obtinenda dispensatione super gradu prohibito, allegata fuisset falsa causa, & matrimonium deinde fuisset contractum, & consummatum, respondit Innocentius Tertius -- *dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta; cum ex separatione, sicuti asseris, grave videas scandalum imminere.*

Quia vero Textus sibi videtur vindicare locum, quando post contractum, & consummatum matrimonium, contrahentes perseverant in bona fide, & habent probabilem ignorantiam de subreptione dispensationis, licet eam Ordinarius bene cognoscat, uti ponderant Covar. 2. *par. de matrimon. cap.* 6. §. 10. *num.* 15. Pontius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 17. §. 6. *num.* 40.

Hinc est, quod in causa adeo exemplari, & cujus resolutio, quatenus importaret dissolutionem matrimonii, viam aperiret ad plures, & plures alias matrimoniorum dissolutiones, vel saltem lites super dissolutione, aliæ suffragantur responsiones in facto, & in jure.

In facto quidem, quia in supplicatione porrecta Summo Pontifici relatum fuit, Rosam non habere dotem competentem, & attentis rerum circumstantiis, quidquid asseruerint Testes, si Rosa fuit nupta cum dote scut. 200. incompetentia dotis verificata videtur.

In jure deinde, quia incompetentia dotis non videtur, quod fuerit causa finalis dispensationis, sed causa impulsiva, & defectus causæ impulsivæ non vitiat dispensationem, uti late ostendunt Anaclet. *ad primum lib. Decret. tit.* 3. §. 8. *num.* 184. *tom.* 4. *in append. de dispens.* §. 5. *num.* 208. De Justis *de Dispensat. matrim. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 28. Diana *Oper. moral. tom.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 103. *per totam in edit. coord.*

Additur notabilis doctrina Pontii *de matrim. cit. lib.* 8. *cap.* 17. §. *Ultimo num.* 42. *ibi -- Illud etiam addendum est, quod dicebamus, quando de hodierno stylo Curiæ Papa cum dispensat, confidit de precibus supplicantis, non de precum veritate, sed committit Ordinario, ut præcedenti diligenti inquisitione super precum veritate, & causis, ipse Ordinarius dispenset: in isto casu, postquam præcessit inquisitio, & Ordinarius declaravit, causas expressas esse veras, sententia illa, & declaratio, etiam si forte fuerit injusta, est valida, & habet auctoritatem rei judicatæ, & retractari non potest, & proinde sequens Ordinarii dispensatio, & matrimonium ex illa contractum valet, & deinceps retractari non potest.*

Et licet idem Pontius tres afferat ad hoc suum notabile dictum limitationes. Primo, *quando à principio rescriptum fuit subreptitium, cum dolo, vel fraude.* Secundo, *quando Testes adhibiti postea super rerum veritate fuerunt corrupti.* Tertio, *quando dispensatio, vel rescriptum ad dispensandum fuit subreptitium, licet per ignorantiam, & subreptio fuit notabilis in tacenda veritate.*

Ad excludendam nihilominus regulam, examinandum erit, an aliqua assistat facti circumstantia, quæ viam aperiat alicui ex dictis limitationibus.

Allegata Pontii doctrina impugnatur à nonnullis, sub obtentu, quod dispensatio, uti fundata in falsa causa, nulla sit, licet falsitas processerit ex ignorantia, ita ut hæc prodesse non possit validitati matrimonii subsequenter contracti. A Spiritu Sancto *oper. moral. tom.* 4. *tract.* 11. *de matrim. disput.* 8. *sect.* 5. *num.* 561. Diana, *loco cit. resolut.* 104. *num.* 1. & 2.

His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

An constet de validitate matrimonii in casu &c. Sac. Congregatio Concilii die 4. Julii 1722. respondit -- *Non constare de nullitate matrimonii, & amplius.*

A R-

ARGUMENTUM.

Est idem cum præcedenti.

CASUS XXVI.

NEAPOLITANA MATRIMONII.

DIdacus Foglierus, & Aloysia de Vera san. mem. Clementi Papæ XI. supplicarunt pro Apostolica Dispensatione, super secundo, & quarto à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus, quibus erant conjuncti ad effectum, ut inter se matrimonium contrahere possent. Fuit in supplicatione dicto Pontifici expositum, quod Aloysia erat indotata, & quod actionem non habebat, unde dotari posset, & demum, quod Didacus intendebat illam sic indotatam ducere in uxorem, & eam ad quantitatem competentem ex integro dotare; memoratusque Pontifex commisit Vicario Generali Neapolitano, ut se de prædictis diligenter informaret, & quod in hypothesi, in qua preces inveniisset veritati innixas, & postquam Aloysia ex integro à Didaco dotata fuisset, ad dispensationem auctoritate Apostolica procederet; cumque in Curia Archiepiscopali subinde Testes producti fuissent, qui deposuerunt Aloysiam non habere dotem competentem secundum suam conditionem, nec ab aliquo Conjunctorum dotari posse, & Didacum eam velle in uxorem ducere, & dotare in summa ducatorum quingentorum, & instrumentum dotationis exaratum fuisse, facta donatione ducatorum quingentorum pro filiis ex matrimonio nascituris, prolata fuit à Curia Archiepiscopali sententia pro executione literarum Apostolicarum, & inter Didacum, & Aloysiam contractum est matrimonium in facie Ecclesiæ, & deinde consummatum.

Desumuntur hæc omnia ex Brevi dispensationis, & ex informatione Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani, & Didaco instante pro nullitate matrimonii quæritur in præsenti, an de ejus nullitate constet, juxta dubium ad calcem restrictus referendum.

Nullitatis fundamentum constituitur in Capitulis matrimonialibus initis ante petitam Dispensationem, in quibus assignata, & constituta fuit Aloysiæ, quæ Didaco nubere debebat, dos in annuis ducat. 60. in tot censibus emphyteuticis, & super vectigali salis, in quadam gemma ex adamantibus, & smaragdis conflata in summa duc. 1000. persolvenda futuro sponso post exitum cujusdam litis in Urbe pendentis, & in omnibus juribus, & actionibus quibuscumque, quæ ad Aloysiam spectare possent in posterum super hæreditatibus, & bonis Parentum, & aliorum Conjunctorum, & ex renunciatione à Clara sorore facta, uti latius legitur in Capitulis matrimonialibus. Ex hoc etenim arguitur Aloysiam non fuisse indotatam, nec eam caruisse actione, unde dotari posset, uti Papæ expositum fuit, nec pariter subsistere, quoad ea fuerit ex integro à Didaco dotata, cum Didacus dumtaxat donaverit ducatos 500. filiis nascituris ex matrimonio cum Aloysia contrahendo.

Nullus usque adhuc comparuit pro validitate matrimonii, adeoque præter deducta in præcedenti restrictu in Causa *Praten.* poterunt EE. VV. benigne ponderare idem esse, quod mulier sit indotata, ac quod sit insufficienter dotata, uti reprobando Corradum firmat De Justis *de Dispensat. matrim. lib. 3. cap. 3. sub n. 20. ibi-- Papa movetur ad dispensandum, ut succurrat Oratrici pauperi, quæ cum non habeat dotem, vel habeat, sed insufficientem, periculum est, ut, vel innupta remaneat, cum periculo animæ, vel nubere cogatur indigno, & inæquali; unde cum intentio Pontificis sit quoad prædicta, providere Oratrici, & utroque modo per hujusmodi Dispensationem satis provideatur, non videtur, cessato dolo, infici gratiam Pontificis, qui æque movetur ad dispensandum, si Oratrix nullam habeat dotem, vel si habeat insufficientem, cum in utroque casu timeri possint eadem scandala, & inconvenientia, ex quibus tamquam ex causa finali movetur Pontifex ad dispensandum.*

Hoc supposito dignabuntur pariter EE. VV. ponderare quantitatem dotis, separando eam, quæ actu futuro consignanda erat marito, ab alia, cujus consecutio pendebat à futuro litis eventu, & ab aliis conditionibus; animadversione quoque dignum est pactum in Capitulis matrimonialibus appositum, de non petendo aliquid de bonis paternis, & maternis, quoad usque vixisset Angela mater, *ma quelle debbano restar salve in benefizio di detta Signora Aloisia, de' suoi Eredi, e successori &c. e le debba, e possa sperimentare, seguita la morte di detta Sig. Maria Angela,* (quæ erat mater,) *se de jure si spetterà, e non altrimenti, sic ex pacto.*

Aptabilis quippe videtur propositio à Doctoribus admissa, mulierem dici indotatam, aut minus sufficienter dotatam, si bona in actu matrimonii assignanda non sint sufficientia, vel sint intricata, aut assignatio post obitum Parentum suum effectum sit habitura; Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 19. n. 20. & melius num. 25.* De Justis *de Dispensat. lib. 3. cap. 3. num. 46.* Anaclet. *in 4. lib. decretal. in append. De Dispensat. §. 3. num. 83. & seqq.* Crumer. *quæst. Canon. in 4. Decret. quæst. ultima num. 2095.* Rosa *de execut. liter. Apostol. par. 1. cap. 11. num. 15.*

Parum obstante, quod Didacus non dotavit ex integro Aloysiam in quantitate competenti, uti Summo Pontifici expositum fuit, quia quando plures exponuntur causæ, etiam copulativæ, inspicienda est causa, cui innititur rescriptum, & ea vera existente, non curatur de aliarum veritate; copulativa quippe in his terminis resolvitur in disjunctivam, juxta late tradita per Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 21. num. 42.* quapropter si pro obtinenda Dispensatione sufficiebat Aloysiam fuisse indotatam, & dispensatio huic motivo inniti poterat, non est ad rem, de qua agitur, habenda ratio novæ, & sufficientis dotationis à Didaco faciendæ.

Hæc sunt, quæ pro eruenda veritate existimavi in medium afferre.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere: *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.*

Sac. Congregat. Concilii dicta die 4. Julii 1722. respondit-- *Negative, & amplius.*

ARGUMENTUM.

Matrimonium contractum inter conjunctos tertio, & quarto Consanguinitatis gradibus, prævia Apostolica Dispensatione super quarto, non obtentis literis declaratoriis super tertio, an sit validum. Ad ornatum, & in comprobationem eorum, quæ firmantur per D. Just. lib. 1. cap. 4. num. 122. & seqq. & lib. 2. cap. 3. num. 37. & seqq.

CASUS XXVII.

LUCÆORIEN. NULLITATIS MATRIMONII.

COntractum fuit matrimonium inter Joannem Sapicam, & Constantiam Radzivuiliam, prævia Pontificia Dispensatione super quarto gradu consanguinitatis, licet inter se essent conjuncti tertio, & quarto, ut ex Arbore.

Bis actum fuit de hac causa Lucæorien. in hac Sacra Congregatione *die videlicet 7. Sptembris 1720. & die 28. Februarii 1722.* & licet in utraque prædicta propositione causæ tam scribentes pro Joanne, quam pro Costantia nullitatem admitterent matrimonii, & punctum controversiæ reducerent ad pœnas, quibus Joannes prætendebatur esse subjectus, ex quo matrimonium contraxit sciendo conjunctionem cum Constantia in tertio, & quarto; Sac. nihilominus Congregatio ex officio procedens voluit, ut de validitate, vel invaliditate matrimonii stricte videretur; & quia tota lis pro nullitate constituebatur in stylo Datariæ, hinc est, quod prima vice respondit, quod Datariæ regesta perquirerentur, & secunda vi-

ce, instantibus Officialibus Datariæ, pro dilatione, quod causa proponeretur hac *die* 28. *mensis Martii*.

Egregii Datariæ Officiales, pervolutis Regestis à tempore S. Pii V. usque ad præsens discursum, una cum Summario justificativo exararunt, & simul, & semel comprobare conati sunt, nulla semper, & invalida fuisse habita matrimonia contracta inter conjunctos tertio, & quarto gradu, prævia Dispensatione super quarto, & non obtentis literis declaratoriis super tertio, juxta præscripta *in Bulla* 13. S. Pii V. *tom.* 2. de qua in folio Congregationis diei 28. Februarii proxime præteriti benigne reassumendo,

Quia vero, sicuti ad Egregios Datariæ Officiales pertinent Datariæ opiniones, & Jura tueri, sic ad meam exiguitatem spectat hujus Sac. Congregationis, cujus sum à secretis, sententias propugnare; hinc est quod inventa in Regestis punctuali resolutione super validitate matrimonii in hisce terminis contracti, operæ pretium esse censui ad calcem folii præsentis, ut alias etiam præstiti, edere discursum, ut visis hinc inde videndis, tutum ab EE. VV. judicium proferri valeat, & simul, & semel sequentibus dubiis responderi,

DISCURSUS

Illustrissimi, & Reverendissimi

D. PROSPERI DE LAMBERTINIS

Archiepiscopi Theodosiæ, & S. Congreg. Concilii Secretarii.

NOnnulla sunt, quæ urgent pro nullitate matrimonii,

Primum est, quod illud intantum validum existimari posset, in quantum dispensatio obtenta super gradu remotiori suffregari posset conjunctis in illo gradu, & in gradu etiam proximiori. Cum autem id de jure non subsistat, *juxta Textum in cap. Quod dilectio de consang. & affinit.* sequitur de matrimonii nullitate non esse dubitandum.

Secundum est, quod quidquid esset juxta antiquiores Constitutiones Gregorii XI. & Clementis VI. Pius certe Papa IV. sic decrevit: *Se de singulis obstaculis plene certiorari volens, quod in quibuscunque Dispensationibus, quas pro matrimonio scienter, vel ignoranter contracto, vel contrahendo in quibusvis prohibitis consanguinitatis, aut affinitatis, seu mixtis gradibus &c. à S. Sede impetrari &c. non solum de remotiori, sed etiam de proximiori, aut de proximioribus gradibus, quicunque illi fuerint, eorumque distantia specialis & expressa mentio fieri debeat; alioquin Dispensationes &c. nullius sint roboris, & momenti, & pro infectis habeantur.*

Verba hæc leguntur in *Constitutione* 37. *prædicti Pii Papæ IV.* in antiquiori Bullario Romano edito *anno* 1586. quod existit in Bibliotheca Casanatensi; quibus attentis, sicuti certa est nullitas Dispensationis inter conjunctos tertio, & quarto, facta tantum mentione quarti gradus, sic à nullitate Dispensationis valet illatio ad matrimonii nullitatem.

Tertium est, quod licet S. Pius V. in sua *Constit.* 13. *Bull. tom.* 2. derogaverint mox allegatæ Constitutioni Pii Papæ IV. & voluerit, quod valeret dispensatio obtenta super quarto, nulla facta mentione tertii gradus, addidit nihilominus sequentia verba, *obtentis tamen postea super propinquiori literis declaratoriis*, hoc est literis, in quibus declaratur non obstare reticentiam gradus propinquioris; cumque recensita verba conditionem importent, juxta punctuales, & in his terminis auctoritates infra allegandas; hinc fit censendum esse nullum matrimonium illud, quod fuit contractum inter conjunctos tertio, & quarto, obtenta Dispensatione super quarto, & non obtentis literis declaratoriis super tertio.

Quartum est, quod si validum haberetur matrimonium non obtentis literis declaratoriis super gradu propinquiori, frustratoriæ quodammodo dictæ literæ dici possent. Cum autem hoc non sit dicendum, nec etiam dici poterit validum esse matrimonium inter conjunctos tertio, & quarto, prævia Dispensatione super quarto, & non obtentis literis declaratoriis super tertio.

Quintum est, quod habito recursu ad Summos Pontifices Urbanum VIII. & Innocentium X. à Conjugibus, qui reticito propinquiori Dispensationem expediverant super remotiori gradu, nec literas declaratorias obtinuerant super propinquiori, fuit in literis Apostolicis dictorum Pontificum impressis apud Anaclet. *in 4. lib. Decretal. in Append. de Dispensat. super Impedimentis §. 4.* responsum, quod Ordinarii, qui Dispensationem executioni mandarunt, nulliter, & defacto dispensaverant, quod copula interim habita fuerat incestuosa, quod filii nati erant illegitimi, & quod erat iterum contrahendum matrimonium in facie Ecclesiæ. Signa autem hæc sunt evidentissima, quod non obstante citata Bulla S. Pii V. subsequentes Romani Pontifices nulla esse judicarunt matrimonia contracta inter Conjunctos, accedente Dispensatione Apostolica super gradu remotiori, & non obtentis literis declaratoriis super propinquiori; idque adeo verum esse dignoscitur, ut Barbosa, *qui Voto* 3. *lib.* 1. *per totum* senserat pro validitate, viso Brevi Urbani VIII. in fine suffragii à dicta opinione recesserit, & consimili modo se etiam gesserit *Bonacina*, qui licet validum de jure matrimonium existimasset, attento nihilominus stylo Sedis Apostolicæ sententiam amplexus est stantem pro nullitate, ut videri potest *tom.* 2. *disput.* 1. *qu.* 2. *punct.* 5. *n.* 17. *& q.* 3. *punct.* 7. §. 1. *n.* 7.

Sextum est, quod quidquid dixerint Auctores scholastici, qui pro validitate sensisse videntur, Auctores certe practici ponderatis verbis Bullæ S. Pii V. *obtentis tamen super propinquiori literis declaratoriis*, & ponderatis Brevibus Urbani VIII. & Innocentii X. supra indicatis, constanter asseruerunt matrimonium esse nullum. Clericat. *decis.* 22. *de Sacramento matrimonii num.* 11. Rosa *de executoribus liter. Apostolicarum cap.* 11. *num.* 33. Anaclet. *in* 4. *lib. Decretal. in Appendice de Dispensat. super impedimentis §.* 4. *pag.* 252. *à num.* 170. *usque ad num.* 183. De Justis *de Dispensat. matrim. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 40. *& dub. seqq.* Corrad. *in praxi dispensat. lib.* 7. *pag.* 289. *&* 290. Cumque in re, de qua nunc agitur, magis sit practicis, quam speculativis Auctoribus deferendum, sequitur retinendam esse opinionem, quæ validitati matrimonii adversatur.

Ultimum est, quod quidquid agit Dataria Apostolica, dicitur gestum ab ipso Papa, teste Garzia *de Benef. part.* 4. *cap.* 2. *num.* 18. cumque ab Egregiis Datariæ Officialibus in discursu impresso afferantur viginti quatuor exempla, ex quibus ostenditur nullitas matrimonii, sive ignoranter, sive scienter contracti, quando propinquior gradus reticitus fuit, & inter hæc duo adsint, quæ referuntur ad tempus S. Pii V. nil clarius afferri posse videtur ad rem, de qua nunc agitur; quo modo etenim in literis *Perinde valere*, in terminis matrimonii, bona fide, & cum ignorantia gradus propinquioris, contracti, prævia dispensatione super solo gradu remotiori, potuisset S. Pius V. potuissent & alii Pontifices mandare, quod Ordinarii publice indicerent nullitatem prioris matrimonii, & quod Conjuges de novo contraherent, si præcedens matrimonium pro valido habitum fuisset; & rursus, quomodo in aliis literis *Perinde valere* in terminis matrimonii contracti, & consummati cum scientia gradus propinquioris, prævia Dispensatione super remotiore, potuissent iidem Romani Pontifices declarare, quod Ordinarii defacto dispensaverant, quod servata forma Concilii matrimonium de novo contraheretur, quod contrahentes absolverentur ab incestu, & ab excommunicatione lata *in Clement. unic. de consanguinitate*, quod Proles declararetur legitima, & quod propter incestum commissum, alter ex Conjugibus alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneret, si matrimonium contractum cum Dispensatione super remotiori de Jure validum fuisset?

Hæc

Hæc sunt, quæ pugnant pro nullitate matrimonii: nunc autem transitum faciendo ad ea, quæ favent validitati, operæ prætium est nonnullas summatim exponere Romanorum Pontificum, Gregorii videlicet IX. Gregorii XI. Clementis VI. Pii IV. & S. Pii V. Constitutiones.

Gregorius itaque Papa IX. *in cap. finali de consang. & affin.* decrevit, quod vir, qui à stipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere distat quinto, possunt licite matrimonialiter copulari, quia computatio fit à remotiori, itaut vir, & mulier distent in quinto, in quo gradu nulla est prohibitio *juxta Textum in cap. non debet de consang. & affinit.*

Constitutionis Gregorii XI. mentio fit à Guttier. *quæst. Canonic. lib. 2. cap. 15. num. 127. & 128.* & de Constitutione Clementis VI. verba faciunt Calderin. *consil. primo de consang. & affinit.* Fagnan. *in cap. final. num. 15. eodem titulo*, Covar. *in Epitom. lib. 4. Decretal. secunda parte cap. 6. sub num. 12.* & utraque Constitutio Gregorii XI. & Clementis VI. reassumitur à S. Pio V. in sua *Constitutione 13. mox referenda*; Omissaque Constitutione Gregorii XI. quam reperire non potui, sed quæ absque dubio concordare dicenda est cum alia Clementis VI. ut excitata Bulla S. Pii V. desumitur; In eo, quod attinet ad hanc Clementis VI. Constitutionem, sciendum est, quod Clemens Papa V. Dispensationem concesserat, ut vir, & mulier, non obstante quarto gradu consanguinitatis, possent ad invicem matrimonialiter copulari. Matrimonium contractum fuit, & vir, & mulier in eodem perstiterunt spatio annorum triginta, exortaque subinde controversia an dispensatio valida fuisset, ex quo deprehensum fuit, virum tertio, & mulierem quarto gradibus à communi stipite distare, Papa sic dubium resolvit, *declaramus prædictam, & quaslibet alias Dispensationes similes obtentas à Sede Apostolica, & imposterum obtinendas, omissione mentionis de distantia tertii gradus prædicti à stipite non facta in illis, & quarumvis litium dependentia occasione hujusmodi super eis nequaquam obstantibus, sufficientes, & validas existere, ac robur obtinere plenariæ firmitatis, reprobantes quorumcumque opiniones contrarias, ac eas, & quoslibet processus in contrarium, coram quibusvis Judicibus delegatis, vel Ordinariis, habitos, inanes, & irritos decernentes.*

Supervenit posthæc Constitutio Pii Papæ IV. in superioribus allegata, in qua non obstantibus Constitutionibus Gregorii XI. & Clemenris VI. voluit, quod in dispensationibus specialis, & expressa mentio fieret non solum de remotiori, sed etiam de proximiori gradu, & de eorum distantia, declarando quod in casu mentionis non factæ, Dispensationes nullius essent roboris, & momenti, & pro infectis haberentur; at S. Pius in sua *Constit. 13. Bull. tom. 2.* prævia derogatione Bullæ Pii papæ IV. nec non facta renovatione Constitutionum Gregorii XI. & Clementi VI. & expresse protestando, *quod favore intendebat Sacramento, & libertati matrimonii*, statuit, & ordinavit, quod excepto casu, quo vir, & mulier primum consanguinitatis, vel affinitatis gradum attingerent, *in quo Sanctitas Sua nunquam dispensare intendebat*, in cæteris aliis consanguinitatis, & affinitatis gradibus *remotior attenderetur, & secum traheret propinquiorem, & ob id sufficere remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis, juxta Gregorii, & Clementis Constitutiones*, concludendo *Dispensationes propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari, perinde ac si in literis seu commissionibus hujusmodi de proximiore, seu utroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset.*

Adeoque si S. Pius V. derogavit Constitututioni Pii Papæ IV. si protestatus est se favere velle libertati matrimonii, si excepto primo gradu, validas, & subsistentes declaravit Dispensationes, in quibus facta esset sola mentio gradus remotioris; nil clarius afferri posse videtur ad suadendum, tam validitatem dispensationum, quam validitatem matrimoniorum dependenter ab illis factorum: nullatenus urgentibus verbis in eadem Constitutione appositis *obtentis tamen super propinquiore literis declaratoriis;* in his etenim literis iterum admittitur validitas præcedentis Dispensationis, *ipsasque literas valere dicta auctoritate decernens*, ubi habetur ex earum formula impressa apud Novar. *in summa Bullarum comment. 60.* In his iisdem literis dicitur, distantiam propinquioris gradus non obstare, & perinde se habere, ac si ejus mentio in prima Dispensatione facta fuisset; ita ut harum literarum introductio, non alium finem habuisse dicenda sit, quam avertendi scandali, quod aliqui juris ignari sumere potuissent, videndo, quod conjuncti in tertio, & quarto, matrimonium inter se contraxissent, prævia tantum Dispensatione super quarto; & alias discurrendo, sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod S. Pius V. non derogasset Bullæ Pii IV. sed tantum voluisset, quod pro validitate Dispensationis, & matrimonii, fieri deberet in una pagina mentio gradus remotioris, & in alia gradus propinquioris, quando Pius IV. decreverat, quod in una, eademque pagina, hoc est in una, & eadem Dispensatione pro ejus, & matrimonii validitate utriusque gradus, propinquioris videlicet, & remotioris, expressa mentio haberetur.

Discursus hic clarus videtur, & efficax, uti dicitur, ab intrinseco, sed idem magnum ab extrinseco robur assumit à Classicorum videlicet, & magni nominis Doctorum, communi auctoritate, qui ponderata Bulla S. Pii V. validam esse censuerunt Dispensationem, in qua facta fuit mentio solius gradus remotioris, etiamsi Executor notitiam propinquioris habuerit, & hoc minime obstante, eam executioni mandaverit, cum ejus malitia validitati Dispensationis obstare non valeat. Validum etiam consequenter extimarunt matrimonium, quamvis illud fuerit contractum, non obtentis literis declaratoriis, quarum defectus, illud ad summum illicitum, sed non invalidum reddere potest. Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 24. num. 29.* Perez *de matrim. disput. 46. sect. 5. num. 7.* Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 17. §. 5. num. 26. & 27.* Petrus de Ledesma *de Sacram. matrim. in addit. ad tertiam partem quæst. 54. art. 2. pag. mihi 419.* Enriquez *in summa lib. 12. de impedim. matrim. lib. 2. cap. 3. num. 6. in notis pag. mihi 709. & rursus cap. 9. in notis lit. Z. pag. mihi 729.* Salmanticenses *in Theolog. moral. tom. 1. de matrim. tract. 9. cap. 14. puncto 4. §. 45. & 46. pag. mihi 260.* Hurtad. *in tract. de Sacram. disput. 26. difficult. 7. per totam*, Ægidius de Coninch. *de Sacram. disput. 33. dub. 6. n. 72.* Tamburin. *de Sacram. lib. 8. tract. 2. de dispens. cap. 9. §. 7. per totum*, Dicastillo *de Sacram. tom. 3. tract. 10. de matrim. disput. 8. dubit. 9. per totam*, Aversa *de Sacram. matrim. quæst. 19. sect. 5. §. 7. pag. mihi 622.* Basseus *in flor. Theolog. Pract. tom 2. in verbo matrim. 9. sub num. 5. pag. mihi 344.* Rosignol. *de Sacram. matrim. tom. 2. contract. 15. prænot. 23. num. 5.* Rebell. *de obligat. Just. 2. parte, lib. 3. quæst. 5. sect. 4. num. 23. pag. mihi 333.* Leander *oper. moral. part. 2. tract. 9. de Sacram. matrim. disput. 24. quæst. 40.* Filiucc. *oper. moral. tomo primo, tract. 10. de Sacram. matrim. parte 2. cap. 10. num. 328.* Giribald. *de Sacram. tomo primo, tract. 10. de matrim. dub. 8. num. 49. & seqq.* Antonius à Spiritu Sancto *in director. Confessar. tract. 11. de matrim. disput. 8. sect. 7. per totam*, Gobat *Theolog. experimental. tract. 9. cap. 22. in Append. pag. mihi 1003. num. 620. & seqq.* Vanespen *Juris Ecclesiastici universi tom. 1. part. 2. tract. 14. cap. 3. num. 17.* Cherubin. *in notis ad Constit. 13. S. Pii V. tom. 1. pag. mihi 38.* Novar. *in summa Bull. comment. 60. num. 2.* solaque inter scribentes discrepantia est, quod nonnulli censent valere dispensationem, & validum esse matrimonium cum expressione solius gradus remotioris, dummodo Fœmina non sit illa, quæ sit propinquior stipiti, sed vir sit propinquior stipiti, & mu-

FACULTAD DE TEOLOGIA BIBLIOTECA GRANADA

mulier stipitem attingat in gradu remotiori ; in ea etenim facti specie, cum Fœmina sit quoad stipitem major viro , & vir per matrimonium evadere debeat caput mulieris , aliquorum opinio fuit, quod propter relatam in ordinationem, pro validitate Dispensationis , & matrimonii necessaria sit utriusque gradus expressio . Sotus, *in* 4. *dist.* 40. *qu. unica*, *art.* 3. *colum.* 8. *vers. Quarto demum*, *& art.* 4. *colum. penultima vers. & tertio*, Molina *De Just. & Jure tomo* 1. *tract.* 2. *disput.* 161. *num.* 5. Bonacin. *oper. moral. tom.* 2. *disput. prima* , *quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 16. §. 2. *Secunda est* ; quando alii è contra censent , vel id ad summum procedere , si mulier esset Amita , vel matertera , secus autem , si in tertio gradu? alii communius ponderantes Bullam S. Pii V. indistincte loqui , asserunt validam esse Dispensationem, & validum matrimonium contractum non obtentis literis declaratoriis , & prævia Dispensatione super remotiori , sive vir , sive Fœmina sit stipiti propinquior, Pontius, & Perez, Rosignol. Giribald. Aversa, *locis supra citatis* .

Quodque notabilius est , licet ad tramites Bullæ S. Pii V. Sacra hæc Congregatio censuerit pro validitate Dispensationis primum gradum esse exprimendum , uti habetur *in dubio affinitatis proposito* 19. *Septembris* 1682. *lib.* 32. *Decret. pag. mihi* 455. disputato siquidem sequenti dubio : *An inter ipsos adsit impedimentum dumtaxat tertii affinitatis gradus*, *vel etiam primi*, *itaut super tertio tantum*, *vel potius super tertio*, *& primo petenda esset Dispensatio* ; responsum fuit, *petendam esse Dispensationem*, *facta mentione primi gradus* ; in hypothesi tamen matrimonii contracti inter conjunctos extra primum gradum, prævia dispensatione super remotiori , & non obtentis literis declaratoriis super propinquiori , hæc eadem Sac. Congregatio censuerit validum fuisse matrimonium , & satis esse postea obtinere declarationem super gradu propinquiori , nec opus esse post declarationem denuo contrahere , uti habetur ex sequenti resolutione edita die *primi Maii anno* 1607. *lib.* 11. *Decret. pag.* 1. *à tergo* , ibi , *hujusmodi matrimonium*, *nisi aliud obstiterit*, *esse validum*, *satisque fuisse obtinere postea declarationm super gradu propinquiori*, *juxta constitutionem S. Mem. Pii V. hac de re edita* , *neque opus fuisse post declarationem hujusmodi*, *repetere formam Concilii*, *vel denuo contrahere* .

Hisque positis , non obstant ea , quæ in contrarium fuerunt ponderata ; non obstat etenim primum , quod dispensatio obtenta super gradu remotiori non suffragetur conjunctis in illo gradu , & in gradu proximiori , juxta allegatum Textum *in cap. Quod dilecto de Consang. & Affinit.* Textus etenim hic procedit attenta consuetudine loci , ibi , *consultius duximus multitudini* , *& observatæ consuetudini deferendum* , *quam aliud in dissensionem* , *& scandalum Populi statuendum*, *quadam adhibita novitate* ; quocirca Textus prædictus non facit ad rem, de qua nunc agitur , nec obstat dispensationi Juris communis , juxta qua gradus remotior trahit ad se propinquiorem , uti adnotarunt *in citato cap. Quod dilectio Innocentius in fine*, Hostiensis *num.* 4. Joannes Andreas *num.* 8. Abbas *num.* 7. Gonzal. *num.* 4. Fagnan. *in cap. Vir qui*, *num.* 14. *de consang. & affinit.* Covar. *in* 4. *Decret. par.* 2. *cap.* 6. §. 10. *n.* 12. Sanchez *de matr. lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 33. *prope fin.*

Minus facit Bulla Pii IV. de qua in secunda oppositione, cum ei fuerit derogatum à posteriori Bulla S. Pii V.

Majoris roboris non est, quod in Bulla S. Pii V. habeantur hæc verba, *obtentis tamen postea super propinquiori literis declaratoriis*, uti tertio loco dicebatur; punctus enim est, an literæ declaratoriæ fuerint requisitæ pro validitate Dispensationis , & an fuerint requisitæ , ut matrimonium esset validum , cumque ex supra probatis S. Pius V. validam decreverit Dispensationem, facta tamen mentione remotioris gradus, & literæ declaratoriæ sint necessariæ, ut matrimonium sit licitum , non autem , ut sit validum ; hinc est nullum momentum constitui posse in verbis prædictæ Constitutionis Pianæ.

Consimilis generis est, quod quarto loco opponebatur , frustratorias videlicet evadere in hoc rerum statu literas declaratorias . Id quippe nullo modo subsistit ; vel etenim expedita dispensatione super remotiori , ante ejus executionem innotescit Ordinario , quod vir , & mulier sint conjuncti propinquiori gradu, & Ordinarius debet abstinere ab executione usquequo literæ declaratoriæ afferantur, uti bene ponderant Bonacina *oper. moral. tom.* 2. *disp. prima*, *quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 17. *& quæst.* 3. *puncto* 7. §. *Primo*, *num.* 7. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 29. vel ante Bullæ executionem propinquitas non innotuit Ordinario , & sic sine literis declaratoriis matrimonium contractum fuit ; & tunc, statim ac notitia defertur ad Ordinarium , debet ille Conjuges separare , usquequo literæ afferantur , uti bene ponderat Sanchez *loco citato* . Uno verbo , semper est obediendum Constitutioni Pianæ , & semper expediendæ sunt literæ declaratoriæ super propinquiori , sive Ordinarius ignoraverit , sive sciverit conjunctionem gradus proximioris , & sive matrimonium fuerit contractum , sive non ? & Ordinarius , qui, non obstante notitia gradus propinquioris , non allatis literis declaratoriis , Dispensationem exequeretur , peccaret . Tamburin. *de Sacram. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 9. §. 7. *num.* 6. Clericat. *Theor. Eccles. cap.* 137. *num.* 13. quod satis est , ne literæ declaratoriæ tanquam frustratoriæ habeantur .

Cætera alia , quæ in contrarium ponderabantur, stylum respiciunt Datariæ , & à dicto stylo nonnulli practici Auctores inducti fuerunt ad sustinendam nullitatem matrimonii contracti , prævia Dispensatione super remotiori , non obtentis literis declaratoriis super propinquiori . Porro de hoc stylo loquendo , mirum est , quæ , & qualia dicta sint ab aliis Auctoribus , qui sentiunt pro validitate matrimonii . Tamburinus *de Sacram. lib.* 8. *tract.* 2. *de Dispensat. cap.* 9. §. 7. *sub num.* 9. facta sibi oppositione Brevis Urbani VIII. à Barbosa *loco citato*, relati , inquit , *cum non sit credibile Urbanum VIII. per literas privatas voluisse abrogare dictum generale Decret. S. Pii V. mihi videtur esse putandum in memoratis privatis literis aliquem irrepsisse errorem à ministris commissum* ; Alii per aliam viam procedunt ; Gobatus *quippe in Theolog. Experimentali tract.* 9. *cap.* 22. *in append. pag. mihi* 1003. *num.* 620. *& seqq.* ait expressiones , quæ leguntur in Brevibus , de quibus agitur , non affirmative , sed relative fuisse expositas , quod est idem, ac dicere expressiones non ad Pontificem , sed ad supplicantes esse referendas; & Pater Syrus *Placentinus*, *& Pœnitentiarius Apostolicus in Sacrosancta Basilica Lateranensi in suis adnotationibus manuscriptis ad constitutionem Innocentii Papæ XII. super facultatibus majoris Pœnitentiarii pag. mihi* 737. *num.* 38. inquit , *ad stylum autem Curiæ respondetur*, *ipsum quidem facere jus*, *sed non quando est contra ipsum jus*. *Stylus autem in subjecta materia* , *quod matrimonium sit nullum* , *nisi in Dispensatione exprimatur gradus proximior* , *nec facit jus*, *nec observari potest*, *eo quod adversaretur eidem motui proprio S. Pii V. relato* . *Consequenter neque obtentis literis declaratoriis super eodem gradu*, *inferri debet nullum esse matrimonium*, *si fuerit contractum vigore Dispensationis obtentæ*, *cum tale literæ solum dentur ad evitanda dubia*, *& scandala*, *quæ oriri possunt in Populo* .

At, quicquid sit de hisce responsionibus , & prævia protestatione debiti obsequii erga stylum Datariæ , substineri posse videtur . Primo , quod nonnulla , quæ pro eodem adstruendo deducuntur , non faciunt ad rem . Secundo , quod aliqua concordant cum his, quæ in superioribus dicta sunt . Tertio , quod alia pugnare videntur pro validitate matrimonii . Ultimo , quod nihil in contrarium adducitur , quod directe percutiat controversiam, de qua nunc agitur .

Quod autem nonnulla , quæ afferuntur , non faciant ad rem , patet ; quia ex suffragio in contrarium allegato clar. mem. Cardinalis de Carpineo , non aliud infertur , nisi quod Episcopi habentes facultatem à Sede Apostolica dispensandi in tertio , vel quarto, non possunt dispensare in secundo , vel tertio,

tio, non obstante Bulla S. Pii V. Bulla quippe exigit literas declaratorias, & literæ declaratoriæ à Sede Apostolica sunt impetrandæ, quod utique nec impugnatur, nec impugnari potest.

Quod item aliqua concordent cum his, quæ in superioribus dicta sunt, facile demostratur, & talia sunt omnia documenta, ex quibus eruitur, quod, exhibita Ordinario dispensatione super remotiori, & constito coram eodem de conjunctione etiam in gradu propinquiori, Pontifices dixerunt dispensationem non fuisse subreptitiam, & sic Oratores esse dispensandos, ut matrimonium contrahere possent, servata forma Concilii, prævia tamen declaratione, eisdem non obstare conjunctionem in gradu propinquiori; quid enim quæso ex hisce documentis argui valet, nisi quod, constito ante matrimonium de conjunctione in gradu propinquiori, expediendæ sint literæ declaratoriæ, si non fuerunt una cum dispensatione expeditæ, quod utique admittitur, & est admittendum.

Rursus, quod aliqua pugnent pro validitate matrimonii, ponitur in claris; plura etenim, & plura, tam antiqua quam moderna à Dataria allata sunt exempla, in quibus, post contractum matrimonium, prævia dispensatione super remotiori, reticito propinquiori, non fuit Oratoribus demandatum, ut matrimonium inter se publice servata forma Concilii de novo contraherent, vel saltem, quod consensum renovarent, sed tantum *quod in matrimonio sic contracto libere, & licite remanere possent*: probant etenim hæc documenta matrimonium fuisse habitum pro illicito, sed non pro invalido; si etenim invalidum fuisset, novus consensus fuisset necessarius, & fuisset præscriptus, sive ambo contrahentes ignorassent conjunctionem in propinquiori gradu, sive alter ignorasset, & alter sciviſſet, uti late probat Claudius la Croix *in Theol. moral. tom. 2. lib. 2. part. 3. num. 12. & seqq. pag. mihi* 442.

Absque eo quod quicquam referat responsio ingenioſe de more in discursu pro Dataria excitata, quod renovatio consensus non requiritur in dispensationibus, quæ fiunt in radice matrimonii; Scio quippe Summum Pontificem posse dispensare in radice matrimonii, & revocare impedimentum dirimens matrimonium, & simul, & semel abrogare legem Ecclesiasticam, quæ dictum statui impedimentum, faciendo, ut dispensatio retrotrahatur ad initium matrimonii, & sic, quod proles quoad omnes effectus legitima sit, & habeatur, juxta late deducta *in decis.* 1121. *coram Seraphino*, *in decis.* 19. *coram Ludovisio*, *in decis.* 174. *post secundum volumen consiliorum* Farinac. Scio quoque controversum esse inter Doctores, an in hac dispensatione super radice matrimonii novus requiratur consensus, uti videri potest *apud* Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disput.* 8. *num.* 25. & veriorem esse opinionem, quod nulla consensus renovatio in hisce circumstantiis sit necessaria, uti late probat Rota *decis.* 455. *num.* 11. *part. prima recent.* At punctus est, an in relatis exemplis dici queat Summum Pontificem dispensasse in radice matrimonii; dispensatio hæc quippe prodest filiis natis, quoad omnes effectus spirituales, & quoad omnes effectus civiles directe in terris temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis, & indirecte in reliquo terrarum orbe, juxta celebre responsum *Innocentii III. in cap. per venerabilem*, *qui filii sint legitimi*; cumque certum sit Dispensationes has, nonnisi urgentibus gravissimis causis, & quidem raro, concedi consuevisse à Summis Pontificibus. Barbosa *vot. decis.* 27. *num.* 31. *lib.* 2. Diana *in edit. Coord. tom.* 3. *tract. primo*, *resol.* 87. *num.* 6. sicuti imperceptibile est, quod in tot exemplis relatis, in quibus non fuit præscripta renovatio consensus, nec adhibitæ fuerunt formulæ, adhibentur in Dispensationibus in radice matrimonii, voluerint in dicta radice Pontifices dispensare; sic clarum est ipsos nihil aliud facere voluisse, quam dispensare in matrimonio contracto, prævia dispensatione super remotiori; & non obtentis literis declaratoriis super propinquiori, exclusaque renovatione consensus indicare voluisse, matrimonium fuisse illicite, sed non invalide contractum.

Denique quod nihil in contrarium adducatur directe percutiens controversiam, de qua nunc agitur, clarissime dignoscitur; in omnibus quippe exemplis, in quibus Summi Pontifices absolverunt à pœnis incestus, prolem legitimam declararunt, & præscripserunt consensus renovationem, servata forma Concilii, Oratores supplicabant pro Dispensatione, & sic se promptos ostendebant ad permanendum in matrimonio, ita ut mirum non sit, si supplicantibus iisdem pro absolutione à censuris, pro legitimatione prolis, Summi Pontifices petitis ad abundantiam indulgendo, & absolverint à Censuris, & prolem legitimam declaraverint, & renovationem consensus præscripserint. At ab his argumentum deduci non potest ad declarationem nullitatis matrimonii; ad hunc etenim effectum ostendendum esset, quod contrahentibus à matrimonio recedere volentibus, & libertatem transeundi ad alia vota postulantibus, Sedes Apostolica facultatem concessisset; cumque tale documentum non afferatur, sequitur non doceri de documento, quod faciat ad rem, & directe percutiat controversiam, de qua nunc agitur.

Exemplum esse potest in Dispensationibus, quæ petentibus indulgentur ad cautelam, vel super Irregularitatibus, vel super Censuris; quemadmodum enim ab hisce Dispensationibus non valet argumentum ad incursum in irregularitatem, vel in censuram, etiam in casu consimili, & vallato omnibus circumstantiis, quæ adfuerunt in casibus, in quibus dictæ Dispensationes concessæ sunt, quando formiter est disputandum, an fuerit incursa irregularitas, vel censura, sic à verbis Summorum Pontificum nullitatem matrimonii supponentibus in hypothesi, in qua Oratores supplicabant, & prompti erant ad permanendum in matrimonio, non valet illatio ad positivam matrimonii nullitatem, quando formaliter super eadem quæstio instituitur.

Atque hæc dicta sint sub censura &c. Salvo semper &c.

Propositis itaque in Sac. Congregatione Concilii sub die 28. *Martii* 1722. sequentibus dubiis. 1. *An constet de nullitate matrimonii, & quatenus Affirmative.* 2. *An Princeps Joannes Sapica factus sit inhabilis ad contrahendum matrimonium cum aliis mulieribus in casu &c.* Responsum fuit. *Ad* 1. *negative & Episcopus mandet, quod Conjuges continuent in separatione, donec obtinuerint literas declaratorias. Ad* 2. *provisum in primo.*

Scripsit in hac Causa D. Advocatus Ursaya, ut in *tom.* 4. *part.* 2. *discept.* 19. ubi post *num.* 187. §. 2. habetur impressus suprascriptus discursus Illustriss. & Reverendiss. D. Lambertini Secretarii.

ARGUMEMTUM.

An, & quando Summus Pontifex dispensare possit in radice matrimonii, abrogando legem Ecclesiasticam, quæ statuit impedimentum dirimens, puta defectum Parochi, & faciendo, ut dispensatio retrotrahatur, & sic, quod Proles legitima sit quoad omnes effectus, etiam civiles directe, vel indirecte. In comprobationem eorum, quæ pertractata fuerunt à D. Justi lib. 1. cap. 7. num. 269. & seqq.

CASUS XXVIII.

PRAGEN. MATRIMONII.

CAusa hæc bis fuit proposita, die videlicet 13. *Junii* 1720. & tunc nulla fuit capta resolutio; sed dictum, quod coadjuvarentur probationes, juxta instructionem; & *die* 16. *Januarii* 1723. & tunc negative fuit responsum; cumque nova audientia fuerit impetrata, & hodie disputari contingat *an sit standum, vel recedendum a decisis*: satis esset remissive se habere ad folia prædictarum Congregationum. Sed cum nonnulli EE. PP. post dictum tempus fuerint huic Sac. Congregationi adscripti, & folia prædictarum

ctarum Congregationum difficile esset invenire, & ad eos transmittere, hinc est, quod opportunum existimavi paucis exponere ea omnia, quæ fuse in allegatis foliis fuerunt enarrata.

Guillelmus Jaroslaus Graisfelfens de Pilsemburgh, Baro, seu Dominus loci Tman san. mem. Clementi Papæ XI. supplicavit pro Apostolica Dispensatione, quæ dicitur *in radice matrimonii*, ad effectum legitimandi tres Filios tunc superstites, Joannem, Carolum, & Rodulphum, quos genuit ex quadam Ludmilla honesta puella, cum qua ante annos 40. dicebat se matrimonium contraxisse, non tamen coram Parocho, ex quo tunc in loco Tman nullus aderat Parochus, & Missæ Sacrificium celebrabatur à Sacerdotibus extraneis fortuito ad dictum locum advenientibus; sed coram quodam Sacerdote absque tamen fraude, & intercedente bona fide, cum sibi supposítum fuisset matrimonium validum esse futurum, quia ad se tamquam loci Dominum pertinebat jus Parochum præsentandi, & ne sibi obiici posset, vel causam deesse pro hac insigni gratia obtinenda; vel non concurrere ea, quæ ad dictum effectum sunt necessaria, Leges attulit Regni Bohemiæ, juxta quas recedendo à dispositione *Textus in cap. tanta, qui filii sint legitimi*, legitimati per subsequens matrimonium arcentur à possessione, & hæreditate bonorum in dicto Regno sitorum, itaut si Dispensationem non obtineret *in radice matrimonii*, sua bona absque dubio, exclusis propriis filiis, essent ad extraneos deferenda; iidemque filii, licet inter Nobiles, & legitimos usque tunc habiti, jurgiis, & inimicitiis remansuri essent obnoxii, si iidem deprehenderentur illegitimi, & ignobiles, & multo magis, cum alter eorum matrimonium contraxisset cum fœmina nobili genere procreata, à qua etiam liberos habuerat; idemque tandem Guillelmus concluſit non esse dubitandum de necessariis requisitis pro dicta Dispensatione obtinenda, cum requisita consistant in magna, & urgenti causa, qualem ait esse eam, quæ modo exposita est, item in eo, quod Proles susceptа fuerit non ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative matrimoniali, qualem inquit fuisse illam, quam habuit cum Ludmilla, cum qua matrimonium modo prædicto contraxit, & demum in eo, quod matrimonium, ex quo Proles legitimanda orta est, non fuerit nullum propter impedimentum juris divini, vel naturalis, sed tantum propter impedimentum legis Ecclesiasticæ, quale est; impedimentum descendens ex defectu Parochi, uti prædicta requisita recensendo prosequuntur *Doctores in Cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi* in præcedenti folio allegati, nempe Joannes Andreas *ibid. num.* 26. Abbas *num.* 22. Alexander de Nevo *num.* 18. Gonzales *num.* 23. Barbos. *num.* 6. Pirhing. *§.* 6. *num.* 42. *& seqq.* Anaclet. Reiffenst. §. 2. *num.* 51. Navar. *cons.* 2. *lib.* 4. *eod. tit.* Barbos. *vot. dec.* 27. *per tot. lib.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 7. *num.* 4. *& seqq.* Castill. *tom.* 5. *controv. cap.* 105. *num.* 28. Dian. *coord. tom.* 3. *tract.* 1. *resolut.* 87. *per tot.* Peregrin. *de fideicom. art.* 24. *num.* 76. *& seqq.* Corrad. *in prax. dispens. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 46. *& seqq.* De Justis *de Dispensat. matrim. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 284. *& seqq.* fuit perpetua opinio Rotæ, uti habetur *in decis. impressis* apud Garziam *de Beneficiis part.* 7. *cap.* 2. *num.* 40. *& seqq. decis.* 1121. coram Seraphino, *decis.* 462. *lib.* 2. *in correctis* coram Puteo, *decis.* 19. *per totam* coram Ludovisio, *decis.* 174. *post secundum volumen consiliorum* Farinac. *& plenissime in decis.* 455. *par.* 1. *& decis.* 687. *par.* 2. *rec.* & juxta communem sententiam, dispensatio hæc in radice matrimonii legitimatos per indirectum efficit capaces successionum, etiam in Terris nullatenus in temporalibus Romanæ Sedi subjectis; in Dispensatione quippe mox memorata abrogatur lex Ecclesiastica, quæ impedimentum induxit, & eadem retrotrahitur ad initium matrimonii, cum Papa valeat legem Ecclesiasticam irritare, & revocare, non tantum quoad imposterum secuturos effectus, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea secutos juxta *Textum in Clementina Quoniam de Immunitate Ecclesiarum*.

Preces hæ Guillelmi fuerunt à Summo Pontifice ad hanc Sac. Congregationem remissæ, cumque juxta morem datis pro informatione literis ad Archiepiscopum Pragensem, hic respondisset nullum de facto matrimonium fuisse à Guillelmo coram Sacerdote contractum, cum nec ejus nomen patefaciat, nec Testes, qui matrimonio interfuerunt, & Ludmillam semper habitam fuisse pro concubina, ita ut factæ fuerint monitiones pro ea dimittenda, aut in uxorem ducenda, non destiterunt defensores Guillelmi prædictam informationem impugnare, utpote suo Principali inaudito exaratam, afferendo Testes deponentes de Parochi deficientia in loco Tman tempore contracti matrimonii, solemnia producendo juramenta, tam Guillelmi, quam Ludmillæ de re, uti exponebatur, secuta; deducendo attestationes de publica voce, & fama circa creditum ab omnibus filiorum legitimitatem, sed instantia proposita in Sacr. Congregat. *habita die* 13. *Junii* 1720. nulla fuit capta resolutio, sed dictum, *quod probationes coadjuvarentur juxta instructionem*.

Ad tramites hujus rescripti instructio fuit composita, & parti consignata, cumque juxta eam examinandi essent formiter Testes deponentes, quod filii semper habiti fuerint pro legitimis, & alter ex eis matrimonium contraxerit cum Nobili muliere, & quod per Testes formiter examinandos, vel per alia legitima documenta coadjuvarentur probationes de matrimonio contracto coram Sacerdote, & quod demum Guillelmus, & Ludmilla se tanquam veros Conjuges tractaverint, & uti tales habiti fuerint, factum fuit Testium examen, exhibita fuit epistola Judicis Delegati, exhibitum est etiam repetitum juramentum Guillelmi jam decrepiti, & morti proximi, sed proposito in Sac. Congregatione *habita die* 16. *Januarii* 1723. dubio, *an sit Sanctissimo consilium præstandum pro concessione Dispensationis in radice matrimonii in casu &c.* responsum fuit *negative*.

Occasione secundæ propositionis hujus instantiæ fuit ab altero ex EE. PP. insinuatum non parum esse petitioni profuturum, si notitia haberi posset de Genere vitæ Guillelmi, & Ludmillæ, de frequentia Sacramentorum, cum imperceptibile videatur, quod iidem christiane vixerint, & Sacramenta frequentaverint, & inter eos non præcesserit matrimonium putative validum; concessaque nova audientia, cum novæ probationes advenerint de laudabili vita Guillelmi, & Ludmillæ, de Sacramentorum frequentia, de communi fama Conjugii inter eosdem initi, quodque notabilius est, cum Guillelmus, qui hoc interim vitam cum morte commutavit, nedum in Testamento filios scripserit hæredes, & eos asseruerit legitime procreatos, ex quo ante quadraginta annos cum Ludmilla matrimonium contraxit coram Sacerdote in Ecclesia loci Tman, æternam sibi imprecando damnationem, si aliter res se habeat, sed ulterius post peractam Confessionem Sacramentalem, & paucis ante obitum horis, coram Parocho, & aliis probatis Testibus adstantibus, & matrimonium bona fide cum Ludmilla coram Sacerdote contractum, & tempus initi matrimonii, *ante videlicet annos* 40. solemniter repetierit, uti Parochus, aliique Testes deponunt, quod si aliter esset, *sua Anima salutem consequi non deberet*; instantia reproponitur, dispensatio etenim in radice matrimonii conceditur etiam post mortem alterius ex Conjugibus uti late probat Barbos. *voto* 27. *num.* 15. *lib.* 2. *& firmavit* Rota *decis.* 455. *num.* 11. *part.* 1. *rec.* onusque idcirco erit EE. VV. decernere.

At sit standum, vel recedendum à decisis 16. *Januarii* 1723. *in casu &c.* -- Die 18. Septembris 1723. rescriptum fuit per Sac. Congreg. Concilii *Prævio recessu à decisis, consulendum Sanctiss. pro Dispensatione in radice matrimonii*.

ARGUMENTUM.

An Vitricus absque ullo impedimento vel affinitatis, vel publicæ honestatis, ducere possit in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui. Cohærenter ad ea, quæ tradidit. D. Just. lib. 2. cap. 7.

CASUS XXIX.

BOJANEN. MATRIMONII.

CUm Dominicus Marzillus de Terra Cantalupi Diœcesis Bojanen. intenderet contrahere matrimonium cum Samaritana, quæ fuit uxor Marci Antonii sui Privigni jam defuncti, Episcopus operæ pretium esse censuit Sacram hanc Congregationem consulere, an dictum matrimonium valide, & licite contrahi posset. Cumque proposita fuisset hæc instantia die 8. Julii 1720. nulla fuit capta resolutio, sed dictum est, quod scriberent Theologi.

Quatuor Theologi scripserunt, & eorum suffragia, una cum nonnullis meis adnotationibus fuerunt impressa in folio Congregationis habitæ die 3. Augusti 1720. quod ab EE. VV. poterit de more reassumi, Cumque in Congregatione habita prædicta die fuisset hæc eadem causa iterum proposita, nulla pariter fuit capta resolutio, sed rescriptum esset *ad mentem*; & mens fuit, quod per literas admoneretur Episcopus Bojanensis, ut videret, an dum res adhuc est in fieri, cum simus in matrimonio non contracto, sed contrahendo, Dominicum, & Samaritanam suasionibus à contrahendo matrimonio avertere posset.

In executionem hujus rescripti datæ fuerunt literæ ad dictum Episcopum, qui respondit se omnem operam, sed incassum navasse, tum quia, licet matrimonium non sit contractum, sponsalia tamen jam præcesserunt; Tum quia inter Dominicum, & Samaritanam post sponsalia intercessit diuturna conversatio, & consequenter aliqualis diffamatio, itaut præscindendo ab hoc matrimonio, Samaritana remaneret innupta. Et tandem quia lis est pendens in magna Curia Vicariæ, à qua si Dominicus caderet, mendicare cogeretur, quæque suspensa remansit post contracta sponsalia, & sub spe futuri inter litigantes matrimonii.

Pro adæquata hujusce causæ resolutione, cum in præterita Congregatione habita die 3. Augusti 1720. nonnulla ab Eminentiss. Dominis fuerint accurate de more perpensa, necessarium existimavi ad calcem hujus folii ea inserere, una cum nonnullis auctoritatibus, quæ in hoc non ita obvio articulo, non sine labore, fuerunt à me perquisitæ, & inventæ, quibus perlectis, & ponderatis ponderandis, onus erit EE. VV. decernere -- *An matrimonium contrahi possit inter Dominicum, & Samaritanam in casu &c.*

VOTUM

P. JOSEPHI DE ALFARO

E' Soc. Jesu, Theologi S. Pœnitentiariæ.

OBtemperando humiliter, ac reverenter, ut par est, Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Vestræ Dominationis mandato. Breviter dico; in casu proposito probabilius, & absolute verum mihi videri, quod Vitricus nullo modo possit ducere in Uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui, jam defuncti. Moveor unice, quia communior, seu potius communissima sententia Canonistarum, & Theologorum, quos late refert Sanchez *libr. 7. de matrim. disp. 66. numer. 6.* tenet affinitatem ex matrimonio, & copula conjugali contractam, inspecto etiam solo jure naturæ, dirimere matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ut inter Vitricum & Privignam, Novercam & Privignum, Socerum, & Nurum, Socrum, & Generum. Hanc sententiam post Thomam Sanchez, qui cum aliis paucis contrarium sentit, probabiliorem esse confirmat Pater Layman. *lib. 5. tractat. 10. part. 4. cap. 6. à numer. 5.* & magis adhuc efficaciter probat Coninck *disputat. 32. de impedimento triplicis cognationis affinitatis, & publicæ honestatis dub. 4. numer. 52. & 53.* Quamvis enim matrimonium cum affini in primo gradu contineat aliquam indecentiam, quæ in linea transversa non videtur ita gravis, cum Viri Sancti, & in scriptura laudati talia matrimonia contraxerint, ut patet Jacob Patriarcha, ducente duas sorores. In linea tamen recta hæc indecentia est valde gravis. Unde omnes gentes bene instituræ talia matrimonia, tanquam gravissima scelera semper sunt valde detestatæ, ut patet *ex 1. ad Corinth. 5.* ubi dicitur *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris sui quis habet.* Nec satisfacit, quod aliqui dicunt, eum loqui de uxore Patris adhuc viventis; quia Apostolus hoc peccatum non tam exaggerat in ratione injuriæ, quæ Patri fiebat, quam in ratione extraordinariæ fornicationis, ac libidinis. Id ipsum pluribus aliis scripturæ locis, & Textibus ex jure civili allatis efficaciter confirmat, & tandem concludit, quod cum talia matrimonia contineant gravissimam indecentiam contra jus naturæ, & fere similem ei, quam continent matrimonium Patris cum filia, (nam eadem fere hac in re debetur reverentia Novercæ, & matri, cum illa sit facta una caro cum Patre; unde illius turpitudo *Levit. 18.* dicitur turpitudo Patris) omnino videtur incredibile, authorem naturæ concessisse Homini facultatem, ut posset valide tale matrimonium inire, cum hactenus nullus acciderit casus, nec umquam futurus sit, in quo sit tanta necessitas talis matrimonii ineundi, ut hoc honeste fieri possit. Unde sequitur, id nunquam valide factum esse; & sine speciali Dei concessione valide fieri non posse. Post hæc vero ad argumenta in contrarium allata plene, & adæquate satisfacit *à num. 55.* Atque ita demum ego pariter censeo, matrimonium Vitrici, cum uxore sui Privigni jure naturæ irritum esse. Salvo meliori &c.

VOTUM

P. ALOYSII SPARAVERII

Theologi Soc. Jesu

ANtiquitus triplex erat affinitatis genus. Primum erat inter Personam copula licita, vel illicita cognitam, & consanguineos cognoscentis: & è contra, inter Personam cognoscentem, & consanguineos cognitæ. Alterum erat inter verum affinem, & maritum, seu uxorem sui affinis. Tertium erat inter affinem secundo genere, & maritum, seu uxorem sui veri affinis. Hæc tria affinitatis genera olim dirimebant matrimonium; at hodie solo primo affinitatis genere matrimonium dirimitur; sic enim statutum est in Concilio generali Lateranensi, & habetur *in cap. Non debet de consang. & Affinit. ita* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 67. num. 1. & 2.* Filiucc. *tract. 10. part. 2. cap. 6. num. 211. & 212.*

Jam vero Vitricus affinitatem primi generis habet cum Privigno suo, utpote consanguineo uxoris suæ. At cum uxore Privigni sui habet solum affinitatem secundi generis, cum illa uxor Privigni sui non sit consanguinea uxoris suæ, sed solum affinis, nempe Nurus. Ergo cum uxore Privigni sui habet affinitatem, qua non dirimitur ipsius matrimonium cum eadem.

Similis casus est, si Cajus duxerit Bertham, Bertha vero fratrem habeat Cæsarem, qui duxerit Catharinam, Siquidem mortuis Bertha, & Cæsare, potest Cajus ducere Catharinam; Ita Sanch. *l. c. n. 2.* Bonac. *de imped. matr. q. 3. punct. 12. n. 4.* Tamb. *juris Eccl. l. 8. de matr. c. 12. §. 1. n. 6.* Ratio est eadem: quia Cajus

cum Catharina habet solum affinitatem secundi generis: eo quod non sit consanguinea Bertha, sed solum affinis, nempe fratria. Uno verbo, regula ex his est, quod affinitas non parit affinitatem, nimirum veram, & per se, quæ matrimonio impedimentum præstet. Affinitas igitur, quæ est inter Vitricum, & Privignum suum, non parit affinitatem inter eundem Vitricum, & uxorem Privigni sui; nec dirimit proinde, aut impedit ullo jure matrimonium contrahi inter Vitricum, & uxorem Privigni sui.

Eadem ratio valet circa justitiam publicæ honestatis; hæc enim utpote quasi affinitas, vel affinitatis initium, non est, nisi inter sponsum, & consanguineos sponsæ; & è contra inter sponsam, & consanguineos sponsi. Dirimit autem matrimonium cum consanguineis in primo solum gradu, vel usque ad quartum gradum inclusive, prout fuerunt sponsalia de futuro, vel de præsenti. Inter Vitricum ergo, & uxorem Privigni sui nullum habet locum justitia publicæ honestatis, quia illa uxor cum sponsa Vitrici nullam habet consanguinitatem. Ita salvo meliori &c.

VOTUM

F. ANTONII BARDON

Ordinis Prædicatorum Doctoris Theologi, & Cathedratici Casanatensis.

APud bene multos, quos consului Casuum Arbitros, altum est silentium de morali specie, quæ ventilatur, num scilicet Vitricus absque ullo impedimento affinitatis, vel publicæ honestatis, ducere possit in uxorem eam, quæ fuit Conjux Privigni sui jam defuncti, quocirca nec disertos Canones, nec luculenta Scriptorum testimonia huc facientia in præsentiarum afferre possum; pono tamen principia, quibus mea quidem sententia nullo negotio dissolvitur moralis quæstio, quæ agitatur. Salvo meliori judicio, plane censeo Vitricum, citra ullum impedimentum, vel publicæ honestatis, vel affinitatis, matrimonio sibi posse copulare eam, quæ fuit uxor Privigni sui jam mortui.

Honestas publica est propinquitas orta, aut ex sponsalibus validis, dirimitque matrimonium cum consanguineis sponsi, ac sponsæ in primo gradu tantum, juxta *Concil. Trid. sess.* 24. *capit.* 3. *de reform. matrim.* Aut ex matrimonio rato, sed non consummato, tuncque ex S. Pii Papæ V. Decreto, quod incipit *Ad Romanum*, extenditur ad quartum gradum inclusive, uti jam ante Synodum Tridentinam protendebatur. Uxor porro superstes Privigni jam defuncti consanguinea non est nec Vitrici, nec ipsiusmet Privigni, ut supponitur: honestatis igitur publicæ impedimentum præsenti in casu minime potest locum habere.

Affinitas definitur, propinquitas procedens ex carnali copula, omni parentela carens. Titius v. g. duxit uxorem Bertham, vel eam illicite cognovit: ex tali matrimonio, seu copula nefaria, cum consanguineis Bertæ affinitatem contraxit, etiamsi alias consanguineus non esset; si vero consanguineus erat, duplex impedimentum cum consanguineis uxoris habebit, unum consanguinitatis ex parte sua, alterum affinitatis ex parte uxoris, quod ad impetrandas Dispensationes diligentissime animadvertendum est. Si affinitas sit ex copula licita, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum; si autem ex illicita, dirimit intra primum, & secundum tantum. Porro circa impedimentum affinitatis, adnotanda sunt hæc duo axiomata. Unum: quo gradu aliquis viro consanguineus est, eodem gradu est affinis ejus uxori, & viceversa. Alterum: affinitas affinitatem minime parit; unde affinis Petro non est affinis Joanni illius Fratri: hincque fit, ut duo Fratres ducere possint in uxores citra dispensationem Sorores. In casu autem, de quo lis movetur, Privignus quidem affinis est Vitrico propter matris suæ nuptias cum eo initas; at Privigni uxor nullam incurrit affinitatem cum mariti sui Vitrico; affinitas quippe, ut dictum est modo, non parit aliam affinitatem.

Id totum in consimilibus tradit doctissimus noster Sylvester Prieras *in Summo verb. matrimonium §.* 8. *num.* 15. *sub fin.* ubi hæc habet -- *Si mortua uxore, vult quis accipere in uxorem illam, quæ quondam fuit uxor alicujus de consanguinitate primæ uxoris, hoc potest; quia licet nullam fœminam de consanguinitate primæ uxoris possit accipere, quia ibi est affinitas; tamen fœminam olim uxorem alicui de ipsa consanguinitate bene potest accipere; & idem dicendum est si ponatur similis casus ex parte uxoris, quia, mortuo viro, licet non possit accipere aliquem virum de consanguinitate primi, potest tamen accipere virum olim maritum alicujus fœminæ de ipsa consanguinitate, quia ibi non est affinitas primi, sed secundi generis. Similiter si Petrus habuit successive duas uxores Bertam, & Mariam, ex quarum prima, ideſt Berta, genuit Margaritam filiam, quæ nupsit Martino; mortuo Petro, & Berta, & Margarita, Martinus potest in uxorem accipere Mariam secundam uxorem Petri, secundum prædicta, quia, licet Martinus accipere non possit aliquam de consanguinitate suæ uxoris usque ad quartum gradum; fœminam tamen olim uxorem alicujus de ipsa consanguinitate bene potest accipere, ut est hic; & sic est Casus, in quo Gener accipere potest eam, quæ fuit uxor Soceri sui. Si etiam mortua uxore mea volo accipere relictam viri, qui fuit Germanus meæ uxoris, hæc possum. Similiter posset quis accipere Cognatam uxoris suæ defunctæ, quid si fuit Cognata, ideſt uxor fratris uxoris, est in secundo genere affinitatis &c.* Hactenus Prieras &c. Ita sentio, salvo meliori judicio.

VOTUM

F. DOMINICI PONTII

Ordinis Prædicatorum Sacr. Theolog. Magistri.

AN Vitricus absque ullo impedimento, vel affinitatis, vel publicæ honestatis ducere possit in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui.

Respondeo affirmative: quia tali matrimonio neutrum obstat impedimentum.

Non obstat in primis affinitas; quia Vitricus, & Privigni uxor sunt affines dumtaxat in secundo genere affinitatis: quamvis autem antiquitus tria fuerint genera affinitatis, quæ matrimonium impediebant; ut habetur 35. *quæst.* 2. *&* 3. Tamen per Concilium Lateranense sub Innocentio III. impedimentum proveniens ex secundo, & tertio genere penitus sublatum est ut legitur *Can. non debet de cons. & affinitat. his verbis, Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana: præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcat ..... Cum ergo prohibitiones de Conjugio in secundo, & tertio affinitatis genere minime contrahendo ....., & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, cum, cessante prohibitione, cesset effectus, Constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, præsenti Constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero libere copulentur.* Hæc ibi.

Deinde non obstat publica honestas: Hoc enim ipso, quod ex vi præfatæ Constitutionis Innocentii III. sublatum est impedimentum affinitatis in secundo, & tertio genere, sublatum quoque creditur impedimentum publicæ honestatis, ut bene notat *Glossa in d. Can. Non debet.* Quia ubi publica honestas simul incidit in eundem casum cum secundo, vel tertio genere affinitatis, uno sublato, tollitur & aliud per hanc Constitutionem.

Quinimmo, sublato impedimento affinitatis, à fortiori censendum est sublatum impedimentum publicæ honestatis. Quia secundum, & tertium genus affinitatis

tatis prohibitum erat potius propter publicam honestatem, quam propter affinitatem. Cum igitur Innocentius III. per prædictam Constitutionem decreverit, quod affines in secundo, & tertio genere possint libere copulari, implicite declaravit, quod publica honestas, quæ fuerat potior causa, & ratio prohibendi matrimonium inter tales affines, non obstet eidem matrimonio. Quando namque tollitur prohibitio, implicite declaratur quod causa, & ratio, seu motivum prohibitionis non amplius subsistat.

Doctrina hæc per extensum traditur à Divo Thoma *in* 4. *sent. dist.* 41. *q.* 1. *art.* 1. *quæst.* 5. & habetur in supplemento 3. *part. quæst.* 55. *art.* 5. *in corpore* his verbis.

Persona quæ matrimonialiter affini conjungitur, non est affinis, sed est aliud genus attinentiæ, quod dicitur secundum genus; & rursus si affini in secundo genere aliquis per matrimonium conjungatur, non erit affinis in secundo genere, sed in tertio, ut hoc versu ostenditur. Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Et hæc duo genera olim erant prohibita propter publicæ honestatis justitiam magis, quam propter affinitatem, quia deficiunt à vera affinitate .... sed modo illa prohibitio cessavit, & remanet sub prohibitione solum primum genus affinitatis.

His verbis docet D. Thomas, quod secundum, & tertium genus affinitatis erat olim prohibitum propter publicæ honestatis justitiam magis, quam propter affinitatem. Cum igitur ex Constitutione Innocentii III. jam sit licitum matrimonium inter affines secundi, & tertii generis; aperte colligitur, quod non amplius obstat publica honestas, propter quam magis, quam propter affinitatem fuerat prohibitum matrimonium inter tales affines.

Hinc sequitur, quod cum Vitricus sit affinis uxori Privigni sui solum in secundo genere, potest licite contrahere matrimonium cum illa, quin obstet publica honestas.

Nec refert, quod uxor Privigni habeatur tamquam nurus vitrici, adeoque reputanda sit tanquam filia 35. *quæst.* 2. & 3. *Can. Si vir*, & uxor non jam duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus reputanda, quam filia. Et quod Vitricus se habeat loco Patris, adeoque eadem, quæ Parentibus debetur, his personis, quæ loco Parentum sunt, exhibenda sit reverentia. *l. Quia parentis* 16. *ff. soluto matrimonio.*

Non, inquam, refert, quia, ut ait Gonzales *lib.* 4. *Decret. tit.* 14. *de cons. & affinit.* Talis reverentia non habet eandem vim, ac ea, quam filii tenentur exhibere Parentibus, ac proinde cum ad similitudinem detur, non potest illa reverentia similitudinaria irritare, aut impedire matrimonium.

Quicquid autem de jure civili sit, standum est juri Canonico in his, quæ spectant ad propositum casum; quare licet uxor Privigni vulgo dicatur nurus, & habeatur, ut filia; revera tamen est affinis Vitrico, dumtaxat in secundo genere, ac proinde potest licitum illi copulari. Quemadmodum filius Vitrici potest copulari filiæ novercæ, quamvis filius Vitrici vulgo dicatur frater filiæ novercæ, ut habetur *Can. Quod super his de cons. & affinit.* Ita censeo, salvo meliori &c.

ADNOTATIONES

Illustrissimi, & Reverendissimi

D. Prosperi de Lambertinis

Sac. Congreg. Concilii Secretarii ex jure desumptæ circa quæstionem propositam -- An Vitricus absque ullo impedimento, vel affinitatis, vel publicæ honestatis, ducere possit in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui.

VIdetur, quod Vitricus ducere non possit in uxorem, eam, quæ fuit uxor Privigni sui, *Textus* enim est clarus *in l. uxorem* 15. *ff. de ritu nuptiarum*, ibi -- *uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet*. Textus autem hic non videtur contemnendus, nedum quia est insertus in corpore juris civilis, sed etiam quia Authorem habet Papinianum, de quo Imperatores Theodosius, & Valentinianus *in l. prima de responsis prudentum in C. Theodosiano* hæc habent -- *Ubi diversæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat Auctorum, vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentiis ingenii vir Papinianus emineat.*

Secundo quia si quid favere posset matrimonio inter Vitricum, & uxorem Privigni est *Textus in cap. Non debet de cons. & affinit.* in quo prohibitio nuptiarum coarctatur ad primum genus affinitatis, sublato in totum impedimento, quod olim vigebat secundi, & tertii generis affinitatis.

At Textus hic non applicatur, vel quia uxor Privigni non videtur esse in secundo affinitatis genere cum Vitrico, sed in primo, ex quo videlicet uxor Privigni non est affinis Privigno, sed Privignus, & ejus uxor sunt causa affinitatis; ut habetur in notis ad Arborem affinitatis, impressum apud Gratian. *in suo Decreto causa* 35. *quæst.* 5. ibi, -- *inter virum, & mulierem non contrahitur affinitas, sed ipsi sunt affinitatis causa.*

Aut quia dato, quod uxor Privigni sit in secundo genere affinitatis erga Vitricum, & quod *Textus in cap. Non debet de cons. & affinit.* secundum genus sublulerit affinitatis, quærendum adhuc remanet, an secundum genus affinitatis fuerit à Jure Canonico sublatum in linea tantum collateralium, vel an etiam in linea ascendentium, & descendentium; cumque hoc ultimum non fuerit decisum *in allegato cap. Non debet de cons. & affinit.* permanere debet in suo robore dispositio juris civilis *in allegata l. uxorem ff. de ritu nuptiarum*, ut in puncto argumentantur Joannes Oinotomus *ad lib. primum Instit. tit. de nuptiis de arbore affinitatis numer.* 14. *pag. mihi* 45. ubi proposita quæstione, an Vitricus accipere possit in uxorem, eam, quæ fuit uxor Privigni sui, inquit de Jure Canonico videtur dicendum, quod sic, quia est in secundo genere affinitatis, quod hodie matrimonium non impedit, *cap. Non debet de cons. & affinitat.* Contrarium tamen expresse disponitur de jure civili in *l. uxorem de riptu nuptiarum, ubi dicitur uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet &c. nec obstat dictum cap. non debet, quia illud tantum de collateralibus consanguineis, & affinibus loquitur, non autem de ascendentibus, & descendentibus consanguineis, & affinibus; & jura juribus sunt concordanda, ut vitetur jurium correctio.*

Haud urgente, quod de matrimoniis est agendum, non ad tramites juris civilis, sed ad tramites Juris Canonici; Propositio quippe vera est in hypothesi, in qua jus Canonicum adversetur juri civili; secus autem, quando aliquid clarum est de jure civili, & non reperitur correctum à Jure Canonico, & exemplum desumi potest ab ipso *capit. Non debet de cons. & affinitat.* Prohibetur in hoc Textu matrimonium usque ad quartum tantummodo gradum. Quæritur à Doctoribus, an prohibitio usque ad quartum gradum intelligatur de collateralibus, vel an etiam se extendat ad ascendentes, & descendentes, itaut sicuti in collateralibus valet matrimonium ultra quartum gradum, idem etiam dicendum sit de matrimonio inter ascendentes, & descendentes, cumque huic quæstioni negative respondeatur, validum scilicet non esse matrimonium inter ascendentes, & descendentes ultra quartum gradum, sed prohibitionem in hac linea extendi in infinitum, ex quo videlicet sic statutum fuit à jure civili in *l. nuptiæ ff. de ritu nuptiarum*, & dispositio juris civilis non fuit à jure Canonico correcta in *cap. Non debet de consang. & affinitat.* quod sine distinctione lineæ collateralium, & lineæ ascendentium & descendentium matrimonium prohibet usque ad quartum gradum inclusive, uti bene argumentatur

Abbas *in sæpe citato capit. Non debet sub numer.* 8. ibi, -- *Cum Textus juris civilis indistincte prohibeat matrimonium inter ascendentes & descendentes in infinitum &c. & cum jus civile non reperiatur expresse correctum, & sit fundatum super honestate maxima, non debemus per generalem dispositionem Canonicam dicere contrarium*, -- Signum evidens hoc est, non esse matrimonii controversias resolvendas ad tramites juris civilis, quando jus civile est correctum à jure Canonico; secus autem quando aliquid est clarum de jure Civili, & non est expresse correctum à jure Canonico.

Tertio quia, quatenus impedimentum affinitatis non obstaret matrimonio inter Vitricum, & uxorem Privigni, semper tamen eidem obstaret impedimentum publicæ honestatis; Privignus etenim est erga Vitricum loco filii, & sic loco filiæ erga eum est etiam uxor Privigni. Impedit ergo publica honestas, ne matrimonium contrahatur inter Vitricum, & inter eam, quæ fuit uxor Privigni, uti bene ponderato sæpe citato Textum *in l. uxorem ff. de ritu nuptiarum*, inquit Antonius Faber *in sua Jurisprudentia Papinianea titul.* 10. *de nuptiis principio 6. illat.* 12. ibi -- *Inhonestum autem palam est, eam, quæ aliquando uxor fuerit illius, qui mihi, aut filii, aut parentis loco fuerit, uxorem à me duci, siquidem individua illa vitæ societas, quæ per matrimonium contrahitur, efficit, ut qui mihi parentis, aut filii loco est, ejus quoque conjux parentis, & filii loco esse videatur -- Et sequitur* Arnoldus Vinnius *ad tit. Institut. de nuptiis sub num.* 2. *pag.* 63. *editionis Venetæ*, ibi -- *Non obstat, quod Papinianus respondet in l.* 15. *uxorem quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportere, hoc enim non eam rationem habet, quod affines sunt, sed quod honestas, & pudor naturalis non patiatur, mecum matrimonio jungi uxorem ejus, qui mihi aliquando filius, seu loco filii fuit propter matrem, quam in matrimonio habui.*

Quarto, quia inter cætera impedimenta impedientia, & dirimentia matrimonium, adest cognatio legalis ortum ducens ab adoptione, vel abrogatione. Fuit hoc impedimentum statutum à Nicolao Primo *in cap. Ita diligere* 30. *quæst.* 3. *& in cap. primo de cognat. legali*; adeoque clar. mem. Cardinalis de Lauræa *disp.* 29. *de matrim. num.* 43. relatis Nicolai Primi verbis, inquit, -- *Nicolaus, ut vides, per solam approbationem juris civilis statuentis cognationis legalis impedimentum, illud inducit, in Ecclesia. Nec ullus alius Canon, aut rescriptum Pontificium antea de eo loquitur, sed approbatio Nicolai in perpetua consuetudine Ecclesiæ fuit.* Hoc cognationis legalis impedimentum inter fratres adoptivos tandiu durat, quamdiu remanent sub ejusdem Patris potestate, & sic cessat, si Patria potestas per mortem Patris, aut per emancipationem de medio tollatur, uti habetur *in allegato cap. Unico de cognat. legali*; cumque impedimentum cognationis legalis intercedat inter adoptantem, & adoptatum, & uxorem adoptati, licet adoptatus mortuus sit, idque non solum de jure civili, uti habetur *in l. adoptivus ff. de ritu nuptiar.* sed etiam de jure Canonico; uti late docent Gofredus *ad titulum Decretal. de cognat. legali numer.* 4. Piringh. *ad eumdem titulum* §. 3. *num.* 7. Anaclet. *ad eumdem pariter titulum numer.* 9. Cardinalis Toletus *instruct. Sacerdot. libr.* 7. *capit.* 4. *numer.* 7. *& pluribus seqq.* Cardinalis de Lauræa *disputat.* 29. *de matrim. numer.* 44. *& pluribus seqq.* Clericat. *in decis. de Sacram. matrim. decis.* 24. *numer.* 29. Infertur idem dicendum esse, hoc est matrimonium, nullatenus contrahi posse inter Vitricum, & uxorem Privigni, cum honestatis ratio intercedens inter adoptantem, & uxorem adoptati, æquali, si non potiori jure intercedat inter Vitricum, & uxorem Privigni.

Ultimo tandem, tutior est opinio, quæ adstruit matrimonium contrahi non posse inter Vitricum, & uxorem Privigni, quocirca sibi vindicat locum prima propositio inter damnatas à Sanct. mem. Innocentio XI. *die* 2. *Martii* 1679. ibi - *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Hæc sunt, quæ contra validitatem matrimonii ponderari possunt. Transeundo autem ad ea, quæ validitati assistunt, certum, est quod de jure antiquo triplex erat affinitatis genus, uti colligitur *ex Can. de propinquis, & ex Can. Porro* 35. *quæst.* 3. & bene adnotavit Petrus Blesensis Epistola 115. ibi, -- *Inveniuntur Canones, ex quorum intelligentia triplex affinitatis genus, & in eis diversorum distinctionem graduum industria scholaris explicavit.* Cum autem Innocentius Papa III. in Generali Concilio Lateranensi, secundum, & tertium affinitatis genus revocaverit, & decreverit, ea solum matrimonia esse nulla, quæ contrahuntur in primo genere affinitatis, usque ad quartum gradum, uti literaliter habetur in allegato *cap. Non debet de consang. & affinit.* Cumque Vitricus, & uxor Privigni in secundo sint affinitatis genere constituti, ut infra demonstrabitur, infertur matrimonium inter Vitricum, & uxorem Privigni contrahi posse: excluso que ab hoc matrimonio impedimento affinitatis, excluso etiam dici debet impedimento publicæ honestatis, sicuti ponderat *Gloss. in allegato capitulo Non debet, in verbo in secundo, & tertio titul. de consang. & affinitat.* ibi, -- *potest dici, quod ubi publica honestas simul incidit in eumdem casum cum secundo, vel tertio genere &c. uno sublato, tollitur & aliud per hanc Constitutionem; quoties enim vitium ex una etiam radice nascitur, consequens est, ut una lege tollatur*, & sequitur Abbas *in eodem capitulo* -- *Non debet num.* 11. nec aliter res esse potest; si enim secundum, & tertium affinitatis genus sublata sunt à Concilio Lateranensi propter difficultates, & propter Animarum pericula, uti legitur *in sæpe citato capitulo Non debet ibi*, -- *& difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum*, non fuisset huic malo sufficienter cautum, quoties sublato impedimento affinitatis in secundo, & tertio genere, in suo robore adhuc permansisset impedimentum publicæ honestatis à dicto secundo, aut tertio genere proveniens.

Retentaque hac opinione, facilis est responsio ad ea, quæ in contrarium fuerunt deducta; non obstat enim primo citatus Papiniani *Textus in l. uxorem ff. de ritu nuptiar.* cum fuerit ille abrogatus à posteriori citata Constitutione *in capitulo Non debet*, ut in puncto firmat Jacobus Cujacius *ad tit.* 14. *de consang. & affinitat. Operum Posthumorum tom.* 3. *editionis Parisiensis anni* 1658. *pag. mihi* 316. ibi, -- *At hodie ex capitulo penultimo, sive Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. in secundo genere affinitatis nuptiæ vetitæ non sunt, & abrogata est lex* 15. *ff. de ritu nuptiar.* Quod ipsum fusius repetit *in Commentariis ad allegatam Legem uxorem* 15, *Oper. tom.* 1, *pag.* 153. ibi -- *At hæc Papiniani sententia hodie abrogata est Decreto Innocentii in cap. Non debet de cons. & affinit. quo in primo tantum genere affinitatis nuptiæ prohibentur, non in secundo, vel tertio, & personæ, de quibus in hac lege agitur sunt in secundo genere affinitatis, non in primo.*

Minus facit id, quod secundo loco ponderabatur, quod uxor scilicet Privigni non videtur esse in secundo genere affinitatis cum Vitrico, sed in primo, ex quo uxor Privigni non est affinis Privigno, sed Privignus, & ejus uxor sunt causa affinitatis; Privignus etenim est erga Vitricum in primo affinitatis genere, ut in puncto firmat Gonzal. *in cap. Primo numer.* 2. *de eo, qui cognovit consanguineam suæ uxoris*, Quo stante uxor Privigni est affinis Vitrico in secundo genere affinitatis, sicuti prosequitur Cujacius *in capit. non debet de cons. & affinitat. Oper. tom.* 3. *pag.* 372. ibi -- *Filia uxoris meæ ex alio marito, id est Privigna, est mihi primo gradu affinis; maritus ejus, qui uxoris meæ est Gener, uxori quidem est affinis primo genere, at mihi non nisi secundo genere* -- Stipes quippe in affinitate sunt illæ duæ Personæ, quæ

quæ se carnaliter cognoſunt, quæque proinde non dicuntur inter ſe affines, ſed principium affinitatis; cumque quoto gradu conſanguinitatis conſanguinei uxoris ſunt erga ipſam uxorem, eodem gradu affinitatis ſint erga virum, uti bene docent De Juſtis *de Diſpenſat. matr. lib. 2. cap. 7. num.* 37. Card. de Lauræa *de matrim. cit. diſp. 26. art. 1.* Anaclet. *ad tit. Decret. de conſanguin. & affin. §. 2. num* 52. Clericat. *de Sacram. matr. dec.* 31. *num.* 20. hinc eſt, quod ſicuti filius eſt in primo gradu conſanguinitatis erga matrem, ſic debeat eſſe in primo gradu affinitatis erga Vitricum, uxorque præterea Privigni, aut erit in ſecundo genere affinitatis erga Vitricum, uti probat Gloſ. *in ſæpe cit. cap. non debet verb. in 2. & 3. de conſang. & affinit.* ibi -- *Si vis habere ſecundum genus affinitatis, adde perſonam per carnis copulam primo generi*, -- & bene applicat Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 67. num. 1.* ibi -- *ſecundum genus affinitatis erat inter verum affinem, & maritum, ſeu uxorem ſui affinis* -- Aut erit ſaltem principium ſecundi generis affinitatis, quod à Concilio Lateranenſi ſublatum eſt, juxta ea, quæ in ſuperioribus fuerunt expoſita; & alias diſcurrendo ſequeretur abſurdum, quia ſequeretur quod affinitas pareret affinitatem, quod hodie eſt reprobatum, uti late docent Covarr. *in 4. Decret. 2. part. cap. 6. §. 7. num. 6.* Sanchez *loc. cit. n. 2. Juvenin. de Sacram. diſſert. 10. quæſt. 7. cap. 10. §. Tria illa &c.* ibi -- *Ratio, cui innititur præſens illa diſciplina, eſt, quia affinitas affinitatem non parit, nec enim affinis uxoris eſt affinis viri, nec viciſſim.*

Ad eandem pertinet claſſem, id, quod tertio loco opponebatur, fuiſſe videlicet à jure Canonico ſublatum ſecundum genus affinitatis, ſed in linea collateralium, non autem in linea aſcendentium, & deſcendentium; prætermiſſo quippe, quod, hæc indago, non eſt hypotheſi applicabilis, in qua quæritur an Vitricus ducere poſſit in uxorem, eam, quæ fuit uxor Privigni ſui, quæque idcirco inter Vitrici deſcendentes nullo modo numerari poteſt, ad rem, de qua agitur, uti infra explicabitur, quæſtio, quæ fit à Doctoribus, non eſt, an matrimonium contrahi poſſit inter affines ſecundo genere affinitatis, non ſolum in linea collaterali, ſed etiam in linea recta; ſed, an ſpectato jure naturæ, validum ſit matrimonium inter affines in primo gradu affinitatis in linea recta, puta, inter Novercam, & Privignum, inter Privignam, & Vitricum, in qua quæſtione nonnulli negative reſpondent, juxta illud Divi Pauli 1. *ad Corinth. 5. Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, uxorem Patris ſui aliquis habeat* -- Nonnulli autem affirmativam ſuſtinent opinionem, ex quo allegatus Divi Pauli Textus loquitur de concubitu Privigni cum Noverca, adhuc vivente Patre, uti ponderatis hinc inde pro una, & pro altera parte fundamentis, latiſſime proſequuntur Tanner. *tom. 4. diſp. 8. quæſt. 4. dub. 7. num.* 13. Coninch. *diſp.* 32. *de Sacram. dub. 4. num.* 53. Covarr. *in 4. Decret. part. 2. cap. 6. §. 10. num. 8.* Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 66. n. 6. & 7.* Pirringh. *ad tit. Decret. de conſanguinit. & affinit. ſect. 2. §. 2. num.* 32. Clericat. *de Sacrament. matr. dec.* 31. *num.* 41. *& ſeqq.* At hæc controverſia nihil habet commune cum caſu noſtro, in quo, uti fuit ponderatum, non eſt res de matrimonio inter affines in primo gradu, in linea recta, ſed de his, qui ſunt affines in ſecundo gradu.

Majoris roboris non eſt id, quod quarto loco opponebatur, vigere videlicet impedimentum publicæ honeſtatis in matrimonio inter Vitricum, & uxorem Privigni, ex quo uxor Privigni, vivente Privigno, fuit tanquam filia, in eo quod attinet ad Vitricum: præter enim ea, quæ ſupra dicta ſunt de impedimento publicæ honeſtatis, quod ſublatum dici debet, ſtatim ac ſublatum fuit impedimentum ſecundi generis affinitatis; procedendo ad tramites ſacrorum Canonum, cum quibus præſens hæc de matrimonio controverſia eſt dirimenda, impedimentum publicæ honeſtatis oritur tantum ex ſponſalibus validis, uti deſumitur *ex cap. ex ſponſalibus de ſponſalibus, & matrimoniis in 6. & ex cap. 3. ſeſſ. 24. Concilii Tridentini de reform.* ex matrimonio rato, & non conſummato, juxta Conſtitutionem S. Pii V. *editam anno* 1568. quæ incipit *ad Romanum*; & ex matrimonio nullo, vel quia non fuit ſervata forma Concilii, vel ex alia cauſa, uti probat Fagnan. *in c. Ad audientiam de ſponſalib. & matr.* in quo rerum ſtatu de excogitato illo impedimento publicæ honeſtatis, ratione reverentiæ non eſt ulla habenda ratio, ne novum præter, & contra Canones inducatur impedimentum impediens, & dirimens matrimonium.

Ad partes poſito, quod uxor Privigni, vivente Privigno, fuit tanquam filia in eo quod attinet ad Vitricum; hæc enim dicuntur ad ſimilitudinem; idque facit, ut reverentia ſimilitudinaria nequeat matrimonium irritare, ut in ſimili bene ponderant Gonzal. *in cap. Ex literis ſub num. 9. de conſang. & affinit.* Clericat. *de Sacram. matrim. dec.* 31. *ſub num.* 44. *verſ. ad octavum reſpondetur.*

In nulla demum conſiderarione haberi debent cætera ex adverſo deducta, quod ſcilicet inter adoptantem, & uxorem adoptati matrimonium contrahi non poteſt; & quod tutior opinio eſt eligenda in materia Sacramentorum. In eo enim quod attinet ad matrimonium inter adoptantem & uxorem adoptati, in tantum illud irritum eſt, in quantum Nicolaus Papa Primus in Eccleſia induxit impedimentum cognationis legalis à jure civili introductum, nec reperitur, quod ullus alius Pontifex, vel ullum Generale Concilium, prædictum limitaverit impedimentum; & intantum non fuit impedimentum limitatum, in quantum rariſſimæ ſunt adoptiones, & arrogationes, quæ fieri contingunt, itaut nullum ex illimitato illo impedimento provenerit, aut provenire valeat periculum animarum; cumque impedimentum affinitatis in ſecundo genere à jure civili cognitum, & ab antiquioribus Canonibus receptum, ſublatum deinde fuerit à poſteriori Conſtitutione Concilii Generalis Lateranenſis ſub Innocentio Tertio, fueritque ſublatum propter magnas difficultates, & propter periculum Animarum, nemo eſt, qui non videat diſparitatem, quæ intercedit inter unum, & alium caſum.

In eoque, quod ſpectat ad tutiorem opinionem retinendam in materia Sacramentorum, reſpondetur, opinionem matrimonii validitati adverſantem, nec eſſe probabilem, nec rationabiliter tutam, & ſic extraneam eſſe propoſitionem inter damnatas ab Innocentio XI.

Abſque eo, quod de veritate aſſumpti dubitari contingat; abſtinendo etenim à rationibus jam ſupra inſinuatis, ne fiat moleſta repetitio; pro ſententia, quæ adverſatur validitati matrimonii pugnat *Joannes Oinotimus*, qui eſt Auctor hæreticus larvato nomine ſcribens, pugnat *Arnoldus Vinnius* hæreſis pariter labe infectus, pugnat *Antonius Faber*, magni utique nominis vir, Præſeſque primarius in ſupremo Sabaudiæ Senatu, ſed unice in opere allegato intentus explicationi mentis Papiniani, nulla facta mentione Juris Pontificii; E contra vero pro matrimonii validitate ſtat *Jacobus Cujacius*, de cujus laudibus multa collecta legi poſſunt in tractatu *Blount* cui titulus *Cenſura celebriorum Authorum pag.* 752. quique Cujacius validitatem adſtruit matrimonii, examinata utriuſque juris diſpoſitione, & tam in Commentariis ad leges, quam in Commentariis ad Decretales, quodque notabilius eſt, pro nullitate matrimonii ſtat Papinianus, pro validitate Innocentius Tertius in Concilio Generali Lateranenſi, itaut aptabilis videatur propoſitio, debita tamen adhibita proportione, propoſitio inquam *S. Hieronymi in Epitaphio Fabiolæ*, ubi poſt recenſitam juris civilis diſpoſitionem, quæ ſtatuit adulterium à marito non committi, ſi accedat ad ſolutam, hæc habet: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti, aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos, viris impudicitiæ fræna laxantur, apud Nos, quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.*

Atque hæc dicta sint sub censura, salvo semper &c.

Aliæ Adnotationes ejusdem R. P. D. Secretarii, circa eandem quæstionem, de qua in Bojanen. Matrimonii.

IN Congregatione habita *die* 3. *Augusti* 1720. in qua hæc eadem quæstio proposita fuit, ponderatum est ab aliquibus, quod matrimonio inter Vitricum, & uxorem Privigni obstabat literalis *Textus in l. uxorem* 15. *ff. de ritu nuptiar.* ibi, -- *Uxorem quondam Privigni matrimonio vitrici non oportet* -- & sic quod illud propter impedimentum publicæ honestatis nullo modo contrahi poterat, uti diserte docet Faber *in sua jurisprudentia Papinianea tit.* 11. *de nuptiis princ.* 6. *illat.* 12. ubi ad mentem Papiniani, quam tantum in dicto opere exponit, hæc habet, -- *Inhonestum autem palam est, eam, quæ aliquando uxor fuerit illius, qui mihi, aut filii, aut parentis, loco fuerit, uxorem à me duci, siquidem individua illa vitæ societas, quæ per matrimonium contrahitur, efficit, ut qui mihi parentis, aut filii loco est, ejus quoque uxor parentis, & filii loco esse videatur*; & sequitur Arnoldus Vinnius *Author Etheredoxus ad tit. Instit. de nuptiis sub num.* 2. *pag.* 63. *edit. Venetæ*, ibi -- *non obstat quod Papinianus respondet in l.* 15. *uxorem quondam Privigni, conjungi matrimonio Vitrici non oportere; hoc enim non eam rationem habet, quod affines sunt, sed quod honestas, & pudor naturalis non patiatur mecum matrimonio jungi uxorem ejus, qui mihi aliquando filius, seu loco filii fuit propter matrem, quam in matrimonio habui.*

Addi possunt ad hujus assumpti comprobationem Joannes Scheneideuvinus *Professor Academiæ Vitebergensis in Comment. ad instit. civil. lib.* 1. *de nuptiis tit.* 10. *pag. mihi* 50. ibi -- *& quia in hoc casu jus civile expresse non reperitur correctum à jure Canonico, in Consistoriis nostris sequimur in pronunciando dispositionem juris civilis, quæ maximam publicæ honestatis habet rationem, prout scilicet semper in conjunctionibus, non solum id quod licet, sed quod honestum est considerari debet.*

Bruneman Antecessor *in Academia Viadrina, & J. C. Electoris Brandeburg. in Comment. ad Pandectas ad l. uxorem* 15. *ff. de ritu nuptiar.* ibi, -- *Sed an hic casus sit dispensabilis? Affirmatur per Jus Canonicum, quia est in secundo genere affinitatis conjunctio, &c. tamen re integra non facile concedendum esse arbitror hoc matrimonium ob scandalum.*

Benedictus Carpzovius *J. C. Electoris Saxonici lib.* 2. *jurisprudent. consist. tit.* 7. *de Disp. matrim. in gradu prohibito definit* 119. *pag. mihi* 182. ibi -- *Privignus à Vitrici, & hic rursus à Privigni vidua abstinere debet, non solum ob rationem honestatis, quæ in matrimonio multum attenditur, sed etiam propter expressam juris civilis dispositionem in l. uxorem ff. de ritu nuptiarum.*

Responsum è contra fuit in dicta Congregatione, & ponderatum ab aliis non obstare matrimonio, inter Vitricum, & uxorem Privigni *Textum supra citatum in l. uxorem ff. de ritu nuptiar.* cum enim Vitricus, & uxor Privigni sint in secundo affinitatis genere constituti, & impedimentum secundi, & tertii generis affinitatis fuerit à jure Canonico una cum impedimento publicæ honestatis annexo dictis secundo, & tertio generi affinitatis, sublatum, uti habetur *in cap. non debet, ibique Gloss. in verbo in secundo, & tertio, ibique Abbas num.* 11. *de consang. & affinitat.* constituenda idcirco non videtur vis in allegato textu Civili, cum fuerit idem correctus à jure Canonico in Decretali mos allegata, uti ponderat Cujacius *ad tit.* 14. *de consang. & affinit. oper. Posthumorum tom.* 3. *edit. Parisiensis anni* 1658. *pag. mihi* 316. ibi, -- *At hodie ex capitulo penultimo, sive Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. in secundo genere affinitatis nuptiæ vetitæ non sunt, & abrogata est lex* 15. *ff. de ritu nuptiar.* quod ipsum fusius repetit *in Comment. ad allegatam leg. uxorem* 15. *oper. tom.* 1. *pag.* 153. ibi, -- *At hæc Papiniani sententia hodie abrogata est Decreto Innocentii in cap. Non debet de consang. & affinit. quo in primo tantum genere affinitatis nuptiæ prohibentur, non in secundo, vel tertio; & Personæ, de quibus in hac lege agitur, sunt in secundo genere affinitatis, non in primo.*

Addi possunt Henricus Zoesius *in Accademia Lovaniensi Antecessor ad tit. Decretalium de consang. & affinit. num.* 9. ibi -- *Vitricum Privigni sui uxorem sibi conjungere olim nequidem jure civili licitum erat, l. uxorem ff. de ritu nuptiar. verum ea lex abrogata est perdictum caput* 8. *cum jus civile cedat dispositioni Canonicæ in causis spiritualibus.*

Robertus Konigh *Ordinis S. Benedicti ad eumdem titulum Decretal. de consang. & affinit. part.* 2. *pag. mihi* 150. ibi, -- *Verum hodie secundum, & tertium genus affinitatis penitus sublatum est in capit.* 8. *hoc titulo, quamobrem ducere licet novercam uxoris suæ defunctæ, vel ejus Privignam, utpote in secundo genere affinitatis conjunctam, quidquid olim tum leges civiles, tum antiqui Canones in contrarium disposuerint.*

Engel *Ordinis pariter S. Benedicti ad eumdem titulum Decretal. de consang. & affinit. §.* 2. *num.* 6. ibi -- *Si quis ducere vellet Privignam, seu novercam suæ uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter Textum in l. uxorem ff. de ritu nuptiarum. Melius tamen dicitur, quidquid Leges civiles, vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per Concilium Lateranen. in cap. Non debet, generaliter abrogatum est.*

Franciscus Schmalzgruber *e Societ. Jesu, Canonum Professor, in universitate Ingolstadiana ad tit. pariter de consang. & affinit. §.* 2. *num.* 76. *&* 77. ibi -- *Excipiunt nonnulli eos qui constituti sunt in secundo affinitatis genere in linea recta, & se habent per modum Parentum, & Liberorum, ut si quis vellet ducere Privignam, seu novercam suæ uxoris defunctæ. Ratio est quia, ita expresse disponitur in l. uxorem ff. de ritu nuptiar. sed dicendum est leges illas civiles per cap. Non debet abrogata esse &c. Poterit igitur aliquis ducere Privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ.*

In Congregatione pariter habita *die* 3. *Augusti* 1720. fuit à nonnullis docte, & subtiliter de more ponderatum, quod *cap. Non debet de consang. & affinit.* revocat impedimentum secundi, & tertii generis affinitatis, sed non revocat impedimentum secundi generis affinitatis in linea recta ad tramites juris antiqui, de quo *in Can. de propinquis*; *in can. Porro, aliisque à* Gratiano *collectis* 35. *quæst.* 3. hinc inferendo, quod cum Vitricus, & uxor Privigni conjuncti quidem sint in secundo genere affinitatis, sed uxor Privigni sit in linea recta respectu ad Vitricum, matrimonium idcirco inter eosdem contrahi non valeat.

Pro hujus assumpti comprobatione pugnat Joannes Oinotomus *ad lib.* 1. *instit. tit. de nuptiis de arbore affinit. num.* 14. *pag. mihi* 45. ibi -- *Nec obstat dictum cap. non debet, quia illud tantum de collateralibus consanguineis, & affinibus loquitur, non autem de ascendentibus, & descendentibus consanguineis, & affinibus, & jura juribus sunt concordanda, hoc est cap. non debet cum l. uxorem de ritu nuptiar. supra allegata, ut vitetur jurium correctio.*

Addi potest *Abbas*, quem alii sequuntur *in cit. cap. Non debet n.* 8. *de consang. & affin.* ibi - *Sed quæro nunquid inter ascendentes, & descendentes possit esse matrimonium ultra quartum gradum, quod est quærere nunquid dispositio hujus §. concernat omnes consanguineos tam collaterales, quam ascendentes, & descendentes, ut, ultra quartum gradum prohibitio non extendatur. Vide Gofredum, dicit, quod sic unde intelligit istum Textum generaliter. Sed contrarium tenuit Joannes Andreas &c. & hanc opinionem credo verissimam, cum Textus juris civilis indistincte prohibeat matrimonium inter ascendentes, & descendentes in infinitum, ut in l. nuptiæ ff. de ritu nuptiar. unde Gloss. ibi colligit, quod Adam si hodie viveret, non reperiret uxorem, quia omnes descendimus ab eo, & cum jus civile non reperiatur expresse correctum, & sit fundatum super honestate maxi-*

ma, non debemus per generalem dispositionem Canonicam dicere contrarium. Hæc tamen quæstio propter brevem Hominum vitam raro practicatur. At in eo quod attinet ad *Abbatem*, cæterosque eodem modo loquentes examinare opus est, an faciant ad rem, cum loquantur de consanguineis, & de veris descendentibus, uti desumitur ab exemplo Adami, & præsens quæstio est de *Affinibus*.

Conferunt res judicatæ apud *Antonium Mornacæum in Senatu Parisiensi Patronum in observat. ad 24. priores libros ff. lib. 23. ad l. 42. de ritu nuptiar. pag.* 862. ibi -- *Tertium exemplum est in l. uxorem quondam Privini hoc titulo; huic enim cum fraudem facere conatus fuisset Neustrinus quidam ex gratia legis, quam Romana potestas fecerat, appellarunt tanquam ab abusu cognati mulieris ab executione Pontificii Decreti, vetitumque est utrique, ne copulari auderent matrimonio, pœnæ capitalis comminatione adjecta, si secus fieret. Supplicavit adversus hoc Curiæ Rothomagensis placitum Neustrinus, & ut evaderet, quod futurum prospiciebat, causam Auctore Principe à Rothomagensi Curia transtulit in Consistorium, ex quo cum amandatus esset vir clarissimus ad Senatus Parisiensis Triumviros, de peritia triumviralis sententiæ latum fuit postea in Consistorio Principis Augustum, immotumque judicium, quo Rothomagensis convaluit Auctoritas anno* 1610.

E contra in citata Congregatione habita *die 3. Augusti* 1720. ab aliis ponderatum fuit, quod sicuti *cap. non debet de consang. & affin.* indistincte loquitur, & indistincte aufert impedimentum secundi, & tertii generis affinitatis, sic auferre dicendum est impedimentum secundi generis affinitatis etiam in linea recta.

Faciunt deducta per D. Thomam *in supplemento tert. part. quæst. 55. art. 5.* ubi loquens de secundo, & tertio genere affinitatis, inquit, quod *solum* remanet sub prohibitione primum genus affinitatis, in quo est *vera affinitas*, per Barbos. *in collect. ad l. 4. pag.* 550. ubi inquit, tam secundum, quam tertium genus affinitatis *omnino* sublatum esse, per Martinum Perez *de matrim. disput.* 31. §. 6. ubi, firmat *solum* primum genus affinitatis vim habere, per Corradum *lib. 7. dispensat. matrim. cap. 1. à num. 7.* ubi firmat primum genus affinitatis *solum* hodie inducere impedimentum post *Cap. non debet*, & tam tertium, quam secundum affinitatis genus esse hodie *prorsus* sublatum, ita quod *nullo modo* impedita matrimonium, quod impeditur *tantum* à primo genere.

Verum præter citatos Auctores sic, uti visum est, loquentes, alii adduntur expresse impugnantes distinctionem inter lineam rectam, & collateralem in secundo genere affinitatis. Engel. *ad tit. Decretal. de consang. & affin. §. 2. n. 6.* ibi -- *Sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta, & se habeant per modum parentum, & liberorum v. g. si quis ducere vellet Privignam, seu novercam suæ uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales Personas consistere posse matrimonium propter Textum in l. uxorem ff. de ritu nuptiarum. Melius tamen dicitur, quicquid leges Civiles, vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis dispoſuerint, totum id per Concilium Lateranense, & Cap. non debet generaliter abrogatum est.*

Franciscum Schmalzgrueber *ad tit. Decret. de consang. & affinit. §. 2. num. 77.* ibi -- *Neque verum est Textum Cap. non debet, loqui de affinitate affinitatis in linea transversa; nam Textus universalis est, & Canonistæ passim universaliter eum intelligunt. Neque dicas juxta multorum sententiam, quam ego num. 37. amplexus sum, caput citatum, dum consanguinitatis, & affinitatis impedimentum reducit à septimo gradu, ad quartum, loqui solum de linea obliqua, ac proinde de hac solum loqui etiam tunc, quando aufert impedimentum, quod olim oriebatur ex affinitate affinitatis; negatur enim sequela, & rationem, cur in priori casu loquatur solum de linea obliqua, dedi numero citato, illa autem ratio non pugnat in casu, ut consideranti patebit.*

Cumque ratio à dicto Auctore ponderata *in num. 37.* ad effectum demonstrandi, & probandi quod *Cap. non debet de consang. & affinit.* restringens prohibitionem matrimonii ad quartum gradum, sibi vindicat locum in collateralibus, & non in ascendentibus, & descendentibus, inter quos vigere dicit impedimentum illimitatum, & indefinitum, sita sit in hoc, quod dispendia, & animarum pericula, quibus Concilium Lateranense voluit obviare, verificari tantum poterant in collateralibus, & non in ascendentibus, & descendentibus, inter quos moraliter erat impossibile propter brevem Hominum vitam, quod matrimonium contrahi posset ultra quartum gradum, sensus ejus est, quod, cum animarum pericula dari, & contingere possint, si sublato impedimento secundi generis affinitatis illud in totum sublatum non sit, hoc est, tam in linea recta, quam in linea obliqua, restringendo idcirco non sit sublatio dicti impedimenti secundi generis affinitatis ad lineam obliquam, sed extendenda veniat ad lineam rectam, non obstante quod in linea recta inter consanguineos impedimentum adhuc vigeat perpetuum, & illimitatum.

Corroborantur huc usque deducta ex his, quæ habemus *in tom. 7. Theologia Dogmaticæ, & moralis ad usum Seminarii Catalaunensis de matrim. pag. mihi* 853. ubi post exposita ea, quæ supra ex *Mornaccio* relata fuerunt, infertur hæc consequentia, -- *ergo Concilium Lateranense in cap. Non debet supra laudato, loquitur dumtaxat de affinitate inter collaterales, nullatenus vero inter ascendentes, & descendentes*, -- cui consequentiæ sic Auctor respondet, *nego consequentiam; hæc enim distinctio gratis excogitata est, cum nulla fulciatur auctoritate sive Concilii posterioris, sive Theologorum, sive Canonistarum, qui in laudatum caput scripserunt. Ad antecedens vero respondeo, primo merito in dubium revocari, quod scribunt laudati Jurisperiti, primo, quia non conveniunt circa annum scriptum, seu datam, ut ajunt, alter enim annotat annum* 1607. *alter* 1610. *alter* 1617. *Secundo quia referunt cum Neustrio dispensatum fuisse à Summo Pontifice; atqui in Curia Romana non agnoscitur, affinitas de qua est sermo, sed sublata habetur per Concilium Lateranense; tertio quia narrant Senatum Rothomagensem judicasse ex consilio Theologorum Parisiensium, quod verisimile non est, cum constantissimum sit apud omnes Theologos ejusmodi affinitatem sublatam fuisse per Concilium Lateranense*, -- idemque Auctor deinde refert tam anno 1670. in causa cujusdam Andreæ Huillin fuisse pronunciatum pro validitate consimilis matrimonii in Senatu Rothomagensis, quam anno 1676. in privato Regis Consilio.

Addi potest, interrogatum fuisse Officialem præpositum dispensationibus matrimonialibus, ut sciri posset, an unquam petita, & an unquam concessa fuerit dispensatio inter Vitricum, & uxorem Privigni, eumque post perquisita diligenter regesta, respondisse, talem Dispensationem nec petitam, nec concessam fuisse. Porro id probare videtur non subsistere in facto Neustrii Dispensationem. Cæterum judicium erit EE. PP. statuere, an universalis hæc consimilis Dispensationis carentia prosit, vel obstet matrimonio inter Vitricum, & uxorem Privigni, & quatenus obesse dicatur; dicendum etiam erit, quod nunquam in alicujus Vitrici mentem, excepto solo casu præsenti, venerit desiderium ducendi in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui, quod est difficile captu, cum ex originalibus documentis habeatur, quod anno Domini 1697. prævia Dispensatione Vicarii Generalis super denunciationibus, Archipresbyter, & Parochus Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Sancti Joannis Apostoli Terræ Valentani Diœcesis Montis Falisci, in matrimonium conjunxit Jacobum Fantinum, cum Virginia vid. relicta Joannis Baptistæ de Franzis, qui erat Privignus dicti Jacobi Fantini.

Atque hæc sunt, quæ pro facilitando Causæ studio, Secretarius operæ pretium] esse censuit adnotare,

Proposito itaque in Sac. Congregatione Concilii *die* 8. *Martii* 1721. dubio -- *An matrimonium contrahi possit inter Dominicum, & Samaritanam in casu &c.* Responsum fuit -- *Ad D. Secretarium juxta mentem, & mens est, ut Episcopus det libertatem contrahendi matrimonium*. Quam resolutionem adducit etiam Ursaya *tom. 4. par. 2. discept. 19. n. 186.*

ARGUMENTUM.

An impedimentum Justitiæ publicæ honestatis oriens ex matrimonio puro, & non conditionato, rato & non consummato, sed nullo, non tamen ex defectu consensus, non excedat primum gradum, sed potius extendatur ad quartum? Juxta comprobata per D. Just. lib. 2. cap. 8. *citatum in Folio Sac. Congreg. Conc. pro die 21. Novembris 1722. prout infra.*

CASUS XXX.

DUBIUM MATRIMONII.

AB Episcopo extra Urbem degente pro regula conscientiarum humillimus ad hanc Sacr. Congregationem habetur recursus, ut declaretur, an impedimentum justitiæ publicæ honestatis, oriens ex matrimonio puro, & non conditionato, rato & non consummato, sed nullo, non tamen ex defectu consensus, non excedat primum gradum *juxta caput* 3. *sess.* 24. *de reform.* vel potius extendatur ad quartum *juxta Constitutionem* 62. *S. Pii V. Bull. tom.* 2.

Ut autem in comperto sit, quid à Scribentibus, & quid ab hac Sacra Congregatione fuerit alias resolutum, operæ pretium esse videtur nonnulla adnotare.

Primum est, quod in terminis sponsalium de futuro, quæ pura sint, & certa, & non conditionata, sed invalida, præterquam ex defectu consensus, distinguendum esse videtur inter jus antiquum, jus medium, & jus postremum Sacri Concilii Tridentini. Loquendo de jure antiquiori, nonnulli putant impedimentum publicæ honestatis sibi vindicasse locum in sponsalibus de futuro puris, & certis, sed invalidis, præterquam ex defectu consensus, Gonzal. *in cap. ad audientiam num.* 7. *de sponsalib.* Clericat. *de Sacram. matrim. decis.* 30. *nu.* 5. Pirrhing. *ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 1. *sect.* 1. §. 6. *num.* 33. Contrarium ab aliis docetur, & signanter à Passerino *in cap. Unico num.* 5. *de sponsal. in* 6. ubi notat de jure antiquiori non adfuisse hoc impedimentum, ex quo Divus Thomas *in quartum sentent. dist.* 41. *art.* 1. *quæst.* 8. *ad tertium* docuit illud impedimentum oriri ex sponsalibus nullis. At quicquid sit de hoc, attento jure medio, ex sponsalibus puris, & certis, *quavis ratione nulla sint, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis*, uti solemniter fuit decisum à Bonifacio Octavo *in cit. cap. Unico de sponsalibus in* 6. Sed huic Bonifatianæ Decretali derogatum fuit à Sac. Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 3. ubi sic legitur -- *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant*, & hoc impedimentum restrictum ad primum gradum durat, etiam si sponsalia mutuo deinde consensu dissolvantur, dummodo à principio valida fuerint, juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis à Summo Pontifice Alexandro VII. approbatam apud Fagnan. *in cap. Ad audientiam nu.* 29. *de sponsal. & matrim.* & bene adnotavit Cabassut. *in Theor. & praxi juris Canonici lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 17.

Secundum est, excitatam olim fuisse controversiam, an alegatus Textus Concilii Tridentini excludens impedimentum justitiæ publicæ honestatis à sponsalibus nullis, & illud restringens ad primum gradum in sponsalibus validis, procederet etiam in matrimonio de præsenti contracto, rato & non consummato; & Sacra hæc Congregatio negative respondit, *uti habetur lib.* 6. *Decret. pag.* 64. *à tergo*, & sententiæ hujus Sacræ Congregationis adhæsit S. Pius V., qui in *Constitutione* 62. *Bull. tom.* 2. definivit *cap. tertium sess.* 24. loqui de sponsalibus validis de futuro, & non de matrimonio de præsenti rato, & non consummato, *motu proprio, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & definimus Decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio, sic, ut præfertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum Decretum Concilii introductum erat*. Sermo ibi fit de impedimento justitiæ publicæ honestatis; cum enim quæstio sit de matrimonio rato, & non consummato, & hujusce generis matrimonio impedimentum affinitatis causam habere non potest, cum affinitas ex copula carnali consurgat, uti probat Textus in Canon. Lex 27. *quæst.* 2. *& in terminis firmant* Diana *in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 240. *per totam*, Leander *oper. moral. tom.* 2. *tract.* 9. *de matrim. disput.* 19. *quæst.* 10. & fuit ab hac Sacra Congregatione resolutum in Valentina *anno* 1607. *lib.* 10. *Decret. pag.* 135. *à tergo* ibi -- *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit, ex matrimonio rato, & non consummato oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis, non autem affinitatis*.

Tertium est, quod hoc impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriens à matrimonio rato, & non consummato, non restringitur ad primum gradum *juxta cap.* 3. *sess.* 24. *de reform. matrim.* sed extenditur ad quartum, loquendo saltem de matrimonio valido; si enim *ex allegata Constitutione* 62. *S. Pii V.* impedimentum hoc proveniens à matrimonio rato, & non consummato, durat in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat, inferri posse videtur impedimentum prædictum extendi ad quartum gradum, ut in terminis matrimonii rati, non consummati, & validi adnotarunt Leander *oper. moral. tom.* 2. *tract.* 9. *de matrim. disput.* 19. *quæst.* 11. Bonacina *oper. moral. tom.* 1. *de imped. matrim. quæst.* 3. *puncto* 11. *proposit.* 2. *num.* 10. apud quos alii allegantur. Juvenin. *de Sacram. dissert.* 10. *de matrim. quæst.* 7. *cap.* 9. *in fine*.

Quartum est, nonnullos asserere impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriens ex matrimonio rato, & non consummato, sed invalido, dummodo invaliditas non procedat ex defectu consensus, esse restrictum ad primum gradum Cabassut. *in Theor. & praxi jur. Canonici lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 18. *& 19.* & hæc opinio refertur apud Barbos. *ad cap.* 3. *num.* 13. *sess.* 24. *de reform. matrim.* E contra autem alii communiter docent, quod impedimentum justitiæ publicæ honestatis procedens ex matrimonio rato, & non consummato, licet invalido, præterquam ex defectu consensus, extenditur ad quartum gradum; cum enim S. Pius V. *in sæpe cit. Constitutione* 62. non distinxerit inter matrimonium ratum validum, & invalidum, hinc est, quod si in terminis matrimonii validi impedimentum extenditur usque ad quartum gradum, hoc ipsum dicendum est in terminis matrimonii invalidi, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu consensus, Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disput.* 70. *num.* 16. Vanespen. *in jus Eccles. univers. tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 3. *de impedimentis matrim. cap.* 6. *num.* 29. *& duobus seqq.* Bonacin. *oper. moral. tom.* 1. *de impedimentis matrim. quæst.* 3. *puncto* 11. *proposit.* 20. *num.* 11. Filliuc. *oper. mor. tom.* 1. *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 6. *nu.* 223. *novissime* Salmanticenses *oper. moral. tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 12. *punct.* 7. *n.* 83. fuse, & optime Fagnan. *in cap. ad audientiam à num.* 11. *usque ad num.* 29. *& præsertim num.* 20. *de sponsal. & matrim.* Rebel. *de justitia numer.* 4. *in append. num.* 102. La Croix *lib.* 6. *par.* 3. *num.* 681. & videtur esse de mente hujus Sacræ Congregationis, tum ex his, quæ *à* Fagnan. *loco citat.* deducta late sunt; tum etiam quia non solum hæc eadem Sacra Con-

Congregatio alias resolvit ex matrimonio rato, & non consummato, licet, invalido, consurgere impedimentum justitiæ publicæ honestatis, uti habetur ex resolutione *edita die 18. Junii 1611. lib. 11. Decret. pag. 99.* sed ulterius declarasse videtur, illud impedimentum extendi ultra primum gradum; cum enim in quadam Causa *Brixien. matrimonii* Episcopus retulisset, contractum fuisse matrimonium de præsenti, & consummatum inter Bartholomæum, & Mariam, illudque subinde fuisse nullum declaratum, ex quo probatum fuit, inter eos intercedere conjunctionem in quarto consanguinitatis gradu, eumdemque Bartholomæum velle in uxorem ducere quamdam mulierem cognomine Cavallariam, conjunctam cum Maria in tertio consanguinitatis gradu, & quæstionem excitatam esse: an absque Apostolica dispensatione dictum matrimonium contrahere posset, disputato die 3. Decembris 1667. sequenti dubio, *an Bartholomæus posset, absque dispensatione Apostolica, matrimonium cum Cavallaria contrahere;* responsum fuit, *non posse contrahere, obstante illi tum impedimento publicæ honestatis, tum affinitatis, uti habetur lib. 25. Decret. pag. 472. & seqq. & pag. 484.* publicæ quidem honestatis propter matrimonium, licet nulliter contractum, affinitatis vero propter idem matrimonium consummatum.

Ultimum est, disputationem pariter esse inter Doctores, an ex matrimonio rato, & non consummato, sed contracto sine præsentia Parochi, & Testium, prædictum oriatur impedimentum, uti videri potest apud Dianam *in edit. coord. tom. 2. tract. 6. resolut. 249.* In hac autem controversia nonnulli negant dictum impedimentum oriri ex dicto matrimonio in locis, in quibus Tridentinum receptum est, Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 70. num. 13.* Engel. *ad tit. de sponsalibus, & matrim. §. 6. num. 3.* Barbos. *de offic. & potest. Episc. allegat. 151. num. 181.* De Justis *de Dispensat. matrim. lib. 2. cap. 8. num. 3.* Clericat. *decis. 30. de Sacram. matrim. num. 13.* Nonnulli in ea sunt opinione oriri dictum impedimentum, & extendi usque ad primum gradum, si admittatur matrimonium contractum absque præsentia Parochi, & Testium valere in vim sponsalium, Filliuc. *oper. moral. tom. 1. tract. 10. par. 2. cap. 6. num. 223.* & etiam annotavit Sanchez *loco cit.* Communior autem, & receptior esse videtur sententia, quod ex matrimonio rato, & non consummato, licet contracto sine præsentia Parochi, & Testium proveniat impedimentum publicæ honestatis, quia licet illud nullum sit, non est tamen nullum ex defectu consensus; Bonacin. *oper. moral. tomo primo de imped. matrim. quæst. 3. puncto 11. propos. 2. num. 18.* Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 36. num 5.* Gutier. *de matrim. cap. 103. num. 9.* Urtad. *de matrim. disput. 21. difficult. 2. num. 7.* Perez *de matrim. disp. 32. sect. 3. num.* Salmanticenses *in cursu moral. tom. 2. tract. 9. cap. 12. puncto 7. num. 86.* Leander *oper. moral. tom. 2. tract. 9. de matr. disput. 19. quæst. 13.* Fagnan. *in cap. sponsam num. 2. & 3. de sponsalibus*, Cabassut. *in Theor. & praxi juris Canon. lib. 3. cap. 24. num. 20.* nec in horum sententia impedimentum restringitur ad primum gradum, sed extenditur ad quartum, uti colligitur ex doctrinis allegatis; in tantum etenim impedimentum restringi posset ad primum gradum, in quantum matrimonium contractum de præsenti sine Parocho, & Testibus haberet vim sponsalium, quod ad Sac. Congregationem non admittitur, uti colligitur ex resolut. edita *mense Martii anno 1587. lib. 4. Decret. pag. 230.* ibi, *matrimonium contractum per Puberes absque præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, est nullum, nec resolvitur in vim sponsalium itaut contrahentes judicialiter cogi non possint ad denuo contrahendum, servata forma Concilii Tridentini sess. 24. cap. 1. de reform.* & concordat alia resolutio 8. *Junii 1595. lib. 8. Decret. pag. 130.* ibi, *Congregatio censuit matrimonium sine præsentia Parochi per verba de præsenti contractum, etiam copula subsequuta, irritum, & nullum esse, & in sponsalia de futuro minime resolvi.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere.

An impedimentum justitiæ publicæ honestatis, oriens ex matrimonio puro, & non conditionato, rato & non consummato, sed nullo, non tamen ex defectu consensus, non excedat primum gradum, sed potius extendatur ad quartum.

Sac. Congregatio Concilii die 5. Decembris 1722. rescripsit -- *Ad mentem.*

ARGUMENTUM.

Matrimonium contractum coram Sacerdote per Vicarium Generalem deputato, postquam ipsemet Episcopus Parocho inhibuerat, ne contrahentes matrimonio conjugeret, an sit validum. Ad cap. 19. lib. 2. D. Justi.

CASUS XXXI.

PISTORIEN. MATRIMONII.

VItus Romigiallus matrimonium per verba de præsenti contraxit cum Vidua Maria Elisabetha Donati coram Testibus, & coram Thoma Valluchio Curato Ecclesiæ Vicariæ S. Augustini extra Portam S. Marci, qui, licet non esset Parochus contrahentium, dixit tamen se habuisse licentiam à Vicario Generali Civitatis Pistorienſis prædictos matrimonio jungendi, omissis etiam denunciationibus, uti legitur adnotatum in libris matrimoniorum dictæ Ecclesiæ.

Putant Vitus, & Elisabetha matrimonium esse validum, quia *Concilium Trid. sess. 24. de ref. matr. cap. 1.* præscribit matrimonium esse contrahendum, præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus, & nomine Ordinarii venit Vicarius Generalis in re, & ad effectum, de quo agitur, juxta late deducta per Sanchez *de matr. lib. 3. disp. 29. quæst. 3. num. 18. & 19.* Quia vero exadverso opponitur, quod Vicarius Generalis dictam licentiam concedere non poterat, ex quo Episcopus vero, & proprio contrahentium Parocho inhibuerat, ne eos matrimonio conjungeret, & quod Vicarius Generalis non concessit absolutam licentiam, sed conditionatam, quatenus videlicet adfuisset consensus Proximiorum dicti Viti Romigialli; ex juribus ab utraque parte circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere.

I. An constet de validitate matrimonii, in casu &c. & quatenus negative.

II. An sit locus illius revalidationi, in casu &c.

Die 22. Aprilis 1719. Sac. Congregatio Concilii respondit -- *Ad 1. affirmative. Ad 2. satis provisum in primo.*

ARGUMENTUM.

Dispensatio an concedi soleat à S. Sede super impedimento primi gradus affinitatis, vel publicæ honestatis proveniente ex matrimonio nullo declarato ex defectu consensus, veluti celebrato per vim, & metum. Secundum ea, quæ scripsit D. Justi lib. 2. cap. 12. *num. 19. & seqq.*

CASUS XXXII.

CÆNETEN.

JAcobus Garza Laicus Cæneten. & in Civitate Venetiarum à duodecim annis commorans, carnaliter cognovit Mariam Mioli, incussisque sibi vi, & metu ab ejus fratre germano, matrimonium per verba de præsenti coram Parocho, & Testibus, prætermissis de licentia Ordinarii denunciationibus, cum eadem contraxit.

Mortua Maria, Jacobus judicium introduxit in Curia Cæneten. pro declaratione nullitatis dicti matrimonii, cumque Judex articulos rejecerit, & remissoriam denegaverit pro Testibus super metu interrogandis

dis petitam, habito recursu ad san. mem. Clementem XI. fuit à Sanctitate Sua expeditum solitum Breve commissionis directum Episcopis Bellunen. & Sebenicen. & Turcellen. eorumque Vicariis, ut alter ipsorum de causa cognosceret, & in ea pronunciaret.

Assumpta fuit à Vicario Generali Episcopi Turcellen. hujusce Causæ cognitio, idemque in contradictorio judicio; & auditis collitigantium rationibus hoc est, tam Jacobi, qui instabat pro matrimonii, quam Philippi fratris Mariæ, qui metum incussisse dicebatur, sententiam definitivam protulit, & in ea declaravit matrimonium contractum *die* 2. *Maji* 1704. inter Jacobum, & Mariam fuisse ab initio nullum ex defectu liberi consensus, & nullum & invalidum propter vim, & metum cadentem in constantem virum, & hoc ad quoscumque juris effectus.

Non fuit appellato interposita à mox memorata sententia; cumque subinde Jacobus Vesana libidine victus, absque tamen spe facilius obtinendi Dispensationem, carnaliter cognoverit Paulinam sororem Mariæ primæ uxoris, & ne eadem innupta, & diffamata remaneat, velit cum ipsa matrimonium contrahere, & hac de causa recursum habuerit ad Summum Pontificem pro obtinenda dispensatione, cum absolutione à censuris, & pœnis incursis, & per organum Datariæ preces remissæ fuerint ad hanc Sacram Congregationem, nec ullus sit, qui pro miserabilibus Oratoribus scribat, pauperes etenim sunt, operæ pretium esse censui nonnulla ad materiam hic adnotare, ut Eminentiss. Patres suum facilius præstare valeant Summo Pontifici consilium, pro concedenda, vel deneganda Dispensatione.

Si legitimum in sui initio fuisset matrimonium inter Jacobum, & Mariam, vel quatenus à principio legitimum non fuisset, ex actibus nihilominus subsequentibus de ejus revalidatione dubitare non posset, obstaret Oratoribus *Textus Concilii in cap.* 5. *sess.* 24. *de reform. matrim.* ubi in fortioribus dicitur, *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*: hic etenim Conciliaris textus ex declaratione S. Pii V. intelligitur de gradibus affinitatis, & consanguinitatis, uti habetur apud Gallemart. *num.* 8. dummodo tamen consanguinitas, vel affinitas orta sit legitimo matrimonio, uti prosequitur Barbos. *ad eundem Textum num.* 27.

Ut autem dignoscatur an matrimonium à principio legitimum fuerit, vel ex actibus subsequentibus remanserit convalidatum, ex copula videlicet, & cohabitatione, plura essent scitu necessaria, an metus videlicet fuerit gravis, & cadens in constantem virum, an fuerit justus, & demum an impedimentum à dicto metu procedens fuerit publicum; metus etenim non cadens in constantem virum, & metus ulterius, qui justus est, matrimonium non inficiunt, juxta late deducta per Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disput.* 13. *num.* 3. & quando metus fuisset occultus, inferri posset ad matrimonii revaliditatem per copulam animo maritali habitam, cum ad matrimonii revalidationem sufficiat signum consensus ab eo præstiti, qui metum passus est, nec oporteat, quod ex parte alterius detur de novo consensus, dummodo prior non fuerit retractatus, uti, concordantibus allegatis, late prosequuntur Salmanticenses *in cursu Theolog. moral. tom.* 2. *tract.* 9. *de matrim. cap.* 9. *puncto* 4. *num.* 57.

Exclusa necessitate renovandi consensum ad formam Concilii coram Parocho, & Testibus, quia quando impedimentum est occultum, & in matrimonio, licet nulliter à principio contracto servata est forma Concilii, non est opus pro revalidatione iterum contrahere repetitis solemnitatibus alias rite adhibitis, in primo contractu. Fagnan. *in cap. Is qui fidem n.* 14. *de spons. & matr.* Zerola *in praxi in verbo dispensatio* §. *Quintum dubium*, Salmanticenses *citat. tract. cap.* 3. *punct.* 5. *num.* 128. *& seqq.*

Et dubitantibus Rotæ Auditoribus de veritate hujus conclusionis, Cardinalis Carafa olim meritissimus hujus Sac. Congregationis Præfectus ad se vocare fecit Dominos Seraphinum, & Comitulum Rotæ Auditores, eisque ostendit Sac. Congregationis resolutionem innixam stylo Sacræ Pœnitentiariæ, & sic declarationi S. Pii V. de qua apud Navar. *consil.* 4. *de sponsal.* & ab inde citra Rotæ Auditorium pro revalidatione matrimonii, si impedimentum fuerit occultum, & in primo contractu servata fuerit forma Concilii, renovationem consensus coram Parocho, & Testibus necessariam esse non existimavit, uti habetur *in dec.* 900. *coram* Seraphino, *in dec.* 395. *num.* 1. *coram* Ludovisio, *in dec.* 405. *num.* 19. *& seqq. par.* 18. *recent. & in Spalaten. Nullitatis matrimonii* 3. *Martii* 1653. *cor. bon. mem. Albergato*.

At quatenus procedendum sit cum facti expositione, vel cum præsumptione militante pro sententia super nullitate matrimonii, & à tempore sententiæ valeat illatio ad tempus contracti matrimonii, itaut, sicuti metus tempore sententiæ erat publicus, sic præsumi debeat, quod talis fuerit tempore, quo matrimonium initium est, in quo rerum themate matrimonium pro nullo habendum esset, cum illud matrimonium nullum sit, quod contractum est propter metum à consanguineis stupratæ incursum stupratori, cum fuerit justus, sed juste non fuerit incussus, uti probat *Textus in cap. veniens* 15. *de sponsal. & matrim.* & late prosequitur Pirhing. *ad dictum titulum sect.* 4. §. 2. *n.* 102. nec ex copula, & aliis actibus subsequentibus revalidatum dici posset, deficiente videlicet novi præstatione consensus coram Parocho, & Testibus juxta resolutionem hujus Sac. Congregationis *in Hispalen.* 20. *Junii* 1609. *lib.* 11. *Decret. fol.* 58. *à tergo*, ibi -- *Sacra &c. sæpius respondit hodie post Tridentinum Concilium matrimonium metu contractum, & purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, alioque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem Concilii forma*; & juxtam aliam resolutionem *in Constantinopolitana* 2. *Decembris* 1634. *&* 16. *Decembris ejusdem anni, uti habetur lib.* 15. *Decret. fol.* 130. *à tergo*, *&* 140. *pariter à tergo*, præsens inspectio reduceretur ad Dispensationem super impedimento primi gradus affinitatis ex copula illicita in linea collaterali, cui obstat dispositio *Sac. Concilii sess.* 25. *cap.* 4. *de reform.* ubi statuitur impedimentum proveniens ab affinitate contracta ex fornicatione, & sic à quocunque illicito concubitu, uti fuse explicat Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 67. *num.* 6. dirimere matrimonium, sed restringi ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, itaut quoad alios matrimonium nedum sit validum, sed licitum, juxta *Bullam* 14. *Sancti Pii V. in tertia declaratione Bullar. tom.* 2. Reduceretur ulterius controversia ad videndum, an obstet impedimentum publicæ honestatis; ex uno etenim capite adesse videtur hoc impedimentum, cum matrimonium, licet nullum ex defectu consensus, per aliquod tamen temporis spatium fuerit saltem in implicito statu validitatis in foro exteriori, juxta deducta per Sanchez *loco cit. disp.* 68. *num.* 14. & ex alia parte non adesse videtur dictum impedimentum, cum illud non inducatur ex matrimonio nullo ex defectu consensus, juxta *Textum in cap. Unico, ibique* Passerin. *num.* 10. *de sponsalibus in* 6. non obstante quod matrimonium fuerit habitum pro valido per aliquod temporis spatium in foro exteriori, uti late prosequuntur Salmanticenses *cit. tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 12. *puncto* 7. *num.* 84. *&* 85. & multo magis quando, prout, hic matrimonium fuit nullum declaratum propter vim, & metum, in hoc quippe rerum statu cessasse videtur indecentia, ex qua ortum ducit impedimentum publicæ honestatis, juxta *Textus in cap. Juvenis de sponsalibus*; cumque ad affectum dispensandi, aut super primo, aut super utroque impedimento, sequentes causæ allegentur, diffamatio videlicet Paulinæ stupratæ, periculum, quod ea innupta remaneat, necnon aliorum malorum, quæ verisimiliter sequi possunt, onus erit EE. VV. resolvere.

An sit Sanctissimo Domino Nostro consilium præstandum pro dispensatione in casu &c. die 24. Aprilis 1723. Sac. Congreg. Concilii respondit -- *Negative*.

AR-

ARGUMENTUM.

Subdiaconi, vel Diaconi per metum ad Sacros Ordines promoti, comprobato metu, dispensari solent super voto continentiæ ad effectum contrahendi matrimonium; secus si metus non probetur. In sequelam eorum, quæ dixit D. Justi lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 15. in Append.

CASUS XXXIII.

PARISIEN. DISPENSATIONIS.

INsignis sacrorum Canonum Doctor, & in Romana Curia per multum temporis spatium laudabiliter versatus, Martinus Navarrus testatur summos Pontifices sæpe cum Diaconibus dispensasse, ut matrimonium contrahere possent, quemadmodum colligitur ex ejus *consil.* 37. *num.* 12. *lib.* 3. ibi, *Frequentissime Summi Pontifices dispensaverunt super voto solemnizato per susceptionem Subdiaconatus, & Diaconatus, in Hispania præsertim, ubi etiam nos cognovimus dispensatos, & in Italia, ut frequenter audivimus*, quod ipsum repetit sequenti *consil.* 38. *num.* 11. & concordat, nonnulla referens exempla, Card. de Lauræa *in quart. sentent. tom.* 3. *disp.* 9. *art.* 9. §. 5. *num.* 204. nec dissentit P. Maurus *in Theologia tom.* 3. *lib.* 13. *pag.* 289. *nu.* 16. ibi -- *Pontifex sæpe dispensavit, ut Sacerdotes, & Diaconi ducerent uxores; non enim dispensat in jure Divino observandi votum, sed relaxat votum factum per voluntatem hominis, itaut amplius non obliget*; E contra autem Card. Albitius *in suo tractatu de inconstantia in fide cap.* 36. *num.* 134., hæc habet, -- *Ego tempore mei Assessoratus vidi plures Summos Pontifices dispensasse, ut qui erat in Ordine Subdiaconatus, posset contrahere matrimonium; in Diaconatu constitutos fere nunquam, in Sacerdotio nunquam dispensatos, multo minus in Episcopatu.*

At quicquid sit de his, quando constat Ordines Sacros fuisse receptos per vim, & metum cadentem in constantem virum, circumstantia hæc Dispensationem efficit absque dubio faciliorem, adeoque, quicquid sit de disputatione, quæ sit inter Doctores, an sicuti recipiens Ordinem Sacrum per coactionem non absolutam, sed conditionalem, non præcisam, sed causativam, vere recepit characterem, ita etiam teneatur ad continentiam, ex quo votum continentiæ est Sacro Ordini annexum, ut videri potest *in prima & secunda decis. coram* Cæsare de Grassis *tit. de his quæ vi, metusve causa fiunt*, hoc unum certum esse videtur, quod metus, licet conditionalis, præstat Pontifici justam causam dispensandi à voto continentiæ, quod est Sacro Ordini annexum, uti habetur in citata *decis. prima in fine*, ibi -- *Ideo Domini magis securum esse existimabant, quod iste Franciscus impetraret Dispensationem omnino à Papa, & dicebant quod hujusmodi metus præstat justam causam, illam concedendi*, & cohærenter ad hæc, quando in hac Sacra Congregatione non fuit comprobatus metus, eadem Sanctissimo Consilium præstitit à Dispensatione abstinendi, uti contingit *in Hispalen. nullitatis Ordinis* 25. *Martii*, & 2. *Maii* 1716. & è contra Consilium præstitit pro Dispensatione, quando sufficientes allatæ fuerunt metus probationes, uti contingit *in Ipren. Dispensationis* 16. *Decembris* 1719. Haud urgente, quod hæc exempla procedant in terminis Subdiaconorum, & non Diaconorum, cum in utroque casu eadem militet ratio, quod scilicet votum continentiæ non est de substantia Ordinis, sed illi accidentaliter annexum, ex statuto Ecclesiæ, itaut ad sui essentiam requirat liberam voluntatem, qua cessante, non obligat, uti recedendo à binis præcedentibus Decisionibus firmavit Rota *decis.* 870. *n.* 1. & 2. *cor. Emerix juniore.*

Per hanc semitam procedendo, Carolus de Coetlogon vir nobilitate conspicuus, cujusque Familia inter Britanniæ antiquiores adscripta, consanguinitatis, & affinitatis vinculo conjuncta est cum Illustrioribus Regni Franciæ Familiis, Sanctissimo Domino nostro exposuit, se per vim & metum à Patre incussum Subdiaconatum, & Diaconatum recepisse, enixe supplicando pro Dispensatione super voto continentiæ, & à Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sacram Congregationem.

Ad probationem autem metus descendendo, Carolus inquit se eam feciisse eo modo, quo fieri potest juxta praxim Galliarum, & hisce potissimum turbulentissimis temporibus; afferrque Epistolam Sanctitati Suæ scriptam ab Eminent. D. Card. de Bissi, quæ in Summario exhibetur, & in qua præter cætera in ipsa legenda, continentur hæc, quæ sequuntur.

Dicit Eminentia Sua in citata Epistola, primo se audivisse Patrem de Tournemine Religiosum Societatis Jesu, & Sanctitati Suæ bene cognitum, Carolique Oratoris Nepotem, qui asseruit sibi constare, Marchionem de Coetlogon suum magnum Avunculum violentæ admodum naturæ minatum fuisse Carolo filio exhæredationem, ni Sacros Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus susceptisset, eumque, utpote spatio sex annorum Ordines recipere recusantem, spoliasse annuo redditu duarum millium centum, & amplius Librarum Turonensium ipsi assignatarum, & Carolum semper manifesta dedisse indicia suæ aversionis à Sacrorum Ordinum susceptione, uti fusius legitur in citata Epistola.

Refert secundo, se audivisse Ludovicam de Coetlogon Caroli Patruelem, quæ post redditam attestationem de violenta memorati Patris natura, addidit notorium toti Familiæ fuisse, Oratorem per vim, & metum sibi à Patre incussum, fuisse Sacris Ordinibus initiatum, Patremque voluisse, ut ille à Seminario S. Sulpitii exiret, ex quo Superiores, qui ejus aversum animum bene noverant, nolebant, quod ad Ordines Sacros promoveretur.

Refert tertio, se audivisse Sacerdotem Laurentium de la Garde Cæremoniarum Magistrum in Parochia, & Seminario S. Sulpitii, virum tum ætate, tum moribus gravem, quique à Patre electus fuit, ut filii curam haberet, & eum induceret ad statum Ecclesiasticum; dictumque Sacerdotem narrasse, se pluries Patri notificasse, quod filius nolebat Ordinibus Sacris initiari, & quod ad eos vocatus non erat, quodque Pater obduratus respondit, ad se, & non ad alium pertinere judicium ferre de vocatione filii sui, addendo Carolum aliquando noluisse suum nomen inscribi in Albo Ordinandorum, nec se eum unquam vidisse Subdiaconalia, aut Diaconalia munera exercentem, quæ circumstantia fuit etiam exposita à Ludovica secunda Teste.

Refert quarto, se audivisse Joannem Sourdrille civem Parisiensem, qui per multum temporis spatium Cellerarii Officium exercuit in domo Marchionis de Coetlogon, qui inquit ab eo fuisse Carolum filium bis è domo ejectum, & pluries percussum propter aversionem, quam habebat à statu Ecclesiastico, & à Sacris Ordinibus; fuisse ulterius à Patre spoliatum annuo redditu duarum mille centum, & triginta quinque Librarum, itaut Carolo ad miseriam redacto, ipse pietate motus nummos pro substentatione aliquando subministraverit.

Refert denique, se audivisse Parochum S. Sulpitii Languet de Gergis Pastorem maximopere commendabilem, tum propter zelum animarum, tum propter eximiam venerationem, quam erga Apostolicam Sedem profitetur, qui dixit, se suis literis Sanctissimo Domino Nostro exposuisse, quod Carolus invito animo fuerat Sacris Ordinibus initiatus.

Præter Epistolam memoratam Eminentissimi D. Card. de Bissi, affertur Epistola Patris Tournemine scripta Sanctissimo Domino nostro, una cum testimonio relati Parochi S. Sulpitii, in quibus invitus Caroli animus, Patris durities, ejusque malæ artes, ut filius Sacros Ordines reciperet, exponuntur.

Quibus proinde concurrentibus, onus erit EE. VV. decernere.

An sit locus dispensationi super voto continentiæ in casu &c. die 12. Julii 1721. Sac. Congregatio Conc. respondit -- *Affirmative*.

Quam-

Quamplurima in subjecta materia Dispensationum exempla, citato nostro Justo, ac Voto æternæ mem. D. Archiepiscopi Bottini refert Ursaya *tom. 2. part. 1. discept. 13.*

ARGUMEMTUM.

Mulier Hebræa ad Fidem conversa, & an Italia degens, an possit aliud matrimonium contrahere cum Fideli, omissa interpellatione, stante latitatione Viri in Infidelitate permanentis; & an super hujusmodi interpellatione possit dispensari. Juxta tradita per D. Justi lib. 2. cap. 15.

CASUS XXXIV.

FLORENTINA.

ANna Maria Theresia Medicea, Divina inspirante Gratia, Judaicam perfidiam abjuravit, *& die 29. Octobris anni elapsi* 1721. una cum quatuor filiis Sacrum Baptismum recepit. Dum Anna erat in statu Infidelitatis matrimonium contraxerat cum Abrahamo Barda Hebræo, à quo tamen, juxta ritum Judæorum, usque de anno 1710. libellum habuerat repudii. Cumque Anna prædicta promptam habeat occasionem nubendi cum Antonio Cecchio milite Christiano, & periculum sit in mora, & Abraham in longinquis degat regionibus, absque eo, quod tuto sciri possit, in quo loco versetur, exorta est Florentiæ disputatio, an Abraham prædictus sit de jure interpellandus, & quatenus affirmative; an concurrentibus circumstantiis possit Anna matrimonium facere cum milite Christiano, omissa ex superiorum indulgentia memorata interpellatione; & à Vicario Capitulari Florentino, qui omnia prædicta in sua informatione refert, hujusce Sac. Congregationis Oraculum expositur.

Ducto initio ab interpellatione, Apostolus Paulus *in 1. Ad Cor. cap. 7.* inquit -- *Nam cæteris ego dico non Dominus, si quis Frater Uxorem habet Infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier fidelis habet virum Infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat Virum &c. quod si Infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.*

A quibus Apostoli verbis sicuti deducitur, quod per conversionem ad fidem unius ex conjugibus tunc tantum solvitur matrimonium quoad vinculum, quando alter remanens in Infidelitate, non vult converti, vel non vult habitare sine contumelia Creatoris, uti perpendit Innocentius III. *in cap. Quanto de divort.* ibi -- *Si enim alter Infidelium Conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit? & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, Infidelis discedit; discedat; Frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi; & Canonem etiam, in quo dicitur, contumeliæ Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur.*

Ita infertur Conjugem Fidelem debere de necessitate Conjugem Infidelem interpellare, an velit converti, & cohabitare sine contumelia Creatoris, ad effectum, ut ad alia vota sibi liber aditus esse debeat, uti late docent Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 74. num. 12.* Salmanticens. *tract. 9. de matr. cap. 4. num. 48.* Card. de Lauræa *de matr. disp. 16. num. 198. & 202.* Clericat. *de Sacr. matrim. dec. 11. num. 24.* ubi formam per extensum refert hujusce interpellationis.

Haud urgente, quod usque de anno 1710. Abraham vir miserat ad mulierem, de qua nunc agitur, libellum repudii, itaut ipsa remanserit in libertate alium ducendi virum, uti habetur in *Deuter. cap. 24.* Cum enim Christus Dominus *Matth. 19.* dixerit Moyses ad duritiam cordis permisisse Judæis, ut uxores dimitterent, sed ab initio sic non fuisse; & hoc iterum dixerit Marci *cap. 10.* concludendo -- *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, docent communiter Theologi hodie Judæis non esse permissum uxores suas repudiare, & per repudium non solvi vinculum matrimonii; Christus enim Dominus illud reduxit ad suum primævum statum, hoc est ad indissolubilitatem, non statuendo novam legem, sed auferendo Dispensationem, quæ circa dictam indissolubilitatem fuerat concessa, Medina *de continentia contr. 1. cap. 10.* Card. Bellarm. *contr. de matr. c. 15. & seqq. tom. 2.* Cornel. à Lapid. *in Deuter. cap. 24.* Sanch. *de matr. lib. 10. disp. 1. num. 7. & seqq.* Lessius *in 3. part.* Div. Thom. *de Sacr. matr. cap. 5. n. 92. dub. 3.* Pont. *de matr. lib. 7. c. 50.* Clericat. *de matr. dec. 9. n. 46.* Pignattell. *tom. 8. Consult. 93.*

Et licet hisce minime obstantibus, etiam hodie inter Hebræos, scientibus, & tolerantibus Superioribus Ecclesiasticis, vigeat praxis repudii, adhibitis nonnullis solemnitatibus, uti late prosequuntur Marquard. *de Judæis par. 2. cap. 8. num. 4.* Joseph Sessa *de Judæis cap. 33. num. 21.* Tondut. *quæst. Benef. cap. 48. num. 21. & 22.* Laurent. *dec. Aven. 57.* Bertrand. *cons. 119. lib. 2. cons. 132. lib. 6. & cons. 124. lib. 7.* Hæc tamen, & similia poterunt ad summum sibi locum vindicare in repudio inter Infideles misso, & iisdem in Infidelitate permanentibus; secus autem quoties, prout hic, alter ex eis ad Fidem conversus est, ut probat Textus Innocentii III. *in cap. Gaudemus de divort.*

Hæc quod necessitatem interpellationis, de jure loquendo; post quæ transitum faciendo ad punctum, an stantibus circumstantiis ex superioris indulgentia omitti possit in casu interpellatio, refert Vicarius Capitularis, primo, periculum esse in mora si interpellatio facienda sit, & si ante matrimonium expectandus sit lapsus temporis interpellatione præfigendi. Secundo, elapsum esse tempus undecim annorum à die repudii ab Abraham missi, absque eo, quod ille unquam de uxore, & filiis requisiverit. Tertio libellum repudii esse conceptum verbis adeo injuriosis, ut nullum spei vestigium supersit reditus viri ad uxorem repudiatam. Ultimo denique, ignorari an Abraham sit vivus, aut mortuus, nec ullam à die discessus habitam fuisse notitiam loci, quem ipse petiit.

Concurrentibus autem consimilibus circumstantiis, nonnulli putant, posse jure suo Conjugem Fidelem, omissa interpellatione viri Infidelis, transire ad alia vota, Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 74. num. 14. & 15.* Sicque fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana decisum referunt Genuens. *in prax. d. Cur. cap. 27. n. 20.* Ricc. *in prax. par. 1. res. 241.* & hæc opinio tanquam probabilis admittitur à Dian. Coord. *tom. 2. tr. 6. res. 124.* Et in terminis Hebreæ ad Fidem conversæ, & hic in Italia degentis, quod stante latitatione viri in Infidelitate permanentis, possit, omissa interpellatione, aliud matrimonium contrahere, docuerit Comitol. *lib. 1. q. 124.* Clericat. *de Sac. matr. dec. 11. n. 29.*

E' contra alii censent, quod etiam concurrentibus circumstantiis, de jure sit locus interpellationi, sed quod si illæ graves sint, recurrendum esse ad summum Pontificem, cujus est in eo rerum statu indulgere, ut omissa interpellatione, Conjux Fidelis ad alia vota transire possit; Pont. *de matr. lib. 7. cap. 48. num. 22.* Nicol. *in lucubr. civil. lib. 1. tit. 10. de nupt. num. 43.* ubi dicit sic fuisse resolutum ab hac Sac. Congreg. & faciunt Apostolicæ literæ Gregorii XIII. apud Pignattell. *consult. 93. tom. 8. versus fin.* in quibus singulis locorum Ordinariis, Parochis, Presbyteris Missionariis Societatis Jesu in Angola, Ethiopia, & Brasilia degentibus concessit, ut si aliquis ex Conjugibus ad Fidem convertatur, & alius in Infidelitate remaneat, quoties sibi summarie, & extrajudicialiter constiterit Conjugem Infidelem abesse, & legitime moneri non posse, dispensare valeant, ut Conjux Fidelis, omissa interpellatione, aliud contrahat matrimonium.

His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere, *I. An de jure necessaria sit interpellatio in casu &c.*

& qua-

& quatenus affirmative. II. An, stantibus, circumstantiis, indulgenda sit dispensatio ab interpellatione in casu &c. Die 17. Januarii 1722. Sac. Congreg. respondit -- *Ad utrumque Affirmative.*

ARGUMENTUM.

Matrimonia secreta, seu occulta, & quæ dicuntur Conscientiæ, utpote quæ celebrantur de licentia Episcopi, absque publicationibus, coram solo Parocho, & duobus Testibus de secreto servando juratis, sint valida, & licita, & extradenda sit authentica attestatio hujusmodi matrimoniorum si petatur ab interesse habentibus. In supplementum eorum, quæ habentur apud D. Just. lib. 2. cap. 19.

CASUS XXXV.

DUBIUM MATRIMONIORUM.

IN nonnullis Diœcesibus mos inolevit celebrandi quædam matrimonia secreta, quæ etiam dicuntur *Conscientiæ*, modo sequenti. Habetur à futuris Conjugibus recursus ad Episcopum, & facta eidem expositione, quod Cajus, & Berta cupiunt matrimonio copulari, & quod exoptant, quod id ad aliorum notitiam non deveniat, vel quia sunt disparis conditionis, vel quia usque tunc habiti fuerunt pro legitimis Conjugibus, licet essent concubinarii, vel quia aliæ consimiles urgent circumstantiæ; Ordinarius nedum indulget, ut deveniatur ad celebrationem matrimonii absque denuntiationibus, sed ulterius mandat Parocho, seu alteri Sacerdoti sibi bene viso, ut matrimonio contrahendo intersit, una cum duobus Testibus, imposita; tum Sacerdoti, tum Testibus lege inviolabilis secreti, & quod ad calcem licentiæ sic contrahendi, fiat à Sacerdote attestatio de matrimonio contracto, eademque intra tres dies ad se deferatur, asservanda inter matrimonia secreta suæ Diœcesis; & in hypothesi, in qua subdelegetur Sacerdos, qui non sit contrahentium Parochus, ut matrimonio intersit, demandatur, ut restauretur damnum bursale Parocho, qui ad tramites juris debuisset matrimonio interesse.

Contractis hisce matrimoniis secretis, sive Conscientiæ, datur aliquando casus, quod vel filii ex illis nati, vel consanguinei ad hæreditatem primi mariti vocati, casu quo mulier transeat ad secunda vota, aut alii quomodocumque interesse habentes instent penes Episcopos pro authentica fide matrimonii contracti, & in prædictis circumstantiis insurgit disputatio, an petita attestatio sit, necne extradenda.

Episcopus, qui degit in regionibus, in quibus matrimonia hæc passim contrahuntur, oraculum exposcit hujusce Sac. Congregationis super dubiis infra referendis.

Adnotationes R. P. D.

PROSPERI DE LAMBERTINIS

S. Cong. Concilii Secretarii circa prædictum dubium.

1 NOnnulla in Sacra Antiquitate, & in Jure Canonico vestigia de matrimoniis secretis, & occultis, licet sine nomine matrimoniorum Conscientiæ inveniuntur. Sed his omissis, quæ infra in hisce adnotationibus commodius exponentur, transitus faciendus est ad eas matrimoniorum secretorum, & occultorum, & quæ Conscientiæ dicuntur, species, de quibus apud recentiores Auctores sermo habetur, & quæ in nonnullis regionibus passim contrahuntur.

2 Prima species est earum sacrilegarum conjunctionum, quæ matrimonia Conscientiæ dicta sunt, & quæ de consilio impii Apostatæ Marci Antonii de Dominis secreto contrahi debebant, & semoto quocumque arbitro à viris, licet constitutis in Sacris Ordinibus, ad evertendum, ut ipse profitebatur, frequens incontinentiæ periculum.

3 At hæc est abominatio desolationis stans in loco Sancto; cæteris etenim prætermissis, Anathema est, quicumque dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, & contractum validum esse *juxta Canon. nonum sess. 24. de matrim.* & pluribus hanc speciem matrimonii conscientiæ docte de more impugnat Theophylus Raynaud. *oper. tom. 16. in opere, cui titulus Heteroclita spiritualia pag. mihi* 183. *num.* 28.

4 Secunda species matrimoniorum Conscientiæ ea est, quando inter virum, & fœminam de facto matrimonium contrahitur sine denunciationibus, & sine præsentia Parochi, & Testium. Matrimonium hoc revera dicitur Clandestinum, sed à plerisque etiam denominatur matrimonium Conscientiæ, Teste Carolo Feuret *in tractatu de Abusibus tom. 2. lib. 5. cap. 2. num.* 38.

5 Verum in hujusce generis assertis matrimoniis, vel ut aptius loquar, in eorum examine tempus tenendum non est, vel enim in locis, in quibus contrahuntur publicatum fuit Decretum Concilii Tridentini *sess. 24. cap. primo de reform. matrim.* & matrimonia nulla sunt, vel Decretum non fuit publicatum, & matrimonia ad summum erunt valida, sed illicita juxta Textum *in Canon. Aliter. in Canon. Nullus in Canon. Nostrates.* 30. *quæst. 5. & in Canon.* Lotharius 31. *quæst. 2.*

6 Tertia species matrimoniorum Conscientiæ est, quando vir, & mulier, fide sibi conjugii invicem data matrimonium contrahunt, antequam dispensationem obtineant, quæ pro dicto matrimonio contrahendo valide erat, necessaria, & hoc interim copulam exercent, data tamen promissione de celebrando solemniter deinde conjugio coram Parocho, & Testibus, quando supervenerit dispensatio, vel adimpleta fuerit alia conditio, sub qua matrimonium contractum est.

7 At usus conjugii in prædictis circumstantiis nefarius est, nec ullo modo tolerabilis, ut late ostendit Theoph. Raynaud. *loco supra citato pag. mihi* 184. *num.* 29.

8 Quarta species matrimoniorum Conscientiæ est, quando obtenta ab Episcopo Dispensatione à proclamationibus, necnon facultate, ut alienus Sacerdos, qui non sit contrahentium Parochus, matrimonio intersit, contrahitur matrimonium per Procuratores; qui ut plurimum sunt contrahentium Confessarii, binique Testes advocantur, inter se, & contrahentibus, & Parocho incogniti, hac intentione, ut exaturata libidine, aut excitata, ut facile fit, ostensione, Conjuges impune separentur, & unusquisque acquirat libertatem alterum contrahendi matrimonium, remanentibus interea liberis natis in classe illegitimorum.

9 Simplex facti expositio detestabilem patefacit hunc agendi modum, & sic contrahentes, si non resipiscant, sunt in statu perpetuæ damnationis, uti late, & docte de more ostendit sæpe citatus Theophl. Raynaud. *pag. mihi* 184. *loco alleg. num.* 30. *& 31.*

10 Quinta matrimoniorum Conscientiæ species est, quando ad avertendum scandalum conceditur à Superiore, & signanter à Cardinali majori Pœnitentiario dispensatio à denunciationibus, una cum facultate, ut Parochus contrahentium, qui sunt veri concubinarii, sed pro legitimis Conjugibus passim habentur, matrimonio eorum intersit una cum duobus Testibus confidentibus, apposita in literis Sacræ Pœnitentiariæ consueta clausula *Laceratis*, quæ alias dicebatur *Laniatis*, in cujus sequelam, contracto matrimonio, Epistola dicti Tribunalis laceratur, & matrimonium in libro non adnotatur.

11 Non videtur esse dubitandum, de validitate, & legitimitate hujus matrimonii, cum in eo adsint omnia substantialia, & certa sit facultas summi Pœnitentiarii quoad Dispensationem à denuntiationibus, & difficile sit circumstantias aptiores invenire pro concedenda Absolutione à dictis denuntiationibus; si etenim concubinarii passim habentur pro legiti-

gitimis Conjuglbus, quotquot audirent matrimonium esse inter eos contrahendum scandalum absque dubio pateretur,

12 Ab hac tamen facti serie nemo est, qui non videat mala aliqua derivare posse; utque res fiat clarior exemplo, sciendum est olim contractum fuisse coram Parocho, & Testibus matrimonium inter duos, qui habebantur pro legitimis Conjugibus, sed erant Concubinarii, & laceratam fuisse à Parocho Epistolam Sacræ Pœnitentiariæ, & matrimonium non fuisse in libro adnotatum.

13 Mortuo Parocho, qui matrimonio interfuerat, Conjuges petierunt à Parocho successore attestationem de matrimonio contracto, ut Prolis indemnitati consulerent; sed Parochus successor nullam fidem præstans sive Conjugum assertioni, sive Testibus, qui matrimonio interfuerant, & adhuc vivebant, ad amputandam quamcumque controversiam, virum, & fœminam admonuit, ut iterum coram se, & duobus Testibus contraherent.

14 Difficultate excitata, an posset consensus hic matrimonialis iterari coram Parocho, & Testibus, quando contrahentes asserunt medio juramento, se eum alias coram Parocho, & Testibus, præstitisse, & quæstione delata ad hanc Sacram Congregationem, disputatum fuit *die 19. Septembris* 1684. sequens dubium, *an in conscientia, & absque peccato possent præfati Contrahentes coram dicto Parocho, & Testibus renovare consensum*, & responsum fuit *negative, & ad mentem*, & mens fuit, ut invenio adnotatum à R. P. D. Altovito tunc Secretario quod modernus Parochus, recepta etiam oretenus depositione Testium, qui interfuerunt contractui matrimonii, atque recepto ipsorum Conjugum juramento super veritate dicti contractus matrimonii, sibique per eosdem Conjuges exhibito duplicato literarum Pœnitentiariæ, matrimonium describeret in libro,

15 Salva reverentia: quicunque summis, uti dicunt labiis, stylum Sacræ Pœnitentiariæ degustavit, bene dignoscere poterit responsum Sacræ Congregationis inexequibile fuisse? si etenim in Epistola Sac. Pœnitentiariæ, nec nomina contrahentium, nec Parochi exprimuntur, expeditio duplicati Literarum Pœnitentiariæ non erat ullo modo praticabilis; qualis fuerit memoratæ causæ finis, ignoratur; at ad avertenda consimilia inconvenientia mos subinde in Sac. Pœnitentiaria inolevit, ut petentibus Concubinariis, qui habentur pro legitimis Conjugibus facultatem contrahendi matrimonium sine denunciationibus, & coram proprio Parocho, & duobus Testibus confidentibus, eadem concedatur, sed absque clausula *Laceratis*, & cum positivo mandato, ut matrimonium à Parocho in libro describatur; & quia inter Concubinarios adest aliquando impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, sed occultum, binæ fiunt in Sac. Pœnitentiaria expeditiones, altera, quæ Confessario dirigitur pro concedenda Dispensatione super impedimento, & in hac apponitur clausula *Laceratis*, & altera, quæ dirigitur proprio Contrahentium Parocho, ut matrimonio interfit, una cum duobus Testibus confidentibus post receptam tamen à Confessario Dispensationem super impedimento, & in hac expeditione, quæ dirigitur Parocho, non apponitur, uti supra dictum est, clausula *Laceratis*, sed additur, ut matrimonium describatur in libro, & si in aliqua urgentissima, sed rarissima circumstantia, hæc expeditio alteri Sacerdoti, facto verbo cum Sanctissimo, & non Parocho dirigitur, huic demandatur Sacerdoti, ut post aliquod tempus determinatum adnotare faciat in libro Parochiali matrimonium, una cum facultate sibi data eidem assistendi.

16 Sexta matrimoniorum Conscientiæ species est, quando vir, & fœmina obtenta à Superiore dispensatione à denunciationibus, matrimonio copulantur aut coram Sacerdote ab Episcopo delegato, aut coram Parocho, & duobus Testibus confidentibus, quod signanter ut plurimum contingit, quando vir, & mulier sunt disparis conditionis, vel quando Consanguinei Contrahentium matrimonio adversantur, & matrimonium à Parocho describitur in libro ita tamen, ut hujus matrimonii partita obsignetur de mandato Episcopi, & cum præcepto, quod non aperiatur, nisi de Episcopi pro tempore consensu, qui modus passim practicatur hic in Urbe, vel si non describitur in libro, describitur in pagina, quæ Episcopo consignatur, ut in actis Curiæ Episcopalis conservetur inter matrimonia secreta; & in Germania quando Viri Illustres, qui primam habuerunt uxorem nobilem, & ex filios procreaverunt, & ad evitandam fornicationem, mortua prima uxore, contrahunt cum fœmina inferioris conditionis, sed secreto, licet coram Parocho, & Testibus, & prævia Dispensatione à denunciationibus, pactum apponere consueverunt, ut hæc uxor, & liberi ex ea procreandi certa portione ad substentationem necessaria contenti esse debeant, sed conditionem, & dignitatem mariti non participent, & à cæteris bonis Avitis, & Paternis, & Titulis, & Insignibus abstineant; & hæc matrimonia Conscientiæ in Germania passim dicuntur *ad Morganaticam*; Morganegiba etenim apud Saxones donum appellabatur, quod maritus uxoris offerebat in die Nuptiarum, uti habetur *in Spicilegio Acheriano tom. 12. pag. 153. & in celebri Glossario Domini Ducange tom. 2. in verbo Morganegiba.*

17 Pugnant pro validitate horum matrimoniorum Conscientiæ, quæ dicuntur *ad Morganaticam*, Theologi, & Canonistæ Germani; dicunt etenim nullam hoc matrimonium præseferre turpitudinem, sed honestatem ex fine relucere, tum ut vir non valens continere sit extra periculum illiciti concubitus, tum ne Liberis prioris matrimonii, aut Agnatis per divisionem bonorum præjudicium afferatur, ut inter Theologos, & Canonistas ex Benedictina Familia bene docent Coninck *ad tit. de sponsalibus & matrim. num. 91. quæst. 1.* Schmier *in Tractatu de successionibus hæreditariis part. 2. cap. 3. num. 45. & seqq.* Merl. *in tract. juridico de sponsal. & matrim. par. 2. cap. primo, sect. 2. §. 4. num. 72. & seqq.* & ex Patribus Societatis Jesu Vitus Pichler *in summa jurisprudentiæ Canonicæ lib. 4. tit. 1. de matrim. §. Primo sub num. 75.* Schmalzgrueber *ad lib. 4. Decretal. tit. 1. de sponsal. & matrim. sect. 2. §. Primo num. 237. & pluribus seqq.*

18 At quidquid sit de hisce matrimoniis, quæ dicuntur *ad Morganaticam*, quæ hic in Italia non sunt in usu, in eo quod attinet ad ea occulta, & quæ dicuntur matrimonia Conscientiæ, quæ contrahuntur, aut coram Sacerdote ab Episcopo delegato, aut coram Parocho, & Testibus confidentibus, prævia dispensatione à denunciationibus, & cum hoc, ut matrimonium, vel adnotetur in libro, ita ut partita obsignetur, non aperienda, nisi de ordine Episcopi pro tempore, vel adnotetur in Pagella Episcopo consignanda, & ab eodem inserenda in libro particulari matrimoniorum secretorum, videtur, quod hujusmodi matrimonia sint valida, & licita.

19 Et quidem quod sint valida, patet, quia denunciationes non sunt de substantia matrimonii, & matrimonium sine illis contractum validum est, juxta communem opinionem, de qua ad tramites resolutionum hujusce Sac. Congregationis late prosequuntur Gonzal. *in cap. cum inhibitio num. 7. de Clandestin. despensat.* Valensis *ad eund. tit. Decretal. num. 5.* Piring. *ad lib. 4. Decretal. eod. tit. de Clandest. desponsat. §. 4. num. 28.* Beccanus *in summa tract. de Sacram. quæst. 3. tit. de desp. Clandest. tit. 3.* Diana *in edit. coord. tomo 2. tract. 6. de Sacramento matrimonii resolut. 62.*

20 Rursus matrimonium hoc licitum dici posse videtur; licet enim denunciationes fuerint à Concilio Lateranensi præscriptæ *in cap. cum inhibitio de Clandest. desponsat.* eædemque iterum fuerint demandatæ *à Concilio Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* justa nihilominus subsistente causa, potest Episcopus dispensare, ut vel eædem non præmittantur ante contractum matrimonii, sed post illum, & ante consum-

ſummationem, vel ut eædem omnino prætermittantur, uti late oſtendunt Salmanticenſes *in curſu Theolog. moral. tom. 2. tract. 9. de matrim. cap. 8. punct. 7. num. 81.* & in matrimoniis hiſce Conſcientiæ, quæ fiunt coram Parocho, & duobus Teſtibus confidentibus, difficile admodum eſt, quod non adſit ſufficiens cauſa diſpenſandi; ut plurimum etenim hæc matrimonia contrahuntur, vel inter Concubinarios, qui habebantur pro legitimis Conjugibus, vel inter virum, & fœminam diſparis conditionis, vel in hypoteſi, in qua Conſanguinei matrimonio adverſantur; cumque nihil aliud ad rem, de qua agitur, ſuperſit, quam verba facere de deſcriptione horum matrimoniorum in libro, mandat utique *Sac. Synodus ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 1.* quod Parochus habeat librum, in quo Conjugum & Teſtium nomina, diemque, & locum contracti matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat, & hoc ipſum præſcribitur in Rituali Romano. Sed prætermiſſo, quod defectus adnotationis in libro non irritat matrimonium, *juxta deciſ. 251. num. 36. coram Ottobon.* & quod aliunde, quam ex Parochi libro matrimonium probari valet, juxta *deciſ. 402. num. 5. & 6. part. 22. recent. & deciſ. 184. num. 13. coram Priolo*; Vis ſtat in hoc, quod matrimonia de quibus agitur, deſcribuntur in libro, & de mandato Epiſcopi partita obſignatur, non aperienda, niſi de ſuo, vel ſucceſſorum aſſenſu, itaut adimpletum dici debeat totum id quod à Concilio ſtatuitur, & à Rituali circa matrimoniorum deſcriptionem in libro. Parum urgente, quod aliquando matrimonia à Parocho deſcribuntur in pagella, quæ Epiſcopo conſignatur, ut inter matrimonia ſecreta conſervetur; hæc ſiquidem accidentalis differentia apta nata eſſe non videtur ad efficiendum, ut matrimonium, quod, ſecluſa ipſa, eſſet licitum, per ipſam illicitum evadet, & multo magis cum juxta praxim plurimarum Diœceſum, quæ ex Synodis Diœceſani deſumitur, exemplaria librorum matrimoniorum proprio ſubſcripta caractere Parochorum, quolibet anno ſint deferenda ad Præfectum Epiſcopalis Archivii, ut in eodem cuſtodiantur, & ne, obeuntibus Parochis, Libri remaneant in manibus Hæredum tradendi vel igni; vel Salſamentariis, vel ſordidis aliis uſibus adhibendi, cum nimio detrimento Parochianorum, & civilis vitæ, atque commercii, uti pluribus habetur apud Franciſcum Genettum, *in Thel. moral. tom. 6. tract. 9. cap. 4. de Sacram. matrim. quæſt. 6.*

21 Abſque eo quod ulla adverſus hæc matrimonia excitari valeat oppoſitio, ex quo aliquando non Parochus, ſed alius Sacerdos iiſdem intereſt; matrimonium etenim contrahi debet vel coram proprio contrahentium Parocho, vel coram alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, juxta *ſect. 24. cap. 1. de reform. matrim.* & quando huic Sacerdoti onus imponitur, ut matrimonium, una cum facultate ſibi data intra tempus determinatum debeat adnotare facere in libro Parochi, vel notam ad Epiſcopum delegantem deferre, ut ea inter matrimonia ſecreta in Archivio Epiſcopali conſervetur, omnis ceſſare videtur amaritudo.

22 Nonnullæ ex antiquo jure Canonico ſanctiones afferri poſſe videntur pro aſſumpto corroborando; *in Canon. etenim Chriſtiano diſt. 34.* ita legitur -- *Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco, uxoris, ſi conjux deeſt; concubinam* -- & *in Canon. Is, qui eadem diſt. 34.* hæc habentur -- *is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à Communione non repellatur, tamen, ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ ſit conjunctione contentus* -- Duplex ex horum Sacrorum Canonum intelligentia. Altera eſt ſingularis eruditi alioquin viri Ferdinandi de Mendoza ad *lib. 2. com. in Concilium Eliberitanum*, ubi ait, Canones prædictos intelligendos eſſe de Concubinis, quæ erant illicite conjunctæ cum viris, qui tamen erant ſoluti; licet enim taliter conjuncti viverent in ſtatu damnationis, ea nihilominus macula adeo tunc communis erat, ut ad vitanda ſcandala, & plurima graviſſima mala viſum fuerit non negare eis Communionem.

Altera communior intelligentia eſt, ut nomine 23
Concubinæ legitima uxor intelligatur, ſed copulata cum minori ſolemnitate, aut ſine ſolemnitate, uti adnotavit Gratianus *ad finem Canonis omnibus diſt. 34.* ibi -- *Concubina hic ea intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis, unita eſt, & conjugali affectu aſciſcitur; Hanc conjugem facit affectus; concubinam vero lex nominat* -- & hanc intelligentiam late exornant Cardinalis Bellar. *lib. 3. de Concil. cap. 8. ad 11. objectionem*, Cardinalis de Aguirre *in notis ad Canon. 17. Concilii Primi Toletani, tom. 2. pag. 148. num. 25.* latiſſime Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 54. per totam*, noviſſime Canonicus Raynaldus *voto 181. per totum*.

Adeoque ſi juxta antiquam Sacrorum Canonum 24
diſciplinam, matrimonia erant valida, & licita, licet nonnullæ ſolemnitates deficerent, nonniſi quia cætera, quæ erant neceſſaria, & ſubſtantialia non deerant, hoc ipſum aſſerendum eſſe videtur in matrimoniis Conſcientiæ, de quibus agitur, cum omnia in illis concurrant, quæ ſunt neceſſaria; & ea, quæ deſunt, inter ſolemnia ſint referenda, uti ad rem argumentatur Thophyl. Raynaud. *oper. tom. 16. in eo cui titulus Heteroclita Spiritualia pag. 186.* ibi -- *Exiſtimo poſſe in hanc rem transferri, quæ de immuni culpa concubinarum, ideſt uxorum abſque ſolemnitate ductarum uſu etiam poſt Chriſtum ſcribit* Baſilius Pontius &c.

Hucuſque deducta ſuadere poſſe videntur ſextam 25
hanc matrimoniorum Conſcientiæ ſpeciem eſſe validam, & licitam, ſed prædictis minime obſtantibus, ſcandalum urget, quod ea matrimonia reddere poteſt illicita; multi, & multi etenim ignorantes virum, & fœminam eſſe matrimonio conjunctos, ſcandalizantur, cum vident eoſdem inſimul cohabitare, nec ullum à Superioribus Eccleſiaſticis verbum moveri adverſus prædictas cohabitationes Theophil. Raynaud. *loco citato ſub num. 33.* proponit adverſus hæc matrimonia malum memorati ſcandali, ibi -- *Certum eſt unumquemque teneri bene Proximum ædificare, & nulli ſcandalum, ſive offendiculum præbere, juxta illud Chriſti, væ mundo à ſcandalis. Nec ago de ſcandalo ſpeciali, quod admittitur per directam damni ſpiritualis à Proximo incurrendi volitionem; id enim eſt peccatum plane ſatanicum, vix cadens in pectus humanum. Ago igitur de ſcandalo dumtaxat generali, in quo volitio ruinæ ſpiritualis alienæ non eſt niſi indirecta, nec eſt peccatum ſpeciale, ſed pertinet ad eam malitiæ ſpeciem, in quam is, qui ſcandalum patitur verbo, vel exemplo, aliave occaſione, ſive cauſa occaſionem datam excuſantem inducitur, quantum eſt vi verbi, vel exempli, aut occaſionis*.

Cumque idem Auctor dicat non eſſe habendam 26
hujuſce ſcandali rationem, quando adeſt juſta cauſa matrimonium modo prædicto contrahendi, ibi -- *at ſi juxta cauſa clam contrahendi interveniat, vacabunt culpa Conjuges ſic contrahendo, & ſcandalum non erit datum, ſed acceptum; neque enim quiſquam cum gravi ſuo damno ſpirituali, aut temporali, tenetur conſulere evitationi peccati alieni, quod continget admitti, male accepta occaſione ex facto ipſius, alioquin bono, vel indifferenti &c. ex quo fundamento excuſantur à culpa qui vendunt res indifferentes, eaſve exhibent illis, quos vident culpa ſua iiſdem abuſuros &c. Et ex eodem fundamento immunes ſunt à culpa, qui per aliquod tempus, dum commodam opportunitatem præſtolantur, Fidem Catholicam publice profiteri differunt ne incurrant in grave periculum vitæ, aut fortunarum, quamvis alii ex eo tantum, quod videant eos non profiteri publice Catholicam Fidem exiſtimaturi ſint eos eſſe Hæreticos*.

Infertur ex his, in abſtracto dici poſſe valida eſſe 27
& licita prædicta matrimonia, ſi ſufficiens adſit ſic contrahendi cauſa à Superiore Eccleſiaſtico approbata, ſed à ſingularibus factorum circumſtantiis pendere, an hoc, & illud matrimonium prædicto modo contra-

tractum licitum sit; & in abstracto pariter dici posse exhibendam esse authenticam attestationem matrimonii contracti, si petatur ab his, qui habent interesse, sed à singularibus pariter factorum circumstantiis pendere, an hic & nunc attestatio in hoc, & in illo casu sit exhibenda.

Atque hæc dicta sint sub censura, salvo semper &c.

Propositis in Sac. Congregatione Concilii die 9. Septembris, & 2. Decembris 1724. hisce dubiis -- *I. An prædicta matrimonia secreta, seu Conscientiæ sint licita in casu &c. II. An, instantibus interesse habentibus, extradenda sit authentica attestatio matrimonii contracti in casu &c.* -- Eadem Sac. Congregatio rescripsit -- *Ad mentem.*

Bullæ in comprobationem, & pro supplemento eorum, quæ superius enarravit D. Justi lib. 3. cap. 2. à num. 81. ad 100.

BULLA

BULLA
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PAPÆ
BENEDICTI XIII.

In qua Eccleſia Cathedralis Lucana erigitur in Archiepiſcopalem.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei Ad Perpetuam Rei Memoriam. Inſcrutabili Divinæ providentiæ Arcano ſuper ſpecula militantis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, conſtituti, illiuſque vices gerentes in Terris, qui glorioſus regnat in Cœlis, in omnes Agri Dominici partes oculos noſtræ mentis vigilis more Paſtoris intendimus, inſpicientes, quod Eccleſiarum omnium, præſertim Cathedralium inſignium Statui, & decori maxime conveniat. Cumque id etiam per aliquam Tituli, & prærogativæ ſpecialitatem fieri Nobilium Perſonarum aliqua Dignitate fulgentium Vota expoſcant, & Nos ad Omnipotentis Dei ejuſque Genitricis Beatæ Mariæ ſemper Virginis gloriam, Animarumque ſalutem, & Fidelium diſciplinam confirmandam, augendamque in eis devotionem pertinere cognoſcimus, ut à Nobis gratias, & favores reportaſſe lætentur, in his ſollicitudinis noſtræ partes favorabiliter interponimus, opemque, & operas noſtras impendimus efficaces, prout Perſonarum ipſarum, ac locorum, & temporum qualitatibus, & circumſtantiis, matura conſideratione penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane, cum, ſicut accepimus, perveruſta Civitas Lucana, quæ in ameno, & fertili ſolo Etruriæ ſita, Nobilium æque, ac divitum Familiarum ſplendore conſpicua, Inclytæ etiam Comitiſſæ Matildis de Romana Eccleſia egregie meritæ, origine clara, Mœnium præſidio munitiſſima, Ædificiorum magnificentia celebris, & ſola in Etruria prædicta Reipublicæ, ac ſtrenue defenſæ Libertatis dignitate illuſtris exiſtit; Quæquæ prima fuit in eadem Etruria Civitas, quæ ſemen Evangelicum à Beato Petro Apoſtolorum Principe per Sanctum Paulinum primum illius Antiſtitem, tunc ad Regiones illas traſmiſſum, in ſinu ſuo alacriter, promptque excepit, ac fideliter, tot revolventibus ſæculis, benedicente Domino conſervavit, illiuſque Eccleſia Cathedralis à fœlicis recordationis Alexandro Papa Secundo Prædeceſſore noſtro, qui ante, & poſt adeptam Apoſtolicæ Sedis Dignitatem fuit Epiſcopus Lucanus, magnificentius extructa, ac Beato Martino Epiſcopo Turonenſi conſecratione dicata, celeberrima Crucifixi Imagine, & pluribus Sanctorum Corporibus, inſignibuſque Reliquiis copioſe ditata, præclaris etiam Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ac Imperatorum Privilegiis condecorata extiterit, ejuſque Antiſtes nulli unquam Metropolitano, ſed tantum eidem Sedi Apoſtolicæ à primæva ipſius Eccleſiæ Lucanæ inſtitutione immediate ſubjectus, reperiatur, omnibuſque Archiepiſcopalis Dignitatis potiatur Inſigniis; Pro divini Cultus, & Catholicæ Religionis augmento, majorique decore, & præeminentia in Archiepiſcopale erigi mereatur. Nos, quorum humilitatem Altiſſimus per ineffabilem divinæ ſuæ Bonitatis abundantiam ad Apoſtolicæ Dignitatis faſtigium evehere, & ſublimare dignatus eſt, quique pro noſtri Paſtoralis Officii debito curis excitamur aſſiduis, ut ad illa ſollicite intendamus, per quæ noſtræ proviſionis ope, & miniſterio ſingularum Eccleſiarum, in illis præſertim Civitatibus, quæ frequenti Nobilium Perſonarum interventu, & præſentia decorantur, gloriæ, & ornamento conſulitur, attentis dictæ Civitatis Lucanæ antiquitate, & ſplendore, ejuſque in Orthodoxæ fidei aſſiduo cultu præcipuis, & illuſtribus meritis, ac ipſius Civitatis, & Reipublicæ Lucanæ dilectorum filiorum Conſalonerii, & Optimatum precibus nobis ſuper hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, Civitatis, & Eccleſiæ Lucanæ prædictarum decori, & dignitati in præmiſſis opportune conſulere volentes, ac infraſcriptum Bernardinum Guinigi à quibuſvis Suſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, poſt habitam cum Venerabilibus Fratribus noſtris ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus maturam deliberationem, de eorum conſilio, atque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, Eccleſiam præfatam ad laudem, & honorem Omnipotentis Dei, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, nec non Fidei Catholicæ exaltationem, & totius militantis Eccleſiæ gloriam, in Archiepiſcopalem Eccleſiam, & Sedem Epiſcopalem Lucanam in Archiepiſcopalem, Archiepiſcopalis Præſidis Sedem, pro uno deinceps Archiepiſcopo, qui Pallii, & Crucis uſum aliorum Archiepiſcoporum more habeat, omnibuſque aliis Inſigniis Archiepiſcopalibus, prout antea habebat, nec non Privilegiis, honoribus, & prærogativis Archiepiſcopis debitis, & conceſſis, quibus præfatus Bernardinus, Epiſcopus, ac pro tempore exiſtentes dictæ Eccleſiæ Lucanæ Præſules, qui Sedi Apoſtolicæ ab ipſa inſtitutione immediate ſubjecti jamdudum potiri conſueverunt, ad præſens gaudent, firmis tamen remanentibus Privilegiis, honoribus, & prærogativis hujuſmodi, & citra ullum illorum præjudicium, etiam in poſterum frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſit, & valeat, Apoſtolica authoritate in omnibus, & per omnia, juxta Decretum in Conſiſtorio noſtro ſecreto deſuper editum, perpetuo erigimus, & inſtituimus, ac nomine, Titulo, & honore Archiepiſcopali decoramus, necnon Venerabilem etiam Fratrem noſtrum Bernardinum Guinigi modernum illius Epiſcopum, & pro tempore exiſtentes Eccleſiæ Lucanæ præfatæ Præſules, in Archiepiſcopos declaramus, eiſque, & eorum cuilibet, ut ipſi cætera ſingula, prout Archiepiſcopis in eorum Civitatibus, Diœceſibus à jure indultum exiſtit, facere, exercere, adminiſtrare, & exequi poſſit, eadem authoritate concedimus, & indulgemus. Ita quod idem Bernardinus Epiſcopus abſque alia, de ejus Eccleſia Lucana prædicta de novo facienda proviſione, ſeu prefectione, in Archiepiſcopum Lucanum Præfectus eſſe intelligatur. Præterea eidem Bernardino Archiepiſcopo, ut ipſe omnia, & ſingula quæcumque, quæ de Jure, vel conſuetudine, aut alias quoquomodo ad Archiepiſcopos, & Archiepiſcopale munus ſpectare, & pertinere ſolent, & debent, gerere, facere, & exercere libere, & licite poſſit plenam, & omnimodam authoritatem, earumdem tenore præſentium etiam concedimus, & indulgemus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula, de Jure quæſito non tollendo,

aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non præfatæ Ecclesiæ Lucanæ etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, eidem Ecclesiæ, illiusque Præsulibus, & Administratoribus, dilectis etiam Filiis Capitulo, & Canonicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa Scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine præfata, & Consistorialiter, & de simili consilio, aut alias quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, absolutionis, Erectionis, institutionis, decorationis, declarationis, concessionis, indulti, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo sexto iij. Idus Septembris Pontificatus nostri Anno III.

BULLA
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI XIII.
In qua Idem
SANCTISSIMUS

Motu proprio confirmando, & approbando literas Apoſtolicas ſel. rec. Lucii III. Alexandri etiam III. Martini V. ac Julii pariter III. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Lucan. ſuper uſu Mitræ ad inſtar. S. R. E. Cardinalium conceſſas, illas, ut in poſterum Capitulum, Dignitates, & Canonici præfatæ Eccleſiæ Lucanæ Omnibus Inſignibus, Indumentis, & Paramentis Abbatialibus uti, ac Populum ſolemniter benedicere, ac Crucem, Annulum, & Baculum geſtare, aliaque omnia Pontificalia ad inſtar Abbatum Uſum Mitræ, & Baculi habentium exercere reſpective poſſint, extendit, ampliat, & de novo concedit.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in Supremo Apoſtolicæ poteſtatis Throno, diſponente Domino, ſuper Univerſas Orbis Eccleſias conſtitutus, ad illas præſertim ſuæ indefeſſæ mentis aciem convertit, ut Divinus Cultus in eis, ut par eſt, in dies ſuſcipiat incrementum, Eccleſiarumque ipſarum Majeſtas magis eluceſcat, ſingulari ſuæ benignitatis Clementia, quantum ſibi ex Alto conceditur, Perſonas in eis Altiſſimo famulantium ſpecioſioribus ornamentis, & honorum titulis decorare, atque illuſtrare conſuevit, aliaque diſponit, prout Eccleſiarum, & Perſonarum earundem qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque, ſicut accepimus, alias Eccleſiam Lucanam, quæ ſingularibus inſignita prærogativis, & conſpicuis ornamentis, & honorum titulis decorata præfulget, felicis recordationis Julius PP. III. Prædeceſſor noſter, extendendo, & ampliando literas Apoſtolicas Lucii III. Alexandri etiam III. ac Martini V. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, in quibus Prædeceſſores hujuſmodi, quod tunc exiſtentes Capitulum, & Canonici præfatæ Eccleſiæ Lucanæ, eorumque Succeſſores in certis tunc expreſſis Anni ſolemnitatibus Pluvialibus induti, dum Divinis inſervirent, Mitram Albam Sericeam ad inſtar Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium geſtare poſſent, reſpective conceſſerant, quampluribus aliis Privilegiis, & gratiis decoraverit, & inter alia eiſdem Capitulo, & Canonicis, quod ipſi Capitulum, & Canonici etiam in Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, ac Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Omniumque Sanctorum, ac ſingulis Beatæ Mariæ Virginis reſpective Feſtis diebus, ſeu quoties eos proceſſionaliter, aut Capitulariter, vel ad aliquas Eccleſias Civitatis Lucanæ in quibuſdam Eccleſiarum ipſarum ſolemnis, prout moris eſt, accedere, ſive in dicta Eccleſia Lucana Feſta duplicia, & Sanctorum Corporum in illa degentium ſolemnia per eos celebrari, ſeu unum eorum, per quem Miſſa decantari, aut in celebratione Veſperarum Pluviale induere contigiſſet ad eorum libitum, ac modis & formis per præfatos Prædeceſſores, ſeu alterum eorum conceſſis, ſeu alias prout dictis Capitulo, & Canonicis expediens, & condecens eſſe viſum fuiſſet, eadem Mitra uti libere, & licite poſſent, & valerent Apoſtolica auctoritate perpetuo per alias ejuſdem Julii Prædeceſſoris Literas Apoſtolicas etiam conceſſerit, & indulſerit, ac alias prout in ſingulis literis hujuſmodi deſuper tunc confectis plenius continetur. Nos, qui Eccleſiarum omnium præſertim Cathedralium Privilegia, ad hoc ut Divinus Cultus in illis decentius, & honorificentius peragatur ſarta, tecta perſiſtere, quin immo illa augere concupiſcimus, attendentes ejuſdem Eccleſiæ Lucanæ conſpicuitatem, ac dictæ Eccleſiæ Lucanæ, illiuſque Capituli, & Canonicorum præfatorum decori conſulere, ac eoſdem Capitulum, & Canonicos amplioris gratiæ favore proſequi volentes, ipſoſque, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; Motu proprio non ad eorum, vel aliquorum ſuper hoc pro eorum parte Nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraque deliberatione, ac liberalitate noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſiones, & indulta favore Capituli, & Canonicorum, per præfatos Prædeceſſores, ut præfertur, emanatas, & emanata, & ſuper illis eorumdem Prædeceſſorum deſuper, ut præfertur, expeditas literas illarum tenores etiam veriores præſentibus pro plene, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum expreſſis habentes, Apoſtolica auctoritate præfata etiam perpetuo confirmamus, & approbamus, omneſque, & ſingulos, tam Juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper in Conceſſionum, & Indultorum hujuſmodi obtentu forſan quomodolibet intervenerint Apoſtolica, auctoritate præfata plenarie ſupplemus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac inſuper conceſſiones, & Indulta hujuſmodi per Nos, ut præfertur, confirmatas, & approbatas, ac confirmata, & approbata, in præfatis Prædeceſſorum hujuſmodi literis, ut præfertur, expreſſas, & expreſſa, pro præfatis Capitulo, & Canonicis, videlicet, quod poſt Pontificalem Majorem, ac Secundam, Tertiam, ac Quartam in præfata Eccleſia Lucana Dignitates reſpective obtinentes, ac omnes, & ſinguli Canonici ejuſ-

dem Ecclesiæ Lucanæ, etiam nunc, & pro tempore existentes de cętero perpetuis futuris temporibus in præfatis anni festivitatibus, & aliis temporibus, ac Ecclesiasticis functionibus, in præfatis literis Prædecessorum hujusmodi expressis, etiam absente Episcopo, usu omnium Pontificalium, ac omnibus Insignibus Abbatialibus, ac Cruce, anulo, & Baculo, aliisque Paramentis, & Indumentis, ad instar Abbatum usum Mitræ, & Baculi habentium, gaudere, nec non in suis Armis, & Insignis Mitram, & Baculum apponi facere, & addere, nec non Populum, inter Missarum, & Divinorum Officiorum hujusmodi, aliarumque Ecclesiasticarum Functionum præfatarum solemnia, de consensu tamen Ordinarii, benedicere, prout dicti Abbates, usum Mitræ, & Baculi habentes, supra Populum solemnem benedictionem impartiri solent, libere&, licite possint,& valeant, seu quilibet eorum possit, & valeat, dictam Apostolicam auctoritatem etiam perpetuo extendimus, & ampliamus, & quatenus opus sit, præmissa omnia de novo concedimus, & indulgemus, ac facultatem, & licentiam desuper impartimur, ac Capitulum, Dignitates, & Canonicos præfatos, eorumque Successores super concessione hujusmodi per quæcunque Capitula quarumcunque aliarum Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, vel Primatialium, & Episcopalium, & quasvis personas quavis auctoritate, dignitate, & præeminentia præditos, quovis prætextu, colore, vel ingenio publice, vel occulte, directe, vel indirecte impediri, molestari, inquietari, vel perturbari nullatenus posse, neque debere, præsentes quoque semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos quomodolibet nunc spectat, & spectabit in futurum firmiter, & inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore, ex quocunque capite, vel qualibet causa quantumvis legitima, & juridico, etiam ex eo quod Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum quarumlibet, earumque Dignitates, & Canonici, vel quilibet alii cujuscumque dignitatis, ordinis, gradus, conditionis, & præeminentiæ sint, in præmissis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione jus, vel interesse habentes, vel habere pretendentes illis, non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, vel immo contradicturi sint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirente, defectu, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, occasione, aliave causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda forent, aut quod de voluntate nostra, & aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam,& terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam Motu simili concesso, aut impetrato, vel emanato uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas presentes sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam, etiam Motu pari, & Consistorialiter, ex quibuslibet causis, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiamsi de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac datæ specialis mentio fiat, pro tempore factis, & faciendis, ac concessis, & concedendis comprehendi, sed tanquam ad majus Divini Cultus augmentum tendentes omnino ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per nunc, & pro tempore existentes dictæ Ecclesiæ Lucanæ Capitulum, Dignitates, & Canonicos præfatos quandocumque eligenda concessas esse, & fore, sicque & non alias per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, aliosque quoscunque quavis auctoritate, potestate, prærogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & præeminentia fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quocunque judicio, & in quacunque instantia, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta Apostolica auctoritate decernimus. Quocirca Venerabili Fratri nostro Episcopo Lucano Motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipse per se, vel alium eadem præsentes, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc, & pro tempore existentium præfatorum Capituli, Dignitatum, & Canonicorum dictæ Ecclesiæ Lucanæ fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in præmissis efficacis defensionis auxilio assistens faciat auctoritate nostra illa omnia integraliter, & inviolabiliter observari, ac nunc, & pro tempore existentes Capitulum, Dignitates, & Canonicos præfatos indulto, confirmatione, approbatione, defectuum suppletione, roboris adjectione, extensione, & ampliatione, ac novis concessione, & indulto, licentiæ, & facultatis impartitione, ac decreto, aliisque præmissis pacifice frui, & gaudere juxta earumdem præsentium continentiam, & tenorem, non permittens quemquam eorum per quoscunque desuper quomodolibet molestari, impediri, vel perturbari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, legitimisque per his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam sæpius, & quoties expediens videtur, aggravando, & reaggravando, servata tamen forma Concilii Tridentini, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus quibusvis legibus, statutis, consuetudinibus, & prohibitionibus, si quæ forsan adsint de gratiis ad instar non concedendis, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ Lucanæ, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis Personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis, & singulis tenoribus, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, habenda sit in nostris literis mentio specialis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in eorum robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque; aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, approbationis, defectuum suppletionis, roboris adjectionis, extensionis; & ampliationis, ac novorum concessionis, & indulti, licentiæ, & facultatis impartitionis, decreti, mandati, ac derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quinto decimo Kalendas Martii Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. S. Villa.

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Prior Numerus Marginem, Secundus Paginam indicat.

A

ABSOLVERE, ABSOLUTIO.

CONcessio, ut quis possit absolvere ab omni excommunicatione, non comprehendit excommunicationem latam per sententiam particularem. 61. 11.

Absolvendi facultatem habens à Pontifice, in omnibus casibus sibi reservatis, non poterit absolvere à Casibus reservatis in Bulla Cœnæ, nisi fiat mentio specialiter de eis. 67. ibid.

Excommunicationes plures habens, potest petere absolutionem ab una, & alias tacere. 86. 32.

In facultate absolvendi à quibusvis excommunicationibus, comprehenditur Excommunicatio major, & minor, alias tantum major comprehenderetur. 202. 77.

In facultate absolvendi ab excommunicationibus, ex quavis causa latis comprehenditur excommunicatio sive à Jure, sive ab homine lata sit, etiam comprehensa in Bulla Cœnæ, & in quacumque Diœcesi lata. 203. ibid.

In d. facultate si dicatur *Quomodolibet*, comprehenditur omnis modus incursus Censurarum, non solum de Jure communi, sed etiam de Jure speciali, & consuetudine. 204. ibid.

Absolutio prædicta in quibusdam casibus contentis in regula 66. Cancellariæ Apostolicæ non prodest. 205. ibid.

In d. facultate non comprehenditur Irregularitas. 206. ibidem.

Dicta absolutio non prodest Hæreticis. 210. ibid.

Absolutus cum dicta clausula *Ad effectum &c.* si in Divinis se ingerat fit irregularis. 213. ibid.

Absolutio prædicta cum d. clausula, operatur dumtaxat impedimenti suspensionem quousque gratia sortiatur effectum. 215. ibid.

Absolutio hujusmodi est verbalis, & de stylo, & non realis, cum istos non pœniteat; & propterea statim absoluto actu, propter quem absolvuntur, reincidunt in easdem excommunicationes. 215. ibid.

Excommunicati, qui aliquod Rescriptum in forma commissaria à Pontifice obtinuere, debent absolvi ab excommunicatione ante Rescripti executionem è Delegato factam, alias Gratia erit nulla. 216. ibid.

Oratores, qui obtinuerunt Literas cum dicta clausula Absolutionis *ad effectum &c.* si postea reinciderent in excommunicationem, & Censuras, dicta clausula, & Absolutio non prodesset. 217. ibid.

Delegatus non potest ad Absolutionem Oratorum devenire, donec pœnitentiam publicam egerint, & de ea Delegato constiterit. 198. 114.

Oratores qui petunt Dispensationem, si sint in secundo gradu, & copulam habuerint, egent absolutione ab excommunicatione. 202. 115.

In aliis gradibus remotioribus, solum absolvi debent ab incestus reatu, & excessibus Pontifici narratis. 202. 115.

Absolutiones, & Dispensationes pro utroque foro, quæ non habent annexum peccatum mortale, sufficit, si impetrentur, & fiant in Foro Fori, & quales sint hujusmodi Absolutiones. 205. ibid.

Absolutio, quæ fit pro solo conscientiæ Foro, non prodest ad effugiendas pœnas temporales. 206. ibid.

Absolutio, quæ à Pontifice pro utroque foro committitur, potest extra Confessionem impendi. 208. & 210. ibid.

Episcopus nomine Delegationis Concilii, in occultis absolvit extra Confessionem. 215. ibid.

Oratores absoluti à Delegato pro Foro Fori, debent nihilominus pro Foro interno deinde absolvi. 116. ib.

Absolutus in Foro Conscientiæ, est ex æquitate tolerandus in Foro Fori. 220. ibid.

Verius tamen est absolutus in Foro Animæ, posse in Foro externo pro eodem crimine accusari, & puniri. 221. ibid.

Facultas delegata ad absolvendum, non potest subdelegari. 222. ibid.

Absolutio ab Excommunicatione imposita contra eos, qui primo, & secundo gradu conjuncti, carnaliter commiscentur, non est reservata Papæ; at si Absolutionem committat, manus inferiorum ligantur. 23. ib.

Absolutio ab Excommunicatione imposita circa clandestine contrahentes, licet non sit Papæ reservata, tamen si manus apposuerit Dispensationem concedendo, inferiorum manus ligantur. 13. 249.

Parochus potest suas Oves absolvere extra Territorium. 62. 251.

Reliqua vide in Verbo EXCOMMUNICATIO.

ACCEPTATIO.

Renunciatio Dispensationis, ut præjudicet Renuncianti debet esse à Legislatore acceptata. 524. 95.

Et hujusmodi acceptatio debet fieri ab ipso Legislatore, & non à Delegato, qui dispensavit. 527. ib.

ACTUS.

Actus factus non servata forma tradita, est nullus. 31. 69.

Formulæ omissio removet consensum ab actu. 32. ibid.

Etiamsi actus favorabilis sit. 33. ibid.

Et quamvis etiam agatur de utilitate publica. 34. ib.

Ad hoc, ut actus retrotrahatur, oportet, ut à principio potuerit intercedere. 383. 86.

Actus factus ex necessitate præsumi, quando præcessit jussio, vel coactio. 66. 208.

Actus factus sub conditione, ea pendente non dicitur Actus. 44. 228.

ADMINISTRATOR.

Administrator, seu Œconomus alicujus rei familiaris Dispensator vocatur. 2. 2.

ADOPTIO.

Adoptans, uxorem habere debet. 3. 174.

Adoptari non potest Pater à Filio, vel Frater, quia debet esse extraneus. 5. ibid.

Adoptans debet esse Paterfamilias. 7. ibid.

Et major 25. annis. 8. ibid.

Mulier adoptare nequit, nisi ex privilegio, & ex qua causa. 9. ibid.

Fœmina adoptari potest. 10. ibid.

Adoptans, ut valide adoptet, requiritur, ut non sit naturaliter impeditus ad generandum, nec refert licet esset ex accidenti. 11. ibid.

Adoptans debet excedere saltem 18. annis Adoptatum, ut ex d. ætate possit ejusdem esse Pater naturalis. 12. ibid.

Adoptari nemo potest à pluribus, nisi consensu omnium de Parentela. 13. ibid.

Ut Adoptio sit valida requiritur, quod tam Adoptans, quam Adoptatus, tempore actus Adoptionis sint præsentes. 14. 175.

Nec potest per Procuratorem expleri. 15. ibid.

Adoptari qui possint. 19. & 26. ibid.

Quæ sit differentia inter Adoptionem, & Arrogationem. 20. & seqq. ibid.

Adoptatus simpliciter, & imperfectæ non transit in potestatem Adoptantis, sed remanet in potestate Patris, & Avi. 21. ibid.

Distingue, inter Adoptatum ab extraneo, vel ab Ascendente. 84. & seq. 177.

Adoptatus non fit hæres ex testamento necessarius, sed habet jus succedendi Adoptanti ab intestato. 22. 175.

Adoptio fieri potest auctoritate cujuslibet Judicis competentis. 27. ibid.

In Adoptante requiritur ætas 25. annorum. 30. ibid.
Infans adoptari potest, dummodo ejus Pater naturalis consentiat. 38. ibid.
Adoptio inducit impedimentum impeditivum, & dirimens matrimonium, tam in linea recta, quam collaterali, etiam de jure Canonico. 40. & seq. ibid.
In linea recta Adoptionis, qui veniant in Cognatione. 43. ibid.
Matrimonium in linea recta Adoptionis, de Jure Civili prohibetur intra quartum gradum. 44. ibid.
De Jure vero Canonico in infinitum prohibetur. 45. ib.
Et dirimit contractum, etiam soluta Adoptione, 46. ib.
Adoptans potest contrahere Matrimonium cum filiabus Adoptati, quæ in ejus potestate tempore Adoptionis non erant. 47. 176.
In linea collaterali Adoptantis, Matrimonium impeditur inter Adoptatum, & illos qui sunt in ejus potestate. 48. & 60. ibid.
Impedimentum Cognationis legalis durat quousque durat Adoptio. 49. ibid.
Et ideo raro Dispensatio petitur, cum solvatur per emancipationem. 50. & 87. ibid. & 177.
Adoptans potest ducere in uxorem filiam illegitimam Adoptati. 64. 176.
Quia non censetur adoptata d. Filia. 68. 177.
Filii legitimi Adoptantis possunt cum adoptivis contrahere, mortuo Patre, vel etiam eo vivente, si aliquis eorum fuerit emancipatus. 69. ibid.
Filii duorum Fratrum adoptivorum non contrahunt Cognationem. 70. ibid.
Adoptio tam perfecta, quam imperfecta pluribus modis solvitur. 71. ibid.
Emancipatione solvitur Adoptio. 72. ibid.
Item morte naturali, si tamen Adoptans tempore mortis Adoptati sit sui Juris. 76. ibid.
Item solvitur morte Civili. 77. ibid.
Et per delictum, etiam sine amissione Civitatis, veluti si quis contrahat incestuosas nuptias. 78. ibid.
Solvitur Adoptio per Dignitatem adeptam ab Adoptato, & quæ sint hujusmodi Dignitates dirimentes. 79. ib.
Solvitur etiam, si sententia feratur contra Patrem petentem filium, quia, licet hoc casu remaneat in potestate, tamen pro emancipato habetur. 80. ibid.
Adoptio licet per dictas causas dissolvatur, non tamen tollitur Impedimentum Matrimonii in linea recta, sed tamen in transversali. 81. 82. ibid.

ADULTER, ADULTERIUM.

Potens dispensare cum nato ex Adulterio, intelligitur quamvis ex utriusque parentis adulterio natus sit. 7. 8.
Si natus ex duplici adulterio peteret dispensari ad Beneficia, si in expressione diceret, se natum ex adulterio, vitiaretur gratia, nisi dixisset, se natum ex Conjugato, & Conjugata. 211. 39.
Filii Adulterini, qui dicantur. 548. 96.
In adulterio, & aliis criminibus ipso inferioribus possunt Episcopi dispensare, quid in majoribus, & quando. 44. & 45 249.
Adulterium durante legitimo Matrimonio, quamvis etiam non consummato, vel per Divortium quoad torum, & habitationem dissoluto, cum fide data de Matrimonio inter se post mortem Conjugis contrahendo commissam inducit Impedimentum impediens, & dirimens. 1. & seq. 226. & 227.
Impedimentum ob crimen Adulterii dupliciter incurritur, primo, ob Adulterium cum fide data de ducenda Adultera, post mortem Conjugis. 23. 228.
Secundo, quando uxoratus, & adultera, scientes Conjugem alterius vivere, nihilominus inter se contrahunt Matrimonium. 24. ibid.
Sed ad illud incurrendum, non sufficit, ut detur fides de contrahendo, vel dumtazat contrahatur, sed requiritur, ut vivente Conjuge, copula carnalis intercesserit. 25. ibid.
Promittens simpliciter ducere Bertam, mortua sua uxore si postea ea secuta ducat Rosam, & hoc Matrimonio durante, adulteretur cum d. Berta, absque nova promissione Matrimonii, non dicitur contractum Impedimentum, nec mortua Rosa impedietur, quin possit ducere Bertam. 27. ibid.
Ad incurrendum Adulterii Impedimentum, sufficit, ut eodem Matrimonio durante, interveniat Adulterium, & fides de contrahendo, licet eodem tempore non concurrant. 28. ibid.
Eodem Matrimonio durante, si facta fuerit promissio futuri Matrimonii, sed antequam adulterium commissum sit, dictam promissionem concorditer annullent, quamvis sequatur postea adulterium, non erit contractum Impedimentum. 29. ibid.
Si vero è contra eodem Conjugio durante facta fuerit promissio futuri Matrimonii, & simul commiserint Adulterium, licet postea pœnitentia ducti, promissionem annullent, nihilominus aderit Impedimentum. 30. ibid.
Impedimentum prædictum, ut contrahatur, requiritur, ut promissio, & fides ab uno data ab altero sit acceptata, nec sufficit simplex pollicitatio, sed promissio debet esse reciproca. 31. ibid.
Acceptatio tamen inducitur ex taciturnitate, & quando. 30. & 33. ibid.
Fides, seu promissio futuri Matrimonii, ad hoc ut Adulterii Impedimentum contrahatur, debet esse facta serio, & ex animo, & aliquibus certis signis expressa, adeout exterius vera appareat. 34. ibid.
Et si exterius vera appareat, quamvis interius sit ficta, orietur Impedimentum. 35. ibid.
Requiritur pariter, ut adulterium sit utrique notum, scilicet, ut uterque sciat socium, cum quo copulatur, esse Conjugatum. 36. ibid.
Ignorans Conjugium alterius, si contrahat cum illo, & statim factus certior de illo Matrimonio se separet, nec ulterius carnaliter ipsi copuletur, poterit, mortua uxore, cum illo contrahere. 37. ibid.
Ab incursu hujusmodi impedimenti, excusat quælibet ignorantia Conjugii alterius socii, quamvis crassa, & supina, dummodo non sit affectata. 38. ibid.
Immo si alter delinquentium ignarus sit de Conjugio, poterit, casu viduitatis alterius eveniente, ipsum cogere ad servandam fidem, & promissionem. 39. ibid.
Si conditione adhuc suspensa manente Conjux alterius moriatur, & adulteri non curantes de conditionis implemento contrahant, non egebunt Dispensatione: quia conditione non purificata, impedimentum non oritur. 45. ibid.
Per promissionem factam adulter illam ducendi post mortem ejus Mariti, si intra tale tempus accidat, inducitur Impedimentum. 46. 229.
Impedimentum hujusmodi non incurrunt adulteri, qui sibi absolute non promiserint, sed quodammodo conditionaliter, v. g. non ducam aliam nisi te, si aliquam ducere volam. 47. ibid.
Promissio facta sub conditione impossibili, vel turpi inducit Impedimentum, nisi appareat fuisse factam joco, ac ficte. 48. ibid.
Si conditio esset de præterito, non inducitur Impedimentum. 49. ibid.
Si promitteretur Matrimonium alicui Fœminæ sub conditione quatenus sit virgo; si erit virgo, purificatur conditio, & Impedimentum oritur. 50. ibid.
Non oritur Impedimentum prædictum, si Conjugatus cognoscens fœminam, dicat: nisi essem Conjugatus te ducerem. 51. ibid.
Ut tale Impedimentum incurratur, requiritur ut inter Adulteros copula habita, fuerit completa cum seminis effusione inter vas. 52. ibid.
Ad inducendum hujusmodi Impedimentum requiritur, ut primum Matrimonium sit validum. 53. ibid.
Quod procedit quamvis hujusmodi invalidum Matrimonium tam ab ipso conjugato, quam ab aliis communiter pro valido habitum esset, & licet adhuc non fuisset consummatum, vel per divortium quoad torum, & habitationem dissolutum, nec dispensatio erit necessaria. 54. ibid.
Impedimentum hujusmodi incurreretur eo casu, quo fides daretur adulteræ de contrahendo Matrimonium cum persona, quam tertius designaverit, si id fraudulenter fiat, ut ille tertius adulteram designet. 55. ibid.
Secus si in utroque abesset dolus. 56. ibid.
Quando dubitatur an Conjux viveret, si tunc reperitur vixisse, impedimentum insurgit. 57. ibid.
In dubio, an fides data sit, vel adulterium commissum, non aderit Impedimentum. 58. ibid.
Impedimentum hujusmodi, non incurritur inter Infideles, nisi apud illos aliqua speciali lege tale Matrimo-

trimonium fuiſſet interdictum, etiamſi poſt d. matrimonium contractum inter ipſos adulteros, baptizarentur. 59. ibid.
Idque procedit ſive crimen adulterii ipſo Infidelitatis tempore patratum, & completum ſit, ſive ante Baptiſmum incæptum, & poſt Baptiſmum completum. 60. ibidem.
At ſi qui crimen commiſerunt, alter Fidelis, & alter Infidelis eſſet, Impedimentum obſtaret. 61. ib.
Si tamen fidelis conſpiraret cum Infideli conjugato alterius Conjugis Infidelis, ad hoc ut poſt ejus converſionem cum illo contraheret, tunc Impedimentum conſurgeret. 62. ibid.
Si Infidelis patrato crimine adulterii cum Fideli, abſque conſilio, & impulſu iſtius Fidelis, occidat Conjugem animo contrahendi cum d. adultera Fideli, etiam ſi baptizetur poterit contrahere, quia non dicitur Impedimentum inductum. 63. ibid.
Supplicatio, quæ porrigitur pro Diſpenſatione ſuper crimine adulterii neutro machinante, quomodo inſcribatur, & quid obſervetur. 71. 230.
Et hæc Diſpenſatio conceditur à Pontifice pro utroque foro, quando caſus eſt publicus. 72. ibid.
Quid ſi ſit occultus. 73. ibid.
Si quis, ſuo Conjuge vivente, Matrimonium de facto cum alia contrahat, & Conjuge defuncto, velint in ſecundo Matrimonio permanere, requiritur Diſpenſatio. 74. ibid.
Et ſi Impedimentum ſit publicum, recurritur ad Pontificem, qui non ſolet diſpenſare, niſi prius diſcuſſo plene negotio in Sacra Congregatione ſuper Inquiſitione. 75. ibid.
Et quando diſpenſatio ſit concedenda, ſolet committi Ordinario Oratorum, ut prævio examine ſuper intentione, & aliis ſervatis, diſpenſet. 76. ibid.
Si fœmina, quæ dicto Conjugato nupſit, eſſet conſcia dicti matrimonii, quomodo procedatur in Diſpenſatione. 77. ibid.
Si vero Oratores, antequam fuiſſet cum ipſis legitime diſpenſatum, matrimonium cum d. impedimento contraxiſſent, quomodo committatur Diſpenſatio. 78. ibid.
Conjux innocens remanere poteſt in ſæculo, & daret alteri licentiam ingrediendi Religionem. *in Annot. n.* 19.
An teneatur emittere votum ſimplex caſtitatis. *ibid.*

ÆQUITAS.

Æquitas quid ſit. 30. 4.
Æquitatem Judex debet præ oculis habere. 37. ibid.

ÆTAS.

Ætas quinquagenarii, vel ſexagenarii, an ſit ſufficiens cauſa ad diſpenſandum à Voto Religionis, ut poſſit is, qui vovit Matrimonium contrahere, & quando Diſpenſatio concedatur. 71. 130.
Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper carentia legitimæ ætatis requiſitæ ad Matrimonium. 74. 151.
Si Conjuges ſint teneræ ætatis, cum facilè decipi potuerint, & incipiant ſibi diſplicere, poterunt diſpenſari ſuper Matrimonio rato tantum, & non conſummato. 33. 197.
In Procuratore conſtituendo ad celebrandum Matrimonium, quæ ætas ſufficiat. 103. 253.
Ætas quot modis conſiderari poſſit ad diſpenſandum ob ejus cauſam. 1. 289.
Formula Diſpenſationis ex cauſa ob exceſſum ætatis mulieris. 2. ibid.
Exceſſus ætatis quando dicatur, ibid.
Cauſa prædicta admittitur tantum pro innuptis, non pro viduis. 3. & 6. ibid.
Ex quibus moveatur Papa ad diſpenſandum ob hanc cauſam. 7. & 10. 290.
Pontifex non ſolum diſpenſat fœminam, quæ 25. annum attingat, ſed diſpenſandum ſit in gradibus remotioribus, eandem concedit, ſi ſolum 24. annum attingit. 11. ibid.
Si fuerit dictum fœminam excedere 24. annum, & ultra, ſufficiet expreſſio, licet ſit intra 40. vel 50. annum. 12. ib.
Ætas coram Delegato verificari ſolet ex libro Baptizatorum. 13. ibid.
Et ex fide Parochi. 14. ibid.
An probari poſſit ætas per Patrem, & Matrem. 15. ibid.
Cauſa finalis hujus Diſpenſationis eſt ætas; & quamvis una dies deficiat, gratia erit nulla. 16. ibid.
Novitius ſi emitteret Profeſſionem ante 16. annum licet unus dies deficiat profeſſio erit nulla. 18. ibid.
Impetrans Beneficium Curatum ante legitimam ætatem, abſque Diſpenſatione nunquam poteſt illud poſſidere. 23. ibid.
Ætas debet eſſe completa tempore petitæ Diſpenſationis, nec ſufficit, ut ante ejus executionem compleatur. 22. ibid.
Dictio *circa*, non ſolet apponi in Diſpenſatione ob ætatem, cum debeat attendi ætas narrata. 26. ibid.
In verificatione precum coram Delegato, quid ſufficiat probare. 27. ibid.
Si fœmina ſponte recuſaret nubere, an poſſit poſtea ex hac cauſa ob ætatem diſpenſari. 30. & 32. 291.
Cauſa hæc ob ætatem in quibus gradibus admittatur. 33. ibid.
Ætas ad Matrimonium tam per Canones, quam per Leges Civiles præſcripta, eſt 14. annorum in maſculo, & 12. in fœmina 38. & ſeqq. ibid.
Limita, niſi malitia ſuppleret ætatem. 44. ibid.
Malitia quando dicta ſupplere ætatem. vide Malitia.
Diſpenſatio ſuper ætate non requiritur quando malitia illam ſupplet, ſed tantum requiritur declaratoria Eccleſiæ. 56. & ſeq. 292.
Exempla de Pueris, qui ante ætatem præſcriptam genuerunt, referuntur. 58. ibid.
Si malitia ſuppleat ætatem, & Impuberes velint contrahere, quid obſervandum ſit. 60. ibid.
Matrimonium contractum ante legitimam ætatem, ſi malitia non ſuppleat, eſt nullum, nec malitiam ſuperveniente reconvaleſcit. 62. ibid.
Dubitante de Matrimonii validitate contracti ante pubertatem, quo remedio ſuccurri eis poſſit, quando velint rem ſecrete purgare. 63. ibid.
Sed ſi Impedimentum ob defectum ætatis ſit publicum, denuo coram Parocho, & Teſtibus erit contrahendum. 64. 293.
Si vero ſit occultus, poterunt Conjuges ſuperveniente ætate ſecreto ad invicem conſenſum renovare, etiam abſque præſentia Parochi, & Teſtium. 65. ibid.

AFFINITAS.

In primo gradu Affinitatis contractæ ex copula matrimoniali, an matrimonium ſit prohibitum Jure naturæ, adeout diſpenſari nequeat, affirmativam nonnulli tenent. 50. & ſeq. 182. & 183.
Immo in linea recta extendunt prohibitionem in infinitum. 53. ibid.
Tamen probabilior eſt opinio, ut poſſit diſpenſari, nedum in ulterioribus gradibus, verum etiam in primo, & de ratione. 54. & 55. ibid.
In linea tranſverſali Affinitatis Matrimonium Jure naturæ nullo in gradu reperitur prohibitum. 56. ib.
Et in ea in primo gradu pluries Pontifices diſpenſarunt, & exempla referuntur. 57. ibid.
Affinitas non oritur ex matrimonio rato, ſed tantum ex conſummato. 58. ibid.
Impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio rato proveniens, in Dataria ſolent appellare Affinitatem, & quia 59. ibid.
Diſpenſatio ſuper affinitate regulatur, ac ſi ſuper Conſanguinitate peteretur, & ſolvitur duplex compoſitio, majoreſque cauſæ requiruntur 60. ibid. & num. 96. 185.
Affinitas inter Infideles non contrahitur; nec Infidelis poſt Baptiſmum ſuſceptum eget Diſpenſatione, ſi velit contrahere cum conſanguinea mulieris Infidelis, quam cognovit tempore Infidelitatis. 66. 184.
Fidelis habens copulam cum fœmina Infideli, ſi poſtea velit ducere in Uxorem Sororem Fidelem d. Infidelis cognitæ indiget Diſpenſatione cum fuerit contracta Affinitas. 67. ibid.
Fidelis cognoſcens carnaliter Infidelem, ſi iſta poſtea fiat Fidelis, & concipiat ex alio filiam, illa etiam Filia contrahit Impedimentum. 68. ibid.
Fidelis qui cognovit fœminam infidelem, cujus Soror deinde baptizetur, ſi velit cum dicto Viro contrahere, indigebit Diſpenſatione, quia per Baptiſmum poſtea ſuſceptum reputatur Affinis. 69. ibid.
Affinitas, quæ ſupervenit Matrimonio contracto, illud non dirimit, ſed impedit debiti petitionem, ſive copula ſit occulta, ſive publica. 71. & 72. ib.
Affinitatis Impedimentum non contrahitur, nec Jure

petendi debitum privatur ille, qui dum habuit copulam cum Conſanguinea Conjugis, ignorabat eſſe Conſanguineam. 74. ibid.
Amplia, etiam ſi ſciret eſſe Conſanguineam, ſed putaret eſſe in tertio, vel, ulteriori gradu, licet re vera eſſet in ſecundo. 75. ibid.
Super Affinitate Matrimonio ſuperveniente, Epiſcopus poteſt diſpenſare. 88. 185.
Immo etiam Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare poteſt. 89. ibid.
Religioſi Mendicantes, an, & quando valeant diſpenſare pro Foro Conſcientiæ ſuper Impedimento Affinitatis ſupervenienti Matrimonio. 90. ibid.
Quando in Curia Romana fit mentio de Affinitate, intelligitur de ea, quæ ſit orta ex Matrimonio, & non de fornicaria, & illicita. 93. ibid.
Affinitas quando eſt orta ex copula illicita; debet exprimi in Supplicatione. 94. ibid.
Pro Diſpenſatione ſuper affinitate orta ex copula illicita, non ſolvitur Compoſitio, ſed dantur Literæ clauſæ, & quoad expeditionem taxantur, ac ſi eſſent apertæ. 95. ibid.
Affinitas eſt minus vinculum quam Conſanguinitas. 97. ibid.
Prohibitio æqualiter procedit de Impedimento in primo gradu Affinitatis, ac in ſecundo Conſanguinitatis. 98. ib.
Si Oratores ſint conjuncti primo, vel primo, & ſecundo gradu affinitatis, an requiratur ejuſdem affinitatis provenientiæ expreſſio. 129. & 130. 35.
Si exprimatur Impedimentum Conſanguinitatis, quod vere eſſet affinitatis, vel è contra, etiamſi id errore accidat, Diſpenſatio erit nulla. 136. & ſeq. ibid.
In Impedimentis Affinitatis, & Publicæ honeſtatis, exprimendi ſunt Gradus, quibus inter ſe diſtant contrahere volentes. 150. 36.
Item an affinitas, vel honeſtas ex uno, vel pluribus ſtipitibus inſurgat. 151. ibid.
An affinitas ſit in linea recta, vel tranſverſali exprimendum eſt, quia facilius cum iſta, quam cum illa diſpenſatur. 152. ibid.
In affinitate non eſt opus exprimere, quod fœmina ſit proximior Stipiti, quando eſt in æquali gradu. 153. ibid.
Si affinitas conſurgit ex copula illicita, non eſt neceſſe exprimere, ex qua cauſa proveniat, ſed ſufficit dicere adeſſe Impedimentum affinitatis. 154. ibid.
Secus quando provenit ex Matrimonio, quia tunc exponendum eſt, ex eo proveniſſe. 155. ibid.
Diſpenſatione obtenta ſuper aliquo Impedimento dirimenti, ſi poſtea ſuperveniat affinitas, quid exprimendum ſit in petitione Diſpenſationis ſuper ea. 199. 38.
Quid ſi ſuperveniat Affinitas poſt commiſſam Delegato diſpenſationem, ſed nondum ab eo executam. 200. ib.
Si poſt obtentam Diſpenſationem ſuper Affinitate, reiteretur copula, erit opus nova Diſpenſatione, quia nova inſurgit affinitas. 258. 47.
Ad probandum Affinitatem, admittuntur potius Parentes, & Conſanguinei, quia præſumuntur magis informati. 272. & 434. 89.
Petens Diſpenſari ſuper affinitate de contrahendo, quid exprimere debeat, & quid in affinitate de contracto. 88. & 89. 132.
Affinitate contracta ex copula cum conſanguinea Conjugis habita poſt contractum matrimonium, etiam ante conſummationem ejuſdem poteſt ab Epiſcopo diſpenſari, ut Conjux petere poſſit debitum. 96. 151. & 97. 152.
Affinitas conſtituit Impedimentum Matrimonii, ſive ſit inter legitimos, vel illegitimos. 20. 158.
Affinitas, ſecundum Canones, quid ſit. 1. ibid.
Affinitas dicitur quaſi duorum ad unum finem unitas. 2. 179.
Affinitas contrahitur per quemcunque copulam perfectam, intra vas, ſive ſit voluntaria, ſive coacta, ſive licita, vel illicita. 3. ibid.
Nec refert, quod mulier fuerit invita, dormiens, ebria, inſana, vel ſenſibus deſtituta. 5. ibid.
Affinitas, ſive publice, ſive occulte contracta ſit, inducit Impedimentum ad contrahendum matrimonium. 4. ibid.
Affinitas proveniens ex copula licita, inducit Impedimentum uſque ad quartum gradum; ſi vero ex copula illicita proveniat, impedit, & dirimit intra ſecundum gradum tantum. 6. ibid.
Affinitas, ut contrahatur ad effectum Matrimonii Impedimentum inducendi, non ſufficit penetratio vaſis, ſed requiritur effuſio ſeminis virilis in eo, quæ ſit ſufficiens ad Prolis generationem. 10. & 12. ibid.
Affinitas non contrahitur per alios actus venereos, & effuſionem ſeminis extra vas. 11. ibid.
Spadones, & Eunuchi, licet in vaſe ſeminent, non tamen Affinitatem contrahunt, cum eorum ſemen non ſit aptum ad generandum. 14. 180.
Affinitas contrahitur per virilis ſeminis effuſionem, licet mulier non ſeminet, non tamen è converſo. 13. ibid.
Affinitas, an contrahatur caſu, quo virile ſemen Dæmonis miniſterio in vas ſubintret. 16. & 17. ibid.
Affinitas erit contracta, ſi per viri nixum ad copulam, aut per appropinquationem carnis, ante penetrationem exiliat ſemen virile in vas; quia cum per hoc gigni poſſit proles, erit opus diſpenſatione ad contrahendum. 18. ibid.
Affines in ſecundo & tertio, immo primo & tertio gradibus à communibus ſtipitibus provenientibus, non prohibentur abſque Diſpenſatione contrahere cum conſanguinea perſonæ, à ſe fornicarie cognitæ, quia ſolus gradus remotior attenditur. 19. ibid.
Affinitas eſt duplex, & quæ. 20. 180. & 30. 181.
Affinitas propria impedit, & dirimit Matrimonium, & durat etiam poſt mortem perſonæ, qua mediante contracta fuit. 21. 180. & 65. 194.
Affinitas, quæ per accidens orta eſt inter perſonas, quarum neutra per copulam carnalem affinitati per ſe cauſam dedit, matrimonii Impedimentum non extat, & hujus affinitatis exempla afferuntur à nu. 24. uſque ad 30. 181.
Affinitatis impedimentum ex copula fornicaria appoſitum à conſanguineis matrimonium ægreferentibus, quando attenditur, *in Append caſ. 2. & 3.*
Affinitas affinitatem non parit. 24. 180. & 29. 181.
Affinitas nullos habet gradus, ſed regulatur prout Conſanguinitas, tam il linea recta, quam in collaterali. 31. & 33. 181. & 38. 182.
Stipes affinitatis ſunt perſonæ, quæ per carnalem copulam commiſcentur. 32. 181.
Linea affinitatis eſt triplex, ſicut linea conſanguinitatis, videlicet Aſcendentium, & Deſcendentium, & Collateralium, & qui in eis comprehendantur. 34. & 35. ibid.
Affinitatis genere antiquitus erant tria, impedientia & dirimentia Matrimonium. 36. 182.
Primum genus affinitatis, ita dictum, quia per primam carnis copulam, ſive una ſola perſona tantum mediante contrahitur, & hujuſmodi genus adhuc viget. 37. ibid.
Dictum primum genus affinitatis tempore antiquo, ſi ex matrimonio inſurrexiſſet, uſque ad ſeptimum gradum; & ſi ex copula fornicaria, uſque ad quartum dirimebat. 39. ibid.
Hodie ex copula licita non traſcendit quartum gradum, & ex illicita ſolum infra primum & ſecundum gradum dirimit. 40. ibid.
Secundum affinitatis genus (ita dicebatur) quia per ſecundam carnis copulam, ſive mediantibus duabus perſonis contrahebatur, & hujuſmodi Impedimentum, uſque ad quartum gradum extendebatur, quod hodie ſublatum eſt. 41. ibid.
In iſto tamen quarto gradu matrimonium jam contractum non dirimebat, ſed tantum in ſecundo & tertio gradu. 42. ibid.
Secundi generis hujuſmodi affinitatis exempla afferuntur. 43. ibid.
Tertium genus affinitatis impediebat, & irritum reddebat matrimonium uſque ad ſecundum gradum tantum quod pariter hodie ſublatum eſt. 44. ibid.
Exemplum dicti tertii generis affinitatis affertur. 45. ib.
Duo genera hujuſmodi affinitas, videlicet ſecundum, & tertium, ſunt ſublata, & primum hodie tantum viget. 46. & 47. ibid.
Affinitatem tantum contrahunt perſonæ copulam habentes cum conſanguineis perſonæ à ſe cognitæ. 47. ibidem.

Diſpen-

Dispensatio in omnibus gradibus affinitatis ortæ ex copula illicita concedi potest. 48. ibid.
Et in hujusmodi primo gradu affinitatis Dispensatio sæpissime conceditur, tam à Summo Pontifice pro Foro externo, quam à S. Pœnitentiaria pro Foro interno. 49. ibid.

ALIMENTA.

Parentes de Jure naturæ tenentur alere filios. 93. 110.
Non potest quis dici pauper, quando adsunt alii, qui tenentur illum alere. 94. ibid.
Mater tenetur in subsidium alere filios, quando Pater, & alii Ascendentes ex linea paterna deficiant, vel sint egentes. 96. ibid.
Alimenta denegantur, si adsit aliqua causa à Jure probata, ex qua permittatur exhæredatio. 107. ibid.
Pater spiritualis tenetur alimentare filium spiritualem, & è contra. 77. 172.
Facta mentione affinitatis in petitione Dispensationis, cessat obligatio mentionem faciendi de publica Honestate. 61. 190.
Limita, quando dicta Impedimenta provenirent ex causa diversa. 62. ibid.
Quando est probanda affinitas in gradu certo, quid debeant Testes deponere, 65. & seqq. ibid.
Dispensatio in gradibus propinquioribus affinitatis facilius conceditur cum divitibus, quam cum pauperibus, & de ratione. 113. 269.
Ex quibus causis dispensetur super gradibus affinitatis, vide in verbo CAUSA.
Affinitatis Impedimentum, non comprehenditur sub decreto Concilii *Sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.* 114. ibid.

AGNATIO, AGNATUS.

Agnati, & Cognati, qui dicantur, & in quo differat Agnatio, à Cognatione. 12. 174.
Hujusmodi differentia de Jure est sublata. 13. 158.
Spurii, & vulgo Quæsiti, non habent Agnationem, neque Cognationem. 14. & 17. ibid.

ALIENATIO.

Res Ecclesiæ possunt alienari ex causa necessitatis, absque Solemnitatibus, etiamsi Prælatus juraverit non alienare. 127. 153.

AMENS, AMENTIA.

Constituens Procuratorem ad contrahendum Matrimonium, licet postea fiat amens, & durante amentia Matrimonium contrahatur, nihilominus valet. 12. 206.
Matrimonium per amentem contractum est nullum. 24. ibid.
Limita, si esset sanus, & haberet lucida intervalla tempore, quo vellet contrahere. 25. ibid.
In dubio tamen actus præsumitur factus sana mente. 26. ibid.

AMISSIO.

Amissis Literis Commissionis Delegato, antequam fuerint præsentatæ, quomodo Oratori succurratur. 65. 20.
Et quid, si deperdantur, quando jam Executori fuerunt præsentatæ, & in Processu informativo registratæ, sed non esecutæ. 67. ibid.

ANNUS.

Variæ supputationes annorum, & temporum apud varias Mundi Nationes recensentur. 580. 97.
Ecclesia Catholica incipit Annum ab Incarnatione Dominica potius, quam à creatione Mundi, & quare. 582. ibid.
Annus de stylo Curiæ Romanæ incipit currere ab 8. Kal. Aprilis, quæ est dies 25. Martii, 583. ibid.
Anno Romano, quo nos utimur, usa est Romanorum Respublica ab Imperio Julii Cæsaris. 585. ibid.
Annorum variæ mutationes factæ ab Imperatoribus referuntur. 585. ibid.
Anno solari usa est semper Ecclesia Christi, & totus fere Orbis. 586. ibid.
Annus Pontificatus est de essentia Datæ. 590. 98.
Annus Pontificatus incipit à die Consecrationis, & Coronationis Papæ, quia de consuetudine Papa non inscribit Pontificatum in Data ante ejus consecrationem, sed dicit: *Suscepti à Nobis Apostolatus officii. Anno Primo.* 591. ibid.
Annus Pontificatus quare scribatur immediate post annum Incarnationis. 593. ibid.
Rescriptum Papæ, & quælibet alia Constitutio, dum certi anni meminit, sub nomine anni, non nisi de perfecto exauditur. 20. 290.

APERIRE, APERITIO.

Confessarius, qui caret qualitatibus à Pœnitentiario in Literis requisitis, non poterit eas aperire. 96. 133.
Quamvis Confessarius reputetur, ex communi errore, tales qualitates habere, si vere non habeat, non poterit Literas aperire. 97. ibid.
Dictas Literas non poterit aperire Confessarius admissus ad Confessiones ab alio Ordinario, quam ab Ordinario Loci, ubi diplomata exequi debent. 99. ibid.
Dictas Literas non poterit aperire Licentiatus à studiis, & Doctoratui proximus. 100. ibid.
Nec Regulares, qui ex Ordinis Institutis, Magistri appellantur. 101. ibid.
Aperire potest dictas Literas Confessarius, si habeat requisita, quamvis sit indoctissimus. 102. ibid.
Nonnulli Generales Religionum possunt ex privilegio d. Literas aperire. 103. ibid.
Alii Regulares Mendicantes habent hujusmodi Privilegium. 104. ibid.

APPELLATIO.

Appellatio an detur, tam ad effectum devolutivum, quam suspensivum, à denegatione Dispensationis facta ab Ordinario, quando Dispensatio concedenda venit ex præcepto Juris. 52. 4.
Et in terminis denegationis Dispensationis super Denunciationibus. 147. & seqq. 255.
Si Jus non præcipiat, sed solum permittat Dispensationem, eamque consciential Ordinarii remittat, à denegatione potest appellari ad effectum tantum devolutivum. 53. 4.
Appellari non potest à Dispensationis denegatione, quando in specie Dispensatio permissa non est; poterit tamen implorari Superioris Officium, ut ex misericordia ipse dispenset, vel sciat, ut inferior dispenset. 55. ibid.
Appellans ad Papam, censetur appellare ad Sedem Apostolicam. 52. 70.
Si appelletur à Sententia Delegati, cui fuerit facta Commissio cum clausula: *Super quo conscientiam tuam oneramus*, is non tenetur Appellationi deferre. 308. 83.
Si Delegatus injustè deneget dispensare, datur Appellatio ad Sanctissimum. 516. 94.
A Judicio Papæ appellari non potest. 32. 149.
Et si appellaretur ab ejus sententia ad Christum, hæresim sentire videretur. 33. ibid.
Quando datur Appellatio ad effectum devolutivum, Superior tenetur dispensare, vel cogere Inferiorem ad dispensandum. 140. 255.
A sententia Vicarii non licet appellare ad Episcopum. 205. 258.
Appellatio datur de minori Judice ad majorem. 206. ibid.

ARBITRIUM.

Arbitraria Dispensatio quæ sit. 56. 4.
Quæ à Jure definita non sunt, & sub certa regula comprehendi non possunt, relinquuntur arbitrio Judicis. 70. 109.
Arbitrium Judicis regulari debet ex qualitate Personarum. 78. ibid.
Clausula, *Arbitrio tuo*, &c. relaxat aliquantulum Juris rigorem, & dat facultatem Judici amplectendi æquitatem. 245. 117.
Dicta Clausula, debet de arbitrio boni viri, & non secundum propriam, & liberam voluntatem intelligi. 246. ibid.
Et idem est, ac si diceretur: *Conscientiæ tuæ*. 247. ibid.
Clausula: *Si tibi videbitur*, importat arbitrium boni, & prudentis viri. 236. 116.
Arbitrium debet esse regulatum à Jure. 9. 263.
Arbor Consanguinitatis, &c. 25. 159.

ARCHIEPISCOPUS.

Archiepiscopus non potest conjungere in Matrimonium Subditos Suffraganeorum suorum, nec licentiam assistendi concedere, nisi in casibus ad eum per appellationem devolutis, & aliis permissis. 81. 252.

Quia non eſt Ordinarius in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum. 82. ibid.
In actu tamen Viſitationis hujuſmodi licentiam aſſiſtendi concedere poſſet, etiam inter perſonas ſuis Suffraganeis ſubditas. 83. ibid.
Quia viſitando dicitur Ordinarius etiam Diœceſis Suffraganei. 84. ibid.

ARROGATIO.

Arrogatio, quæ dicatur. 17. 175.
Quæ ſit differentia inter Adoptionem, & Arrogationem. 20. & ſeqq. ibid.
Arrogatus tranſit in poteſtatem Arrogantis cum liberis, & omnibus rebus. 23. ibid.
Et ſit ejus hæres neceſſarius, tam ab inteſtato, quam ex teſtamento. 24. ibid.
Et habet querelam contra teſtamentum. 83. 177.
Quod procedit in Arrogato tam loco Filii, quam Nepotis. 25. 175.
Arrogatio fieri non poteſt, niſi de auctoritate Principis. 28. ibid.
Arrogans debet eſſe ætatis annorum 60. quod tamen poteſt fieri poſt 40. cum cauſa. 31. & ſeq. ibid.
In Arrogatione impuberis quæ ſint obſervanda. 33. ibid.
Arrogans tenetur præſtare fidejuſſionem de bonis Arrogati reſtituendis, quæ durat quouſque Arrogatus ad pubertatem perveniat. 35. & ſeq. ibid.
Ad perficiendam Arrogationem, quæ verba ſint exprimenda ab utroque, & an habeant locum in Adoptione. 37. ibid.
Infans an arrogari poſſit, & quomodo. 38. ibid.

AUCTORITAS.

Nullus, præter Summum Pontificem, poteſt auctoritate ordinaria in Impedimentis matrimonium dirimentibus diſpenſare. 191. 76.
Nuncii, Legati Apoſtolici, Commiſſarii Cruciatæ, Epiſcopi, & alii, qui certis caſibus ſuper Impedimentis dirimentibus diſpenſant, faciunt non auctoritate ordinaria, ſed conceſſa à Papa, vel ejus præſumpta licentia. 191. ibid.
Delegatus Papæ in cauſa ſibi delegata habet eandem auctoritatem, quam habet ipſe Papa. 216. 115.
Ubi eſt auſtoritas Papæ, ceſſat Inferioris. 226. 116.
Si adſit aliquis habens auctoritatem diſpenſandi ſuper Impedimento præciſo, tunc non poterit adiri Epiſcopus, vel Legatus, & quando hoc procedat. 162. 155.

ANGUSTIA LOCI.

Locus Originis, ſi per errorem non fuit expreſſus, an & quando vitiet Diſpenſationem, & tunc quid ſervandum. 60. 31.
Si Oratores, qui petunt Diſpenſationem ob cauſam anguſtiæ loci, ſint ex diverſis locis, tunc exprimi debet uterque locus, & coram Delegato anguſtia verificari. 64. ibid.
Locus originis, & non domicilii exprimi debet in Supplicatione. 65. ibid. & n. 2. 272. & 100. 277.
Limita, ut n. 3. 272.
Loci Oratorum expreſſio fieri debet ſi Diſpenſatio petatur *ob Anguſtiam*, licet in aliis caſibus non ſit neceſſaria. 66. 31. & 125. 73.
Si in Diœceſi eſſet aliquis locus exemptus, adhuc dicitur de Diœceſi; nec vitiabitur Diſpenſatio, exponendo ſe eſſe de ea Diœceſi. 124. ibid.
Quando petitur Diſpenſatio ob anguſtiam Loci, ſi erretur in ejus expreſſione vitiabitur Diſpenſatio. 126. ibid.
In expreſſione locorum Oratorum, attenditur locus originis, & non domicilii. 127. ibid.
Si in Literis Diſpenſationum Matrimonialium ob cauſam anguſtiæ loci dictum fuiſſet, Oratorem eſſe de uno loco, in qua vere natus ſit Pater, licet ipſe natus ſit in alio, gratia ob id non vitiabitur. 133. ibid.
Formula Diſpenſationis ex cauſa anguſtiæ loci. 1. 272.
Cauſa anguſtiæ loci, olim admittebatur etiam in Civitatibus, ſed hodie eſt denegata. 4. ibid.
Quod extenditur ad Suburbia, niſi per milliare circiter diſtent à Civitate. 5. ibid.
Solet tamen admitti in Civitatibus anguſtis, quæ tercentum focularia non excedunt. 6. ibid.
Sed antequam in Romana Curia admittatur, debet exhiberi fides Ordinarii Civitatis, quod non excedat 300. focularia. 7. ibid.
Et in Literis ſolet apponi clauſula, *Dummodo prædicta Civitas tercentum focularia non excedat*. 8. ibid.
Civitas ad d. effectum quæ dicatur. 9. ibid.
Non veniunt in d. prohibitione Oppida, Terræ, & Loca inſignia, licet ſint plena Populo, & in eis verificari poteſt anguſtia Loci. 12. ibid.
Ad verificandum anguſtiam Loci, quæ qualitates loci conſiderari debeant. 13. ibid.
Hujuſmodi anguſtia quomodo ſit accipienda, & quæ perquiſitio in Oppido ſit facienda. 14. & ſeqq. ibid.
Anguſtia verificatur, ſi adductum fuerit Pontifici, pro cauſa finali, quod major pars Civium Oratrici ſint adeo conjuncti, ut Impedimentum dirimens intercedat. 19. & 20. ibid.
Paritas, & diſparitas Oratorum ad d. effectum quomodo conſideretur. 15. ibid.
Cauſa anguſtiæ dicitur probata, ſi Oratrix per aliquod ſpatium temporis fuiſſet ornata, & expoſita ad nubendum, nec æqualem ſibi invenerit. 24. & ſeqq. 273.
Anguſtia ſufficit, ut verificetur tempore petitæ, & executæ Diſpenſationis, licet æqualis poſtea inveniri poſſit. 26. ibid.
Anguſtia verificatur, ſi mulier habeat quidem in loco plures æquales non conſanguineos, &c. ſed ſit ætate longæva, vel ex alio matrimonio filios habeat, vel ſit deformis. 27. ibid.
Et eo magis, ſi ſit aliquo vitio diffamata, & quæ ſint hujuſmodi vitia. 28. ibid.
Non debet judicari æqualis mulieri juveni vir ſenex ad d. effectum. 33. 29.
Vir non dicitur æqualis fœminæ, licet alias paris eſſet conditionis, quando haberet filios ex alio matrimonio, ſi eſſet valde deformis, luſor, & malis moribus imbutus. 30. 273.
Si in Oppido adſit fœmina nobilis, quæ ex anguſtia loci intendit nubere conſanguineo, ſi adſit vir ignobilis, ſed Doctor, is dicitur ei æqualis. 47. 274.
Mulier ſi ſit nobilis, ſed pauper, ſi intendit nubere, & in Oppido ſint ignobiles, ſed divites, non tenetur eis nubere, ſed diſpenſari poterit cum conſanguineo, ob anguſtiam loci. 60. & ſeqq. 275.
Fœmina, an petere poſſit Diſpenſationem ob hanc cauſam, ſi in ejus Oppido non ſint æquales, ſed bene quidem in locis finitimis. 69. & 70. ibid.
Papa movetur ad diſpenſandum ex hac cauſa, quia duriſſimum eſt mulieri, extra ſuam Patriam nubere. 73. 276.
Si fuerit erratum in expreſſione Loci, Literæ per Delegatum non poſſunt expediri, niſi prius correcto errore in Dataria. 101. 277.
Ad evitandum errorem Loci, quid obſervent practici Curiales, & quando eis de vero Loco originis non conſtat. 102. ibid.
Expreſſio Diœceſis Oratricis, eſt neceſſaria in Diſpenſatione ob anguſtiam Loci. 103. ibid.
Et ſi Oratores eſſent diverſarum Diœceſum, utraque exprimi debet. 105. ibid.
Et tunc Literæ ſolent dirigi Ordinario Oratricis. 106. ibid.
Si petatur Diſpenſatio ob anguſtiam Loci utriuſque, & reperiatur Oratores eſſe de eodem loco, gratia non vitiabitur, verificata anguſtia ejus Loci. 107. ibid.
Quando Oratores petunt Diſpenſationem ob anguſtiam, & ſint conjuncti ſecundo & tertio gradu, tunc quia difficilior redditur Diſpenſatio, additur Clauſula, *Et ſi extra*. 108. ibid.
Clauſula, *Et ſi extra*, quid importet. 109. ibid.
Ob difficultatem verificationis d. clauſulæ, loco illius ſolet exprimi, *quod Oratores ſunt de honeſtis Familiis*. 110. ibid.
Quæ expreſſio auget expenſam Compoſitionis in ducatis quinque, ſed reddit Diſpenſationem faciliorem, & tutiorem. 111. ibid.
Expreſſio qualitatum Oratorum, quando debeat verificari. 114. & ſeqq. ibid.
Cauſa Diſpenſationis, quia locus eſt ad Litus maris, quando dicatur adeſſe, & quæ requirantur. 1. & ſeqq. 293.

B

BASTARDUS.

Bastardi qui dicantur, & unde dicti. 554. 96.

BENEFICIUM.

Dispensatus ab Episcopo ad Beneficium, non intelligitur dispensatus ad Beneficium extra Diœcesim. 30. 9.

Nec poterit habere in Cathedrali. 31. ibid. nisi fuerit dictum, *Ad quæcunque*. 36. ibid.

Nec poterit habere Beneficium in eo loco, ubi Pater, idem, aut aliud obtinuit. 32. ibid.

Dispensatus ut possit obtinere in Cathedrali, non poterit obtinere in Metropolitana. 33. ibid.

Item non potest obtinere Beneficia Curata. 37. ibid.

Nobiles in tres gradus dividuntur, alii sunt nobiles genere, alii honoribus & virtute, alii ex privilegio. 129. 278.
Nobiles genere, qui dicantur. 130. ibid.
Qui ex honoribus, & virtute. 131. ibid.
Qui ex privilegio. 132. ibid.
Testes ad probandam nobilitatem quid deponere debeant. 136. ibid.
Nobilitas probatur ex publica voce, & fama, & ex communi existimatione. 137. ibid.
Si probari debeat, Oratorem esse de nobili genere procreatum, quid debeat probari. 138. ibid.
Nobilitas probata dicitur ex eo, quod Oratores deferant super eorum insignia Galeam opertam. 139. ibid.
Ad probandam nobilitatem, valde conferunt Historiæ, & Cronichæ. 140. 279.
Nobilitatem probare ex latere tantum Patris an sufficiat, quoad causam Dispensationis. 141. ibid.
Quod quis sit ex Personis principalibus, quomodo probetur. 142. ibid.

NOMEN.

Error nominis non vitiat gratiam, quando constat de Persona, cui concessa est. 54. 31. & absit fraus. 107. 72.
Nec pariter Pronominis error vitiat, quando certe constat de persona Oratorum. 55. 31.
Limita, si petatur Dispensatio in forma *Pauperum*, quia tunc error in Nomine, & Pronomine debere corrigi, antequam Delegatus exequatur dispensationem, & de ratione. 56. ibid. & 107. 72.
Correctio erroris Nominis in Romana Curia quomodo fiat. 57. 31.
Si nesciant Pronomina Dispensandorum, quam cautelam servent practici Curiales. 58. ibid.
Error in expressione loci, an, & quando vitiet Dispensationem, & quid servandum. 60. ibid.
Nomina Oratorum non exprimuntur in Prætorio S. Pœniten-

nitent. ariæ, sed sufficit, ut dicatur *ex parte latoris præsentium*. 104.33.
Mutatio Nominis Pontificis, unde originem habuit. 45.69.
Nomen Pontificis apponitur in omnibus Literis Dispensationum Matrimonialium. 46.70.
Nomen Pontificis, est de essentia Datæ. 590.98.

NOTARIUS.

Notarius, vel Judex si scirent Oratores super Impedimentis occultis fuisse dispensatos, possunt eos admonere, ut illa taceant in processu, ne publicentur. 174.75.
Notariis an possint committi à Delegato simplices informationes, & quibus. 229.84.
Notarii præsentia, & Testium non requiritur in Dispensationibus, quæ fiunt ab Episcopo, pro Foro conscientiæ, in casibus permissis. 189.157.

NOTHUS.

Nothi Filii, qui dicantur. 552.96.

NOTITIA.

Notitia, vide SCIENTIA.

NOTORIUM.

Notorium non eget probatione. 248.79.

NULLITAS.

Si Dispensatio prima sit nulla, non est opus in secunda de priori mentionem facere. 226.39.
Nullitas Dispensationis, est pœna. 284.44.
Nullitatis pœna ipso Jure non intelligitur, nisi in casibus à Jure expressis. 286. ibid.
Quis si Legislator voluisset eam incurri ipso Jure, expressisset. 288. ibid.
Acta post datam Literarum, sed ante illarum præsentationem facta, sunt nulla, & irrita, nec per subsequentem præsentationem convalidantur. 7.68.
Licet nullum defectum Jurisdictionis opponat. 8. ibid.
Ad hoc, ut Papa validet, requiritur, ut sciat nullitatem; alias non censetur sanare. 166.74.
Nec censetur sanare defectus, quos ignorat. 168. ibid.
Si Matrimonium sit nullum ob Impedimentum alteri tantum Conjugi notum, an, & quando alter debeat de eo certiorari, ut super d. nullitate possit dispensari. 197. & seqq. 87.
Nullitas an debeat alteri Conjugi ignoranti manifestari, quando scandala timentur. 400. 88. & 181. 137.
Contrahentes Matrimonium cum ignorantia Impedimenti; licet non subiiciantur pœnis Clementinæ *Eos &c.* tamen subiacent pœnis intrinsecis, nempe nullitatis Matrimonii. 605.98.
Nullitas matrimonii contracti narrata Pontifici pro Dispensatione, verificari debet. 298.120.
Conjux non censetur approbare nullitatem matrimonii, nisi illam sciat. 31.212.

NUNCIUS.

Nuncii Hispaniæ solent habere facultatem à Pontifice dispensandi in Impedimento publicæ Honestatis ex solis Sponsalibus orto, & Prolem legitimandi. 172.156.
Nuncii prædicti habent facultatem dispensandi in gradibus ultra tertium. 173. ibid.
Cum Indis vero dispensant in omnibus gradibus Juris Divino non prohibitis. 174. ibid.
Aliquando etiam dispensant in Impedimentis dirimentibus post matrimonium contractum, si occulta sint. 175. ibid.
Nuncii S. Sedis Apostolicæ possunt assistere celebrationi Matrimonii in eorum Provinciis, & alium Sacerdotem ad id deputare. 75.& seq. 184.

NUPTIÆ.

Nuptiæ secundæ dicuntur, quæ post primas celebrantur, quamvis quis pluries soluto matrimonio, tertias, & ulteriores celebraverit. 17.192.

O

OBLIGATIO.

NOn est præsumendum, quod Superior velit Subditum à legis obligatione eximere, nisi quando tuta conscientia, & absq; peccato possit. 61.20.
Ante notitiam Dispensationis, lex saltem in conscientia, obligat. 62. ibid.

OBREPTIO.

Obreptio, & subreptio, inter se differunt. 1.27.
Obreptio quid sit. 3.28.
Obreptio ob quarum qualitatum taciturnitatem inducatur. 10.& seqq. ibid.
Si petatur Dispensatio super duplici Impedimento, & pro altero vera, pro altero falsa causa exprimatur, si hoc fiat absq; dolo, Gratia vitiabitur pro parte, in qua veritas non fuit expressa; sed si dolose, & culpa petentis obreptio sequatur, Gratia in totum vitiatur. 35.& 36.29.
Obreptio commissa per Solicitatores, vel alios Curiæ Romanæ Officiales, non vitiat Gratiam, quando est dividua, nisi pro parte, pro qua facta fuit obreptio. 42.30.
Solicitatores committentes Obreptionem, quibus pœnis subiiciantur. 44. ibid.

OCCISIO, OCCISOR.

Si quis occidisset Uxorem, non tamen animo ducendi Concubinam, & de hoc crimine iniquisitus fuisset judicialiter, sed defectu probationum absolutus, vel mitius punitus, si postea velit ducere Concubinam, quomodo se gerere debeat, ne delictum detegat. 108.34.
Occidens Patrem Spiritualem punitur ac si Patrem naturalem occidisset. 75.172.
Licet Vir occidat Uxorem alio animo, quam ducendi Adulteram, tamen contra eum stat præsumptio in contrarium. 22.227.
Occidere veneno, plus est, quam gladio necare. 69. 230.

OFFICIALIS.

Officiales appellantur Vicarii, maxime in locis ultramontanis. 78.56.
Officiales, & Ministri S. Pœnitentiariæ, quæ requisita habere debeant. 18.126.
Qui sint, & quomodo appellentur Officiales Subditi majori Pœnitentiario. 11. ibid.

OFFICIUM.

Officium Divinum ut non recitet, censetur dispensatus Subdiaconus, qui fuit dispensatus, ut possit Uxorem ducere. 87.12.
Officium Judicis nobile circa publicam Reipublicæ utilitatem versatur. 220.116.

OMISSIO.

Non expressum à lege pro omissio habetur. 293. 44.
Non expressum à lege censetur omissum ex mente Omittentis. 294. ibid.
In odiosis omissum habetur pro omisso. 293. ibid.
Quæ sunt speciali nota digna, si non sunt expressa, censentur omissa. 320.46.

OPINIO.

In Opinionum conflicto semper ea præferenda est, quæ favet Pietati, Religioni, & Animæ, ut evitetur peccatum. 110.13.& 310.45.
Et in materia legitimitatis Prolis ea est sequenda, quæ legitimitati favet. 264.118.
Opinio singularis Doctoris pro legitimitate, prævalet communi contrariæ. 265. ibid.
Opinio mitior, æquior, & benignior semper est amplectenda. 311.45.
Opinio quid sit. 25.304.
Opinio potest esse speculative, & practice. 30. ibid.
Opinio practice, quando dicatur, & quando speculative. 32.& 35. ibid.
Maxime si libertati faveat, & matrimonio. 312.45.
Potest quis sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. 314. ibid. 183.76.

ORATOR.

Oratores gravati à Delegato debent recurrere ad Delegantem. 324.84.
Oratores si deliquerint sub spe veniæ, & faciliorem Dispensationem reddendi, Papa mandat duplicari pœnitentias, & mulctas, & apponit clausulam, quod *Oratorum alter alteri supervivens, perpetuo absque spe Conjugii remaneat*. 24.105.
Quid, si ambo cum d. spe deliquerint. 25.106.
Quid, si Dispensatus cum d. clausula, post solutum matrimonium velit novum inire. 27. ibid.

FACULTAD DE DERECHO BIBLIOTECA GRANADA

ORDINARIUS.

Dispensationum Commissiones, si extra Curiam fiunt, Ordinariis demandantur. 1.52.

Nomine Ordinarii venit non solum Episcopus, sed etiam Vicarius Generalis. 2.ibid.

Vicarius Capituli, Sede Episcopali vacante, est vere Ordinarius. 17.53.

Si Ordinarius, cui Literæ fuerunt directæ, recuset eas exequi, vel juretur suspectus, quid agendum. 52.55.

Si Oratores velint commissionem dirigi Ordinario Oratorum, debent exprimere in Supplicatione, & quando concedatur. 154.74.

Ordinarius ad quid teneatur, si ei denuncietur Impedimentum, super quo scit, Conjuges secreto fuisse dispensatos. 177.75.

Ordinarius dispensare non potest, nisi probatis precibus, & causa cognita. 225.78.

Ordinarius non potest se intromittere in cognitione Dispensationis factæ à Delegato, nisi subreptio esset evidens, & quando dicatur evidens. 495.93.

Ordinarius Delegatus, cum sit Judex in Foro externo, semel capto Judicio, variari non potest. 121. ....

Ordinarius potest extra suam Diœcesim super Denunciationibus dispensare. 61.251.139.254.

Ordinarius absque justa causa dispensans super omissione Denunciationum, peccat mortaliter. 132. ibid.

Ordinarius non tenetur hujusmodi justas causas judicialiter cognoscere, & quomodo possit se informare. 135. & seqq. ibid.

Ordinarius Dispensans in Denunciationibus, sufficit, ut in decreto Dispensationis asserat, quod ex justis causis animum suum moventibus, & coram eo verificatis, dispensat. 139. ibid.

Ordinarius tenetur dispensare super omissione Denunciationum, si concurrat justa causa, & quando. 141. & seq. ibid.

Ordinarius, qui solus scit Impedimentum dirimens occultum, quod probari non possit, poterit assistere matrimonio, vel alium deputare ad assistendum, quia cum sit Judex, non potest esse Testis. 226. 259.

ORDO.

Data generaliter facultate legitimandi ad Ordines, poterit legitimari ad quoscunque Ordines, etiam Sacros, non tamen ad Episcopatum. 6. 8.

Dispensatus simpliciter ad Ordines, non inlligitur de majoribus, nisi Papa sciret, d. Clericum jam fuisse ad minores promotum, vel diceretur, *Ad omnes*. 45. 10.

Illegitimus dispensatus ad Ordines non erit dispensatus ad Beneficia simplicia. 46. ibid.

Dispensatus ad Sacerdotium, intelligitur dispensatus ad Ordines quoque inferiores suscipiendos. 93. 12. & 115. 14.

Episcopus respectu Ordinis, est major Cardinali. 60. 70. & 91. 71.

Ordinis Episcopalis dignitas tanta est, ut hoc nomen Episcopi ipsi Christo conveniat. 62. 70.

Ordo Episcopalis non differt ab Ordine Summi Pontificis. 63. ibid.

Ordinis Episcopalis causa efficiens fuit Christus Dominus. 66. ibid.

Ordinis Episcopalis potestas fuit posita in Petro, tanquam in Capite; in cæteris vero Apostolis, tanquam in membris. 67 ibid.

Ordinatio sola Petri fuit perennis, aliorum vero Episcoporum, quatenus fuit universalis, temporaria remansit. 68. ibid.

Si Papa ipse conferat alicui minores, non poterit sic Ordinatus, ab alio ad majores promoveri. 225. 116.

Constitutus in Sacris, si dispensetur, ut possit ducere Uxorem, & deinde vellet ducere Consanguineam, an sit facienda mentio primæ dispensationis. 204. 38.

Ordinis Sacri susceptione non dirimitur matrimonium ratum, licet non consummatum. 42. 198.

Clericus metu ordinatus, non illum purgat, nec validat Ordinem, quamvis per plures annos, credens Ordinem validum, in illo se exercuerit, & proinde poteris ducere Uxorem. 64. 208.

Ordines minores, nec impediunt, nec dirimunt matrimonium. 1. 215.

Clericus solos Ordines minores habens non peccat contrahendo matrimonium. 2. ibid.

Ordo Sacer impedit, & dirimit matrimonium postea contractum. 4. ibid.

Unde tam Latini, quam Græci, aliquo dictorum Ordinum insigniti, si contrahant matrimonium absque dispensatione, nulliter contrahent. 5. ibid.

Et Apostatæ, Irregulares, & Sacrilegi essent, & Excommunicationem latæ sententiæ incurrerent. 6. 216.

Et tanquam de Hæresi vehementer suspecti censerentur; ideoque hujusmodi casus cognitio ad S. Officium pertineret. 7. & 8. ibid.

Fœmina contrahens scienter cum Sacris initiato, posset à Principe in servitutem poni. 9. ibid.

Filii ex hujusmodi matrimonio concepti, ultra alia præjudicia, efficiuntur servi Ecclesiæ, cui Pater adscriptus erat, intellige tamea post sententiam. 10. & 11. ibid.

Diaconibus Græcis an olim licuisset matrimonium inire, & quando. 13.ibid.

Ordo Sacer quo jure dirimat matrimonium, & an super hujusmodi Impedimento possit dispensari. 14. & seqq.ibid.

Ordini Sacro est adnexum Votum solemne Castitatis ex solo Jure Ecclesiastico. 15.216.

Constitutus in Sacris, vel in Religione professus, valide matrimonium contrahet, si ad hoc fuerit dispensatus, & aliud non obstet Impedimentum. 20.ibid.

Ordo Sacer differt à Professione, quia ex matrimonio rato potest quis ad Religionem transire, non vero ad Ordinem Sacrum. 24.ibid.

Et ratio differentiæ est, quia per Professionem matrimonium ratum dirimitur, & Conjux, qui in sæculo remanet, potest cum alio inire; at per Ordinem Sacrum cum non dirimatur, poterit alter Conjux postulare alterum, qui absque ejus consensu Ordines suscepit. 25. & 26. ibid.

Papa potest, absolute loquendo, relaxare obligationem Continentiæ Ordini adnexam, & sic Virum conjugatum, absque injuria Matrimonii, promovere. 27. ibid.

Ordines Sacros suscipiens, intentionem se non obligandi, nec Votum Castitatis emittendi, an teneatur hujusmodi Voto. 28. & seqq. ibid. *& in Annotat. n.* 17.

Et peccat suscipiendo Ordines absque d. intentione. 30. ibid.

Ordines suscipiens ob metum, non recipit caracterem, nec ad Voti observantiam tenetur. 31. ibid.

Ordines Sacros suscipiens ante pubertatem, non tenetur Voto, quia non adfuit usus rationis. 32. 217.

Et facta nullitatis declaratione ab Ecclesia, poterit absque dispensatione Matrimonium contrahere. 34. ibid.

Vir Conjugatus, de Uxoris licentia, nisi aliud obstet impedimentum, potest ad Sacros Ordines promoveri. 35. ibid.

De Jure Divino status conjugalis non repugnat cum Ordine Sacro; immo Jure Ecclesiastico permittitur, ut simul conjungi possint servando Castitatem. 36. ibid.

Si post susceptos de licentia Ordines, Conjuges carnaliter commiscerentur, committerent grave Sacrilegii peccatum, non tamen Fornicationis. 37. ibid.

Proles tamen, quæ ex tali congressu perciperetur, esset legitima, ex probabiliori opinione. 38. 217.

Quamvis esset Irregularis, itaut non posset ad Ordines promoveri absque Dispensatione. 39. ibid.

Filius natus antequam inter Parentes Matrimonium contraheretur, si ad aliquem Ordinem promoveretur, & deinde Parentes contraherent, licet tunc legitimus fieret, non tamen Ordinis susceptio convalidaretur; & si ad ulteriores vellet promoveri, opus esset dispensatione. 41. ibid.

Vir non potest absque licentia Uxoris, nedum ad Sacros Ordines promoveri, verum nec ad Minores, nec Clericali prima Tonsura insigniri. 46. ibid.

Vir post Matrimonium ratum, vel consummatum, susci-

ſuſcipiens Ordines abſq; Uxoris licentia, poterit ab ea poſtulari, & ſi cum dolo fecerit, Irregularitatem incurrit. 47.ibid.

Qui Ordines ſuſcipit, quamvis prima Tonſura initietur, tenetur emittere Votum Caſtitatis; & niſi habuerit animum ad Sacros Ordines aſcendendi, non poterit promoveri. 51.ibid.

Vir Latina Eccleſiæ ſine licentia Uxoris in ſæculo degentis, ſi ad Sacros Ordines promoveatur, mulctandus erit tanquam Bigamus; & quia eſſet ſuſpectus de Fide, exquirenda erit intentio, qua fecit ſe promoveri. 52.217.

Vir putans Uxorem mortuam, ſi ad Ordines promoveatur, etiamſi ſub dicta bona fide electus fuiſſet ad Pontificatum, poterit Uxor, ſi vivat, quæ d. promotionem ignoravit, vel ſciens contradixit, revocare, & poſtulatus tenebitur reddere. 53. ibid.

Et idem procedit, ſi Uxor gravi metu licentiam dediſſet. 54.ibid.

Ut vir poſſit ordinari, non ſufficit, ut Conjux dans licentiam emittat Votum Caſtitatis ad tempus, ſed debet eſſe perpetuum. 55.ibid.

Facto divortio inter Conjuges, Vir etiam abſq; Uxoris licentia poteſt ſuſcipere Sacros Ordines, & de ratione. 58.ibid.

Ut Vir poſſit Ordines ſuſcipere, quæ requirantur. 62. & ſeqq. 218.& 100.220.

Si Mulier ob metum gravem, vel dolo ſeducta, dictam licentiam conceſſerit, poterit reclamare, & Virum revocare, & Vir ſubiicietur eiſdem pœnis, ac ſi abſque Licentia Ordines ſuſcepiſſet. 64. 218.

Si vero Uxor Virum non revocaverit, non poterit ex ſe redire. 65.ibid.

Secus, ſi profeſſus fuiſſet, quia eſſet nulla dicta Profeſſio. 66.ibid.

Ordinatus de licentia Uxoris, ſi ad Epiſcopatum promoveretur, tunc Uxor deberet omnino Religionem ingredi. 67.ibid.

Quod idem faciendum, ſi Vir fieret S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. 68. ibid.

Ut Vir poſſit de licentia Uxoris Ordines ſuſcipere, requiritur Epiſcopi licentia, non eſſentialiter, ſed de honeſtate. 69.ibid.

At verius eſt, requiri de neceſſitate; & ratione. 70. ibid.

Sacra Pœnitentiaria diſpenſare ſolet cum Clerico in Sacris conſtituto, ut matrimonium contrahat, ſi receptio Ordinum ſit occulta, & quæ clauſula apponatur in d.diſpenſatione. 133.221.

Ordo Sacer an habeat eſſentialiter annexum Votum continentiæ. 6.298.

Clericus in Sacris conſtitutus poteſt diſpenſari à Pontifice ad matrimonium contrahendum. 9.ibid.

Ordo Subdiaconatus in primitiva Eccleſia annexam non habebat Continentiam. 10.ibid.

A' quo tempore Subdiaconi obligari cœperunt ad ſervandum continentiam. 11.ibid.

In Ordine Subdiaconatus facilius, quam in aliis diſpenſatur. 12.199.

Quæ cauſæ requirantur ad obtinendum Diſpenſationem ſuper Ordine. 17.& ſeqq.

ORIGO, ORIUNDUS, ORTUS.

Ille proprie dicitur eſſe de loco, qui ratione originis eſt de illo. 129.73.

Ortus intelligitur, qui eſt natus in loco. 130.ibid.

Oriundus dicitur, qui originem ab illo loco ducit, unde Majores ejus fuerunt. 131.ibid.

Tamen ortus, & oriundus confunduntur. 132.ibid.

Habitatio ſolum facit Incolam, ſeu Domiciliarium, non tamen ortum, ſeu oriundum. 138.ibid.

Verbum Ortus, ut verificaretur, requirit de neceſſitate, quod in illo loco, vel Oratores, vel eorum Patres nati ſint; nec ſufficit, quod in illo habitaverint. 141.74.

Cives facti ex privilegio, non poſſunt dici Orti in loco. 142.ibid.

Originarius civis unius loci, non poteſt eſſe alterius loci. 144.ibid.

Origo, tanquam quid naturale, mutari non poteſt. 145.ibid.

Origo quoad Diſpenſationem matrimonialem, intelligitur de paterna, non materna. 150.ibid.

Filius ſequitur originem Patris, & non Matris. 151 ibid.

OSCULUM.

Simplex Oſculum ab Oratore illatum Oratrici, an ſit ſufficiens cauſa diffamationis. 60.108.

Oſcula, & munuſcula, ſunt quædam præcedentia ad Venerem. 61.ibid.

P

PAPA.

PApa tolerare poteſt ea, quæ ſunt de jure poſitivo prohibita, non tamen ea, quæ de Jure Divino. 57.5.

Papam voluiſſe ſanare defectus quos ignorat, nunquam cenſetur. 81.32.

Papa ſi abſque cauſa diſpenſaret contra Concilium, mortaliter peccaret. 230.39.

Papa, & Sedes Apoſtolica, idem ſunt. 51.70.

Appellans ad Papam cenſetur appellare ad Sedem Apoſtolicam. 52.ibid.

Licet Papa moriatur, non tamen Eccleſia dicitur remanere ſine capite, quia ejus caput eſt Chriſtus Dominus, & remanet vivum, nempe quoad radicem in Sacro Collegio Cardinalium, & quoad Juriſdictionem in ipſo Chriſto. 54. ibid.

Papa vocat ſe Epiſcopum, cum ſit univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. 56. ibid.

Papa propter ejus humilitatem appellat ſe Servum Servorum Dei. 72. ibid.

Gregorius Primus ita ſe inſcripſit, & quare. 73. 71.

Papa omnes Chriſtifideles appellat Filios, præter Epiſcopos, quos Fratres appellat. 75. ibid. & 83. ib.

Quando vero vocat Mulieres, addit, *Dilectæ nobis in Chriſto Filiæ*. 76. ibid.

Papa omnes Reges, & Cardinales vocat Filios, Epiſcopos vero Fratres. 83. ibid.

Cletus Papa fuit primus, qui uſus fuerit ſalutare modo ſolito, *Salutem*, & *Apoſtolicam Benedictionem*. 101. 72.

Dum ſalutat Hæreticos, Apoſtatas, vel Excommunicatos, illos non ſalutat, nec vocat dilectos Filios. 102. ibid.

Si Papa ſalutaret excommunicatum, præſumeretur per d. ſalutationem illum abſolvere. 103. ibid.

Papa Dei Vicarius, & univerſalis Paſtor, debet opportune providere, ubi caſus, rei qualitas, & Perſonarum indigentia poſtulant. 192. 76.

Papa cum ſit omnibus ſuperior, poteſt cogere quamlibet Perſonam ad acceptandam ſuam Delegationem. 230. 78.

Papa raro diſpenſat, ſed ut plurimum committit Delegato, ut, ſi preces ſint veræ, diſpenſet. 227. ibid.

Papa dum concedit Auctoritate Apoſtolica, nomine Dignitatis, & non Perſonæ, concedere dicitur. 478. 92.

Papa de Jure ex ſola electione legitime facta, abſque alia confirmatione, plenam adminiſtrationem conſequitur. 592. 98.

Papa eſt Dei Vicarius. 6. 148.

Papa dicitur Petri ſucceſſor. 7. ibid.

Epiſcopus totius Orbis. 8. ibid.

Pater univerſalis, & Summus Sacerdos. 9. ibid.

Pater pauperum. 10. ibid.

Patriarcha Patriarcharum. 11. 148.

Ordinarius Ordinariorum. 12. ibid.

Papa habet poteſtatem à Deo, & nullus eſt ei ſuperior, niſi Deus. 13. ibid.

Papa eſt Imperator Militiæ Chriſtianæ. 14. ibid.

Sedet in Sede, quam Chriſtus ſibi, in Perſonam D. Petri, ſpecialiter elegit. 15. ibid.

Eſt vice Deus 16. ibid.

Non gerit vices puri hominis, ſed Dei vere in terris. 17. ibid.

Papa poteſtatem habet, non à Concilio, ſed à Deo. 18. ibid.

Poteſtati Papæ omnes aliæ poteſtates ſubditæ ſunt, & ipſe non judicatur, niſi à Deo. 19.149.

Papa ſolus poteſt cognoſcere de validitate ſuæ gratiæ. 20.ibid.

Potestatis Papæ comparatio. 21. ibid.
Habet totum Orbem pro Diœcesi. 22. ibid.
Electio Papæ non procedit à Cardinalibus, sed ab ipso Deo. 23. ibid.
Et ea, quæ fit à Cardinalibus, est simplex indicium, & signum Personæ, quam Deus vult Ecclesiæ præesse. 24. ibid.
Papa facit idem Tribunal cum ipso Christo. 25. 149.
Princeps sæculi, & proprie Monarcha, solus Papa dicitur. 26. ibid.
Papa non ligatur Constitutionibus suorum prædecessorum. 27. ibid.
Quicquid Papa statuit, statuere præsumitur pro bono universali, Spiritu Sancto dictante. 28. ibid.
Causa justa in eo semper præsumitur. 29. ibid.
Papa à nemine judicari potest. 30. 149
Est exemptus ab omni humana potestate. 31. ibid.
A' judicio Papæ appellari non potest. 32. ibid.
Si appellaretur à sententia Papæ ad Christum, heresim sentire videretur. 33. ibid.
Plenitudo potestatis in solo Papa manet, & alii Episcopi dicuntur vocati in partem solicitudinis. 34. ibid.
Potestas Papæ tanta, ut si totus mundus declararet nullam sententiam ejus, nihilominus Papæ judicio standum est. 36. ibid.
Papa est par in Ordine aliis Episcopis, tamen in administratione, & jurisdictione est superior. 35. ibid.
Sententia Papæ à nemine in terris retractari potest. 37. 149.
Papa deponit Reges, & Imperatores, eisque Coadjutores constituit. 39. ibid.
Plura de auctoritate Papæ, ejus præeminentia referuntur. 40. ibid.
Episcopi, & alii Inferioris, ordinaria auctoritate nihil possunt in iis, quæ Papa sibi reservavit, & tantum poterunt, quatenus per Papam, vel Sacros Canones eis concedatur. 41. ibid.
Papa habet plenum Jus dispensandi in toto Jure Canonico. 46. 149.
Concilii Decreta sunt suppositа confirmationi Papæ. 47. ibid.
Papa est æqualis Concilio, si in ipso includatur, & si non includatur, est supra Concilium. 72. 163.
Papa in Jure Divino naturali dispensare non potest. 8. 164.
In Jure vero positivo ex causa dispensare potest ab observantia, non tamen illud in totum tollere. 20. & seqq. 165.
Potest illud interpretari, limitare, & declarare. ibid.
Et in eo dispensando, facit non auctoritate humana, sed potestate sibi à Deo tradita. 26. 166.
At si dispenset absque justa causa, Dispensatio est illicita, nec valet. 27. ibid.
Pontifex potest dispensare ab omnibus Legibus, quas condiderunt Apostoli, auctoritate Christo accepta, non ab illis Canonibus, quos à Christo acceptos, veluti Ministri promulgaverunt. 28. & seqq. ibid.
Papa non dispensat, ubi ex dispensatione induceretur peccatum. 30. ibid.
Papa directe dispensare non potest in Jure Gentium, & Civili, nisi ad bonum commune. 31. & 34. 166.
Papa ex causa necessitatis, & ad bonum spirituale dispensat ab omni Lege sæcularium. 35. ibid.
Papa quando agitur de materia peccati, & Animæ salute, habet potestatem absolute in omnes Laicos. 36. ibid.
Potest legitimare prolem ortam ex matrimonio clandestino, etiam in præjudicium succedere debentis, si non esset legitimata, quando dispensat ab Impedimento matrimonii. 38. ibid.
Non potest dispensare in Impedimentis Jure Divino naturali prohibitis ex sola ratione, & non ex voluntate humana. 39. ibid.
Dispensare non potest, ut matrimonium contractum dissolvatur. 41. 166.
Quod intelligendum saltem de matrimonio consummato. 42. ibid.
Non potest dispensare super Impedimento perpetuæ impotentiæ ad coeundum. 43. ibid.
Nec in Impedimento erroris personæ, ut invitus quis cogatur cum ea, cum qua non intendit inire. 44. ibid.
Pluralitatem Conjugum dispensare nequit. 45. ibid.
Papa dispensare potest super Honestatis Impedimento, orto ex matrimonio rato, attenta etiam copula subsecuta inter contrahere volentes, & exempla afferuntur. 65. & seqq. 190.
Papa est supra Concilium. 4. 263.
Potest dispensare etiam absque causa in iis, quæ Jure Ecclesiastico sunt. 5. ibid.
Tamen, ut licite, & absque peccato dispenset, requiritur justa causa. 7. ibid.
Sola voluntas Pontificis habet vim legis. 6. ibid.
Papa non debet ad libitum sua auctoritate uti, sed cum causa, & ad bonum commune. 17. 264.

PAROCHUS.

Parochus ad quid teneatur, si ei denuncietur aliquod Impedimentum, super quo scit Conjuges fuisse secreto dispensatos. 176. 75. & 159. 136.
Matrimonium si celebretur coram Parocho, & Testibus, dicitur publice contractum, quamvis fiat in privatis domibus. 375. 86.
Parochus, vel Ordinarius, si scirent Impedimentum secretum, & Sponsos fuisse super eo dispensatos, possunt dissimulare. 407. 88.
Secus, si ab alio fuerit denunciatum. 408. ibid.
Cognitio super Impedimentis ad Parochum spectat, 409. ibid.
Parochus sciens Impedimentum ex sola Confessione, non potest ea uti, sed tenetur Contrahentes, si insistent, conjungere. 438. 89.
Nec potest Parochus ea scientia uti, quamvis noverit Impedimentum esse primi gradus. 439. 90.
Parochus, sciens Impedimentum ex sola Confessione, quando teneatur Pœnitentem admonere. 440. ibid.
Parochus tenetur denunciare ad Ordinarium Impedimenta existentia inter Conjuges, licet sciret super eis ab Episcopo fuisse dispensatos in Foro conscientiæ. 151. 155.
Parochus tenetur fidem mortis alterius Conjugis remittere Ordinario cognoscendam, an sit legalis, & fide digna, ad hoc, ut superstes possit iterum contrahere. 35. 203.
Parocho est credendum in iis, quæ ad ejus officium pertinent. 40. ibid.
Parochus est Judex Animarum ei commissarum, & de ipso Jus Canonicum plurimum confidit. 41. ibid.
Parochus tantam in sua Ecclesia habet potestatem, quantam habet Prælatus cum Capitulo in Collegiata. 42. ibid.
Et in ea, non solum dicitur Prælatus, sed tanquam in propria domo dicitur Imperator, & Rex. 43. & 44. ibid.
Parochus in sua Ecclesia in Missis solemnibus præcedit omnes. 45. ibid.
Et gerit vices Apostolorum. 46. ibid.
Parochus assistens matrimonio celebrato à constituto in Sacris Ordinibus, est ipso jure excommunicatus. 12. ibid.
Matrimonium celebratum Venetiis inter Catholicum, & Græcam Schismaticam, assistente Sacerdote Græco pariter Schismatico, est nullum. 22. 223.
Valet tamen, si celebretur inter Græcum, & Latinam, coram Sacerdote Græco, Ecclesiæ Romanæ obediente. 23. ibid.
Parochus non potest assistere matrimonio Hermaphroditi, qui æqualiter in utroque sexu prævalet, nisi prius coram Judice Ecclesiastico cum juramento electionem fecerit de sexu, in quo vult contrahere. 81. 236.
Parochus assistens matrimonio clandestino, incurrit pœnam Suspensionis triennalis. 34. 250.
Sed, ut eam incurrat, requiritur sententia Judicis. 35. ibid.
Et ad quem spectet Absolutio. 36. & 41. ibid.
Quid si assistat matrimonio clandestino cum Teste singulari. 40. ibid.
Matrimonium censetur in faciem Ecclesiæ celebratum, quamvis in privatis domibus fiat, dummodo Parochus, & Testes interveniant. 41. ibid.
Parochus tenetur assistere matrimonio eorum, qui in ejus Parochia domicilium habent. 44. ibid.

Parochus proprius quis sit. *in annot. n.* 28.
Matrimonium nulliter contractum, si postea domicilium transferatur, ratificari debet coram Parocho moderni domicilii. *ibid.*
Parochus Carcerati proprius quis sit. *in annot. num.* 15.
Parochi nomine venit quilibet Sacerdos ab ipsomet Parocho, vel ab Ordinario, deputatus ad assitendum matrimonio, quamvis absque scriptura, & oretenus fuerit deputatus. 46. 250.
Parochus tenetur describere in Libro ad id deputato matrimonia suorum Parochianorum, alias peccat mortaliter. 47. & 49. ibid.
Quia cum ad Parochum spectet fidem facere de matrimoniis, debent probari ex hujusmodi Libris. 48. ibid.
Per quam habitationem efficiantur Parochiani. 51. ibid.
Si fœmina coram Parocho matrimonium ex aliqua causa nulliter contraxisset, & deinde ad domum Concubinarii se transferat, animo cum ex ibi permanendi, non posset valide coram d. suo Parocho de novo contrahere, aut ratificare. 52. 250.
Habens domicilium in una Parochia, si in alia simulate, & animo proprium Parochum fraudandi habitare cœperit, coram Parocho illius loci, ubi habitaverit, matrimonium celebrare debet. 53. ibid.
Matrimonium celebratum coram parocho Rurali, dum rus per paucos dies incolitur, est invalidum. 54. ibid.
Matrimonium contractum coram Parocho loci, in quo quis moratur tanquam Prætor, Judex, Medicus, &c. valet. 55. ibid.
Matrimonium contractum coram Parocho loci, in quo per breve tempus quis habitavit, an sit validum. *In append. cas.* 20.
Ad validitatem matrimonii sufficit præsentia Parochi Sponsæ, vel Sponsi; nec vitiabitur, si Parochus Sponsi assistat in Parochia Sponsæ, vel è contra. 56. ibid. *Et in annot. n.* 29.
Parochus assistens matrimonio extra fines suæ Parochiæ, non peccat, cessante scandolo, & accedente justa causa. 57. 251.
Limita si fieret invito, & contradicente Parocho Loci. 58. ibid.
Quilibet alius Sacerdos deputatus ab ipso Parocho potest assistere matrimonio. 59. ibid.
Immo delegatio hujusmodi Sacerdotis potest fieri à Parocho, seu Ordinario, extra fines suæ Parochiæ, vel Diœcesis. 69. ibid.
Parochus potest suas Oves extra territorium absolvere. 62. ibid.
Habitans in confinio duarum Parochiarum, erit Parochianus illius, in qua domus aditum magis frequentatum habet. 64. ibid.
Et si haberet duas portas, censetur Parochianus illius, in qua residet porta principalis. 65. 251.
Parochus, quamvis irregularis, & excommunicatus, potest valide matrimonio assistere, dummodo actualiter non sit depositus. 66. ibid.
Et potest alium Sacerdotem deputare. 67. ibid.
Amplia, quamvis Beneficium amiserit, quia possessione, & titulo non censetur adhuc spoliatus. 68. ibid.
Parochus, quamvis adhuc Sacerdos non sit, potest matrimonio assistere. 69. ibid.
Matrimonium contractum coram alio Sacerdote, quam proprio Parocho cum sola assertione licentiæ ab eo reportatæ, an sit validum. *In append. cas.* 8.
Sed non potest dare licentiam assistendi alteri non Sacerdoti. 70. 251.
Sacerdos deputatus à Parocho, licet non esset ab Ordinario approbatus, vel esset excommunicatus, vel degradatus, non vitiabitur matrimonium, dummodo sit Sacerdos. 71. ibid.
Nec vitiabitur, quamvis Delegatus à Parocho vere esset Laicos si communi existimatione reputaretur Sacerdos. 72. ibid.
Valet matrimonium celebratum coram Parocho, qui se vere Parochum putat ratione vicinitatis, vel alia simili causa. 73. ibid.
Assistere non posset Sacerdos, qui à Parocho excommunicato substitutus fuisset Vicecuratus, durante Impedimento. 74. ibid.
Matrimonio assistere potest non solum Parochus, sed etiam Episcopus, Vicarius Generalis, Legatus, Nuncii, in eorum Provincia; Cardinales in Ecclesia eorum titulorum, Capitulum Sede Vacante, omnes Prælati Jurisdictionem Episcopalem habentes, & tandem S. Pontifex omnibus matrimoniis Christianorum. 75. ibid.
Et isti omnes respectu eorum Subditorum possunt alium Sacerdotem ad assistendum deputare. 76. ibid.
Matrimonium contractum coram Sacerdote per Vicarium Generalem deputato, postquam Episcopus inhibuerat Parocho, ne matrimonio assisteret, an sit validum. *in append. cas.* 31.
Licentia de assistendo data alteri Sacerdoti debet præcedere matrimonii celebrationem, & non suffragatur si postea subsequatur, nec per ratihabitionem. 95. 252.
Quoad licentiam, vide in verbo LICENTIA.
An possit, & debeat impedire matrimonia tentando fugam, vel aures obturando. *in annot. n.* 31.
Quæ Parochi præsentia requiratur in matrimoniis. *in annotat. ibid. & in append. cas.* 15. 18. 21. & 22.
Matrimonium celebratum absque interventu Parochi, est adeo nullum, ut non possit sustineri, quamvis coram mille Testibus contrahatur. 95. 252.
Parochi præsentia est de essentia matrimonii, nec potest per æquipollens suppleri. 96. ibid.
Præsentia Parochi, & Testium, debet intervenire insimul, dum actus producitur. 101. ibid.
Parochus, quamvis contradiceret, & recusaret assistere, nihilominus valide contrahitur. 102. 253.
Parochus per Interpretem assistere potest celebrationi matrimonii. 106. ibid.
Parochi præsentia an requiratur, si conrrahatur in locis, in quibus non viget Concilium, vide in verbo CONCILIUM.
Parochus potest, omissis Denunciationibus, assistere matrimonio, quando Ordinarius adiri nequit, aut ipse injuste dispensare recuset, & adsit justa causa, & scandala timeantur. 144. 255.
Si tamen vellent Contrahentes omittere in spretum Ecclesiæ, non tenetur assistere, sed potius mori. 193. 257.
Item potest assistere absque eis, quando aliquis ex contrahere volentibus esset in mortis articulo, & periculum esset in mora, & ageretur de reparando honore mulieris, & prolem legitimando. 178. & seqq. 256.
Debet tamen Parochus, si infirmus reconvalescat, facere Denunciationes ante consummationem matrimonii. 181. ibid.
Parochus, qui dolo interfuit matrimonio clandestino, puniri potest pœna arbitraria, & etiam triennali Suspensione. 241. 259.
Et talis culpa, & dolus Parochi debet exprimi in Supplicatione Dispensationis. 240. ibid.

PATER.

Pater non admittitur ad probandum Impedimentum matrimonii. 272. 80.
Occidens Patrem spiritualem punitur, ac si Patrem naturalem occidisset. 75. 172.
Pater Spiritualis non potest vocari in Jus sine venia. 76. ibid.
Pater Spiritualis tenetur alimentare filium spiritualem, & è contra. 77. ibid.
An possit pro filio impubere sponsalia contrahere. *in annot. n.* 7.

PATERNITAS.

Super Paternitate Papa dispensare non solet. 158. 53. & 48. 171.
Paternitas quando contrahatur, vide PATRINUS.
Super Cognatione ex Compaternitate orta Pontifex ex causa justa, etiam levi dispensat. 72. 172. & 109. 268.
Ab Impedimento paternitatis, & maternitatis difficicillime dispensare solet. 73. & 74. 172.
Quæ serventur in Dispensatione super hoc Impedimento. 78. & 80. ibid.

PATRINUS.

Patrinorum numerus, est unius maris, & unius fœminæ, nec potest augeri. 10. 169.
Nec super majori numero potest Episcopus dispensa-

re,

re, nec quod sint duo ejusdem sexus. 11. ibidem.
Patrini non sunt de essentia Sacramenti. 12. ibid.
Parochus, si adhibeat Patrinos, ultra designatos ab iis, ad quos spectat puerum de fonte levare, an contrahant omnes Cognationem spiritualem. 13. & seqq. ibid.
Et quid, si non admittat designatos à Parentibus, sed alios eligat. 15. ibid.
Parochus non potest repellere patrinos designatos à Parentibus Baptizandi, & alios eligere, nisi ex justa causa. 17. 169.
Religiosi Claustrales non possunt esse Patrini, nisi fuerint ad Episcopatum promoti. 18. & 19. ibid.
Patrini Cognationem Spiritualem non contrahunt, 20. ibid.
Vir, & Uxor alienum Puerum levantes Cognationem non contrahunt, nec Filii Suscipientis cum Baptizato. 21. ibid.
Parentes adoptivi pueri baptizati non contrahunt Cognationem Spiritualem, sed tantum naturalem, licet illegitimi. 23. ibid.
Patrini non contrahunt dictam Cognationem, si puer domi valide baptizatos fuerit, licet in Ecclesia suscipiant, ut Cæremoniæ suppleantur. 24. ibid.
Fidelis suscipiens, seu baptizans filium Infidelium, cum eis Cognationem spiritualem non contrahit. 30. 171. & 46. 170.
Quid, si postea baptizentur. ibidem. 30. 170.
Patrinus suscipiens per Procuratorem, Cognationem an contrahat. 31. & seqq. ibid.
Quid si revocatus fuisset, nec illi innotuisset. 36. ibid.
Procurator non contrahit d. Cognationem. 34. ibid.
Patrini ad quid teneantur erga Baptizatum, vel Confirmatum ab ipsis susceptos. 35. ibid.
Universitas per Procuratorem suscipiens puerum, Cognationem an contrahat, & quid uti singuli. 37. ibid.
Patrini suscipientes in privato Baptismo, quamvis habeant animum exercendi munus Patrini, non contrahunt Cognationem spiritualem. 41. & seqq. ibid.
Cognatio spiritualis ex paternitate, quando augeatur. 43. ibid.
Patrinus ad hoc, ut cognationem Spiritualem contrahat ex susceptione Baptizati, vel Confirmati, debet esse baptizatus, vel confirmatus, respective. 44. 171.
Amplia, etiamsi Infidelis esset cathecumenus. 46. ibid.
Puer quando possit esse patrinus. 45. ibid.
Patrini debent suscipere baptizatum de manu baptizantis, & non de manu alterius, alias non contrahunt Cognationem. 49. ibid. & 168. 37.
Sufficit tamen, ut porrigant baptizanti, quamvis postea non susciperent. 50. 171.
Patrinus debet tenere puerum, nec sufficit, ut assistat, vel pro eo respondeat, aut paulisper digito attingat, nec si puerum ante Baptismum super Fonte teneat. 51. ibid.
Sufficit tamen ut illum tangat, licet vestibus contectum. 52. ibid.
Nec requiritur quod respondeat. 53. ibid.
Intentio expressa, vel tacita præstandi munus patrini, requiritur, alias cognatio non oritur. 54. ibid.
Patrinus habens intentionem agendi id, quod Ecclesia facit, licet non intenderet effici Compater, nihilominus Cognationem contrahit. 55. ibid.
Suscipiens filium Petri, putans esse filium Pauli cum neutro Cognationem contrahit. 56. ibid.

PAUPER, PAUPERTAS.

Dispensatio *in forma Pauperum*, non conceditur ob aliam causam, quam ut succurratur honori mulieris, & ob scandala evitanda. 350. 49. & 1. 103.
Requiritur tamen ad impetrationem in ista forma, ut ambo Oratores sint pauperes, & miserabiles, & eorum labore, & industria tantum vivant. 2. 103. & 72. & 76. 109.
Praxis hujusmodi Dispensationum est diversa ab alia, quæ circa Dispensationes in forma ordinaria servatur. 3. 103.
Et declaratur. 5. 104.
Formula Literarum Apostolicarum pro hujusmodi Dispensatione. 4. 103.
Quando teneatur Orator accedere ad Urbem. 6. 104.
Quid servetur in concessione d. Dispensationis, dum Orator est præsens in Urbe. 7. ibid.
Delegatus quid facere debeat, dum ei præsentantur Literæ ab Oratoribus *in forma Pauperum* impetratæ. 9. 105.
Dispensatio in forma *Pauperum* potest impetrari propter quodlibet Impedimentum dirimens, si alia requisita concurrant. 13. ibid.
Si Oratores deliquerint, v. gr. habendo copulam, sub spe veniæ, & reddendi faciliorem Dispensationem, quid agendum in Dispensatione in hac forma *Pauperum*. 19. & seqq. 105.
Quid si unus tantum ex Oratoribus habuit dictam spem, 26. 106.
In Dispensationibus in forma *Pauperum* conceptis, semper de necessitate d. finis exprimi debet. 28. ibid.
Quæ debeant verificari coram Delegato pro hujusmodi Dispensationibus in forma *Pauperum*. 59. 108.
Paupertas, & miserabilitas, ad obtinendum Dispensationem in forma *Pauperum*, quo tempore requiratur. 62. ibid.
Pauper olim non præsumitur pauper de præsenti. 63. ibid.
Pauper qui dicatur. 69. 109.
Relinquitur arbitrio Judicis. 77. ibid.
Ad dignoscendum, an Oratores sint pauperes, inspiciuntur fructus, & non valor bonorum. 64. 108. & 116. 111.
Nobilis est pauper in eo, in quo Rusticus est dives. 71. 109.
Largo modo qui dicantur miserabiles. 73. ibid.
Regina Vidua dicitur miserabilis. 74. ibid.
Eo ipso, quod quis pauper est, dicitur miserabilis. 75. ibid.
Quilibet nudus, & pauper nascitur. 81. ibid.
Paupertas, & miserabilitas, quando sunt fundamentum intentionis in Concedente, debent verificari. 82. ibid.
Non sufficit, Oratores esse pauperes, & eorum labore vivere, si ex locupleti industria vivant. 85. 110.
Non reputatur pauper, qui ex sua industria vivere potest. 86. ibid.
Habere artem, & habere bona æquiparantur. 87. ibid.
Quando agitur de paupertate ad certum effectum, non attenditur industria, nec opera. 88. ibid.
Non sufficit verificare solam paupertatem, verum justificari etiam debet miserabilitas Oratorum in Dispensatione in forma *Pauperum*. 89. ibid.
Filiusfamilias, qui in vita parentis divitis nihil possidet, an possit dici pauper ad effectum obtinendi Dispensationem in forma *Pauperum*. 92. ibid. & quando. 106. ibid.
Dum adsunt alii, quos spectat onus alendi, non potest quis dici pauper. 94. 110.
Filius an dicatur pauper, si mater sit dives. 95. ibid.
Ad hoc, ut quis dicatur pauper, habetur respectus ad id quod possidet, & non ad id quod sperat, seu judicialiter petit. 108. ibid.
Paria sunt, quem esse divitem, vel pauperem, si suis divitiis nequeat uti. 109. ibid.
Dispensatio non est subreptitia, si Oratrix narraverit se pauperem, si vere talis erat, licet spem magni patrimonii haberet. 114. ibid.
Si quis possideat bona exigui redditus, non tenetur ea vendere, ut Dispensationem in forma ordinaria impetret. 115. 111.
Si Oratores essent quidem pauperes, sed bona modici valoris possiderent, an, & quomodo Dispensationem in forma *Pauperum* impetrare possint. 117. ibid.
Paupertas, & miserabilitas si non probetur coram Ordinario, Delegatus non poterit Dispensationem exequi, sed per Oratores erunt expediendæ novæ Literæ impetrandæ in forma *perinde valere*. 118. ibid.
Formula dictarum Literarum in forma *perinde valere*. 119. 111.
Pauper dicitur, qui habet multa bona, sed deductis oneribus, & ære alieno parum supersit. 120. ibid.
Si Oratores in aliena Diœcesi domicilium contraxissent, & saltem per annum ibi habitassent sufficiet si fides paupertatis fiat ab Ordinario Domicilii. 123. ibid.

Pro

Pro Oratoribus abſentibus nihil recipitur à Dominis Scriptoribus Apoſtolicis, at per Officium minoris Gratiæ taxantur, ac ſi pauperes non eſſent. 124. ibid.
Si Oratores ſint nobiles, & pauperes diverſimode conceditur Diſpenſatio in hac forma *pauperum*. 125. ibid.
Pœnitentia publica, & ſervitium Eccleſiæ, in Diſpenſatione in forma *Pauperum* præcedere debent, & interim Oratores debent manere ſeparati. 126. ibid.
Paupertas, & ſola inopia an ſit cauſa, ut Epiſcopus valeat diſpenſare in matrimonio contracto bona fide ab Impedimento dirimenti occulto. 187. 157.
Epiſcopus an teneatur ſubminiſtrare impenſam pro itinere faciendo ad impetrandam Diſpenſationem ab Impedimento inter Conjuges, attenta eorum paupertate. 188. ibid.
Petens Diſpenſationem in forma *Pauperum* ſuper Impedimento paternitatis, quæ debeat ſervare. 79. 172.
Diſpenſatio in forma *Pauperum*, non poteſt concedi ex cauſa defectus dotis. 31. 282.
Fœmina quando dicatur pauper, ad effectum, ut poſſit diſpenſari ad nubendum cum conjuncto, ex cauſa defectus dotis, vide in verbo DOS.

PAX.

Conſervatio Pacis quando ſit juſta cauſa diſpenſandi in matrimonio rato, & non conſummato. 31. 197.
Formula Diſpenſationis ob cauſam confirmationis Pacis de recenti initæ. 1. 288.
Ex dicta cauſa ob quem finem Papa diſpenſet. 2. ibid.

POENA.

Pœna appoſita, quamvis fuiſſet ipſo jure incurrenda, nihilominus requiritur declaratoria. 287. 44.
Pœna excommunicationis, vide EXCOMMUNICATIO.
Pœna recipientium munera pro exequenda Diſpenſatione, quæ ſit. 232. & ſeqq. 78.
Pœna Poligamorum. 33. & ſeqq. 193.
Pœnæ ſtipulatio in caſu, quo matrimonium non ſequatur, non valet. 16. 206.
Pœna Raptoris, vide RAPTOR.
Pœna contrahentium clandeſtine, vide CLANDESTINUM.

POENITENTIA.

Pœnitentia publica, & ſervitium Eccleſiæ, debent præcedere, antequam fiat Diſpenſatio in forma *Pauperum*. 126. 111.
Ob publicum peccatum imponenda eſt publica pœnitentia. 137. 112.
Pœnitentia publica imponenda Oratoribus, relinquitur arbitrio Delegati, qualis eſſe debeat, dummodo publica ſit, & talis, ut alios deterreat. 140. ibid.
Dicta pœnitentia non debet eſſe ſolemnis. 142. ibid.
Quid ſervetur Lucæ, & in multis aliis locis, quoad dictam pœnitentiam. 143. ibid.
Si pœnitentia non fiat ad formam præſcriptam, Diſpenſatio inde ſecuta eſt nulla. 144. ibid.
Pœnitentia, qua tenetur Orator operam ſuam conferre Fabricæ, aut in aliud ſervitium Eccleſiæ, quot menſium eſſe ſoleat. 146. ibid.
Pœnitentia ſervitii Eccleſiæ non eſt neceſſe, ut fiat tempore continuato, ſed ſufficit, ut interpolate expleatur. 147. ibid.
Pœnitentia eadem imponitur, ſive petatur Diſpenſatio ſuper Conſanguinitate, vel ſuper Affinitate, ſive in forma *Pauperum*, vel ordinaria. 149. 113.
D. Datarius Papæ habet plenam auctoritatem pœnitentias Oratoribus commutandi, vel abbreviandi. 167. ibid.
Delegatus non poteſt eaſdem pœnitentias commutare. 169. ibid.
Pœnitentias impoſitas à Papa Epiſcopus ex cauſa poteſt commutare, & Parochus impoſitas ab Epiſcopo, quando ſunt impoſitæ pro Foro conſcientiæ tantum. 170. & 172. ibid.
Pœnitentia in pœnam exceſſuum Oratori impoſita, non poteſt per alium adimpleri. 193. 114.
Licet Confeſſarius teneatur diſpenſando pœnitentias injungere, tamen illas poterit arbitrare. 142. 135.
Pœnitentia ſi non præſcribitur in Mandato, ut ſit perpetua, poteſt dari temporalis. 154. 136.

POENITENTIARIA, POENITENTIARIUS

Major Pœnitentiarius in Impedimentis occultis gerit vices Pontificis, quoad Diſpenſationes. 21. 16.
Major Pœnitentiarius non poteſt ad ſui libitum Diſpenſationem revocare. 521. 95.
Praxis Diſpenſationum, quæ fiunt in hujuſmodi Prætorio pro Foro interno diverſimode ſe habet ab aliis, quæ in Foro ordinario pro Foro externo à Papa conceduntur. 1. 124.
Auctoritas Summi Pœnitentiarii eſt valde aucta per Conſtitutionem Urbani VIII. 5. 126.
Dignitas Majoris Pœnitentiarii à Benedicto II. fuit aucta. 6. ibid.
Hodie cenferri ſolet alicui ex Eminentiſs. S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus. 7. ibid.
Juriſdictio, & auctoritas Summi Pœnitentiarii non expirat morte Pontificis. 8. ibid.
Gratia facta à Pœnitentiario non expirat morte Pontificis. 8. ibid.
Majori Pœnitentiario qui Officiales ſubditi exiſtant. 11. ibid.
Officiales, & Miniſtri S. Pœnitentiariæ debent eſſe Sacris Ordinibus initiati, vel ſaltem initiandi infra tempus ſibi à Sanctiſſimo præſcribendum. 18. 126.
Major Pœnitentiarius ſemel ſaltem in menſe convocat ſuos Officiales, una cum Secretariis, quæ convocatio *Signatura* appellatur, & quare. 19. ibid.
Sacra Pœnitentiaria habet ſuam peculiarem Congregationem Cardinalium. 20. ibid.
Sacra Congregatio Concilii non ſe ingerit in negotiis S. Pœnitentiariæ. 21. ibid.
Diplomata à S. Pœnitentiaria quando clauſa, & quando patentia tradantur. 23. ibid.
Gratiæ à Majori Pœnitentiario quadruplici modo emanant, & quomodo. 24. ibid.
Major Pœnitentiarius quam auctoritatem habeat circa ſæculares Perſonas. 25. 127.
Quid poſſit ad favorem Regularium. 26. ibid.
Auctoritas Majoris Pœnitentiarii circa quas materias verſetur. 27. ibid.
Major Pœnitentiarius an poſſit ex juſta cauſa concedere Dimiſſorias ad Ordines, ſi illæ à proprio Ordinario obtineri non poſſint. 28. ibid.
In quibus poſſit Pœnitentiarius circa matrimonium diſpenſare. 29. ibid.
Circa Conſanguinitatem in gradibus remotioribus tantum diſpenſare poteſt. 30. 188. & rariſſima 40. 128.
Si Matrimonium non ſit adhuc contractum, in Conſanguinitate an poſſit diſpenſare. 31. 127.
Diſpenſationes omnes, quæ à S. Pœnitentiaria emanant, gratis conceduntur. 32. ibid.
Etiam ſi eſſent validatoriæ alterius Diſpenſationis à Pontifice pro Foro externo nulliter impetratæ. 33. ibid.
Quamvis in illa tacita fuiſſet aliqua qualitas, qua expreſſa fuiſſet neceſſaria ſolutio Compoſitionis. 34. ibid.
In primo gradu, & ſecundo Conſanguinitatis, non poteſt Pœnitentiarius diſpenſare. 39. 128.
Si poſt matrimonium bona fide contractum ſuperveniat ſcientia Conſanguinitatis, non diſpenſatur, niſi Conjuges ſtetiſſent in Matrimonio per aliquot annos. 41. 128.
Pœnitentiarius ſolet aliquando committere declarationem, quod non fuerit contractum Impedimentum Cognationis. 44. ibid.
Super Impedimento machinationis, morte ſequuta, difficillime S. Pœnitentiaria diſpenſat, & maxime ſi ex veneno mors evenerit. 47. ibid.
Quomodo ſuper d. Impedimento diſpenſaret, ibidem, & ſeqq.
Si mors veneno ſequuta fuerit, ſolet Diſpenſatio denegari à Pœnitentiario, & committi cauſa diſcutienda in plena Signatura. 49. 129.
Si quis vivente Uxore, cum alia inſcia d. Matrimonii contrahat, & conſummaverit; remanet perpetuo inhabilis ad illud contrahendum. 51. ibid.
Quid ſi mortua prima Uxore, velint in ſecundo matrimonio remanere, quomodo Diſpenſatio concedatur. 52. ibid.
Si Serva contraheret cum libero servitutis ignaro, & deinde, ipso pariter inscio Fœmina donetur libertatem, matrimonium nihilominus est irritum, quamvis post dictam Donationem, Vir ipsam maritali affectu cognoverit. 30. & 31. ibid.
Non valet matrimonium contractum cum Servo, qui post aliquod tempus factus sit liber, si transacto illo tempore debeat redire in servitutem. 32. ibid.
Si Mater gravida, fieret Serva Jure belli, Filius remanet cum ea servus, quamvis tempore conceptionis fuisset libera. 40. ibid.
Si mulier sit serva plurium Dominorum, & ab aliquo manumittatur, & pretium non solvatur alteri Domino, qui non manumisit, Proles nata remanet serva donec pretium pro illa parte solvatur. 41. ibid.

SIGILLUM.

Sigillum authenticat Scripturam. 596. 98.

SOLEMNITAS.

Quoad solemnitates Concilij, vide CONCILIUM.

SOLICITATOR.

Solicitatores committentes subreptionem, vel obreptionem in Dispensationibus, quas pœnas incurrant. 43. 30.

SPADO.

Spadones, & Eunuchi, licet in vase seminent, tamen Affinitatem non contrahunt, cum eorum semen non sit aptum ad generandum. 14. 180.

SPONSALIA, SPONSUS.

Si cum Impedimento matrimonium dirimenti concurrat impedimentum Sponsalium cum altera de futuro contractorum, non est necesse, ut in Supplicatione exprimantur omnia dicta Impedimenta, quia potest peti dispensatio super primo impedimento, & postea super sponsalibus, quatenus ab alia Sponsa non remittantur. 99. 33.
Super sponsalibus de futuro contractis Papa difficillime dispensat, quia agitur de damno tertii. 100. ib.
Impedimentum sponsalium, quid sit. 63. 143.
Sponsalia quibus in casibus dissolvantur. 64. ibid.
Sponsalia contracta sub conditione, *si Papa dispensaverit*, an valida sint. 65. & seq. ibid. & 78. & seqq. ibid.
Sponsalia contracta sub conditione impossibili nulla sunt, etiamsi fuerint Juramento firmata. 70. ibid.
Etiamsi plures expensæ factæ fuerint. 72. 143.
Et quamvis Virgo defforata fuerit. 74. ibid.
Super Sponsalibus habitis sub conditione impossibili est

est locus pœnitentiæ ante Dispensationem impetratam. 75. ibid.
Sponsalia contracta ab habente Votum Castitatis, quamvis postea Dispensationem obtinuerit, nihilominus absque novo consensu, erunt nulla. 77. ibid.
Sponsalia dissolvuntur per Cognationem spiritualem, nec valent adimpleri absque dispensatione. 4. 168.
Sponsalia valide contracta non dissolvuntur per matrimonium ratum subsequens. 18. 188.
Sponsalia contracta ante ætatem requisitam annorum septem, sunt invalida. 20. ibid.
Matrimonium contractum ante ætatem nubilem resolvitur in sponsalia. 21. ibid.
Sponsalia contracta post emissum Votum Castitatis, vel Religionis an, & quando sint nulla, & inducant Impedimentum publicæ Honestatis. 24. ibid.
Sponsalia contracta cum Persona incerta, sunt invalida. 31. ibid.
Item sunt invalida, si contrahantur sub conditione, ante ejus eventum. 32. ibid.
Et eo casu non oritur Impedimentum Honestatis, & poterit contrahi cum altera Sorore Sponsæ, absque Dispensatione. 33. ibid. & 39. 189.
Limita, si conditiones essent turpes, quia pro non appositis habentur. 34. 188.
Sponsalia per parentes nomine Filiorum contracta, sunt invalida, nec ex eis oritur Honestas, donec Filii eadem ratificentur. 37. ibid.
Limita, quando Filii essent præsentes, & doli capaces, quia tunc præsumuntur valida & oritur Honestas. 38. ibid.
Si quis contrahat Sponsalia sub conditione, & ea pendente alia ineat Sponsalia cum Sorore primæ Sponsæ, ista erunt nulla, & ex eis non oritur Honestatis Impedimentum. 40. 189.
Sponsalia contracta sub conditione, nempe, *si fornicaveris*, dicuntur conditionalia, & consequenter nulla, & antea conditionis eventum non inducunt Honestatis Impedimentum. 44. ibid.
Promittens sub conditione ducere Bertam, & conditione non eveniente, promittat ducere Bertæ Sororem, per non adimplementum conditionis, secunda Sponsalia, censentur purificata, adeout impediatur ulterius Bertam ducere. 45. ibid.
An resultent ex promissione non ducendi nisi Bertam, cum mutua repromissione. vid. *in Append. cas.* 13.
Inita inter personas aliquo impedimento dirimente ligatas, sunt nulla. *in Append. cas.* 12.

SPURIUS.

Spurium legitimandi facultate concessa, vel cum illo dispensandi, intelligitur generaliter de quolibet Spurio, dummodo talis legitimatio non cedat in tertii præjudicium. 4. 8.
Spurius, cum sit terminus generalis, omnes spurietatis species comprehendit. 5. ibid.
Spurii, qui dicantur. 542. 96.
Spurii, seu Varii per subsequens matrimonium non legitimantur. 543. ibid.
Spurii, & vulgo Quæsiti, non habent Agnationem, nec eam conservant. 14. & 17. 758.
Nec veniunt nomine consanguineorum, nec dicuntur de Familia. 15. & 16. ibid.
Spurii dicuntur sanguine conjuncti, & propinqui. 18. ib.
Dicuntur ex eodem sanguine procedere, inspecto jure naturali. 19. ibid.
Non veniunt sub verbis, nec dicuntur de Familia, Casata, Domo, & similibus. 21. & 22. ibid.
Spurii non veniunt sub verbis naturæ, ut Conjunctus Consanguineus, Pater, Filius, Nepos, &c. 23. 159.

STATUS LIBER.

Forma interrogandi, & examinandi Testes super statu libero alicujus, decreta à S. Congregatione super generali Inquisitione. 19. 192.
Si Contrahentes sint Vagi, non conceditur licentia contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum, esse iberos. 20. 193.
Fides, & alia documenta super statu Libero, ad hoc, ut probent, quæ requirantur. 21. ibid.
Testes in materia status liberi, sunt magis idonei Consanguinei, quam extranei, & potius Cives, quam Exteri. 22. ibid.
Declarationes plures factæ à S. Congregatione supradicta in hac materia referuntur. 23. ibidem
Constitutus in articulo mortis; volens contrahere matrimonium, non est necesse, ut servet formam Literarum de statu libero; verum si convalescat, debet diligentias explere. 24. ibid.
Attestationes super statu libero, non requiruntur pro exteris, qui discesserunt ab eorum infantia, vel tempore non nubili, & pervenerunt ad locum, ubi matrimonium contrahere cupiunt, ibique continue permanserunt. 25. 193.
Attestatio hujusmodi requiritur pro exteris, qui per 10. annos, & ultra, Domicilium acquisiverunt in loco, ubi sunt contracturi matrimonium, licet probetur per Testes fide dignos eorum liber status, tam originis quam Domicilii. 26. ibid.
Attestatio prædicta requiritur pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt Uxores; & è contra, si mortuæ fuerint in loco ubi iterum contrahere desiderant, licet amplius è d. loco non discesserint. 27. ibid.
Interrogatoria à d. S. Congregatione Decreta, ob eorum difficultatem, in pluribus Curiis fuerunt restricta, etiam de ipsius S. Congregationis consensu. 28. ibid.
Denunciationes in loco originis quando fieri debeant, ultra statum liberum. *in annotat. n.* 9. & 10.
Probari debet etiam per Cives. *in Append. cas.* 4.
Coram Ordinario probari debet quoad Parochos Ecclesiarum Religionis Hierosolymitanæ. *in Append. cas.* 14.

STATUTUM.

Statutum prohibens Filiis, ne contrahant matrimonium absque consensu parentum, non valet. 17. 206.
Statutum etiam pœnale favore matrimonii, dicitur favorabile. 17. 233.

STIPES.

In Literis dispensationum, quare dicatur, *A communi stipite*, &c. 170. 75.
Stipes qualis sit. 10. 158.
Stipes Affinitatis à quibus Personis constituat ur. 32. 18

STYLUS.

Stylus Curiæ facit Jus, & pro lege servandus. 19. 41. & 22. 68.
Stylus, cum sit quid facti, eget probatione. 344. 49.
Stylus Curiæ non inducit necessitatem aliis Judicibus, & Tribunalibus extra Curiam illum servandi, nisi sit scriptus, probatus, notorius, & speciali decisione, ac declaratione Pontificis confirmatus. 345. ibid.
Pro stylo accipi debet Juris interpretatio. 348. ibid.
Stylus Curiæ denotat mentem Papæ. 20. 68. & 66. 266.

STUPRATOR, STUPRUM.

Si lex Stupratori imponeret pœnam alternative, v. gr. quod aut teneatur stupratam ducere, aut dotare, tunc si præcise compelleretur ad illam ducendum, matrimonium esset invalidum. 79. 208.
Si Stuprator, videns Patrem, vel Consanguineos Mulieris in se venire, cum armis ad vindictam offensæ, & non ad matrimonium extorquendum; & ipse, ut mortem, aut aliud grave malum evitaret, offerat matrimonium contrahere, valide contractum dicetur. 80. ibid.
Si Stuprator post commissum stuprum sub promissione futuri matrimonii, resiliat absque justa causa, & compellatur à Superiore adhibere consensum, matrimonium erit validum. 82. ibid. *et in Annot. n.* 12.
Stuprator si cogitur contrahere cum stuprata, nullam dicitur pati injuriam 83. 209. *et in annotat. loco cit.*
Qnando cogi possit per censuras. *in Annotat. n.* 12. *& seq.*

SUBDELEGATUS.

Delegatus non potest alterum subdelegare cum facultate, ut subdelegatus possit subdelegare. 317. 83.
Subdelegatus à Delegato Papæ omnem habet auctoritatem in ea Causa, quam habet ipse Papa. 318. ib.
Sicut Delegatus non potest fines mandati excedere, ita nec Subdelegatus. 319. ibid.
Subdelegatione facta censetur etiam ipsi Subdelegato concessa potestas recipiendi Testes cum eorum Juramento. 320. 84.
Subdelegatione facta si facienda sit receptio Testium extra Diœcesim Delegati, eadem fiet ab Ordinario subdelegato, non auctoritate ordinaria, sed sibi subdelegata. 321. ibid.
Quando Delegatus absque speciali potestate subdelegat,

gati primus ſubdelegatus moriatur, poteſtas ſubdelegati expirat. 322. ibid.
Subdelegatio non poteſt fieri, niſi Perſonis in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis. 325. ibid.
Delegatus tamen Prælati inferioris poteſt ſimplices Clericos ſubdelegare. 326. 84.
Quoad Informationes ſimplices habendas, exiſtimat Auctor etiam à Delegato Papæ poſſe ſubſtitui ſimplicem Sacerdotem in dignitate non conſtitutum. 327. ib.
Delegatus non poteſt ſubdelegare, niſi poſtquam Literæ fuerint præſentatæ. 331. ibid.
Amplia, & in Epiſcopo, ut nequeat ſubdelegare Cauſas à Papa ſibi committendas. 332. ibid.
Male faciunt, & nulliter procedunt Epiſcopi, qui in electione Vicarii, illum ſubdelegant ad cauſas ſibi in poſterum à Papa committendas. 333. ibid.
Vicarii Generales ſubdelegantes Foraneos Vicarios, ad Informationes delegationum ſibi committendarum male faciunt. ibid.
Facultas delegata ad abſolvendum, non poteſt ſubdelegari. 222. 116.

SUBDIACONI.

An, & quando diſpenſari ſoleant, ut Uxorem ducant. *in Append. caſ.* 33.

SUBREPTIO.

Subreptio, & obreptio inter ſe differunt. 1. 27.
Subreptio quid ſit. 2. ibid.
Subreptio quando dolo admittitur, vitiatur Gratia. 38. 30.
Subreptio, ſeu Obreptio circa cauſam finalem, Solicitatores, vel alterius Romanæ Curiæ Officialis culpa, commiſſa, ſi adſit bona fides Oratoris, ſi res ſit dividua, Diſpenſatio non vitiatur, niſi in parte, pro qua facta fuit ſubreptio. 42. 30.
Subreptio per clauſulam *non obſtantibus*, *&c.* non cenſetur ſublata, ſi fuerit ſequuta. 365. 86.
Subreptio quando dicatur evidens. 495. 93.
Si reſcriptum ſit à principio ſubreptitium dolo, vel fraude, aut ex eo quod Teſtes fuerunt corrupti, detecta ſubreptione Diſpenſatio eſt invalida. 601. 98.
Licet delegatus cognoſcat gratiam obtentam laborare aliquo vitio ſubreptionis, nihil tamen poteſt contra eam decernere. 602. ibid.
Tamen tenetur abſtinere à Literarum executione. 604. ibid.
Diſpenſatio non erit ſubreptitia, ſi Oratrix narret ſe eſſe pauperem, ſi vere ſit talis, licet ſpem magni Patrimonii habeat. 114. 110.

SUPPLICATIO.

Pro omnibus matrimonialibus Diſpenſationibus, quæ à S. Pontifice conceduntur porrigitur Supplicatio. 1. ibid.
Supplicatio Latino ſermone conficitur. 2. ibid.
Supplicatio, pro petenda diſpenſatione confecta, quibus porrigatur, & quid obſervari debeat pro ejus expeditione. 6. ibid.
Gratia ſuper ſupplicatione conceſſa Literæ Apoſtolicæ expediuntur. 7. ibid. & 14. ibid.
Supplicatio ſemper debet attendi. 157. 74.
Si per Literas mutaretur ſubſtantia gratiæ, attenditur Supplicatio, non Literæ. 158. ibid.
Ex tenore ſupplicationis regulantur Literæ. 160. ibid.
Ex forma Supplicationis, declaratur intellectus Gratiæ. 163. ibid.
Supplicatio pro Diſpenſatione ſuper crimine Adulterii, neutro machinante, quomodo inſcribatur, & quid obſervetur. 71. 230.
Forma Supplicationis pro impetranda diſpenſatione ſuper Impedimento Raptus, omiſſo in prima ſupplicatione ſuper alio Impedimento dirimenti petita. 37. 240.
Quid ſervetur, ſi aliquid mutandum ſit in Supplicatione, antequam gratia expediatur. 89. 307.

SUPERIOR.

Superior, ad quem devoluta fuit Diſpenſatio, poterit Diſpenſare, vel cogere Inferiorem ad diſpenſandum. 54. 4.
Superioribus Religionum competit facultas Diſpenſandi in aliquibus caſibus matrimonialibus, & quando. 102. 13.

T

TACENS, TACITURNITAS.

Gratia vitiatur ex taciturnitate rerum, quæ Jura jubent exprimi, & quibus expreſſis Jure eſt cautum, quod Papa non concederet. 4. 28.
Ex taciturnitate alicujus qualitatis, quam Jura non jubent exprimi, quæ ſi expreſſa fuiſſet, Papa difficilius conceſſiſſet, non vitiatur Diſpenſatio. 10. ibid.
Quoties de invaliditate gratiæ agitur ob taciturnitatem, debet intelligi de taciturnitate exprimendorum ex diſpoſitione Juris, & quod illis expreſſis Princeps non conceſſiſſet. 12. ibid.
Valet Diſpenſatio, tacita veritate, propter quam Papa maxima, vel majori difficultate conceſſiſſet, niſi Jus exigat, ut dicta qualitas exprimatur. 13. ibid.
Si aliqua qualitas de Jure exprimenda taceatur, licet id fiat ignoranter, & abſque dolo, nihilominus Gratia vitiatur. 14. ibid.
Qui veritatem in caſibus à Jure expreſſis reticet, præſumitur in dolo. 16. ibid.
Non ſolum irritatur gratia ob taciturnitatem qualitatum, quæ jure exprimi debent, ſed irritatur etiam ex taciturnitate eorum, quæ ſtylus Curiæ exigit. 18. ib.
Tacita qualitate ex conſuetudine Principis exprimenda, gratia irritatur. 20. 29.
Taciturnitas veri, quamvis non vitiet Reſcriptum à Principe *motu proprio* conceſſum, nihilominus quando falſa cauſa finalis exprimitur, qua non expreſſa, Gratia non concederetur, Gratia etiam cum d. clauſula conceſſa erit irrita. 40. 30.
Dubitans de validitate Diſpenſationis obtentæ, ſi iterum ſuper iiſdem qualitatibus petat diſpenſari, etiam non facta expreſſione primæ, valebit Diſpenſatio. 218. 39.
Nec vitiabitur ſi taceatur, quod eamdem alias petitam non obtinuerit. 219. ibid.
Vel ſi taceatur, quod à Papa fuiſſet denegata, quia judicaſſet non adfuiſſe juſtam cauſam. 220. ibid.
Taciturnitas Copulæ, quando petitur Diſpenſatio ſuper alio impedimento dirimenti, an vitiet Diſpenſationem. 281. 43.
Taciturnitas Copulæ, cum non reperiatur à Jure prohibita quando Diſpenſatio pro alio impedimento petitur, utique cenſetur permiſſa. 303. 45.
Taciturnitas illa ſola vitiat, quæ fit circa cauſam finalem Diſpenſationis. 304. ibid.
Taciturnitas Copulæ non vitiat, quamvis ob d. Copulam Papa difficilius diſpenſaſſet. 306. ibid.
Taciturnitas longi temporis inducit conſenſum. 118. 220.

TAXA.

Taxæ, quæ in C. A. ſolvuntur pro Diſpenſationibus Matrimonialibus ſunt duplicis generis, aliæ vocantur Taxæ, & aliæ Regaliæ, & quomodo, & à quibus ſolvantur. 68. 20.
Taxa, & Impenſa eadem eſt in Diſpenſatione ſuper Conſanguinitate, ac ſuper Affinitate. 171. 75. & 17. 105.
Sive petatur diſpenſatio in forma Pauperum, ſeu ordinaria. 149. 113.
A diſpenſatis in forma *Pauperum*, abſentibus nihil recipitur à Dominis Scriptoribus Apoſtolicis, ac per Officium minoris Gratiæ taxantur, ac ſi pauperes non eſſent. 124. 111.
Taxa pro Diſpenſationibus in forma *Pauperum*, in Gradibus remotioribus, nempe ultra Tertium, ſi Oratores ſint abſentes ab Urbe, taxantur, ac ſi non eſſent pauperes. 150. 113.
Sed in Gradibus propinquis, nempe in Tertio gradu, nulla ſolvitur Taxa, ſed ſolum parvi nummi pro laboribus Officialium. 151. ibid.
Quid ſi Oratores ſint in Urbe. 152. ibid.
Pro diſpenſatione conceſſa à Pœnitentiaria, cum clauſula *Gratis ubique &c.* nihil ſolvitur neque etiam pro mercedibus, etiam à ſponte offerentibus. 190. 138.
Etiamſi quis impetrata Diſpenſatione à Pontifice tacuiſſet aliquam qualitatem occultam, quæ ſi expreſſa fuiſſet Pontifici, majorem Compoſitionem ſolviſſet. 191. ibid.
Taxa eadem ſolvitur pro Diſpenſatione ſuper Affinitate ac ſuper Conſanguinitate. 60. 183. & 96. 185.

TER-

TERTIARIUS.

Matrimonium ratum non dissolvitur per Professionem Tertiariorum. 99. 219.

TESTAMENTUM.

Testandi facultatem obtinens, uno Testamento condito, illud annullare potest, & aliud conficere usque ad mortem. 94. 12.

Testamentum per subsequentem licentiam testandi validatur etiamsi factum fuerit antequam fuerit concessa, quia sumit vires in tempore mortis. 106. 13.

Testandi facultatem habens, censetur posse concedere Codicillos, & donare causa mortis. 116. 14.

Testamentum conditum ante annum 14. completum est nullum, nisi inchoata fuerit ultima dies 14. anni. 19. 290.

TESTIS.

Testes Deponentes falsum coram Delegato, possunt ab eo puniri. 80. 71.

A' quibus Personis debeat Delegatus se informare, & quid quando timeat de Testium integritate. 268. 80.

Ad probandum Impedimenta matrimonii potius admittuntur Consanguinei, & Pater & Mater, quam alii Testes, quia præsumuntur magis informati. 272. ib.

Testes informantes debent etiam deponere de omni alio impedimento, quod inter Oratores adessent, super quo Dispensatio sit facienda. 274. 81.

Si decem Testes, vel plures ab uno didicerint, non plus probant, quam unus. 275. ibid.

Si Delegato ex falsis Testibus constaret, de veritate narratorum, quid agendum. 276. ibid.

Delegatus potest cogere quascunque Personas ad suscipiendum Delegationis munera, & cogere Testes ad testificandum mulctis & Excommunicatione; non tamen potest eos bannire. 278. ibid.

Punire potest Testes, qui falsum coram se deposuerint. 279. ibid.

Etiamsi dicti Testes essent Laici, vel Regulares. 280. ib.

Testes falsi coram Delegato qua pœna sint puniendi. 283. 81.

Receptio Testium si facienda sit extra Diœcesim Officialis Delegati (quando est facta subdelegatio) fiet ab Ordinario subdelegato ab ipso Delegato, non auctoritate ordinaria, sed sibi subdelegata. 321. 84.

Testium receptio per Delegatum potest etiam extra Diœcesim commmitti, si ibi Testes adsint. 330. ibid.

Testis unicus an probet Impedimentum, & quid requiratur. 415. 89.

Ut unicus Testis impediat, debet dare notitiam, quod Impedimentum sit clarum. 417. ibid.

Majorem fidem facit Testis unicus cum Juramento deponens, vel sola fama super Impedimento, quam duo Testes, quorum alter cum Juramento, alter de certa scientia absque Juramento deponerent. 416. ibid.

Testis unicus sufficit, si de Consanguinitate, vel Affinitate ex certa scientia deponat, vel de auditu à majoribus suis, & gradus distinguat. 428. ibid.

Testis unicus Consanguinitatem, vel Affinitatem deponens, & de auditu ab uno tantum non impedit. 429. ibid.

Ad dissolvendum matrimonium contractum requiruntur duo Testes omni exceptione majores. 433. 89.

Parentes, & Consanguinei admittuntur ad probandum Consanguinitatem, & Affinitatem. 272. 80. & 434. 89.

Testis unicus super Impedimento, super quo fuit occulte dispensatum, non sufficit ad impediendum matrimonium 162. 136.

Testis unicus sufficit ad impediendum matrimonium contrahendum. 163. ibid.

Testes super statu libero alicujus, debent recipi potius Consanguinei, quam extranei, & potius Cives, quam Exteri. 22. 193.

Testes contra validitatem matrimonii deponentes, debent esse omni exceptione majores. 433. 89. & 55. 198.

Numerus Testium licet regulariter suppleat eorum fide, tamen fallit, quando agitur de matrimonio dissolvendo. 57. 199.

Limita secundo, quando ageretur de dissolvendo matrimonio cum Impedimento perpetuo. 63. ibid.

Limita tertio, quando adesset Impedimentum Consanguinitatis, vel Affinitatis, quia tunc potius Consanguinei Testes admittuntur, quam extranei. 64. ibid.

Debent tamen eo casu Testes deponere, quod viderint Personas omnes in Consanguinitate, distingendo gradus ex utroque latere, vel saltem aliquas personas in gradibus, alias non probant. 65. ibid.

Quia quando Consanguinitas est probanda in gradu certo, Testes debent de gradu, & stipite deponere. 66. ibid.

Debent insuper jurare, quod non procedunt ad Testimonium ferendum, odio, amore, timore, vel præmio, seu commodo. 67. 199.

Testes omni exceptione majores, qui dicantur. 68. ib.

Testes idonei, qui dicantur. 69. ibid.

In casibus, in quibus requiritur, ut Testes sint omni exceptione majores, hujusmodi qualitas probanda est 71. ibid.

Testis quilibet, licet idoneus præsumatur, non tamen idoneus præsumitur omni exceptione major. 72. ibid.

At si dicta exceptio non opponatur, omnes Testes admittuntur, licet Consanguinei, vel Affines sint, etiam Pater, & Mater. 73. ibid.

Testes in causis criminalibus possunt recipi, etiam post publicatas attestationes, super iisdem articulis, tam in prima, quam in secunda instantia. 82. ibid.

Testis singularis de visu, omni exceptione major, an sit sufficiens ad probandum mortem Conjugis, & quid ultra requiratur, ad effectum, ut superstes possit iterum contrahere. 10. & seqq. 201.

Testes assistentes matrimonio clandestino extraordinarie puniuntur. 37. 250.

Testes ad matrimonium sunt idonei, sive sint masculi, Fœminæ, Consanguinei, Pater, Mater, Domestici, Infames, Impuberes, dummodo rationis compotes sint. 97. 252.

Neque obstabit, si Testes dolo, vel ad aliud vocati sint, dummodo sint præsentes, etiam per vim retenti, & consensum contrahentium intelligant. 98. ib.

Aliter dicendum esset, si essent ebrii, vel infantes. 99. ibid.

Præsentia Parochi, & Testium debet intervenire eodem tempore, quo actus producitur. 101. ibid.

Testes an valide possint intervenire matrimonii celebrationi, pariete intermedio. 104. 253.

Cœcus non potest esse Testis in matrimonio, quamvis notas habeat Contrahentium voces. 105. ibid.

V

VAGUS.

QUis dicatur & coram quo Parocho debeat matrimonium contrahere. *in Annotat. n.* 29.

VALIDITAS.

Cognitio validitatis Literarum spectat ad Pontificem. 603. 98.

Quamvis Delegatus non possit de ea cognoscere, tamen si cognoscat, debet abstinere ab executione. 604. ib.

Dispensatio etiam in dubio censetur valida. 85. & 86. 267.

VARIATIO.

Variatio in Judicio cœpto quando licita sit. 121. 134.

Confessor quando variari possit in Dispensatione. 122. ibid.

VENIA.

Oratores antquam dispensentur in forma Pauperum veniam petere debent à Delegato. 132. 112.

Veniam petens, debet esse pœnitens. 133. ibid.

Non pœnitentibus non conceditur. 135 ibid.

Clausula, *deinde si veniam à te petierint*, diversimode concipitur, in dispensationibus. 136. ibid.

VERIFICATIO.

Delegatus ad dispensationem, debet curare, ut verificentur omnia narrata Pontifici in substantialibus, in quibus Dispensatio est fundata. 255. 80.

Etiamsi essent vera, & notoria. 250. ibid.

Si aliqua narrata, quæ non essent substantialia, licet non verificentur, vel sint falsa, non infringunt Gratiam, nisi ageretur de præjudicio Tertii. 258. ibid.

Quamvis narrata consistant in negativa, adhuc verificanda sunt. 261. ibid.

Pro verificatione precum non requiritur formalis Testium examen, sed sufficit quod Delegatus extrajudicialiter diligenter se informet. 262. ibid.

Quid si omnia jam verificata fuissent per Testes, sed tamen

tamen Delegato constaret contrarium. 271. ibid.
Quid si ex falsis Testibus constaret de veritate narratorum. 276. 81.
Et quid si preces essent veræ, sed probatæ per falsos Testes. 277. ibid.
Narrata si non verificentur Gratia erit nulla; nec meretur nomen Gratiæ. 191. ....
Quæ sint verificanda coram Delegato in Dispensatione in forma *pauperum*. 59. 108.
Si in Supplicatione exponantur Impedimenta alternative, v. gr. Consanguinitatis, vel Affinitatis, sufficit coram Delegato alterutrum verificari. 146. & 147. 36.
Coram Delegato sufficit verificare solam causam finalem Dispensationis. 58. 266. & 115. 277.
Quid si plures causæ fuerint adductæ. 59. & seqq. 266. & 114. 277.
Si causa narrata non verificetur, sed allegetur alia; quæ si narrata fuisset, Papa de stylo admisisset, nihilominus Dispensatio exequi non poterit. 90. 268.

VERBA.

A' proprietate verborum, an, & quando sit recedendum. 23. 9.
Verba Dispensationis an sint late, vel stricte accipienda. 24. ibid.
Verba Dispensationis secundum intentionem Concedentis debent declarari. 27. ibid.
Verba quando censeantur apposita taxative, & quando demonstrative. 50. 30.
Verba Rescripti Pontificis sunt restringenda tantum ad expressa. 63. 31.
Verba debent naturaliter intelligi, & non accidentaliter. 123. 63.
Non autem Civiliter. 139. ibid.
Verbum *Mandamus* à Superiore prolatum importat necessitatem, & præceptum. 229. 78.
Verba geminata, enixam Disponentis voluntatem indicant. 239. 79.
Verba geminata, semper aliquid ultra operantur. 240. ibid.
Non omnia verba legis, seu rescripti inducunt formam, sed tantum ea, quæ substantiam concernunt. 259. 80.
Verba *Auctoritate nostra* conjuncta cum verbo *concedimus facultatem*, non faciunt Jurisdictionem Delegatam. 479. 92.
Quando vero junguntur potestati aliquid faciendi, faciunt Delegatum, etiam quoad ea, quæ ex ordinaria Jurisdictione competunt. 480. ibid.
Verba geminata operantur ultra solitum, & magis enixam Papæ voluntatem demonstrant. 560. 96.
Verba geminata omnem dubietatem tollunt. 561. ib.
Verba *Operam suam conferat &c.* posita in mandato dispensationis in forma pauperum important personalitatem. 196. 114.
Verbum *Præsumere*, importat dolum, & temeritatem. 142. 155.
Verba legis pœnalis, cum effectu intelligenda sunt. 12. 158.
Verba, *ut asserit*, vel *sicut asserunt*, & similia posita in Literis, transferunt onus in asserentem probandi assertа. 119. 278.
Quid si fuerit dictum, *ut asseritur*. 121. ibid.
Verbum *Præsumpserit*, relatum ad Personam, importat temeritatem, & dolum. 49. 304.

VERITAS.

Veritatem reticens in casibus ex jure exprimendis, præsumitur in dolo. 16. 28.
Literæ Pontificis habent in se tacitam conditionem, *Si preces veritate nitantur*, & subintelligitur, quamvis in eis non sit expressa. 23. & 24. 29.
Si Delegatus præhabita diligenti informatione, declaret preces esse veras, & Dispenset; sententia, quamvis esset injusta, tamen esset valida. 598. 98.
Clausula, ut Confessarius teneatur indagare veritatem precum, est de forma. 127. 134.
Dispensandus non tenetur jurare, se dicturum veritatem. 128. 135.
Preces narratæ S. Pœnitentiariæ debent esse veræ tempore impetrationis Literarum, & existere tempore executionis. 138. ibid
Facta dispensatione ab Episcopo in casu dubio, licet postea de veritate appareat, non erit opus ad Pontificem recurrere. 71. 150.

VICARIUS.

Plures Vicarii Generales laudantur. 71. 32.
Item alii præteriti. 72. ibid.
Nomine Ordinarii, venit non solum Episcopus, sed etiam Vicarius Generalis. 2. 52.
Vicariis Prælatorum inferiorum, Jurisdictionem quasi Episcopalem habentium, non committuntur Dispensationes. 3. ibid.
Dicti Vicarii vere non sunt in dignitate Ecclesiastica, nec eorum officium æquiparatur Dignitati. 4. ibid.
Excipitur Vicarius Abbatis Montis Cassinensis. 5. ib.
Vicario Capituli sede Vacante non committuntur Dispensationes matrimoniales. 16. 53.
Vicarius Capituli, Sede vacante, vere est Ordinarius, eaque Jurisdictione gaudet, qua Vicarius Episcopi. 17. ibid.
Vicarius Generalis potest executioni demandare Literas directas Episcopo per S. Congregationem, & ab illo non executas. 18. ibid.
Vicarius Capituli potest exequi omne id, quod Episcopo mortuo per Bullam, seu Breve in causis jurisdictionem importantibus fuerit concessum. 19. ibid.
Vicarius Capituli potest perinde ac Vicarius Episcopi, esse executor Gratiarum, & Literarum Apostolicarum, tanquam in Dignitate constitutus. 26. ibid.
Vicarii Capitulares sede vacante an possint dispensare in gradibus prohibitis, & quid de matrimoniis jam contractis bona fide cum hujusmodi dispensationibus. *in Append. cas.* 10.
Vicarius Generalis, quoad matrimoniales Dispensationes exequendas, non dicitur Ordinarius. 21. 53.
Vicarius, qui cœpit exequi Literas Episcopo commissas, eo vivente, & non peractas ante obitum ejusdem, an possit postea peragere. 23. ibid.
Quid si Vicarius Capituli, esset idem Vicarius Episcopi mortui. 24. ibid.
Episcopo mortuo, statim expirat omnis auctoritas ejus Vicarii, & Capitulum succedit in Ordinaria Jurisdictione. 25. ibid.
Vicarius Capitularis non dicitur proprie Vicarius Episcopi, sed Jurisdictionis Episcopalis, & Ordinariæ, quam habet à Capitulo. 26. ibid.
Vicarius Capitularis non succedit in Jurisdictione delegata, quæ non est in Episcopo, & eo minus in ejus Vicario. 27. 53.
Si vivente Episcopo sint commissæ ei Dispensationes exequendæ, quid agendum si, Episcopus moriatur. 30. ibid.
Mutatio Judicis pro executione Dispensationum fit, tam si Vicarius Episcopi præmortui cœpisset causam cognoscere, quam si res esset adhuc integra. 36. 54.
Si proprius Ordinarius Oratorum longe distaret, nec Vicarium constituisset, vel esset suspensus, & deputatus esset in ejus Ecclesia Vicarius Apostolicus, quid quoad executiones Dispensationum. 38. ibid.
Si mors Episcopi ignoretur, gesta per Vicarium valent. 40. ibid.
Si Vicarius sit revocatus ab Episcopo absente, & revocatio ignoretur, an valeant ejus gesta. 42. ibid.
Quid, si à solo Vicario dicta revocatio sciatur. 43. ib.
Si Vicarius sit Delegatus, non potest Episcopus se in ea causa ingerere, etiam ipso Vicario mortuo, vel absente, seu ab Officio remoto. 55. 55.
Vicario mortuo, vel remoto, Literæ debent executioni demandari per successorem in Vicariatu. 56. ibid.
Commissio facta Vicario non expresso nomine, est realis, & respicit Tribunal, & transit ad successorem. 57. ib.
Vicarius Episcopi adhuc non consecrati, sed solum confirmati potest exequi literas. 61. 56.
Vicarius non potest se ingerere in causa Episcopo delegata. 62. ibid.
Mandatum factum Vicario non se extendit ad causas in futurum Episcopo delegandas. 63. ibid.
Vicarius, cui commissa est Dispensatio, non potest subdelegare. 65. ibid.
Vicarius, cui commissa est Dispensatio, si eligatur Episcopus Diœcesis, non poterit exequi Dispensationem, sed debebit exequi per successorem in Vicariatu. 66. ibid.
Episcopus, & Vicarius constituunt unum Tribunal. 67. 56.
Et habentur pro unica persona, & unico corpore. 68. ib.

Nec

Nec inter ipsos datur medium. 69. ibid.
Facta commissione Episcopo, vel ejus Vicario, post factam præsentationem alteri, alter non potest se intromittere. 70. ibid.
Episcopus potest constituere plures Vicarios, tam in solidum, quam unum principaliorem. 72. ibid.
Quando Episcopus constituit plures Vicarios, & commissio fuit facta Vicario, cui intelligatur. 71. & 75. ib.
Intelligitur principaliori, quando fuit dictum dignitati. 74. 56.
Facta præsentatione uni ex dictis Vicariis, alter non potest se ingerere. 76. ibid.
Non potest dividi causa, ut unus Vicarius exequatur Dispensationem, & alter legitimationem. 77. ibid.
In locis, maxime in Ultramontanis, Vicarii appellantur Officiales. 78. ibid.
Verba, Vicarius, & Officiales sunt synonima. 79. ib.
Vicarius potest exequi, quamvis Episcopus esset aliqua causa excommunicatus, vel suspensus. 80. ibid.
Immo in dicto casu poterit Vicarius matrimoniis assistere. 81. 57.
Non potest Episcopus constituere Vicarium, ut de aliqua particulari delegatione cognoscat. 83. ibid.
Vicarius Generalis substitutus à Vicario Generali Dispensationem exequi potest, si habeat facultatem substituendi. 84. ibid.
Si Episcopus habeat duas Diœceses, & constituat Vicarium Generalem in una, censetur constitutus in utraque. 85. ibid.
Vicarius in causa à Pontifice commissa est major Episcopo. 77. 71.
Quoad commissiones Dispensationum matrimonialium sufficit, quod Vicarius Generalis Episcopi, sit ad spiritualia tantum constitutus. 97. 72.
Quando in Brevibus Pontificiis aliquid committitur Episcopis, seu ejus Vicariis, semper de stylo Curiæ diriguntur Vicariis Generalibus in Spiritualibus. 98. ibid.
Vicarius si removeretur ab Episcopo in fraudem jurisdictionis sibi delegatæ, vel in ea turbaretur, posset in dictum suum Episcopum animadvertere. 82. 71.
Laicus non potest esse Vicarius Episcopi in Spiritualibus. 99. 72.
Si Laicus constitueretur Vicarius, censeretur Assessor Episcopi, & non Vicarius. 100. ibid.
Vicarius Foraneus non est in Dignitate Ecclesiastica constitutus. 328. 84.
Vicarii Generales male faciunt, qui subdelegant Vicarios foraneos ad recipiendum Informationes, & Testes in Causis Dispensationum in posterum sibi committendis. 333. ibid.
Officium Vicarii remanet in successore. 497. 93.
Vicarius non potest dispensare super Impedimentis dirimentibus occultis, nisi ab Episcopo habeat speciale mandatum ad hoc. 158. 155.
Vicarii Generales possunt assistere matrimoniorum celebrationi. 75. 251.
Vicarius Foraneus non potest nec assistere, nec deputare alium, & de ratione. 77. ibid.
Vicarius Generalis, quamvis non sit Sacerdos, potest matrimoniis assistere. 79. 252.
Vicarius quoad Dispensationem super Denunciationibus, vide DENUNCIATIO.
Vicarius unius Diœcesis potest ambos Sponsos super denunciationibus dispensare, quamvis alter sit diversæ Diœcesis. 150. & 153. 255.
Episcopo, si quid est concessum, Vicarii Persona non censetur excluſa, sed potius sub dispositione comprehensa. 203. 258.
In nominatione Episcopi, facta in Concilio, nisi sit facta cum dictione taxativa *tantum*, includitur Vicarius Generalis. 204. ibid.
A' sententia Vicarii non licet ad Episcopum appellare. 205. ibid.

VICINITAS.

Quæ mensura attendatur ad vicinitatem inducendam. 50. 55.

VIDUA.

Vidua petens dispensari super aliquo impedimento, volens cum altero contrahere, an debeat in supplicatione exprimere qualitatem Viduitatis, & præsertim si habeat filios. 114. . . .
Mulier nupta viro seni dicitur Vidua. 36. 273. & 38. ib.
Adeout gaudeat privilegiis Viduarum, & habeat electionem Fori. 37. ibid.

VIR.

Vir, qui viginti uxores sepelierat, & remansit superstes mulieri quæ habuerat viginti duos maritos successive, fuit coactus à Populo Romano abstinere à lugubri funere, & lauro, palmaque coronatus, cadaver d. mulieris ad tumulum associavit. 16. . . .
Vir non potest absque licentia uxoris, nedum Sacros Ordines suscipere, sed nec minores, nec Clericali prima Tonsura insigniri. 46. 217. & 62. 218.
Vir post matrimonium ratum, vel consummatum, suscipiens Ordines absque dicta licentia, poterit ab uxore postulari; & si cum dolo fecerit, irregularitatem incurrit. 47. 217.
Et quamvis consensus mulieris subsequatur, ab irregularitate non erit liberatus, immo mortua uxore adhuc persistet, nisi absolvatur. 48. ibid.
Nec poterit constante matrimonio ad illam redire, nisi ab ea revocetur. 49. ibid.
Tunc tenebitur reddere, sed petere non poterit. 50. ib.
Vir Latinæ Ecclesiæ, si sine licentia uxoris in sæculo degentis, ad Sacros Ordines promoveretur, mulctandus esset tanquam Bigamus, quia esset de fide suspectus; unde exquirenda esset ab eo intentio, qua se fecit promoveri. 52. ibid.
Vir putans uxorem mortuam, si ad Ordines promoveatur, etiamsi sub dicta bona fide electus fuisset ad Pontificatum, poterit ab uxore vivente, promotionis inscia; vel si sciverit, contradixerit, postulare virum, & tenebitur, & reddere. 53. ibid.
Et idem procedit, si uxor ob gravem metum licentiam concessisset. 54. ibid. & 64. 218.
Ut vir possit ordinari, non sufficit, ut Conjux dans licentiam, emittat votum ad tempus, sed debet esse perpetuum. 55. 217.
Vir, qui suscepit Ordines extorta licentia per metum ab uxore, licet possit ab ea revocari, non tamen poterit ex se redire. 64. 218.
Secus si Professus fuisset, quia Professio facta absque dicta licentia est nulla. 66. ibid.

VIRGINITAS.

Votum Virginitatis servandæ, an possit ab Episcopo dispensari. 83. 151.

VITRICUS.

An ducere possit eam, quæ fuit uxor Privigni sui. *In Append. cas.* 29.

VOTUM.

Dispensatus super voto Castitatis, cum haberet Votum non nubendi, aut non fornicandi, Dispensatio est valida. 117. 14.
Si quis haberet Votum Ordinis Sacri, & exprimeret in Supplicatione Votum non contrahendi matrimonium, Dispensatio valeret. 118. ibid.
Votum habens non fornicandi, si peteret dispensari super Voto Ordinis, dispensatio non valeret. 119. ibid.
Votum Castitatis, si concurrat cum alio Impedimento dirimenti, an prius peti debeat Dispensatio super Voto, deinde super Impedimento, vel è contra. 94. & seqq. 33.
Votum Castitatis emissum ante annos Pubertatis, nec postea ratificatum, potest à Parentibus reiterari. 97. ibid.
Et tunc super eo potest Episcopus dispensare, neque pro eo recurrendum esset ad Pontificem, sed tantum pro alio Impedimento dirimenti. 98. ibid.
Si petatur Dispensatio Voti, vel juramenti, explicandum erit, an unum ab alio independenter factum fuerit. 174. 37.
Quid si Juramentum fuisset factum in confirmationem Voti. 175. ibid.
Quid si quis teneretur Voto Castitatis, & Religionis. 176. ibid.
Votum habens non nubendi, vel non fornicandi, si exprimeret habere Votum Castitatis, valida esset Dispensatio. 177. ibid.
Quid si petita esset Dispensatio super Juramento, & necessaria esset super Voto, vel è contra. 179. ibid.
Voti repetitio nullam novam obligationem inducit, si fiat ante Dispensationem. 181. 37.
Secus si fiat obtenta Dispensatione. 182. ibid.

Pro

Pro explicatione Votorum Pontifici facienda, assignatur regula generalis. 283. ibid.
Vota si sint diversa, & unum non includatur in alio., an sint ambo explicanda. ibidem.
Votum Religionis, & Votum perseverandi in Religione sunt diversa. 184. ibid.
Et quid si unum includatur in alio. 185. ibid.
Si dispensatus super Voto Castitatis ducat uxorem, eaque mortua velit aliam ducere, tenetur novam Dispensationem super Voto impetrare, & de prima mentionem facere. 207. 38
Emittens Votum Castitatis, vel Religionis post obtentam Dispensationem ad contrahendum super Impedimentis, poterit nihilominus valide, quamvis illicite, contrahere. 337. 74.
Qui obtinuit Dispensationem super Voto, si ante illius executionem Votum repeteret, poterit nihilominus vigore d. mandati dispensari. 43. 107.
Dispensatio super Impedimento simplicis Voti Castitatis, quomodo, & quando à S. Pœnitentiaria concedatur, & ex quibus causis. 54. & seqq. 129.
Votum simplex Castitatis an emittere teneatur Conjux innocens in sæculo remanens, quando alter de ipsius licentia Religionem ingreditur. *In Annot. num.* 19.
Votum Religionis ex quibus causis possit permutari à S. Pœnitentiaria, & dispensari ad Matrimonium contrahendum. 62. & seqq. 130.
In dubio validitatis Voti, quid agendum. 73. 131.
Quid observetur circa commutationem Voti personalis. 74. ibid
Dispensatus super Voto ad contrahendum matrimonium, si illud contrahat, & ante consummationem matrimonium dissolvatur, poterit aliud inire. 588. 137.
Episcopus non potest dispensare super Votis Castitatis, & Religionis. 75. 151.
Limita quando Votum non esset integrum, & quando talem dicatur. 76. ibid.
Votum disjunctivum quando dicatur, & an ab Episcopo possit dispensari. 86. ibid.
Dispensatio super dilatione executionis Voti potest ab Episcopo ex justa causa concedi, & quando. 91. ib.
Votum conditionale potest ab Episcopo dispensari, & quando dicatur conditionale. 92. & seqq. ibid.
Votum, & Juramentum factum ad favorem tertii, non potest ab Episcopo dispensari, nisi tertius Jus suum remittat. 117. 152.
Votum Castitatis aliud est simplex, quod fit ad libitum cujuscunque, & hoc inpedit, sed non dirimit matrimonium. 76. 218.
Aliud est solemne, quod vel in Sacrorum Ordinum susceptione, vel in Religionis ingressu emittitur, & non solum impedit matrimonium sed si contractum sit post emissum hujusmodi Votum, illud dirimit. 77. ib.
Votum solemne dirimit matrimonium solo Jure Ecclesiastico, quia sicut Votum simplex non dirimit, ita nec solemne ex sui natura. 79. ibid.
Super Voto perpetuo simplici Castitatis, solus Papa, & non alius auctoritate ordinaria poterit dispensare. 80. 219.
Immo facultas dispensandi super Votis concessa à Papa, nunquam comprehendit Vota perpetuæ Castitatis, & Religionis, nisi fiat de eis specialis mentio. 81. ibid.
Tamen ex consuetudine, si hujusmodi Voto adstrictus contrahat matrimonium, posset ab Episcopo dispensari ad petendum debitum. 82. ibid.
Amplia, ut Episcopus in hujusmodi debiti petitione possit dispensare etiam ante matrimonium consummatum. 83. ibid.
Votum faciens ingrediendi, & profitendi Religionem, si postea matrimonium contrahat, poterit absque Dispensatione petere, & reddere debitum. 134. 221.
Ad dispentandum in Voto solemni Religionis, requiritur gravissima causa, & qualis esse debeat. 94. 268. *Et in Append. cas.* 33.
Votum simplex ex quibus causis possit dispensari, & an ex sola solutione compositionis pecuniariæ. 95. & seqq. ibid.
Votum raro remittitur, sed tantum commutatur. 98. 268.
Conservatio Ducatus, & Marchionatus in progenie, an sit justa causa dispensandi à Voto Castitatis, vel Religionis. 99. ibid.
Morbus, qui non possit curari, nisi actibus venereis, an sit causa dispensandi in dictis Votis. 100. ibid.
Quando causa est temporalis, fit commutatio mista cum Dispensatione. 101. ibid.
Votum pœnale Castitatis, vel Religionis facilius dispensatur, quam Votum absolutum. 102. ibid.
Votum, & Juramentum, si simul concurrant, requiritur major causa dispensandi. 103. 268.
Non tamen exigitur major causa ad commutandum. 104. ibid.
Causa, quæ est sufficiens ad dispensandum in Voto, non semper est sufficiens ad dispensandum in Voto non petendi Dispensationem. 105. ibid.
Votum metu emittens, non tenetur illud observare. 31. 216.
Votum solemne Religionis emissum ante pubertatem non obligat, nisi postea ratificetur. 33. 217.

UXOR.

Vir non potest eodem tempore plures ducere fœminas, nec fœmina plures mares. 2. 191.
Pluralitas Uxorum in lege veteri, aliquando fuit permissa ex ipsius Dei Dispensatione. 3. ibid.
In Lege Evangelica nulla adest potestas dispensandi super pluralitatem uxorum simul. 4. & 6. 192.
Pluralitas uxorum prohibetur, nedum de Jure Ecclesiastico, sed etiam ex Jure Divino, immo, est contra jus naturale secundarium. 5. ibid.
Pluralitatem uxorum, si quis prohibitam esse negaret, de fide male sentiret. 8. ibid.
Uxorum pluralitas est adeo detestabilis in Republica Christiana, ut nulla consuetudine effici possit licita. 9. ibid.
Mulier, quæ vigintiduos successive maritos habuit, & deinde nupsit Viro, qui viginti uxores sepelierat, & eidem mulieri superstes remansit, unde à Populo Romano fuit coactus abstinere à lugubri funere, & lauro, palmaque coronatus, cadaver mulieris ad tumulum associavit. 16. ibid.
Fœminis, quæ eodem tempore pluribus viris nupserint, debent de Jure Canonico incidi capilli, & panni ante, & post. 36. 193.
Uxor absque consensu Viri, non potest se alteri in servitutem vendere. 23. 212.
Uxor, quæ Votum Castitatis emisit, & consensit, ut vir ad Sacros Ordines promoveretur, non potest post ejus mortem alteri nubere absque Dispensatione. 44. 217. 72. & 218.
Quod procedit etiam apud Græcos. 45. 217.
Vir suscipiens Ordines absque uxoris licentia, si id fecerit dolo, Irregularitatem incurrit, & ab uxore poterit postulari. 47. ibid & 64. 218.
Uxor, quæ dedit licentiam, ut Vir susciperet Ordines Sacros, non poterit eo mortuo matrimonium inire absque Dispensatione. 56. 217.
Si Uxor, postquam dedit licentiam Viro suscipiendi Ordines continentiam non servaverit, debet omnino cogi ad ingrediendum Religionem. 63. 218.
Uxor debet omnino Religionem ingredi, si Vir de ejus licentia Ordinatus promoveretur ad Episcopatum. 67 ibid.
Quid faciendum esset, si fieret S. Romanæ Ecclsiæ Cardinalis. 68. ibid.

LAUS DEO.